ANTONII BALLERINI

E SOCIETATE IESU

OPUS THEOLOGICUM MORALE

IN BUSEMBAUM MEDULLAM

ABSOLVIT ET EDIDIT

DOMINICUS PALMIERI

EX EADEM SOCIETATE

VOLUMEN II.

TRACTATUS CONTINENS

DE PRAECEPTIS VIRTUTUM THEOLOGICARUM DE PRAECEPTIS DECALOGI (EXCEPTO 7°)
DE (QUIBUSDAM) ECCLESIAE PRAECEPTIS

EDITIO TERTIA

IN NONNULLIS AUCTA ET EMENDATA

PRATI

EX OFFICINA LIBRARIA GIACHETTI, FILII ET SOC.

1899

FRANCISCUS M. CARINI

PRAEPOSITUS PROVINCIAE ROMANAE SOCIETATIS IESU.

Cum opus, cui titulus *Antonii Ballerini e S. I. opus theologicum morale etc.* a Dominico Palmieri nostrae Societatis Sacerdote rursus edendum aliqui eiusdem societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint; facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Romae in festo omnium sanctorum anno 1897.

(L. S.)

IMPRIMATUR

Prati, 28 februarii 1899. Can. Archid. Ioachim Gori Vic. Gen.

TRACTATUS V.

DE PRAECEPTIS VIRTUTUM THEOLOGICARUM

Titulus ipse monet, non heic agi de virtutibus theologicis universim, sed definite de praeceptis, quae circa eas versantur; quemadmodum decet theologum moralem. Quidam haec praecepta subdunt praecepto primo Decalogi, quod non improbamus: nihilominus quia haec praecepta versantur circa actus virtutum intrinsece supernaturalium, quae sunt propriae ordinis divini, ad quem D. N. I. Ch. nos elevavit, specialem locum haud immerito sibi vindicare videntur.

SECTIO I.

DE PRAECEPTIS FIDEI

1. * Praemittenda pauca de fidei notione. Nomen *fides* non semper unum idemque significat: frequentius tamen, in N. T. praesertim, valet actum intellectus, qui est credere, nempe assensus firmus alicui rei vel propositioni, propter alterius auctoritatem. Exinde vero non raro nomen transfertur ad ipsum obiectum creditum, ut cum dicitur: haec est Fides Catholica, quam nisi quisque crediderit etc. atque ita apud Apostolum non raro fides usurpatur pro universa oeconomia christiana, ut monent interpretes. Porro nomen fides in N. T. aliquando fiduciam non assensum mentis immediate valere, haud certum est. Speciatim quidem, ex quadam analogia, nomen fides *Rom.* XIV. 1. 2. 22. 23. est iudicium practicum seu dictamen conscientiae. Fides quoque apud classicos ea est, qua alteri promissa servamus et fideles vocamur: « frangenti fidem fides frangatur eidem ».

Ad nostram tractationem quod spectat, fides theologica tum in actu tum in habitu spectari potest. Fides itaque actualis est assensus intellectus in revelata a Deo, propter auctoritatem Dei revelantis. Fides habitualis est virtus divinitus nobis infusa, qua firmiter assentimur, propter auctoritatem Dei revelantis, iis, quae a Deo sunt revelata. Cum definitione Apostoli Hebr. XI. 1. haec convenire disce a s. Thoma 2. 2. q. 4. a. 1. atque eius interpretibus. « Si quis, ait s. Doctor, in formam definitionis huiusmodi verba (Apostoli) reducere velit, potest dicere,

quod fides est habitus mentis, quo inchoatur vita aeterna in nobis, faciens intellectum assentire non apparentibus (revelata scilicet non sunt visa). Per hoc enim fides ab omnibus aliis distinguitur, quae ad intellectum pertinent. Per hoc enim quod dicitur *argumentum*, distinguitur fides ab opinione, suspicione et dubitatione, per quae non est adhaesio intellectus firma ad aliquid. Per hoc autem quod dicitur *non apparentium*, distinguitur fides a scientia et intellectu, per quae aliquid fit apparens. Per hoc autem quod dicitur *substantia sperandarum rerum*, distinguitur virtus fidei a fide communiter sumpta, quae non ordinatur ad beatitudinem speratam. Omnes autem aliae definitiones, quaecumque de fide dantur, sunt explicationes huius, quam Apostolus ponit ».

2. Actum fidei praevertit 1° iudicium mentis de credibilitate revelationis, ita ut iudicetur prudentem esse assensum; « non enim, ait s. Thomas q. 1. a. 4. ad 2., crederet (qui credit), nisi videret esse credendum, vel propter evidentiam signorum vel propter aliquid huiusmodi » : 2° iudicium de necessitate sive obligatione credendi, quod iudicium sponte ponit quicumque intelligit quis sit qui loquitur; sed et cum ipsa revelatione Dei eiusdem lex proponitur exigens fidem: 3° actus liber voluntatis imperans assensum intellectus; non enim intellectus ab obiecto fidei necessario determinatur ad assensum, cum sit quid non visum: sed quia ratio iam ostendit propter extrinseca motiva rem esse credibilem et credendam, voluntas movet intellectum ad assentiendum et affirmandum, id quod est revelatum, etsi idipsum ille non videat, h. e. eius intrinsecam rationem non percipiat. Quocirca actus fidei liber est et meritorius.

Quia vero actus fidei non se habet ut consequens logicum ad iudicium de credibilitate, sed, hoc posito et posita motione voluntatis, immediate actus innititur auctoritati revelantis; fieri potest, imo debet, ut assensus fidei sit magis firmus, quam iudicium illud praevertens. Hoc enim gaudet certitudine humana: actus ille fidei certitudine divina, infallibili. Hinc merito damnata ab Innocentio XI. propos. 19. « Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium ».

3. Obiectum formale fidei est veritas prima (summa sapientia et summa veracitas) revelans. « Si in fide consideremus formalem rationem obiecti, nihil est aliud quam veritas prima. Non enim fides, de qua loquimur, assentitur alicui, nisi quia est a Deo revelatum: unde ipsi veritati divinae fides innititur tanquam medio » : s. Thomas l. c. q. 1. a. 1.

Materiale autem obiectum est quidquid Deus nobis locutus est: in quo rursus duplex solet distingui obiectum, primarium, quod est Deus ipse revelatus nobis, secundarium, quaecumque alia sunt revelata, quae

tamen, ut ait s. Thomas, ibid., sub assensum fidei non cadunt (nempe revelata sunt) nisi secundum quod habent aliquem ordinem ad Deum, prout scilicet per aliquos divinitatis effectus homo adiuvatur ad tendendum in divinam fruitionem. Et ideo etiam ex hac parte obiectum fidei est quodammodo veritas prima (ontologice spectata), in quantum nihil cadit sub fide, nisi in ordine ad Deum.

Cum credere ad intellectum pertineat, prout est motus a voluntate, actus fidei distinguitur per hoc quod est *credere Deo, credere Deum, credere in Deum*. Credimus Deo revelanti et habetur ratio obiecti formalis: credimus Deum esse et quaecumque de Deo dicuntur, quae sunt obiectum materiale: credimus in Deum, secundum quod intellectus est motus a voluntate, quae in Deum finem suum tendit; veritas enim prima ad voluntatem refertur, secundum quod habet rationem finis: s. Thomas ibid. q. 2. a. 2.

Fides idcirco theologica resolvitur ultimato ceu in motivum intrinsecum et ultimum, in sapientiam veracem Dei: quia vero quae Deus revelavit, nobis manifesta fiunt Magisterio infallibili Ecclesiae; ideo et in auctoritatem Ecclesiae resolvitur fides tanquam in certum et necessarium organum, quo revelata apprehendimus. Atque hic est character fidei catholicae, quae est unica vera fides.

4. Haec fides, qua Deo revelanti credimus, est principium et fundamentum iustificationis, non aliud quid, quod improprie vocetur fides; ita ut iustificari quis valeat etiam sine fide innixa divinae revelationi, quod falsum est. Tridentina enim Synodus sess. 6. affirmans fidem esse initium et fundamentum iustificationis omnis c. 8. de ea fide certe loquitur, qua dixit c. 6. credere homines Deo ea quae divinitus revelata sunt et promissa. Et cum Apostolus ad Hebr. XI. 6. docet sine fide impossibile esse placere Deo, de ea fide loquitur, quam initio capitis definierat, quae est fides stricte sumpta. Hinc damnata propositio: *fides late dicta ex testimonio creaturarum similive motivo, ad iustificationem sufficit*, quae est 23. ex damnatis ab Innocentio XI. Confer Lugo *de Fide* d. 12. sect. 2.

Atque haec de fide praestituisse sufficiat; pro morali seq. doctrina. *

CAPUT I.

QUAE MYSTERIA FIDEI NECESSARIO CREDENDA SINT

I. Ex iis, quae fideles explicite credere tenentur, quaedam necessario credenda sunt necessitate medii seu finis, sine quibus, etiam inculpabiliter ignoratis, finis ultimus obtineri nequit: alia necessitate praecepti, sine quibus inculpabiliter omissis, finis potest obtineri. Sanch. 2. *Mor.* c. 2. Azor, Valent. *de Fide*.

5. De necessitate *medii* et *praecepti* loquitur A. et communis est explicatio Auctoris, ut duo haec distinguantur ex hoc, quod a po-

steriori excuset inculpabilis ignorantia, non excuset autem a priori. Sed sic non explicatur natura distinctionis.

Mere praeceptum heic dicitur, quod per se non adiuvat ad finem, sed est conditio: *medium* vero dicitur, quod ex sua natura ad finem ducit. Sic alimentum est *medium* ad sustentandam vitam: sumptio alimenti *stando cum baculo*, prout praecipiebatur Iudaeis, est merum praeceptum. Media quaedam non sunt necessaria; ita lac vel caro sunt media ad sustentandam vitam, sed *non necessaria.* Necessarium vero dicetur, si *unicum* sit medium vel certe suppleri alio non possit. Ita opus bonum adulto est medium necessarium ad praemium aeternae vitae.

Itaque cum ad salutem necessaria sit pro adulto conversio ad Deum, fides sine qua converti ad Deum homo non possit, erit *medium et quidem necessarium:* haec fides ergo necessaria dicitur *necessitate medii:* fides vero, quae praecipitur quidem, sed sine qua potest elici actus conversionis sufficientis ad salutem, v. gr. quod B. Virgo fuerit in sanctitate concepta, dicitur necessaria solum necessitate praecepti.

Defectus prioris efficit hominem *incapacem* finis: defectus posterioris facit *indignum,* si culpabiliter praeceptum violet; secus, si inculpabiliter ignoret.

Fides alia *explicita* est, alia *implicita.* Explicita, quando quidpiam distincte et in particulari creditur v. gr. quod Deus sit unus. Implicita, quando credo explicite quidpiam, in quo alia confuse aut in communi seu propositione generali continentur, v. gr. qui generatim credit quidquid Deus revelavit aut quidquid Ecclesia credendum proponit.

II. Respond. 1. Necessitate medii necessaria sunt haec duo: 1. explicite credere, Deum esse et remuneratorem bonorum esse, iuxta illud Apostoli ad Hebr. XI. *Credere oportet* etc. Trid. sess. 6. c. 8.: 2. post sufficientem Evangelii promulgationem, credere explicite, ut vult Mol. aut saltem implicite, ut probabiliter quidam docent cum Con. et Laym., Christum et sanctissimam Trinitatem. Vid. Escob. Ex. 2. c. 9. n. 20. ubi ex Vasq. 1. 2. d. 126. c. 3. docet culpabilem ignorantiam horum mysteriorum sive negligentiam ea discendi esse grave peccatum, distinctum ab eo, cuius est causa. V. Dian. p. 3. t. 5. r. 47. et 48.

Porro implicite credere dicitur, qui credit aliquid explicite, in quo alterum implicite est: v. gr. si credas, quo credit Ecclesia. V. Scholasticos et Laym. l. 2. tr. 1. c. 8.

6. Quoad illa duo habes verba Pauli Hebr. XI. 6.: « *Sine fide autem impossibile est placere Deo; credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est et inquirentibus se remunerator sit.* Accedit damnatio propositionis 22. ab Innocentio XI.: *nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.* Sane fides Dei remuneratoris requiritur; quia in ea fundatur spes veniae et beatitudinis: sine spe autem *homo non accederet* ad Deum.

Quod spectat ad fidem explicitam Trinitatis et Incarnationis, ex

solis quidem testimoniis Scripturarum, Patrum quoque, nequit certe demonstrari alterutra sententia vel affirmans vel negans, necessariam esse necessitate medii, saltem ab aetate revelationis christianae, fidem explicitam Trinitatis et Incarnationis nec ulla prostant hac in re decreta Ecclesiae. Restant ergo rationes theologicae ex analogia fidei et theologorum sensu. His vero efficitur certitudo moralis sententiae negantis.

Sententia, quae asserit sufficientem esse fidem horum mysteriorum implicitam, quoad necessitatem medii, dicitur a s. Alphonso lib. 2. n. 2. *satis probabilis:* addit eandem recentius absolute teneri a doctoribus insignibus. Lugo autem *de Fide* disp. 12. n. 91. vocat eam probabiliorem, communem doctorum recentiorum et, ut videtur, est etiam s. Thomae 3. q. 69. a. 4. ad 2.

Rationes plures sunt, *a)* ex allato textu Apostoli, qui, ut quis ad Deum accedat, non aliud exigit quam fidem in Deum exsistentem et remuneratorem.

b) Lugo idem deducit ex facto Cornelii centurionis, qui gratiam consecutus est per fidem implicitam. Sed adeo clara non est interpretatio huius loci.

c) Si reipsa necessitas medii dicenda est illa, quae ex natura rei requiritur; oportet profecto, ut vel negemus necessariam esse fidem hanc explicitam aut negemus, salutem obtinuisse quempiam ante praedicationem evangelicam; nam oeconomia salutis una est in hoc ordine reparato.

d) Quia Dei, qui vult omnes homines salvos fieri, bonitati congruum est, nihil aliud absolute exigere, quam quod ex morali rei natura necessarium est ad salutem consequendam. Atqui ad hoc duo priora sufficiunt: quia sufficiunt ad iustificationem per actum amoris consequendam.

7. * Scilicet solent theologi rationem quaerere, cur earum veritatum, Dei exsistentis et Dei remuneratoris, fides sit necessaria necessitate medii et cur hae sufficiant. Ratio autem, quam reddunt, haec est, quia nequit homo ad Deum converti et iustificari, nisi Deum cognoscat atque eum sibi fore propitium speret. Quando autem fidem utriusque veritatis in animo exsistat, iam possibilis est actus caritatis in Deum atque idcirco iustificatio. Confer Suarez *de Fide* disp. 12. sect. 3. nn. 2. 11. Dubitationem tamen movet Lugo disp. 12. sect. 5. circa alteram veritatem Dei remuneratoris: quo pacto nempe demonstretur ab instrinseco necessitas fidei explicitae huius veritatis. Nam, ait, quando quis Deum scit esse, eumque sub vero Dei conceptu cognoscit, iam sufficienter determinari potest voluntas eius ad actum amoris perfecti erga Deum

et ita iustificari, etsi nihil cogitet aut sciat de remuneratione. Verum, quamvis admittendus sit amor erga Deum gratuitus, ut dici solet: nihilominus certum est, quod, ratione habita naturae voluntatis, Deus a nobis non diligeretur, nisi una cum eius absolutissima perfectione cognosceretur eum ad nos spectare seu nos ad illum, eum esse bonum nostrum, finem nostrum. Porro haec apprehendimus, cognoscentes eum esse remuneratorem.

8. Ceterum quoad quaestionem, an fides explicita mysterii incarnationis et Trinitatis sit necessaria necessitate medii post Christi adventum, adverte quod apud Theologos ratio exsistit defendendi sententiam affirmantem, quin plus reapse a fideli exigatur, quam quod postulat sententia negans. Asserunt nimirum Suarez et Lugo *de Fide* disp. 12. sect. 4. ille nn. 18. 19. hic nn. 106. 107., fidem horum mysteriorum explicitam necessariam esse ut medium ad primam iustificationem adultorum; attamen, quemadmodum contingit in iis quae media necessaria sunt ex institutione, non opus esse eam habere in re, sed vel in re, cum fieri potest, vel saltem in voto. Quaeri autem potest, cur talis necessitas affirmetur; cur sufficiat in voto, ecquid differat hoc votum a voto servandae universae legis, quod et in iustificatione requiritur.

Ad primum ergo affirmandum moventur pluribus N. T. testimoniis ex. gr. Ioan. III. 16. *Sic Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Ibidem 18. *Qui non credit, iam iudicatus est; quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* Act. IV. 12. *Non est aliud nomen sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Rom. III. 22. *Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes et super omnes, qui credunt in eum,* etc. Et re quidem vera nonne baptismus necessarius est ad salutem? atqui ad baptismum rite suscipiendum necessaria est fides Iesu Christi et Trinitatis, ut colligitur ex verbis ipsius Domini apud Matth. XXVIII. 19., ex quibus constat baptismum esse sollemnem professionem fidei Trinitatis. Idem traditur a Tridentino sess. 6. c. 6. ubi describens ordinem iustificationis acquirendae, dicit iustificari homines, credentes vera esse, quae divinitus revelata sunt atque illud in primis, a Deo iustificari homines per gratiam eius, per redemptionem, quae est in Christo Iesu. Neque unquam Ecclesia catechumenum ad baptismum admisit, qui prius, cum posset, haec mysteria non didicerit et professus sit. Unde patet, inter fidem hanc et iustificationem primam nexum eum esse, qui est inter dispositionem necessariam et formam inducendam, nexum parem illi, qui est inter baptismum et iustificationem. « Dixi, ait Lugo l. c., ad primam iustificationem necessariam esse hanc fidem: haec enim fides non exigitur

quotiescumque homo post baptismum relabitur et iustificatur sacramento poenitentiae. At vero ad ipsum baptismum et eius effectum requiritur per se fides explicita horum mysteriorum: Matthaei ult. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos etc.* Marc. ult. *Praedicate Evangelium omni creaturae: qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Ubi vides doctrinam et fidem per se praecedere ad effectum baptismi et ita habet Ecclesiae usus, ut prius instruantur in fide, quam baptizentur ».

Ad secundum, nempe cur haec fides sufficiat in voto, respondent, ut iam innuimus, id commune esse iis, quae necessaria sunt ex institutione, ut sacramentum baptismi et poenitentiae; porro fides haec Trinitatis et Incarnationis potest implicite haberi in voto ab illo, qui Deo revelanti iam credit.

Ad tertium, discrimen ostendit Lugo l. c. inquiens: « respondeo breviter, fidem explicitam horum mysteriorum esse medium necessarium adultis ad primam iustificationem in re vel in voto; quia vel ipsa fides vel votum ipsius debet antecedere ut dispositio positiva requisita ad primam iustificationem. Quod non invenitur in aliis praeceptis: nam licet votum eorum sit dispositio requisita, ipsa tamen praecepti impletio, quando praecedit iustificationem, non est dispositio requisita, positive influens in iustificationem. At vero fides horum mysteriorum exigitur per se ad primam iustificationem ». Unde, ait Suarez l. c. n. 19., quando contigerit iustificari hominem ante illam, tenetur postea, cum primum possit, explicite credere, ut suppleat quod in iustificatione defuit. Est optimum exemplum ex materia de poenitentia; nam dolor formalis de peccatis commissis per se est medium necessarium ad consequendam remissionem peccatorum: nihilominus si peccatur cum actuali consideratione Dei et naturali inconsideratione peccatorum convertatur in Deum per amorem super omnia, statim consequitur remissionem peccatorum (manente obligatione poenitendi explicite, cuius votum est in ipso actu caritatis); quia in eo casu, cum per hominem non stet, sufficit dolor virtute et voto in amore contentus ».

Si haec omnia rite teneantur, nulla potest esse difficultas; eadem scilicet est ratio, ut ait Lugo, de necessitate baptismi et de necessitate illius fidei et sicut baptismus, ita illa fides dici potest medium necessarium ad salutem in re vel in voto. *

9. In hac autem quaestione an fides explicita Trinit. et Incar. sit necessaria necessitate medii, frustra provocatur ad propos. 64. damnatam ab Innocentio XI.: *absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium ss. Trinitatis et Incarnationis Domini Nostri*

Iesu Christi. Nam omissis subtilioribus interpretationibus, certum est, eam propositionem 1° complecti etiam mysteria, in qualibet sententia, necessaria necessitate medii: 2° copulare haec duo: ignorantiam *culpabilem* mysteriorum Trinit. et Incar. (quae culpabilitas potest certe esse gravis) et *capacitatem* absolutionis: quod in sensu composito, praecisa culpae detestatione, absurdissimum est. Proscriptio ergo huius propos. nihil nos docet, quod spectet ad quaestionem, quam nunc agimus.

10. Sed quid de iis adultis, qui videantur inepti ad ea mysteria apprehendenda? « Hic casus, dicit Diana tom. 6. tract. 1. resol. 4., solet affligere confessarios circa homines rudes. Ratio est, quia inter christianos inveniuntur homines adeo rudes, ut mysteria Incarnationis ac ss. Trinitatis vero conceptu non apprehendant et consequenter non credant explicite ».

Addit Laymann lib. 2. tract. 1. cap. 8. n. 5.: « Quid dicemus de iis, qui a nativitate surdi ac muti sunt? Quos inter fideles numeramus iisque baptizatis, si rationis compotes sint ac desiderent sacramenta reliqua ministramus... Et tamen ea mysteria ab iis vero concepto apprehendi ac credi, vix credibile est, nisi ad speciale miraculum confugere velimus ».

Diana tamen l. c. n. 3. et s. Alphonsus lib. 2. n. 2. memorant quod dixit Tannerus in 2. 2. disp. 1. q. 7. dub. 2. n. 49. nempe quod etiamsi dicatur fides explicita duorum horum mysteriorum (Trinitatis nimirum et Incarnationis) esse nunc necessaria necessitate medii; tamen si aliqui sint adeo rudi intellectu, ut ea mysteria sub propria aliqua notione concipere nullo modo possint, hi quoad hoc comparandi sint cum infantibus et fatuis. Et sane si fuerint iam baptizati et non instruantur, num dicemus gratiam Dei ab ipsis abire, eo quod non faciant id quod facere non possunt?

Utique Croix loquens de pueris baptizatis lib. 2. n. 12., qui iam usum rationis sunt adepti, si moriantur sine fide actuali, eo quod de illa nihil audiverunt, etsi eos supponat in statu gratiae, negat salvari: quia deest conditio nempe fides actualis. Est doctrina conformis opinioni Cani, fidem explicitam Trinitatis et Incarnationis esse necessariam necessitate medii ad gloriam consequendam, non ad iustificationem; ita ut contingere possit aliquem decedentem in iustitia non salvari, confer Suarez *de Fide*, disp. 12. sect. 4. n. 9. Sed est doctrina falsa; gratia enim affert semper secum ius ad gloriam: quare Augustinus reprehendebat Pelagianos, quod vellent parvulos esse sine peccato et tamen gloriam non consequi. Audi Lugo *de Fide* disp. 12. n. 3.: « Communis et vera sententia docet, neminem adultum posse iustificari sine aliquo

actu fidei. Dixi iustificari; quia si ponatur aliquis puer habens iam habitum gratiae in baptismo suscepto et qui postquam ad usum rationis venit, statim moritur absque eo quod habuerit occasionem credendi vel negandi, imo nec cogitandi de rebus fidei: non video cur iste non salvetur sine actu fidei; nam licet moriatur adultus, non tamen fuit adultus, quasi formaliter, in illa materia, cum circa eam nunquam ut adultus habuerit occasionem operandi, quod idem notavit Suarez ».

Rursus Diana et s. Alphonsus ll. cc. memorant opinionem Sanchez *Decal.* lib. 2. cap. 3. n. 18., quod rudes dicendi sint explicite credere, etiamsi substantiam articulorum percipere nequeant. Quia aliud est *scire,* aliud *credere.* Verum Sanchez per to *scire* intelligit ita explicite scire, *ut quis interrogatus sciat rationem reddere.* Quare non habet illam absonam notionem quod quis explicite credat, sine conceptu rei credendae.

11. Monet s. Alphonsus lib. 2. n. 2. sibi non arridere, quod dixit Viva in prop. 64. Innocentii XI. n. 10. post alios, scilicet cum sit probabile, ignorantes mysteria Trinitatis et Incarnationis valide absolvi, ideo non repetendas confessiones praecedentes, quae probabiliter validae censeri possint.

Reponit s. Alphonsus, quod, « quamvis poenitens probabiliter validam confessionem expleverit, ita ut videatur dein possidere exemptio ab iteranda confessione...; attamen respectu ad eum, qui graviter certo peccavit, semper urget ac possidet antecedenter obligatio facendi confessionem non tantum probabiliter sed certo validam; quia confessiones praecedentes sunt etiam... probabiliter nullae ».

Sed haec non videntur cohaerere cum doctrina, quam s. Alphonsus alibi tradit *de Poenit.* lib. 6. n. 505., non posse imponi onus repetendi confessionem, nisi certo probetur nulla. « Sedulo, ait, advertendum, non esse cogendos poenitentes ad repetendas confessiones, nisi moraliter certo constet eas fuisse invalidas, ut recte dicunt Croix etc. ».

Notant tandem Lugo *de Fide* disp. 12. n. 51. et Struggl. tract. 4. q. 1. n. 22., e sententia ista asserente necessitatem solius explicitae fidei in Deum exsistentem et remuneratorem, posse salvari etiam Iudaeos et Mahumedanos, qui sint in errore materiali et inculpabili. Nam isti non carent notitia unius Dei remuneratoris, quam utrique habent ex revelatione mosaica. Accedente ergo interiori gratia habent quod satis sit ad eam fidem, qua perduci possint ad baptismum flaminis.

Nota tamen, s. C. s. O. plus vice simplici declarasse non licere baptismum conferre mahumedano adulto constituto in articulo mortis, qui in suis erroribus supponitur in bona fide, et quidem, si habeat

adhuc plenam advertentiam, illum dumtaxat adhortando ad dolorem et spem, minime loquendo de nostris mysteriis, ne forte ea non sit crediturus: vel, quamcumque habeat advertentiam, nihil ei dicendo, cum ex una parte supponitur, illi non deesse contritionem ex alia vero iudicatur prudens non esse loqui cum eo de nostris mysteriis 30. Mart. 1898.

III. Resp. 2. Necessitate praecepti quivis fidelis sub mortali explicite credere et scire, crasso saltem modo et quoad substantiam, tenetur haec.

1. Symbolum, 2. Orationem Dominicam, 3. Praecepta Decalogi et Ecclesiae, 4. Sacramenta maxime necessaria, ut Baptismum, Eucharistiam et Poenitentiam; reliqua autem tunc, quando vult suscipere. Suar. Sanch. Fill. *de Praeceptis Fidei* etc. tr. 22. n. 37. Quae omnia intellige, nisi impotentia aut invincibilis ignorantia excuset.

12. * In primis statuenda sunt quaedam principia. Actus interior fidei cadit sub praecepto. Constat ex Scripturis; Marc. XVI. 16. *Qui non crediderit, condemnabitur:* Ioann. III. 16. *Qui non credit, iam iudicatus est; quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei* et 36. *Qui incredulus est Filio, non videbit vitam; sed ira Dei manet super eum:* Rom. IV. 3. 23. 24. *Quid dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad iustitiam... Non est autem scriptum tantum propter ipsum, quia reputatum est illi ad iustitiam; sed et propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitavit Iesum Christum Dominum nostrum a mortuis.* Iam vero cum alicui actui libero iustificationem et vitam aeternam promittit Deus atque eius omissioni aeternam damnationem comminatur, eo ipse praecipit illum actum. Praeterea vidimus fidem quarumdam veritatum esse adultis necessariam ut medium: atqui media necessaria ad finem, quae sunt in nostra potestate, sunt etiam praecepta nobis; iubemur enim tendere in finem.

Ista autem obligatio credendi, ut docent Suarez *de Fide* disp. 13. sect. 2. et Lugo *de Fide* disp. 13. n. 35., praeterquam quod oritur non raro indirecte ab alia virtute, propter quam est necessaria fides; oritur etiam directe ab ipsa virtute fidei: nempe fides per se postulat praecipi, supposita nempe divina revelatione. Reverentia enim Deo debita exigit ut divinae veritati prout talis est creata mens se subiiciat, *in captivitatem redigens omnem intellectum* (νόημα cogitatum) *in obsequium Christi* 2. Cor. X. 5. et ideo aequum est, ut fides per se praecipiatur ratione sui et sic necesse sit aliquando actum fidei elicere, seclusis etiam motivis aliarum virtutum. Cf. nn. 42. seqq.

13. Quamvis autem necesse sit nulli veritati revelatae repugnare et omni veritati, quam certo constat nobis esse revelatam, assensum praebere, non est tamen necesse ut fideles quamlibet veritatem revelatam explicite credant, cum nec teneantur eas omnes nosse; hoc enim ipsis est moraliter impossibile nec ulla lex exstat id praecipiens. Quaedam

tamen explicite nosse et credere necesse est, ut ea quorum fidem diximus necessariam necessitate medii: sed et alia sunt necessaria scitu necessitate praecepti.

Haec vero, iuxta communem theologorum sententiam sunt 1. quae Symbolo Apostolorum continentur, si pauca quaedam excipias. Iam specimen huiusmodi dederat Apostolus 1. Cor. XV. 1. — 8., recensens ea, quae ad mysterium Incarnationis pertinent, alia tamen supponens, nam illa se dicit v. 3. tradidisse inter prima (ἐν πρώτοις primis nempe elementis fidei). Ratio, cur veritates Symbolo contentas iubeantur christiani nosse et explicite credere, haec est, aliis omissis, ait Lugo l. c. n. 65., « quia qui christianam religionem amplectitur, ita debet eam amplecti, ut eam distinguat ab aliis, quae illa non sunt et per consequens debet talem fidem credere, quae distinguat christianam religionem ab aliis doctrinis... Christianus autem eo ipso quod christianismum profitetur, debet agnoscere quae et qualis sit religio, cui nomen dat, saltem quoad substantialia capita et fundamenta eius..., quae substantialia capita et potissima ab omnibus scienda Apostoli divino instinctu disposuerunt in Symbolo ».

Nihilominus excipere solent theologi quaedam in Symbolo contenta, ad quae explicite credenda non videtur porrigi obligatio saltem gravis. Convenit inter omnes non opus esse explicite credere quod incidenter dicitur de Pontio Pilato. Item excipiunt non pauci articulum de communione sanctorum; eo quod res subtilior sit, ut et docti disputent in quo sita sit: quam exceptionem non improbabilem censet Lugo l. c. n. 112. Alii excipiunt quoque, propter eandem rationem, sessionem Christi ad dexteram Patris, nec improbabiliter, iuxta Lugo n. 87. Neque Lugo nn. 82. 85. censet improbabile quod quidam dicunt, non esse necesse explicite credere descensum ad inferos et sepulturam Christi. Suarez *de Fide* disp. 13. sect. 4. n. 4. et Lugo l. c. n. 75. putant non improbabilem sententiam negantem necessitatem explicite credendi perpetuam Deiparae virginitatem; etsi iidem ut probabilius id affirment.

Sed 2. praeter articulos Symboli, oportet christianum nosse et credere explicite Decalogum: nam secundum eius praecepta vivere debet. Nosse quoque 3. omnes et credere explicite oportet sacramenta, non quidem omnia, sed quae in usu necessario sunt omnium, hoc est baptismus, poenitentia, eucharistia: alia vero, cum opus est ea suscipere *.

Quod spectat ad modum cognitionis, qui ab omnibus exigitur circa haec et quoad alia quaedam, an necesse sit scire necne, habes in sequentibus resolutionibus Auctoris.

Unde resolvuntur.

IV. 1. Non omnes tenentur sub mortali haec praedicta scire memoriter aut eo ordine aut iis verbis, quibus proponuntur: sed quoad orationem Dominicam, scire omnia bona petenda esse a Deo, quae est eius summa; quoad Symbolum vero, praecepta et Sacramenta, sufficit, si quis rogatus de singulis recte respondeat. Bonac. Laym. l. c. c. 9. Sanch. l. 2. c. 3.

14. Haec est crassa ratio sciendi et quoad substantiam tantum, videlicet ut praedicta quis non sciat memoriter aut eo ordine aut verbis iis, quibus proponi solent, multo minus sciat eorum rationem reddere: sed tamen valeat rogatus respondere recte in iis, quae pertinent ad essentiam rei, prout ab Ecclesia proponitur.

Ceterum quoad doctrinam hac resolutione contentam, iudicium suum sic profert s. Alphonsus lib. 2. n. 3.: « hoc est conforme ad id, quod tradidit s. Carolus Borromaeus in sua instructione ad confessarios, ubi docuit, satis esse, quod fideles rudes sciant *Credo* saltem in substantia ».

V. 2. Quamvis sit praeceptum Ecclesiae discendi memoriter Symbolum et Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam velitque Barb. p. 3. c. 27. non esse absolvendum qui ob negligentiam vel verecundiam ea addiscere non curat; consuetudo tamen, ut notat Navar. et Lopez, exposuit obligationem non esse ultra veniale: uti nec est ultra veniale, nescire facere crucem, ut docet Sanchez contra Syl. qui docet esse mortale.

15. Distinguenda omnino est causa Symboli et praeceptorum Decalogi aut Ecclesiae a causa orationis dominicae et angelicae salutationis.

Quoad Symbolum et praecepta Decalogi haec habet Suarez *de Fide* disp. 13. sect. 5. n. 8. ex communi sententia. « Certum est, non esse obligationem gravem retinendi memoria verba Symboli vel praeceptorum, ita ut sit peccatum mortale hoc omittere. Et ratio esse potest quia vel de praecepto non satis constat: quia nec ab aliquo Pontifice nec in aliquo concilio generali latum invenitur vel quia alii canones, qui de hoc loquuntur, de substantia mysteriorum sufficienter intelliguntur vel certe quia materia illa levis est, si precise in verbis vel in eorum ordine sistatur. Probabile est autem, si ex pura negligentia hoc omittatur, non carere aliqua culpa saltem veniali; quia praeter canones, qui hoc insinuant iuxta communem usum Ecclesiae, talis negligentia censetur aliquo modo culpabilis et in aliis aliquando scandalum generat. Si vero quis mediocrem diligentiam adhibeat et nihilominus ob naturalem defectum vel incapacitatem verba retinere non possit, facile poterit ab omni culpa excusari ». Ita et Filliucci tom. 2. tr. 22. cap. 2. n. 37.

16. Quod autem attinet ad orationem dominicam, Suarez *de Relig.* tom. 2. lib. 3. *de Orat.* cap. 6. distinctis thesibus statuit, orationem

vocalem privatam nullo praecepto aut naturali aut divino aut ecclesiastico imponi omnibus fidelibus.

Descendendo autem ad *orationem dominicam;* idem Suarez recte notat ibid. n. 9. « de vocali recitatione talis orationis... nullum esse proprium... ecclesiasticum praeceptum ».

De eadem autem memoriter addiscenda, « facilius, inquit Suarez n. 8., posset admitti obligatio: tamen communiter doctores dicunt, hanc sufficienter impleri sciendo substantiam seu materiam illius orationis ».

Addit, Concilia (particularia) dum praecipiunt hanc addisci, « explicasse obligationem, quam moraliter loquendo christiani habere possunt eo ipso quod christiani sunt, quae (obligatio) non tam nascitur ex positivo praecepto Ecclesiae, quam ex ipso iure naturae, supposito tali statu. Cum enim fideles orare teneantur... consequenter necesse est, ut sciant et intelligant, quid possint ac debeant orare et cum oratio a principio usus rationis possit esse necessaria, oportet etiam ut a pueritia discant, quid orare debeant. Non possunt autem brevius omnes aut magis accommodate id discere, quam per orationem dominicam et ideo moraliter loquendo et parentes et pastores tenentur haec docere filios vel oves suas... et fideles ipsi tenentur *aliquo modo* hanc orationem discere, saltem quantum necesse est ad convenienter orandum, quamvis in rigore praecepti non teneantur verba et seriem illius orationis memoria retinere ».

Et de salutatione angelica idem Suarez, ibid. n. 10.: « Unde a fortiori constat, quid de oratione ad Virginem per salutationem angelicam vel per antiphonam *Salve Regina* dicendum sit. Navarrus enim idem (scil. obligationem adesse sciendi) sentit; sed nullum speciale adducit fundamentum neque oportet obligationes inducere non satis fundatas. Est ergo consulendum omnibus, ut has orationes discant et saepius recitent; non vero est peccati scrupulus iniiciendus per solam huiusmodi omissionem. Si quis autem sit adeo negligens animae suae, ut haec rudimenta christianae vitae ignoret vel nunquam recitet, magnum indicium est, ipsum non recte vivere, etiamsi omissio illa speciale peccatum non sit. Secus vero esset, si quis aliis orationibus assuefactus, has non diceret; nam in illo talis omissio nec esset peccatum nec signum perniciosae negligentiae vel oblivionis salutis suae ».

VI. 3. Moraliter nihilominus necessarium est, ut rudiores memoria teneant Symbolum sua lingua; quia alioquin non possunt habere sufficientem cognitionem articulorum.

17. Ratio in promptu; quia nosse debent *credenda.*

VII. 4. Falsa est opinio quorundam Canonistarum, rusticis esse satis, articulos fidei aliaque dicta credere implicite, credendo quidquid credit Ecclesia.

18. Falsa est ista doctrina; quia, ut iam ostendimus, quaedam explicite sunt credenda nec fides potest esse prorsus implicita: quod enim implicite credimus, continetur in aliquo, quod explicite creditur. Praeterea fides Ecclesiae Magisterio praestita supponit non pauca credita explicite, unde procedimus ad credendum Ecclesiae.

VIII. 5. Excusantur ii, quibus aut defuit doctor aut nunquam venit in mentem obligatio similia discendi aut qui nimis sunt rudes, ita ut non possint ea comprehendere aut retinere; quod saepe contingere docent Azor et Bec. contra alios.

19. Si 1° aut defuit qui doceret aut 2° nunquam venit in mentem de obligatione aut 3° impares sunt ad addiscendum: palam est hos non esse culpae reos. Excusantur ergo a culpa: verum quoad duos primos casus, remanet obligatio.

Quoad tertium hi sunt, quos comparandos diximus aut pueris aut fatuis.

IX. 6. Si Confessarius probabiliter iudicet poenitentem ignorare ex doctrina Christiana ea, quae scire tenetur (quod de litteratis vel bene educatis vel frequenter confitentibus praesumendum non esse monet Sanchez 2. *Mor*. c. 3.), debet eum interrogare de negligentia in iis addiscendis; cum per eam plurimi graviter peccent. Led. Azor, t. 1. l. 8. c. 8. Trull. l. 1. c. 1. d. 4.

20. 1° Attendendum, ne interrogatio fiat iis, quibus aut iniurium id esset aut magnam verecundiam iniiceret. S. Alphonsus *Praxis Confess.* n. 22. refert monitum s. Leonardi a Portu Mauritio: « Idem Auctor (s. Leonardus) loquens de personis salutis propriae negligentibus, quae sibi magno rubori et contumeliae habent, se de iis interrogari, ait decere confessarium, ut ipsis sic dicat: Eia eliciamus una simul actus christianos: dic mecum etc. » subiungens scilicet *actum fidei*, quo praecipua mysteria continentur.

2° Quod dicit A. *plurimus* graviter peccare, dimetiendum est ex dictis superius. Ea enim referenda sunt 1° ad ea quae sunt necessitatis medii: 2° quoad Symbolum et decalogum et orationem dominicam accipienda ea sunt solum *quoad substantiam,* non autem quoad verba et ordinem. Grave peccatum erit quoad eos, qui non excusantur ex rationibus allatis in Resol. 5ª.

X. 7. Possunt absolvi (contra quosdam) qui ignorant ea, quae sub mortali scienda esse dixi. Ratio est, quia licet peccarint omittendo discere, possunt tamen de hoc dolere, cum proposito discendi. Sanch. Quod si tamen ignorarent ea, quae necessitate medii scienda sunt, deberent instrui ante absolutionem. Bonac. d. 3. q. 2. p. 2. Sanch. l. c. c. 3. n. 21.

21. Benedictus XIV. in Constit. *Etsi minime* 7. Febr. 1742. *de Doctrina Christiana,* inter media, quae suggerit, ut ignorantiae obvietur

hoc quoque suggerit: « Omnes denique omnium aetatum atque ordinum homines solent identidem sordes animae Poenitentiae sacramento detergere. Curabit itaque Episcopus, ut sacerdos excipiens confessiones fixum illud immotumque animo semper habeat, invalidam esse absolutionem sacramentalem, quam quis ignoranti res necessarias *necessitate medii* impertitur nec posse homines Deo per huiusmodi sacramentum reconciliari, nisi prius exclusa huius ignorantiae caligine ad agnitionem fidei educantur (quis forte negaret suppositum, quod nempe accedat ad confessionem christianus, qui ignoret ea, quae certo constat scienda esse necessitate medii). Sedulo etiam animadvertat confessarius, in aliud tempus reiiciendam esse absolutionem illius, qui necessaria necessitate praecepti *suo vitio* nescit et eo quandoque casu poenitentem absolvi posse, quo se vincibilis huius ignorantiae reum agnoscat et accuset ac intime dolens tum a Deo veniam precetur, tum confessario serio promittat, operam se impense daturum, qua divinae gratiae praesidio discat etiam necessaria necessitate praecepti ». *Tota* ergo doctrina, etiam *postrema* retineatur.

Et hoc est, quod dicit Auctor noster in prima parte resolutionis. S. Alphonsus ad h. locum Auctoris ex Salmanticensibus addit conditionem «*Nisi prius hi admoniti neglexerint addiscere* », certe si admoniti fuerint non una tantum vel altera vice, sed saepius, ut aiunt iidem Salmanticenses tract. 21. c. 2. n. 59. *de Fide*, qui subdunt hoc etiam: « Ceterum Filliuccius innuit: esse *tantum conveniens* ita cum similibus *aliquando* se gerere; non tamen necessarium, maxime habita promissione, quod ea quam primum addiscent ». Addunt autem: « Et Sanchez docet, numquam aut rarissime negandam esse absolutionem ob doctrinae christianae ignorantiam: quia confessarius potest poenitentes, quantumvis rusticos, sufficienter instruere et sic instructos absolvere ». Ad quae Salmanticenses dicentes non posse se subscribere huic doctrinae, non satis apte afferunt ad id probandam damnatam ad Innoc. XI. Proposit. quod « *Absolutionis capax sit homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei* »; nam si instructi sunt a confessario, non laborant ignorantia.

S. Leonardus, ut refert s. Alphonsus l. c. n. 32. contra docebat, *teneri* confessarium instruere (seu ut ait reapse idem Leonardus, *expediens esse*, ut confessarius instruat, sed si absolvere vult, instruere debet) poenitentes rudes in mysteriis fidei, saltem in quatuor principalibus. « *Bonum,* inquit, *non est consilium* dimittere similes ignaros, ut ab aliis haec doceantur; quia nullus alius sperabitur fructus, nisi ut sic ignari remaneant ideoque *expediens est*, breviter eos docere praedicta mysteria principalia, efficiendo pariter ut secum eliciant actus

fidei, spei, caritatis et contritionis, obligando tamen eos, ut in posterum perfecte se instrui faciant circa cetera mysteria scitu necessaria de necessitate praecepti ».

XI. 8. Parochus suas oves (sicut parens liberos) tenetur sub mortali, per se vel alium docere ea saltem, quae sub mortali scire tenentur. Sanch. 2. *Mor*. c. 3. Filliuc. l. c. n. 47. Palaus, Trull. l. 2. c. 1. Con. etc.

Clara est.

CAPUT II.

QUOMODO OBLIGET PRAECEPTUM FIDEI

22. Adverte praeceptum fidei et *affirmativum* esse et *negativum*. Qua est *affirmativum*, exigit ut omnia credamus a Deo revelata et ab Ecclesia proposita ut credenda et hoc violatur per omissionem. Qua *negativum* prohibet dubium et dissensum circa illa et hoc violatur per contrarietatem. Hoc obligat semper et pro semper, non item illud, sed solum in certis circumstantiis: qua de re in praesenti.

Affirmativum duplicem habet obligationem 1° credendi quod iam propositum sit et aliquo modo scitum seu apprehensum: 2° sciendi quod credendum est. De qua posteriori parte dictum est in praecedenti capite et nonnulla in hoc addenda.

23. Actus fidei dupliciter distinguitur, *formalis et virtualis*. Formalis datur, quando quis credit mysterium propter revelationem divinam explicite et advertenter cognitam. *Virtualis* vero, cum quis credit utique ob revelationem, sed solum implicite et inadvertenter influentem, videlicet cum perdurat persuasio ex tali motivo relicta. Virtualis assensus dicitur quoque *implicitus*. Voit tom. 1. n. 349. Sanchez *in Decal.* (quod est *Opus morale*) lib. 2. cap. 1. n. 3. Sic spem virtualem habemus in agricola, qui arat, seminat..., licet actu memor non sit fructuum, propter quos laborat.

Denique duplex necessitas seu obligatio est eliciendi actum fidei: una est quasi *per accidens*, seu ratione alterius praecepti, quod impleri non possit sine actu fidei, v. gr. praeceptum confitendi peccata: alia est *per se* seu ratione praecepti ipsiusmet fidei. Suarez *De fide* disp. 13. sect. 5. n. 5. Porro cum quis obligationi priori non facit satis et illud aliud praeceptum transgreditur, non duo peccata committit, alterum contra illud praeceptum, alterum contra praeceptum fidei, ut vult Bannez apud Sanchez l. c. c. 1. n. 3., sed unum; quia tunc non obligat per se praeceptum fidei atque omissio medii pro observando aliquo praecepto huiusque violatio unum sunt peccatum. Si vero obligatio actus fidei sit *per se*, tunc omissio peccatum est contra praeceptum fidei, etsi nullum aliud peccatum ei societur.

24. Ratio difficultatis est, quod praeceptum affirmativum, cum non obliget *pro semper* idest pro omnibus et singulis temporibus; ergo obligat solum pro quibusdam circumstantiis seu temporibus. Porro si praeceptum ipsum non designet hoc tempus seu circumstantias, reliquum est ut non obliget, nisi pro articulo necessitatis. Atqui hoc praeceptum non designat tempus, uti patet neque etiam satis apparet, quaenam sit necessitas, in qua tale praeceptum obliget; idcirco difficile est certum tempus huius obligationis praefigere. Suarez l. c. n. 1.

In primis, ut quaedam certa statuantur, habendae prae oculis istae propositiones damnatae. Prop. 16. ab Innoc. XI.: « Fides non censetur cadere sub praeceptum speciale secundum se ». Nam certe quoties proponitur quid revelatum certe a Deo, hoc *per se* exigit fidem.

Prop. 1. ab Alex. VII.: « Homo nullo nunquam vitae suae tempore tenetur elicere actum fidei, spei et caritatis ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium ». Nonne enim est praeceptum divinum: « Diliges Dominum Deum tuum etc.? ».

Opinio his propp. expressa non excludit obligationem, sed eam coarctat ad circumstantias, in quibus exercitium harum virtutum aliunde evadat necessarium, nempe *per accidens* (n. 40.).

Prop. 17. ab Innocent. XI.: « Satis est actum fidei semel in vita elicere ». Unde fit, ut quis posset differre actum fidei usque ad articulum mortis. Forte, isti si qui fuerunt, intelligebant de *formali* fidei actu.

Prop. 6. ab Innoc. XI. (licet non de fide agat; sed ratione analogiae huc revocatur): « Probabile est, ne singulis quidem quinquenniis per se obligare praeceptum caritatis erga Deum ».

Conclusio est, hanc opinionem non esse probabilem. Insuper id forte de *formali* actu quispiam intelligebat.

Denique Prop. 65. ab Innoc. XI.: « Sufficit illa mysteria semel credidisse » scil. mysteria fidei, de quibus in praecedenti 64. sic: « Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium Sanctissimae Trinitatis et Incarnationis D. N. I. Christi ».

XII. Respond. 1. Praeceptum fidei internum obligat 1. Pueros inter fideles educatos, quando rationis usum perfecte consecuti mysteria fidei audiunt apprehenduntque, quod illa credere sit res necessaria ad salutem peccantque mortaliter omittendo. Sanch. Bon. t. 2. d. 3. p. 3. addens plurimos eorum excusari inadvertentia aut invincibili ignorantia. 2. Adultos infideles, quando ratio incipit dictare, res fidei sufficienter propositas esse et contrariam sectam esse falsam. Sanch. l. 2. *Mor.* c. 1. Con. d. 14. *de Fide* Fill. n. 25. 3. Quando urget tentatio contra fidem, quae aliter vinci nequit. Quod tamen non convenire scrupulosis, recte monet Sanch.; quia hi, avertendo mentem ad alia obiecta, facilius superant. Et in his duobus casibus praeceptum obligat per se, in sequentibus per accidens. 4. Quando tentatio urgens contra alias virtutes aliter superari nequit. 5. Quando facienda

est professio fidei exterior vel ex praecepto eliciendus est actus alterius virtutis, v. gr. Spei, Caritatis, Poenitentiae, quae fidem supponat, Bonac. qu. 2. p. 2. His addit Hurt. contra Sanch. 6. In hora mortis et 7. semel quotannis. Vide Dian. p. 3. t. 13. r. 19. Hac de re vide Propos. 1. damn. ab Alex. VII. et ab Innoc. XI. Propos. 16. 17. et 65.

De pueris.

25. Sanchez *Decal.* lib. 2. cap. 1. n. 3.: « Infantes baptizati et inter fideles nutriti, cum perveniunt ad usum rationis ac fidei mysteria audiunt et apprehendunt fidem uti necessarium ad salutem nec habent aliquam dubitandi rationem, tenentur statim credere... In praxi nunquam contingit hos pueros esse in mora; cum de re nulla minus cogitent, quam de contradicendo vel non credendo. At fieri potest, ut non eliciant actum fidei divinae; quia saepe non proponuntur illis haec mysteria, ut dicta a Deo. At nisi sit ratio urgens, quae suadeat, in his pueris negligentiam gravem fuisse, excusantur ignorantia invincibili ».

De infidelibus.

26. Tenentur infideles seu haeretici ad fidem, quando res fidei sufficienter sunt propositae. Sufficienter autem propositae censentur, quando ex rationibus, ex signis verae religionis, ex miraculis aut aliis probationibus, ita res credibiles apparent, ut recta ratio dictet, fidem quae proponitur, esse veram et sectam, cui adhereant, prudenter iudicandam esse falsam.

Nota, cuiusmodi certitudo esse debeat; nam de moralibus sermo est. Huc spectant quae disputantur de motivis evidentis credibilitatis. Si certitudo haec non adsit, aderit tamen ratio gravis dubitandi atque adeo inquirendi de vera religione.

Heic memoranda Prop. 4. ab Innoc. XI. damnata: « Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili ».

Videtur haec propositio ansam habuisse ex dictis Sanchez *Decal.* lib. 2. cap. 1. n. 5. et 6.: « Adhuc explicandum restat, quando dicatur fides sufficienter infidelibus proposita, ut non temere et imprudenter, sed *prudenter credant et non credendo peccent.* Bannez et Ledesma dicunt, non sufficere ut illis proponatur evangelium tanquam credibile; bene tamen *sat esse*, si proponatur tanquam *magis credibile*, etsi sua secta credibilis quoque ipsis videatur. Ducuntur autem, quia lumen naturale non dictat, quodcumque credibile esse amplectendum; cum contrarium possit aeque esse credibile: at in re tanti momenti dictat necessario amplectendum quod credibilius apparet, licet in aliis materiis dictet satis esse amplecti minus probabilem partem ».

« Ceterum hoc non placet *ita generaliter dictum*. Quippe dum infidelis sibi persuasum habet suam sectam esse probabilem, quamvis contraria sit probabilior, teneretur utique in articulo mortis constitutus, in quo de extrema salute agitur, veram fidem, quam probabiliorem iudicat, amplecti ac proinde partem, quam tutiorem ac probabiliorem iudicat, amplecti tenetur. At extra eum articulum non tenetur; quod adhuc existimet prudenter in sua secta se posse perseverare TEMPUSQUE REI MELIUS EXAMINANDAE SUPERSIT... Quia S. Thomas petiit, ut quis credere teneatur, videre res, quae proponuntur, credibiles esse. At dum contrarium repraesentatur ut credibile, non est evidentia credibilitatis alterius partis. Quare tunc censeo res fidei ita sufficienter infidelibus proponi, ut ipsi praecepto divino ad credendum adstringantur et *non credentibus imputetur culpae infidelitas,* quando fides ita rationibus proponitur et signis confirmatur, ut prudenter ratio ipsa incipiat praescribere, res fidei esse credendas et contrariam sectam esse falsam... ».

27. Porro si agatur de obligatione credendi, palam est, errasse Bannez et Ledesma. Habetur enim alia propositio 21. damnata ab Innoc. XI.: « Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis: imo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus ». Qua parte ergo negat Sanchez, obligari ad credendum, dum pars non apparet evidenter credibilis, sed formido prudens est de falsitate, nihil absoni dicit. Imo prudentissime subdit, in articulo mortis secus dicendum; quia tutiora, etsi non certa, media in hoc casu sunt adhibenda, prout dicimus etiam de Sacramentis. Si autem non tenetur probabiliorem extra casum mortis amplecti, prudenter manet in secta, non quasi aut veram aut veriorem habere possit, sed dum inquirit, *uti certe inquirere tenetur*. Secus deberet exuere omnem fidem et religionem abiicere et nihil facere. Et illud est, quod damnat propositionem illam quartam scil. quod quiete manere possit in sua secta. Non ideo enim quis excusatur, si maneat in infidelitate, quia ducitur opinione probabili; in eo enim statu tenetur adhibere media, quibus ad veritatem pertingat eoque magis tenetur, quo potiora excitantur dubia ob maiorem alterius sectae probabilitatem, licet maior haec probabilitas impar sit ad obligationem fidei imponendam.

De tentationibus contra fidem.

28. Doctrina Sanchez l. c. c. 1. n. 3., quam refert A. est communis. Tentationes tamen non heic intelliguntur quaelibet molestiae, quibus vexet daemon, sed cogitationes subortae, quae in periculum reapse adducere possunt amittendae fidei. Quocirca obligatio oritur ab ipsa vir-

tute fidei, cuius praecepto tenemur. Quod Auctor dicit *duos* casus, intellige 1° casum primae sufficientis propositionis articulorum fidei tum pro adultis infidelibus tum pro pueris catholicis: 2° casum tentationis.

De aliis tentationibus.

29. Haec doctrina est communis pro omni re precepta et non praecepta. Nam si est *unicum* medium et teneor ad finem, patet, me teneri ad illud medium.

De professionis fidei occasione.

30. Discrimen est inter hunc casum et alium eodem n. 5. contentum, de necessario actu fidei ob alium actum praeceptum; quia ibi est actus fidei formalis, heic actus esse potest mere virtualis.

De actu fidei ob alium actum praeceptum.

31. Porro notandum 1° actum fidei in his adiunctis referri ad illud obiectum materiale seu ad illum articulum fidei, qui praerequiritur ad exercitium alterius virtutis, v. gr. fides praesentiae Christi in Eucharistia pro eo, qui ad Communionem accedit: fides passionis Christi, ut crucem reverear. 2° Heic non intelligi actum formalem fidei, sed requiri implicitum: de quo nemo debet esse sollicitus, quia semper adest.

Hinc patet, abs re esse, quod quidam ab accedentibus ad Sacramentum Poenitentiae exigant actus virtutum theologalium et fidei circa articulos, qui in consueta formula continentur et qui per se ad sacramentum Poenitentiae non spectant. Quod et Viva notat in 1. Proposit. Alex. VII. n. 10.

De hora mortis.

32. Sanchez l. c. c. 1. n. 3. duplicem assignat rationem (vid. et Diana tom. 6. tr. 1. res. 1. n. 2.), 1° ut actu fidei quis se tueatur adversus daemonis tentationes et 2° coniungat se cum Deo per huius virtutis actum, quae est fundamentum et radix omnium virtutum. Hanc rationem affert et Gury tom. 1. §. 188.; sed est infirma. At dicit esse obligationem *iuxta quosdam:* « Ceterum, subdit idem Sanchez, hoc non placet (si agatur de praecepto fidei *per se* et de fide *explicita*); quia nulla ratione aut textu probatur. Et ideo ex hac sola articuli mortis ratione non teneretur quispiam ad fidei actum eliciendum, nisi concurrerent aliae circumstantiae, quae tunc obligarent, uti graves fidei tentationes ».

De actu fidei eliciendo quotannis.

33. Heic habemus sententiam laxissimam prop. 17. damnatae ab Innoc. XI.: « Satis esse actum fidei semel in vita elicere ». Et Viva in prop. 1. ab Alex. VII. n. 6. monet (quod sane non erat arduum excogitare), non inferendum inde esse, quod ergo sufficiat bis in vita actum fidei elicuisse. Tamen non diffitendum, posteriorem hanc affirmationem non teneri damnatione prioris.

Alii e contrario praeceptum fidei dixerunt urgere omnibus diebus festis. Alii, ut ait Gury tom. 1. §. 188. *nonnulli*, singulis mensibus. Alii, urgere quoties mysteria ab Ecclesia celebrantur. Alii plures dicunt urgere saltem singulis annis, quod probabile dicunt Salmanticenses.

Has sententias omnes refert s. Alph. lib. 2. n. 7. et in fine addit ista: « Advertunt tamen, quod huic praecepto fit satis etiam per exercitium aliarum virtutum, sive per susceptionem Sacramentorum, sive ex quacumque alia occasione actus fidei ponatur ».

Qua de re Suarez *de Fide* disp. 13. sect. 5. n. 6. in fin. post enumeratos casus 1° advenientis luminis rationis et 2° necessitatis ad depellendas tentationes, hoc mere addit: « In aliis vero temporibus vitae sufficienter impletur hoc praeceptum, exercendo alios actus religionis caritatis aut spei; quia regulariter non fiunt sine usu fidei ». Quae tamen resolutio non definit satis clare quaestionem quousque adversus hoc fidei praeceptum reus ille esset, qui alia illa praecepta non impleret. Nam Suarez utique dum dicit per hunc *fidei usum impleri praeceptum*, ostendit mentem suam esse, praeceptum eiusmodi in aliis temporibus adesse: sed quando adsit, omnino tacet.

Tandem doctrinam habet Croix lib. 2. n. 51., ubi de prop. 17. ab Innoc. XI. damnata ait: « Ex hac damnatione constat, necesse esse SAEPIUS (id gratis affirmatur, nisi velit dicere: plus quam semel) in vita elicere actum fidei: abstrahitur autem hic, an id necesse sit de necessitate medii an praecepti (quorsum haec quaestio hoc in loco?) item an sit necesse per se ratione ipsius praecepti fidei, an autem per accidens ratione praeceptorum spectantium ad alias virtutes...; qualiscumque enim et undecumque sit ea necessitas saepius eliciendi actum fidei, propositio damnatae contradictoria est vera, nempe quod non satis sit elicere actum fidei semel in vita *et satisfiet praecepto fidei ex quacumque tandem causa vel occasione ponatur actus fidei* ». Quam doctrinam admittit et probat s. Alphonsus l. c.

34. S. Alphonsus ibid., memorat sic aliam quaestionem: « Num autem teneamur ad eliciendos hos actus fidei formaliter, scil. ex mo-

tivo (explicito) Dei revelantis, affirmat Viva in 1. Prop. damn. ab Alex. VII. n. 11. ».

Ratio, cur Viva affirmet, fidem hanc debere esse formalem ex motivo explicito scil. Dei revelantis, est, quia sicut cum praecipitur *dolor de peccatis* intelligitur dolor *formalis, nec sufficit dolor inclusus in actu caritatis,* ita cum fides praecipitur, intelligenda est fides *formalis.*

Sed neque probanda est haec resolutio nec laudandus mos iste, seu melius intemperantia in sectandis vel excitandis innumeris quaestiunculis, quarum exitus soleat hic solum esse, ut multiplicentur anxietates, prodeant novae leges et res usque magis implicentur.

Quae intemperantia eo usque processit, ut Viva ibid. dubium iniiciat, an supernaturalis sit fides, quae non exerceatur *actu formali;* sic enim habet intra parenthesim: « Quidquid sit, an semper ac fides est supernaturalis, nitatur huic motivo saltem languide attracto ».

Dixi non esse probandam resolutionem. Et sane Ioannes de Cardenas *Crisis Theol.* tom. 4. dissert. 11. nn. 75.-76. ponens quaestionem « an actus, qui eliciuntur circa veritates, quas quis didicit in schola fidei, quamvis desit memoria revelationis divinae (qui actus sunt virtuales actus fidei), sint veri actus fidei, quales praecepto divino iubentur et procedant ab habitu fideli supernaturali, refert haec ex Hurtado, qui prior videtur quaestionem movisse: « *Hac in parte quidquid proferatur, vetusto carebit auctore; quia quaestio recens nascitur a parente etiam recente* ». Patet ergo, hanc controversiam esse novam, de qua doctores nihil dixerant. At si quaestio nova est, nonne patet, de nova ista obligatione neminem unquam cogitasse? Et si nemo de ista obligatione cogitavit, cuiusmodi tandem est istud sapientiae acumen, ut putare debeamus, aut veteres omnes doctores nihil cogitasse de modo implendi gravissimum praeceptum, quod obligat graviter omnes et est in usu quotidiano? aut ad dies usque Dominici Viva vix quempiam scivisse modum implendi praeceptum et incompertam fuisse rationem obligationis eliciendi actum fidei? Contra nonne celeberrimum est adagium, quod consuetudo est optima legum interpres? Ergo si nemo cogitaverat de hac necessitate, cum tamen obvia esset haec cogitatio, palam est, hanc non esse vim praecepti.

Quod vero non cogitaverint de ista obligatione Doctores, patet ex communi sententia, quod satisfiat praecepto fidei per illas actiones, quae merum fidei usum continent. Id patet etiam ex allegatis verbis Suarez et Croix sup. nn. 53. 54. Imo ipse Viva l. c. n. 7. scribit: « Ad hos actus praestantissimos eliciendos saepe conari debemus: at citra anxietatem, cum vix possit accidere, quod vir timoratus his praeceptis *non satisfaciat abunde* » sc. per usum fidei.

Et Lugo *de Fid.* disp. 13. n. 45. apud s. Alph. lib. 2. n. 7.: « Cum materia honeste et inhoneste operandi frequenter occurrat, non est dubitandum, quin homo, qui fidem christianam semel amplexus est, plusquam sufficienter satisfaciat praecepto fidei ».

35. Ad rationem vero Viva respondendum est: Nego *paritatem*. Nam actus amoris non eodem omnino modo continet virtualiter actum doloris, quo actus fidei continetur in actu, ut aiunt, *virtuali fidei*. Nam actus caritatis reipsa nulla ratione habet peccata pro obiecto atque adeo nulla ratione attingit peccatum aut circa peccata versatur: sed solum est motivum, propter quod ad detestanda praeterita peccata quis moveri possit. At vero actus fidei, quam dicimus *virtualem*, versatur circa revelata et est reipsa assensus praestitus veritatibus revelatis; in hoc autem solum differt a *formali*, quod dum assentimur, non cogitemus de motivo formali scil. de divina revelatione seu sine actuali revelationis divinae memoria assentiamur obiecto materiali.

Verum undenam reipsa determinatur tunc cognitio nisi ex motivo fidei? Nam certitudo cognitionis profecto non aliunde potest provenire, nisi ex motivo fidei divinae prius apprehenso, ex pia affectione supernaturali, in qua et habitus est fidei aut ex memoria piae affectionis prius habitae.

Uno verbo, certitudo haec adhaesionis non aliter tota est a motivo fidei divinae, ac a motivis praemissarum sit certitudo conclusionis aut certitudo alicuius facti sit ex motivo apprehensionis habitae per sensus externos aut per testimonium aliorum; quamvis actu nec recorder praemissarum illarum aut non cogitem de motivo sensuum externorum aut auctoritatis testium.

Videsis quae fuse disputat Cardenas citat. disputat. 11. art. 5. et 6. Ergo dubia ista ex sola intemperantia et rigore sophistico exorta, prorsus hinc ableganda.

Bene Gury § 188. inter alia tempora, quibus elicere tenemur actum fidei, enumerat, post lapsum in haeresim aut fidem negatam.

36. Unum superest advertendum, quod memorat etiam Viva l. c. n. 8., quod quidquid disputent Theologi de obligatione eliciendi actus virtutum theologalium (nunc autem dictum fuerit de fide), tamen verissimum est, quod fideles nunquam se accusant de transgressione praeceptorum ad hos actus obligantium nec solent de hoc a confessariis interrogari.

Undenam hoc? Puto verius responsum hoc esse, quod poenitentes ad hanc obligationem non advertunt; ex quo fit, ut neque peccent, diutius differendo exercitium horum actuum. Ita Viva. Sed addendum, ideo etiam poenitentes non cogitare de hac obligatione, quia reipsa

obligatio maxime indeterminata est, uti ex Suarez audivimus sup. n. 41. et inani labore theologi has vel illas proferunt sententias, quae reipsa potiusquam fundatae in solida aliqua ratione, videntur ad arbitrium confictae.

Ex iis resolvuntur hi Casus.

XIII. 1. Haereticus, quandiu suam sectam iudicat esse credibiliorem vel aeque credibilem, non tenetur credere; quia fides nondum est sufficienter proposita ageretque imprudenter. Sanch. 2. *Mor.* c. 1. Laym. l. 2. t. 1. c. 10. et 12.

37. Resolutio est quod *non tenetur* credere id, quod ipsi proponitur vel *aeque* vel *minus credibile.* At non dicitur, quod possit *quiescere* tranquillus in sua secta. Duo haec sunt longe diversa. Et superest via media videlicet *obligatio inquirendi;* quia certam quaerere viam tenemur: quae tamen obligatio non est confundenda, ut diximus, cum ficta obligatione credendi id, quod appareat quidem probabilius, sed non certe credibile.

XIV. 2. Quando iis, qui in haeresi nutriti sunt, persuasum est a puero, nos abiicere et persequi Verbum Dei, esse idololatras, pestilentes deceptores ideoque, tanquam pestem, fugiendos; non possunt, stante hac persuasione, salva conscientia nos audire et laborant ignorantia invincibili, cum non dubitent se esse in bona via. Laym. c. 10. Sanch. l. 2. c. 1.

38. Hoc valet, etiamsi non sint certi de propria secta; in quo casu tenerentur inquirere, ubi sit veritas; licet excusarentur, si non quaererent veritatem apud catholicos, quos certe putent esse extra viam.

XV. 3. Si talibus oriatur dubium de sua secta, tenentur ulterius inquirere et a Deo petere lumen: quod si negligant, peccant contra fidem; cum non adhibeant media ad implendum praeceptum Fidei. Quod si deinde nostra fides eis sufficienter proponatur, tenentur amplecti. ibid. V. Ferdin. de Castro Palao t. 4. d. 1. p. 12. et d. 2. p. 2.

39. Quod ait Auctor, quod peccent etiam contra fidem, inde est, quod obligatio credendi imponit obligationem sciendi (n. 38.) et idcirco inquirendi.

Addit autem s. Alphonsus lib. 2. n. 10. ex Viva, « quod infidelis nunquam habere potest veram probabilitatem suae sectae sine culpa. Si enim oraret, Deus absque dubio infunderet lumen suum de vera religione ».

Sed haec est mera pia quorundam coniectatio inde orta, quod statum infidelium, haereticorum et schismaticorum sibi effingunt, quasi hi cognoscant statum suum, prouti cognosceret homo cathedraticus aut degens in nostris urbibus. Atqui rudes ex parentum et doctiorum inter eos auctoritate detinentur ita, ut vix aut ne vix quidem dubitent; nedum habere possint solam probabilitatem. Praeterea ut culpa adsit, necesse est, ut obligationem orandi noscant: atque adeo haec supponunt id, quod est in quaestione.

XVI. Resp. 2. Praeceptum exterius fidem confitendi iure naturali obligat duplici casu, scilicet cum vel honor Deo debitus vel utilitas proximo impendenda privative vel contrarie subtraheretur. Dixi *privative:* ut si ideo cessaret magnus honor in Deum vel utilitas in proximum redundans. Dixi *contrarie:* ut si alioqui Deus afficeretur iniuria vel proximus gravi malo, v. gr. si inde penderet aliorum conversio aut perversio, contemptus Religionis, scandalum etc. Ratio responsionis est, quia actus virtutis tunc videtur praeceptus, quando est necessarius ad finem praecepti, quod hic contingit; quia finis praecepti est Caritas. S. Th. 2. 2. q. 3. a. 2. Suar. Reg. Fill. tr. 22. c. 3. q. 1.

40. Confessionem fidei actum esse proprium virtutis fidei, facile omnes concedunt: qua de re confer subtiliter disputantem Lugo *de Fide* disp. 14. sect. 1. Certe est actus hominis fidelis, qua talis est, confessio fidei inquam, non simplex aliqua expressio, quae ore fiat, articuli revelati: ergo ea est actus fidei.

De necessitate profitendi fidem etiam exterius nemo dubitat; sed difficultas est in assignando tempore, quo hoc praeceptum obligat. Suarez *de Fide* disp. 14. sect. 2. n. 1. 2.

Ob claritatem duplex distingui potest fidei confessio seu externa significatio, quae quidem non solum verbis, sed et actibus fit, sicuti et fidei negatio.

Alia *materialis* est, quae fit exercitio alterius virtutis, sed tamen reipsa continet externam fidei internae significationem, v. gr. sacrificare Deo, quod est quaedam professio atque adeo confessio fidei christianae.

Formalis vero confessio est, quando per se et ex directa intentione externum verbum vel signum quodvis fiat, ad ostendendam fidem internam.

Et quoad materialem fidei professionem nulla est difficultas. Nam quoties exercendus erit actus religionis ex obligatione, toties adest necessitas seu obligatio profitendi exterius fidem; sicut et magister qui teneatur vel e pulpito vel e cathedra docere christianam doctrinam. Sed haec professio pertinet ad alia praecepta et superest adhuc difficultas, quando homo obligetur ex praecepto fidei per se ad formalem eiusdem professionem. Suarez ibid. n. 3.

41. Communiter ergo doctores duo tantum tempora huius obligationis assignant, quae et ab Auctore indicantur: 1° quando honor Deo debitus exigit ab homine fidei confessionem: 2° quando id exigit utilitas proximi.

Advertite autem, plura heic dici, quae communia sunt ad solvendam etiam quaestionem, quae proponitur capite sequenti, scil. de obligatione praecepti quatenus negativum est.

Quod dicitur, nos obligari ad fidei professionem, quando id exigit debitus Deo honor aut proximi utilitas, explicari communiter sic solet

quia scilicet desistendo ab illa professione honor Deo debitus subtrahitur etc. Conf. s. Thomam 2. 2. q. 3. c. 2. Verum ut rite haec intelligantur, triplex distinguitur subtractio divini honoris, *negativa, privativa* et *contraria*, de quibus etiam Auctor meminit, licet omittat negativam. Dicitur autem subtractio mere *negativa*, quando non defero Deo honorem, quem possem et haec *per se* non sufficit ad inducendam obligationem praecepti; quia non quoties possum, teneor exercere honorem erga Deum, ut constat.

Dicitur subtractio *privativa*, quando confitendo fidem, magnus honor et gloria Dei accresceret, qua privatur propter confessionis meae defectum et hoc multi putant sufficere, ut confessio tunc sit in praecepto; etiamsi ex carentia illius confessionis honor, quem iam Deus habebat apud illos homines, non minuatur. Sed de hoc, ut inquit Suarez *de Fid.* disp. 14. sect. 2. n. 3., non potest alia regula certa tradi nisi obligatio caritatis Dei; illa enim sola potest tunc obligare: verum *raro* obligabit, nisi secus aut intercedat necessitas proximorum aut inde fama seu existimatio de Deo diminuatur, qui tamen casus ad *privativam* subtractionem non pertinent, sed potius ad *contrariam*.

Contraria enim subtractio dicitur subtractio divini honoris, quando ex eo, quod nolo confiteri fidem, apud infideles diminuitur notabiliter existimatio de Deo vel de fide et religione eius; hoc enim tunc imputatur homini non confitenti fidem, tanquam subtrahenti *contrarie* honorem Deo debitum.

42. Haec eadem distinguenda sunt, quando necessaria dicenda sit confessio fidei ob proximorum utilitatem. Tanta enim haec esse debet ut censeatur *moralis necessitas,* qualis est, si mea confessio necessaria reputetur, ne alii fideles sint inconstantes et ab fide deficiant (ita est *contrarie*), vel fortasse quia exemplo confessionis meae alii infideles excitabuntur et convertentur ad fidem, vel quia alii fideles indigent mea confessione, ut instruantur (heic est *privative*). Suar. l. c. n. 5.

Quando tamen in particulari tanta sit utilitas vel necessitas proximi, ut certam obligationem inducat, arbitrio prudentis iudicandum est; nam quaepiam regula omnino certa assignari non potest. Communiter tamen censetur haec necessitas urgere, quando fideles publice a tyranno interrogantur, de quo in cap. sequenti.

43. Quae tamen dicta sunt, habent adhuc difficultatem. Nam obligatio orta vel ex cavenda subtractione divini honoris aut subtractione damni proximorum, videtur referri potius ad praeceptum caritatis, quam ad praeceptum fidei; praesertim cum occasiones istae obligent solum *per accidens,* v. gr. in persecutione tyranni vel in proximorum infirmitate et indigentia. Ergo sic non assignatur tempus, quo praeceptum profitendae fidei per se obliget.

Cui difficultati satisfacit Suarez l. c. n. 7., assignando etiam hoc tempus ita, ut primo quidem hoc praeceptum obliget, quando quis amplectitur fidem ac baptismum suscipit, si de adulto sermo sit. Qui autem ea aetate susceperunt baptismum, qua per actus suos fidem profiteri non poterant, tenebuntur fidem profiteri cum primum moraliter per aetatem poterunt.

Addendum, id ipsum faciendum aliquibus temporibus per vitae decursum, ita ut unusquisque *fidelibus*, inter quos vivit, catholicum et fidelem, se ostendat.

Veruntamen quia exercendo alios actus religionis catholicae sufficienter fit haec fidei exterior significatio, ideo non occurrit neque assignatur occasio, qua specialiter obliget illa confessio formalis propter internam fidem ostendendam. Neque id mirum; saepe enim contingit in praeceptis affirmativis, ut occasio exercendi unum ex obligatione propria cesset, quia per observationem alterius praecepti cessat illa necessitas, in qua alterum praeceptum poterat obligare. Et hanc forte ob causam auctores non assignant tempus huius necessitatis nisi in illis occasionibus extraordinariis, quae sunt fere accidentales (Suarez loc. cit.).

Advertendum tamen, quod in casibus illis extraordinariis quos diximus, obligatio profitendae fidei oriri potest non solum ex praecepto caritatis, sed etiam ex praecepto fidei proprio; idque tum ex parte Dei, si honor eius, *inquantum est fidei auctor*, periclitetur, v. gr. si propter defectum confessionis fidei religio christiana possit existimari falsa aut auctor eius falsum aliquid dixisse: tum etiam ex parte ipsius hominis, si propter non confitendam fidem nimio timori locum daret et se exponeret periculo deficiendi a fide aut ostendendi inconstantiam in ipsa; in his enim casibus ipsamet fides et pia affectio in ipsam obligare poterunt ad eiusdem professionem.

Unde resolvitur hic Casus.

XVII. Si haeretici conculcent imagines aliisque iniuriis fidem afficiant, tenetur eam sua confessione tueri Catholicus, si quidem inde prudenter speret profectum.

Nihil heic, quod addatur et uberius in cap. seq.

XVIII. Resp. 3. Ad professionem fidei externam iure Ecclesiastico tenentur sub mortali, secundum *Tridentinum,* cum iuramento obediendi Ecclesiae Romanae, ut docet Fill. tr. 22. c. 3. n. 93., seqq. sequentes personae.

1. Provisi de beneficio curato idque intra duos menses a die possessionis, coram Episcopo aut eius Vicario Generali vel Officiali. Sess. 24. c. 22. *de Ref.*

2. Provisi de Canonicatu, vel Dignitate in Cathedrali Ecclesia: idque non tantum coram Episcopo vel eius Vicario, sed etiam in Capitulo, *ibid.* addita poena (ad quam

non videntur teneri ante sententiam) ut alioqui fructus non faciant suos. V. Sanch. l. c. c. 5. Barb. *de Potestate Episc.* 3. p. a. 61. n. 29.

3. Primates, Archiepiscopi, Episcopi in prima Synodo provinciali, cui intererunt, Trident. sess. 25.

4. Extendit Pius IV. hanc legem ad omnes Praelatos Religionum, etiam militarium. Pius V. autem apud Rodr. t. 2. qq. reg. q. 72. ad omnes promovendos in Doctores, Magistros, Regentes, Professores, addita excommunicatione latae sententiae et privatione omnium beneficiorum in eum, qui alios promovet ad talem gradum, sine praevia professione. V. Fill. t. 22. c. 3. q. 11. Barb. *in remiss.* s. 24. n. 12. Verum, ubi hoc decretum non est receptum usu, non obligare monet Sanchez c. 5. n. 4.

44. Quaesitum est 1° « an praeter canonicos, dignitates et curatos inamovibili, ut dicunt, titulo provisos, parochi etiam amovibiles seu succursalistae ad professionem fidei iusta praescriptionem s. Conc. Trid. teneantur? 2° Et quatenus affirmative circa succursalistas, an possint professionem facere coram simplici deputato ab Episcopo? 3° An praedicta professio toties renovari debeat, quoties illi omnes, de quibus supra, ad aliud beneficium transferuntur? ». S. C. C. 15. decembris 1886. respondit: « iuxta C. Trid. sess. 24. c. 12. *de Ref.* ac resolutiones in similibus editas; ad 1^{m} affirmative: ad 2^{m} negative: ad 3^{m} affirmative ».

Obligatio Magistrorum, Professorum et similium non urget nisi semel.

Unde resolvitur.

1. Non tenentur ad dictam professionem provisi de Canonicatibus in Ecclesiis tantum Collegiatis vel de Beneficiis tantum simplicibus.

2. Etsi probabile sit, hanc professionem posse fieri per procuratorem, ut docet Azor, Nav. et Sanch.; probabilius tamen est, teneri personaliter, ut docet Fill. Ratio est, tum quia alias non videtur fieri satis iuramento, quod personaliter faciendum esse docet Glossa apud Fill. tum quia ita decidit Rota apud Garz. l. 3. *de Benef.* c. 3.

45. Quod spectat ad hanc obligationem ex praecepto ecclesiastico, satis fuerit legere A. Adverte tamen monere Sanchez l. c. n. 7., quod cum Pontifex Episcopis designat eum, in cuius manibus emittenda est professio, haec nequit certe fieri per procuratorem: quod ex verbis Pontificis id committentis ostendit.

Porro prior ratio A. non admodum firma est: altera est efficacior.

CAPUT III.

AN ALIQUANDO LICEAT EXTERIUS FIDEM VERAM NEGARE AUT FALSAM PROFITERI

XIX. Resp. Nullo casu licet, sive voce sive alio signo fiat, dicente Christo: *qui me negaverit coram hominibus* etc. Interim vero, etsi licitum non est mentiri seu simulare, quod non est; licet tamen dissimulare, quod est, tacere sive tegere veritatem verbis aliisve signis ambiguis et indifferentibus, ob iustam causam et cum non est necessitas fatendi. Est comm. s. Thom. Con. disp. 15. dub. 2. n. 9. Laym. l. 2. t. 1. c. 11.

46. Responsio tria statuit: 1° nunquam nec ulla ratione licere negare fidem aut simulare falsam professionem: 2° licere dissimulare seu occultare propriam fidem: 3° duas tamen conditiones requiri, ut licita sit dissimulatio. Prima est, ut nulla alia ratio exigat fidei professionem; secunda, ut iusta aliqua adsit causa. Et haec quidem respiciunt casum, quo occasio adest talis, ut *moraliter* (ut inquit, Suarez disp. 14. sect. 3. n. 1.) idest secundum aliquam circumstantiarum exigentiam professio locum habere apte posset. Nam alioquin non omni tempore neque ubique tenemur significare fidem nostram.

Haec principia probatione non indigent et ex his longa series resolutionum deducitur.

Unde resolvitur.

XX. 1. Rogatus de fide in odium religionis, sive publica auctoritate sive privata, nullo modo potest, utendo restrictione mentali aut verbis ambiguis, ita respondere, ut praesentibus videatur fidem negasse, multo minus dicere, se esse haereticum vel Calvinistam vel non Catholicum. Azor, Fill. c. 3. n. 97.

47. Ratio doctrinae est, quia (vid. Lugo *de Fid.* disp. 14. n. 36.) licet verba aut signa aequivoca a proferente ponantur quopiam alio sensu, ab interrogante tamen accipiuntur pro negatione fidei. Porro qui utitur verbis ambiguis, ut aliis appareat infidelis, is est, in quem cadunt verba Christi: *Qui erubuerit me coram hominibus* etc. Malitia ergo non heic desumitur ex mendacio, quod quidem vitaretur utendo verbis ambiguis: sed desumitur ex scandalo et ex erubescentia et iniuria contra divinam auctoritatem, cuius doctrinam erubescimus et ideo videri volumus eius contemptores.

Hoc Lugo confirmat exemplo illius, qui impulsus ad blasphemandum utatur verbis ambiguis, quae possint habere bonum sensum, cum tamen non in hoc sensu sed in sensu blasphemo accipienda sint et in hunc finem proferantur, ut proferens appareat blasphemus: eadem est enim irreverentia externa contra Deum, cum alius ille sensus maneat in occulto. Et idem ex communi hominum sensu constat;

merito enim de tali convicio vel iniuria querelam habebunt, quando sensus ille alius non explicatur, praesertim si in hunc finem verba aequivoca proferuntur, ut in sensu contumelioso ab auditoribus excipiantur.

XXI. 2. **Qui rogatus seu privata seu publica auctoritate vel tacet vel respondet obscure vel ait se nolle respondere, se iure non rogari, non teneri se nec velle aliis dicere, quid ipse credat ac simili modo tergiversatur, non videtur negare fidem, sed nolle prodere. Unde, si sic potest molesta inquisitione liberari, licet: ut habet Con. l. c. Generatim enim verum non est, quod interrogatus auctoritate publica teneatur positive fidem profiteri, nisi quando id necessarium est, ne praesentibus videatur fidem negasse. Con. d. 15. dub. 2. Navar. Azor, Sanch. Bec. c. 9. q. 4. *Hac de re vide Propos. 18. inter damnatas ab Innoc. XI.***

48. Propositio 18. damnata ab Innoc. XI. est: « *Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo et fidei gloriosum consulo; tacere ut peccaminosum per se non damno* ».

Dominicus Viva in h. prop. n. 3. refert post Sandaeum desumptam esse hanc propositionem ex quibusdam thesibus quae Antuerpiae propugnatae sunt die 16. april. 1674. praeside P. Arnaldo Marchant Minorita, e quibus desumptas dicit etiam 19. et 20. propositiones ab eodem Innocentio damnatas. Veritas historiae huius apud ipsos steterit.

Quoad rem nostram feritne propositio damnata doctrinam Auctoris? Duo Auctor dicit: 1° eum, qui tacet, non negare fidem. Et hoc non est contra damnationem. Nam damnatur, qui dicat, non adesse peccatum; non vero qui dicat, fidem tacendo non negari: 2° dicit, licere tergiversando se liberare ab molesta interrogatione et id contradicere videtur doctrinae per damnationem adstructae. Verum Auctor subiicit limitando: « *nisi necessarium sit fidem profiteri, ne praesentibus videatur fidem negare* ». Verum sufficitne ista limitatio?

Lugo *de Fid.* disp. 14. n. 37. haec tradit: « Obligatio (fidem profitendi) formaliter et universaliter loquendo, sumenda est ex circumstantiis omnibus, ex quibus debet iudicari, an silentium vel tergiversatio hic et nunc sint signum *negationis* vel *erubescentiae*, quo casu non licebit tacere aut tergiversari; secus vero si solum significet contemptum interrogantis et non defectum fidei vel constantiae, quo casu id licebit ».

Porro Auctor concedit, licere silentium, quando hoc intelligi non possit quasi fidei negatio. Ergo haec doctrina consentit cum communi.

Deficere tamen videtur ex ea parte, qua nihil dicit de erubescentia. Ut enim notat ipse Lugo l. c. n. 32., « adest obligatio, qua servus Christi tenetur non erubescere fateri Dominum suum: est enim dedecus Domini, quod servus dedignetur eum pro Domino fateri; nam

eo ipso negat illi debitum cultum. Cumque haec obligatio tanto sit maior in creatura ad Creatorem, obligat etiam cum vitae periculo ».

Item deficere videtur doctrina Auctoris, quatenus nihil dicit de indicio *formidinis* vel *inconstantiae.* Ut enim inquit idem Lugo l. c. n. 37.: « Doctores totum tandem reducunt ad circumstantias, ex quibus pendet, an hoc silentium tunc, in ordine ad *existimationem* vel ad *scandalum vel ad dedecus verae religionis,* aequivaleat negationi vel *indiciis formidinis aut inconstantiae aut erubescentiae* ».

Verum forte Auctor brevi illa formula haec omnia complectitur. Scandalum enim vel existimatio quod fidei negationi aequivaleat silentium aut dedecus religionis, inde sunt quod non fateatur (sive timor sive erubescentia eum moveat), quando fateri deberet, ne quis putaret eum ideo tacere, quia vel erubescit Christum, vel non est paratus mori pro Christo; unde censetur idcirco venire in sententiam interrogantium; inde et aliorum scandalum.

Atqui, ut patet, haec omnia in formula illa « *nisi teneatur fateri ne negare videatur etc.* » continentur.

Et satisfieri sic sententiae damnationis consentit et Viva in prop. 18. Innoc. XI. n. 6.: «Ostenditur falsitas; quia, ut advertit s. Thomas 2. 2. q. 3. art. 2., obsequium Deo ac fidei debitum postulat, ut publice illam profiteamur quando taciturnitas cederet in eius contemptum aut in alicuius scandalum ».

49. Advertenda haec verba sunt Lugo l. c. n. 39.: « Regula ergo est universalis, ut quando tergiversatio vel silentium aequivalet negationi vel erubescentiae aut formidinis indicio in ordine ad inconvenientia ob quae haec sunt illicita, illa etiam non liceant, *sive id fiat in publico, sive in occulto*, sive apud magistratum, sive apud hominem privatum; cum enim formalis negatio fidei utrobique sit illicita, utrobique etiam erit illicita negatio virtualis vel aequivalens: unde libellatici olim gravissimi peccati rei habiti sunt ».

Haec notantur, quia, ut inquit Suarez disp. 14. sect. 3. n. 5. aliqua dissensio de hac re fuit penes Auctores. Quidam enim indistincte illam docent, ut s. Thomas...: alii vero distinguendum putant inter personam interrogantem publicam vel privatam; quia quando persona est publica id est publicam habens potestatem vel illam usurpans, ut tyrannus, tunc resultat obligatio respondendi; quia publice agitur de honore fidei: secus vero esse dicunt, quando persona est privata; quia tunc potest fidelis respondere; *Quid tua interest*, vel *se nolle de illa re tractare...* Alii etiam de tyranno distinguunt, an publice vel private interroget..., imo etiam de persona publica posset distingui, an sit superior ut rex vel princeps proprius, an extranea persona... Alii praeterea distinguunt

etiam in persona privata, vulgarisne sit an persona gravis etc. » (Haec Lugo innuit n. 37.).

Subdit porro Suarez ibid. n. 6.: « Hae distinctiones materiales sunt ad explicandam circumstantiam temporis, pro quo obligat praeceptum confitendi fidem et consequenter prava est occultatio fidei. Nam haec obligatio non nascitur ex qualitate vel potestate personae interrogantis sed ex occasione, in qua non potest occultari fides sine gravi diminutione divini honoris aut detrimento spirituali proximorum... Et ideo parum refert, quod rogans sit proprius rex vel alienus, cum obligatio non oriatur ex iurisdictione rogantis. Et ob eandem causam nihil obstabit, quod persona rogantis sit privata; nam si rogatio sit publica, poterunt eadem incommoda sequi, non confitendo fidem in tali articulo et simili modo, quamvis rogatio privata sit atque etiam persona rogans, si tamen illa sit gravis et possit multum fidei prodesse vel nocere, ad dictam obligationem sufficiet. Igitur omnes praedictae distinctiones eo tendunt ut iuxta illas circumstantiae omnes considerentur ad ferendum prudens iudicium de necessitate legitimae responsionis et aptae confessionis fidei propter debitum honorem Dei et christianae religionis ».

Hinc Lugo postquam n. 37. innuit illas distinctiones, in fine advertit: « Unde inferunt, quia id (scil. quod sit illicitum silentium) regulariter contingit in interrogatione facta ab homine habente potestatem publicam, ideo eam regulam et distinctionem fuisse ab aliis traditam, licet non sit universaliter ac formaliter vera » (a).

XXII. 3. Non negat fidem, sed prodit, qui fugit, quod etsi liceat, non tamen Pastori, tunc cum eius opera oves indigent: uti contra, si eis consultius est, ut ad tempus se subducat et in bonum earum reservet, tenetur fugere. Reg. l. 17. n. 26. Bec. c. 9., Fill. n. 75. etc.

50. Reginaldus, quem Auctor allegat, *Praxis Poenitentialis* lib. 17. n. 26. duos casus excipit, in quibus fuga non licet, quando scilicet adsit alteruter ex casibus, in quibus adest obligatio profitendi fidem et sunt 1° subtractio divini honoris, 2° necessitas sive utilitas proximorum: qua de re actum est in dubio praecedenti.

Quod autem dicit A. quod fugiens non negat, sed *prodit fidem,* sensus est, quod fidem suam *manifestam* facit. Ita Becan. *de Virtut. Theol.* cap. 9. q. 4. n. 10.: « Qui fugit... non significat per suam fugam, se non esse christianum vel negare se fidem, sed potius contrarium, se nolle fidem negare et ideo fugere periculum negandi ».

Lugo disp. 14. n. 42.: « Fuga aliquando illicita esse potest, nempe si fiat cum damno spirituali aliorum fidelium, quibus debeas assistere

(a) Cf. Responsa s. C. sub n. 98. E.

et quos fugiendo deseris in periculo manifesto negandi fidem. Quam ob causam Praelatus *aliquando* fugere non potest cum damno suarum ovium; sed debet animam ponere pro ovibus suis, ne sit mercenarius... Ut autem advertit s. Thomas lect. 3. in cap. X. Ioan. Christus invenit culpam in eo, qui *fugit* et *dimittit oves*. Si enim non dimittat, sed fugiat potius et lateat, ut possit eis commodius assistere, vel sine ovium detrimento fugiat, licitum id erit et aliquando *sub obligatione*, quando fuga et vita Pastoris necessaria est ovibus alioquin perituris. Sicut licita est etiam, quando persecutio non est contra oves, sed solum contra pastorem. E contra vero potest aliquando qui pastor non est, teneri ad non fugiendum, si eius praesentia necessaria est aliis, qui eo fugiente in fide deficient ».

Postulatum est: « an Missionarii a Tyranno interrogati, an velint in suo regno remanere, data fide, quod legem evangelicam non promulgabunt, licite possint annuere, promittere atque talem conditionem acceptare? » Resp. C. s. O. anno 1664. « non posse id promittere ».

XXIII. 4. Si quo casu tacere esset negare, tunc id non liceret: v. gr. si, aliis rogatis, an fidem negare vellent iisque respondentibus, quod non, tu taceres. ibid. Vid. Bon. l. c. Laym. l. 2. t. 1. c. 11. Tol. l. 4.

51. Adde casum, quo alius vel te interpellans vel de te praesente loquens, te veluti negantem traduceret.

Excipe tamen nisi habitus oris, oculorum, vultus, totius hominis indicaret, te alia de causa tacere.

XXIV. 5. Si princeps generali lege iubeat, ut fideles se prodant, gestato signo vel sistendo se vel aliter, non tenentur; cum nemo teneatur verum dicere, nisi specialiter rogatus. Excipe, nisi eae sint circumstantiae, ut hoc ipso, quod se non prodant, videantur fidem negasse, ut v. gr. si quidam antea noti essent et tunc ex hoc putarentur defecisse. Sanch. n. 19. Bec. Reg. Fill. n. 88. etc.

52. * Lugo l. c. n. 43. ait non negare fidem eum, qui non comparet ad eam confitendam, quando publico edicto vel aliter citantur vel iubentur comparere omnes christiani vel catholici ad suam fidem profitendam; quia illa occultatio non est negatio fidei, sed mera negatio confessionis fidei: cum autem praeceptum confitendi fidem non negativum sit, sed affirmativum, non obligat pro semper, sed cum silentium cedit in contemptum Dei vel damnum spirituale proximi. Heic vero solum haberes non delatum honorem Deo: « verum non semper quis sub peccato tenetur captare occasiones, quibus divina gloria augeri potest ».

Addit idem « nec etiam iubente tyranno, ut omnes christiani se prodant, esse obligationem se prodendi, docent Auctores, qui addunt non debere cum gravi periculo uti veste aut signo a Principe instituto, ut eo christiani ab aliis dignoscantur. Ita Suarez, Coninck, Sanchez et alii.

Nam silentium vel omissio illius vestis aut signi non est tunc negatio fidei, sed mera omissio manifestationis, quam non potest mihi praecipere tyrannus... Neque aliunde etiam obligat virtus fidei ad fidem confitendam et eo signo manifestandam; quia interrogatio illa generalis non tam est interrogatio, quam praeceptum, ut christiani positive se prodant, ut cognoscantur et puniantur: quo casu fides non obligat, ut quis se prodat; esset enim in detrimentum fidei, si quilibet tyrannus obligare posset fideles ut se proderent et ita omnes extingueret » n. 96. *

XXV. 6. Cum non rogaris de fide, non solum licet, sed saepe melius est ad Dei honorem et utilitatem proximi tegere fidem, quam fateri: ut si latens inter haereticos plus boni facis vel si ex confessione plus mali sequeretur, v. gr. turbatio, neces, exacerbatio Tyranni, periculum defectionis, si torquereris. Unde temerarium plerumque est offerre se ultro. S. Thom. Sanch. Laym. c. 11. n. 2.

53. Attende duplicem causam, cur prohiberi potest proditio sui, scil. proprium periculum et aliorum damnum.

XXVI. 7. Redimere pecunia, ne de tua fide fiat inquisitio, licitum est et saepe magna virtus discretionis est vitam ad Dei gloriam servare ac fidem tegere modis licitis.

54. Attende discrimen a causa libellaticorum. Nam non ut non inquirerentur, sed ut apparerent rei idololatriae, hoc faciebant.

XXVII. 8. Talis modus non est uti vestibus, aut signis infidelium, quae alium usum non haberent, quam quod essent signa professiva falsae religionis seu cultus, uti essent vestes, quarum usus est in sacrificiis item incensio thuris aut genuflexio coram idolo item sumptio coenae haereticae etc. Sanch. l. 2. c. 4. Fill. l. c. n. 78. seqq. etc. comm.

55. Videretur distinguendum inter acta, quae sunt exercitium falsi cultus, ut thurificatio idoli et alia, quae mere referuntur ad significationem status personae. Prima illa erunt semper illicita: alia, ubi deest scandalum, non item. Aberit autem scandalum, si persona ignoretur et sic habitus v. gr. non erit signum defectionis. Ubi enim te nemo novit, perinde erit si appareas cum *veste turcica* (de quo in res. seq.) aut cum veste sacerdotali turcica; nam ut non scandalizantur scientes exsistere mahumedanum, ita nec scientes adesse sacerdotem mahumedanum.

XXVIII. 9. Licitus autem modus est, quando subest causa (ut v. gr. ad evitandum grave periculum, ad obtinendam victoriam, eludendos hostes) uti vestibus et signis infidelium, quae aliquem alium usum habent, quam profitendae religionis, quales sunt vestes talis nationis (non religionis) quibus uterentur, etsi converterentur, ut sunt vestes et signa nationis Turcicae. Quod verum est, etsi sint vestes ipsorum religiosorum, dummodo non habeant peculiare signum profitendi erroris, sed sint tantum indicium nitidioris cultus, ut saga Praedicantium in Germania vel eminentioris vitae inter suos, ut togae Bonziorum in Iaponia. Item dicendum est de signis, quibus Iudaei utuntur, v. gr. flavo annulo in pallio, Francofurti etc.; quia haec sunt signa mere politica et distinctiva unius generis

hominum ab alio et non proprie professiva fidei. Quae sententia probabilis est. Vid. Sanchez, 2. *Mor.* c. 4. Bec. 2. 2. c. 9. q. 5. d. 6. Laym. lib. 2. t. 1. cap. 11. Con. contra Caiet. Nav. Tol.

56. * Cf. de hac re Lugo disp. cit. sect. 5. nn. 70-97. disserentem, ubi et acute discrimen ostendit, quod, quoad vim significandi et usum significationis, intercedit inter huiusmodi signa atque voces. Et in quaestione, an liceat christianis usus earum vestium, quae usurpantur ad discernendos infideles, formaliter ut infideles sunt, a fidelibus, quemadmodum Romae, eius aetate, Iudaei iubebantur gestare galerum flavi coloris, ipse censet ex gravi causa licitum esse uti talibus vestibus; quia id reapse possumus facere absque fidei negatione, eo quod possumus uti vestibus his, non ut signis, sed ut vestibus, ad finem tegendi corpus, ad quem finem potissimum vestes sunt introductae.

Si vero agatur de vestibus, quibus utuntur infideles, non solum ut dignoscantur, sed etiam ad profitendam suam falsam religionem, cuiusmodi essent apud infideles vestes, quae responderent vestibus communibus nostrorum clericorum, monachorum, Episcoporum; quia non repugnat vel ex imperio Principis vel propter receptam consuetudinem circumstantias esse tales, ut vestis quaedam habeat, aeque ac voces, significationem determinatam professionis verae vel falsae religionis, ad diiudicandum an aliquando liceat vestibus supradictis uti, quandoquidem totum iudicium de hoc peccato reducendum est ad determinationem significationis, quae optime colligitur a posteriori; ipse statuit hanc regulam generalem. « Quoties usus vestium talis fuerit, ut qui personam antea noverant, eum propter eas omnino iudicent fidem negare et falsam religionem amplecti, usus ille nullo casu licitus erit: quando vero qui personam norunt, poterunt dubitare an ob alium finem diversum vestis usurpetur, poterit aliquando usus licitus esse ex gravi causa, quae eo gravior esse debet, quo ex circumstantiis vestis illa magis accedat ad significandam negationem verae fidei, quamvis non omnino determinate eam significet ».

Loquitur Lugo de persona nota iis, inter quos vestes tales gerit: si autem sit ignota, idem dicendum ac in resol. praeced. 8. *

XXIX. 10. Licitus item modus est, cum Catholicus transit per loca haeretica et periculum grave ei imminet vitae v. gr. vel honorum (non tamen, si derisio tantum vel vexatio ut habet Bec. c. 9.) ad dissimulandam fidem, vesci carnibus die prohibito; quia praeceptum Ecclesiae non obligat sub tali periculo. Nec hoc est fidem negare, cum esus carnium non sit institutus ad professionem religionis et Catholici etiam mali et gulosi id faciant. Si tamen ex circumstantiis fieret signum professivum, ut si v. gr. in odium fidei convivae statuerent, ut qui est hostis fidei Pontificiae, comedat carnes, peccaret contra fidem, qui ederet sine protestatione: secus, si protestaretur. Sanch. Azor, Bec. etc. comm. l. c.

Clara res est.

XXX. 11. In Germania audire conciones haereticorum, deducere funus, assistere Baptismo pro patrino, non habentur signa professiva fidei vel communionis cum haereticorum sacris. Fill. Azor, Sanch. ll. cc. Unde, seclusis aliis v. gr. scandalo, periculo, prohibitione et si ex iusta causa fiant, licent. Imo patrinum fieri talis infantis, videtur potius optandum, seclusis aliis; quia non est aliud, quam obligare se ad eum olim erudiendum in Fide Catholica.

XXXI. 12. Infidelium et haereticorum sacris non licet ita interesse, ut eis communicare censearis; alioquin licet, v. gr. ut quis spectet tanquam comoediam aut famulatum praestet politicum domino suo, exemplo Naaman Syri: de quo vide Bec. Fill. Sanch. l. c. Laym. l. 2. t. 1. c. 11.

XXXII. 13. Si Princeps haereticus mandet sub gravissima poena omnibus subditis, adire conciones haereticorum, etiamsi verbis dicat, se hac re aliud nihil exigere, quam obedientiam civilem nec velle cogere, ut a fide discedant, cum tamen reipsa contrarium velle videatur (nam obedientiam suorum aliter exercere potest et haec res ex se apta est Catholicos paulatim pervertere et insuper conciliare auctoritatem haeresi ac vilipensionem verae fidei) non licet obedire. Atque ita bis rescripsit Anglis Pius V. apud Sanch. l. 2. c. 4. n. 27. Fill. et Azor, ll. cc.

XXXIII. 14. Catholici viventes inter haereticos, si ex praecepto Magistratus contrahant matrimonium coram ministro haeretico, peccant contra fidem; etiamsi contraxerint ante vel contracturi sint postea coram Sacerdote Catholico. Con. d. 15. a. 3.; Pal. t. 4. d. 1. p. 12. q. 12. 13. 14. testaturque contrahens ceremonia illa se illum agnoscere verae fidei Ministrum, quae sunt intrinsece mala, Mald. 2. 2. qu. 2. a. 3.; quia auctoritas Ministri et consequenter doctrina eius augetur concurriturque ad ritus haereticos, quos Minister isto actu exercet. Licite tamen contrahunt coram Magistrato civili vel potius testantur se contraxisse, modo prius vel posterius ritu Catholico contrahant; quia haec actio est instituta ad finem politicum, ut coniuges habeantur et proles non censeantur illegitimae.

57. * Nonnulla ex his, quae habet A., iuxta ea, quae asseremus, emendanda erunt. Communio cum haereticis potest aliunde esse illicita vel propter scandalum vel ob periculum perversionis: quaestio vero fit nunc, ut cum Lugo loquamur *de Fide* d. 22. n. 1., an ex hoc praecise capite, quod haeretici omnes excommunicati sunt, reddatur illicita communicatio cum illis. Est autem duplex effectus excommunicationis; tollit enim ius communionis tum in rebus sacris tum in profanis et civilibus. Communis sententia, ait Lugo ibid. n. 2., negat prohibitam esse communicationem cum haeretico, quandiu haereticus non est iuridice declaratus et denuntiatus. Sententia omnino vera est et practice certa, ait Suarez *de Fide* d. 21. sect. 3. n. 4., quantumcumque haereticus sit notorius et publicus, non teneri fideles ad vitandum illum ex vi censurae huius (excommunicationis), donec sit per sententiam nominatim declaratus ac denunciatus. Ratio est, ait Lugo, quia Concilium Constantiense seu Martinus V. indulsit generaliter omnibus fidelibus, ut possent licite communicare cum omnibus excommunicatis, exceptis nominatim denunciatis et exceptis notoriis clericorum percussoribus, ubi nulla prorsus fit exceptio de haereticis. Non est ergo cur indultum

illud non extendatur quoque ad communicationem cum illis. *Nemo deinceps* (verba sunt Constitutionis: *Ad Evitandam*) *praetextu cuiuscumque sententiae aut censurae ecclesiasticae seu suspensionis aut prohibitionis ab homine aut a iure generaliter promulgatae, teneatur abstinere vel aliquem vitare... nisi sententia, prohibitio, suspensio vel censura huiusmodi fuerit in vel contra personam... a iudice publicata vel denunciata specialiter et expresse. Salvo si quem pro sacrilega manum iniectione in clericum, in sententiam latam a canone adeo notorie constiterit incidisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari neque alio suffragio excusari.* Ultima verba (salvo etc.) referuntur ab Antonino 3. p. lib. 25. c. 3.: at constitutio ipsa, prout inserta est actis concilii Basileensis et Bullae Leonis X. in concilio lateranensi et prouti etiam eam legebat Navarrus *Man.* c. 27. n. 35., in postrema parte non notorios clericorum percussores, sed prorsus omnes notorie excommunicatos, licet non denunciatos nominatim, vitandos praecipit. Unde Fagnanus *in c. Quod a praedecessore, de Schismaticis,* contendit evitandos esse quoscumque, qui facti notorietate certo dignoscuntur in excommunicationem incidisse. At id consuetudine receptum solum quoad notorios clericorum percussores (prouti constitutio edita videtur in Constantiensi Synodo) ipse quoque Navarrus l. c. testatur. Fagnani vero opinio communiter reiecta est, ut ait Benedictus XIV. *de Synod.* lib. 12. cap. 5. n. 4., qui deinde plurium doctorum suffragio id confirmat.

Addit ibid. Benedictus XIV. mirum esse quod Acta Concilii Constantiensis in nulla prorsus conciliorum collectione vel minimam mentionem iniiciant huius constitutionis: cuius proinde tota auctoritas desumatur ex testificatione s. Antonini. Verum quod ipse neque apud Labbe neque apud von der Hart, neque in Supplementis Mansi reperit, id reipsa exstabat penes Harduinum Conc. tom. 8. col. 892. E quo etiam in amplissimam novam Conciliorum collectionem tom. 27. col. 1189. deinde receptum est.

Quocirca in re profana et civili licet certe christianis communicare cum haeretico quolibet, qui non sit per sententiam iudicis nominatim denunciatus.

An satis sit quod tanquam haereticus denuntietur, an requiratur insuper quod censura ipsa excommunicationis promulgetur a iudice, ut ille vitandus sit, disputant theologi: affirmat primum Suarez *de Censuris* disputatione 11. sect. 2. n. 10. et disp. 21. sect. 3. n. 8.: quamvis hoc altero in loco probabilem concedat alteram sententiam. Ratio est, quia cum in aliquem fertur sententia declaratoria criminis, cui iure ipso eoque certo et indubitato annexa est excommunicatio, tunc id perinde est ac declarare illum et commisisse tale crimen et declarare

incurrisse censuras illi crimini annexas. At Lugo *De Fide* l. c. n. 8. cum Sanchez *Decal.* lib. 2. c. 9. exigit alterum; quia in citata constitutione, ad obligationem vitandi excommunicatum, requiri videtur quod censura ipsa fuerit a iudice promulgata. Concedit tamen, quod, si iudex declaret hominem esse haereticum et incurrisse censuras latas contra haereticos, id satis sit ut is censeatur vitandus, etsi excommunicatio non nominetur.

58. Itaque communicatio in re profana et civili cum haeretico non nominatim denunciato licita est. In re vero sacra distinguendum est. Nam, ut ait Lugo ibid. n. 10., certum est non posse nos cum haereticis communicare in ritibus propriis sectae haereticae; quia hoc esset contra praeceptum confessionis fidei et contineret implicitam professionem erroris. Sed si agatur de communione in nostris sacris nullam erroris continente professionem v. g. cum haeretico missam audire vel eo praesente celebrare vel ipsi ritu catholico celebranti adesse etc., auctoritas omnium doctorum affirmat id licere et constat ex citata constitutione, quae, nulla facta distinctione, permittit cum excommunicatis non denunciatis omnem communionem, quae olim prohibita erat sive ob censuram sive ob quodlibet aliud Ecclesiae praeceptum.

Itaque distinguantur duo, 1° Communicatio cum haereticis aut schismaticis in sacris seu divinis, sed nostris, h. e. in cultu catholico: 2° communicatio cum iisdem in culto eorum, in sacris scilicet quae ab ipsis ut talibus peraguntur. Hoc alterum iure divino est vetitum, illud iure ecclesiastico, ut identidem ex gravi causa permittatur. Quod iure divino ac naturali prohibetur, illud est quod continet admissionem seu protestationem falsi cultus, quod scandalum gignit vel periculum proximum perversionis. Cf. Bened. XIV. *De Syn.* VI. 5. 2.

Quapropter si quaestio fiat, an ab haeretico non denunciato liceat catholicis sacramenta (catholico utique ritu administrata) suscipere, respondet idem Lugo ib. n. 11., communem esse et veram sententiam, licere, nisi id aliunde illicitum evadat vel causa scandali vel ob implicitam forte negationem fidei vel quia caritas obligat, ut impedias peccatum ministri indigne ministrantis, si necessitas non urgeat.

59. Quaestio est specialis quoad matrimonium cum haereticis ob peculiarem difficultatem; eo quod nempe catholicus conferat scienter sacramenta indigno, quod iure divino non licet: ut idcirco nec Pontifex id concedere posse videatur.

Nihilominus nulla per se est difficultas quoad admissionem haeretici ad communionem in sacris; nam haec permissa est cum toleratis. Neque obstat quod concilium sua illa concessione nihil voluerit concedere excommunicatis; nam aequum est existimare, quod concesso

aliis communicare cum excommunicatis, simul et his concessum sit, cum inducuntur ab illis, non quidem in favorem excommunicatorum, sed aliorum.

Quocirca sola difficultas ea est, quae allata fuit ex administratione sacramenti indigno. Qua in re advertere primum licet, quod ex eo quod quis ad sectam haereticam, in qua natus est, pertinet, nequit cum certitudine concludi quod is sit indignus; nam potest esse in bona fide et cum baptizatus sit, in statu gratiae esse et reapse ad veram Ecclesiam coram Deo pertinere. Deinde advertendum, quod etsi haeresis sit in eo voluntaria, haec difficultas quoad administrationem sacramenti eidem indigno, postquam permissa est communicatio cum haeretico tolerato, non alia est ab ea, quae occurrit quando matrimonium initur inter Catholicos cum persona, quam alter scit esse in statu peccati, ut recte monet Lugo ibidem n. 226. Iam vero nullus theologus propterea scrupulum iniecit personis catholicis, ne possent licite contrahere matrimonium cum peccatoribus, nec obligavit ut quis alterum repellat, donec is est in statu peccati.

Et sane discrimen est inter ministrum sacramenti matrimonii et ministrum aliorum sacramentorum; nam in aliis sacramentis minister est pastor (ita Lugo ibid. n. 230.) et cui ex munere proprio competit distributio sacramentorum quasi personae publicae et attendenti ad bonum publicum. Atque ideo ad eum ex munere pertinet cognoscere merita vel demerita eorum, quibus bona communia distribuit, ut satisfaciat debito fidelis dispensatoris... At in sacramento matrimonii minister non est pastor, non homo publicus aut distributor bonorum communium... sed est persona privata celebrans contractum atque adeo ex munere suo solum attendit ad utilitatem et commodum proprium. Quapropter ea lex, quod Sancta Sanctis danda sunt, non ad eum vere spectat, ut possit idcirco ei in culpam imputari, si indignus quis ab eo suscipit sacramentum.

Id profecto supponit tanquam certum Romana Sedes, cum facultatem facit personae Catholicae contrahendi cum haeretica: quam quidem concessionem non paucis conditionibus munit, sed nunquam postulavit, ut inquireretur an persona haeretica sit necne coram Deo digna sacramento et si indigna, ut reiiciatur. Id nempe privatae conscientiae cuiuslibet relinquitur iudicandum. Ideo ipse Parochus, qui non minister sacramenti, sed testis qualificatus est, inquirere quidem debet circa impedimenta contractus, at non habet ius, cum eius ministerium postulatur, aliquem repellendi a contrahendo matrimonio, eo quod privatim sciat eum esse coram Deo in statu peccati. Confer Lugo l. c. n. 118.

60. Dubitari solet, ait idem Lugo *de Sacr. Poenit.* d. 18. sect. 2. n. 18. an potestas absolvendi in articulo mortis omnibus sacerdotibus, nulla exceptione facta, concessa sit excommunicatis, degradatis, haereticis etc. Alii enim excipiunt excommunicatos vitandos, alii haereticos. Utrumque, si de possibili sermo est, caret omni fundamento; quia potuit Ecclesia iis omnibus pro eo articulo iurisdictionem conferre, ad quam non requiritur necessario status gratiae nec fides sed character sacerdotalis et voluntas Ecclesiae. Si vero sermo sit de facto, obstant clarissima verba Tridentini, quibus dicitur quoslibet sacerdotes posse quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis in eo necessitatis articulo absolvere. Cum ergo in peccatis et in poenitentibus illa universalitas nullam patiatur exceptionem, non est cur in confessario apponenda sit.

Certum est autem quod quis propter necessitatem vel utilitatem notabilem suam, potest petere ab alio, non quidem rem intrinsece malam, sed rem, quam alius potest licite facere, licet de facto heic et nunc non sit absque peccato facturus. Lugo *de Sacr. in gen.* d. 8. sect. 14. n. 229. Potest sane haereticus sacerdos de peccato suo conteri et sic, cum facultatem absolvendi habeat, absque peccato ministrare sacramentum petenti: sibi ergo imputet si peccat, sed moriturus iure suo utitur, permittens solum ex iusta causa peccatum alterius.

Subdemus resolutiones quorumdam casuum, qui nostra aetate practici sunt easque a Lugo potissimum petemus *de Fide* d. 14. nn. 156. seqq.

61. An Catholicis liceat adesse, honoris causa, conviviis nuptialibus haereticorum vel etiam nuptiis, quas haeretici celebrant valide quidem, sed coram ministro haeretico et haeretico ritu.

Supponimus haereticos non esse vitandos et non intercedere peculiarem rationem periculi aut scandali, propter quae res illicita evadat. Quoad primum ergo, licitum esse dicendum est; nam est communio civilis, quae permissa est cum huiusmodi excommunicatis. Quod alterum, distinguendum est inter eos, qui simpliciter adsunt et eos, qui testium munere fungentes auctoritatem conciliant contractui. Hi enim communicant cum haereticis in eorum re sacra et implicite auctoritatem illius sectae eiusque ministrorum agnoscunt, quod, ut diximus, non licet. Quoad illos vero qui simpliciter adsunt, si honoris causa id tantum faciant, cum officium civile exhibeant, id eis licere dicendum est. Cf. Scavini tom. 2. tr. 8. disp. 1. c. 4. a. 2. §. 1. q. 2.

62. Quid si iisdem in adiunctis catholicus officio fungatur Paranymphi, qui ad sollemnitatem nuptiarum adhibeatur? Respondet Lugo n. 157.: « Si ad eum solum pertineat tradere sponsam sponso vel e

contra postquam legitime coniuncti sunt, nihil apparet illicitum in eo munere; cum sit actio mere civilis. Si vero eius munus sit quasi offerre sponsos ministro, ut eos coniungat, iam videtur habere participationem in ritibus, quibus minister haereticus eos coniungit et recurrere ad ipsum tanquam ministrum Ecclesiae eiusque ministerium approbare, quod illicitum est ». Huc spectat responsum Cong. s. Officii 10. maii 1770. « Sanctissimus decrevit, catholicis *regulariter* non licere haereticorum aut schismaticorum concionibus, baptismis, matrimoniis interesse ».

63. An liceat catholico haeretici funus comitari et sepulturae interesse. Id licere dicendum est; cum sit officium mere civile. Quid vero si funus haeretico ritu celebretur? « Posse adhuc id fieri ait Lugo n. 159. actione mere civili, ad honorandum civiliter defunctum, dum haereticorum precibus catholicus non communicet, sed adsit merus spectator et scandalum non sit vel aliorum offensio et concioni, si qua futura est, se subtrahat » etc.

E contrario possuntne haeretici aut schismatici admitti ad funera catholicorum? s. Inquis. Cong. 10. maii 1753. respondit: « Quatenus schismatici comitantes funera catholicorum meram praesentiam materialem exhibeant causa honoris civilis erga defunctos, non se immiscentes precibus aut ritibus catholicis, quibus mos est funera afferre et defunctos ad sepulcrum deducere, tolerari posse: quatenus vero in illa functione proprios ritus adhibeant vel nostris se immisceant, non licere nec esse permittendum ». Idem porro et de haereticis dicendum.

64. Licet ne parentibus catholicis permittere ut filii eorum a ministro haeretico baptizentur, ne v. gr. domini vel avi haeretici, a quibus dependent, offendantur et reddantur eis infensi? Respondet Lugo n. 161. distinguens inter cooperationem et meram permissionem. Haec enim, ait, licita est, quando sine gravi incommodo nequit impediri. Quod autem spectat ad cooperationem vel explicitam vel implicitam, quatenus aliquis saltem videtur interpretative id velle, « communiter dicunt, ait idem, peccatum esse mortale petere baptismum ab haeretico extra necessitatem et aliqui addunt debere esse extremam ». Rationem huius sententiae, quam quidam addunt, quia nempe haereticus ob excommunicationem non potest licite id facere extra necessitatem, difficilem esse ait Lugo, supposita sententia satis communi, quae dicit, excommunicatis toleratis licere ministrare sacramenta, quando ab ipsis petuntur. Ceterum praeterquam quod non licet citra necessitatem petere baptismum a laico, quales communiter sunt ministri haeretici, « certe contingere potest, ait idem (imo id ordinarium putamus), ut susceptio baptismi ab haeretico ministro censeatur communicatio cum illo in religione et secta; nam per baptismum homines Ecclesiae coo-

ptantur. Idcirco etiam in necessitate conandum esset potius per contritionem (aut caritatem) iustificari quam eum actum communicationis cum haereticis exercere, nisi praemissa protestatione non communicandi in ritu et secta sed solum utendi iure suo ob necessitatem ». Id eruitur quoque, ait Gury *Casus Consc.* tom. 2. n. 203., ex epistola encyclica Pii VI. *Laudabilem* ad omnes Episcopos Galliarum 20. septembris 1791. in qua Pontifex prohibet, ne fideles filios suos baptizandos sacerdotibus instrusis offerant, *quamvis, ob legitimae probationis defectum, suorum natalium iure carere aut gravius quodlibet malum pati cogerentur.*

65. Quid dicendum de catholicis, qui adhibeantur patrini, quando filii haereticorum baptizantur a ministro haeretico? Sententiam affirmantem id licere veram censet Laymann, saltem in sua Germania *de Bapt.* c. 9. n. 6., ubi communicatio et pax inter catholicos et luteranos viget. Ratio est; quia officium patrini est, ut is externa susceptione profiteatur se hominem modo spiritualiter genitum in curam suam suscepturum, tanquam suum spiritualem nutritium. Atqui nihil impedit id profiteri catholicum pro baptizato in nomine ss. Trinitatis, etsi ab haeretico; nam reapse baptizatus fit membrum verae Ecclesiae, in cuius fide est instruendus; ut idcirco utilius sit baptizato patrinum habere catholicum, quam haereticum. Deinde post constitutionem Concilii Constantien., communicatio cum haereticis aliisque excommunicatis, non denuntiatis nominatim, nec in sacris nec in civilibus rebus est fidelibus interdicta, dummodo communicatio non sit in exercitio haeretico, ut communicans censeatur facere contra externam ortodoxae fidei professionem. Atqui talis non est communicatio huius patrini, quia in nulla alia re seu active seu passive, materialiter seu formaliter communicat, quam quod puerum per ministerium praedicantis haeretici filium Ecclesiae catholicae effectum, quasi nomine eius in suam curam et protectionem suscipiat: haec vero non haereticae sed catholicae religionis professio et exercitium est.

Verum hanc minorem Lugo n. 162. cum aliis non concedit, imo oppositum statuit. Nam ministri haeretici regulariter baptizant ritu haeretico, quod et Laymann supponit; porro patrinus non solum praestat quod dixit Laymann, sed offert ministro puerum baptizandum et petit ab eo baptismum: communicat ergo cum ipso in ritu eius, quod est illicitum.

Sententiam Laymann s. Alph. l. 6. n. 156. non reiicit, sed potius tanquam probatae notam adiicit. Nam ad verba Busembaum: « Catholici vero, ob rationabilem causam, infantem haeretici, baptizante praedicante, suscipere possunt saltem in Germania, Laymann », addit

s. Doctor: « et Croix consentit cum Gob. et Tamb., si per hoc nullo modo approbetur ritus haereticorum contrarius fidei ». Sane Croix lib. 6. n. 370. ita loquitur: « Navarrus, Azor, Lessius negant unquam licere; tum quia multae interrogationes dissonae a catholica fide ab ipsis exiguntur, tum etiam quia est tacita approbatio ritus ipsorum. Itaque videtur distinguendum: nam si revera haec exiguntur aut prudentum iudicio videatur approbari ritus acatholicus, patet non licere; cum haec sint intrinsece mala: si autem haec absint, ut ordinarie videntur abesse in Germania, dicendum est licere ».

Verum iam ab ipsa s. Inquisitione id vetitum tandem fuit; quia patrinus in responsis reddendis vice baptizandi, quaedam debebat respondere aut promittere, quae ab Ecclesiae catholicae norma erant aliena. Ita in decreto superius allato ex Cong. s. Offic. 10. maii 1770. subditur, Sanctissimum decrevisse « absolute autem non licere nec per se nec per alios fungi officio patrini in baptismis, qui haereticorum filiis ab haereticis ministrantur ».

Item s. C. de P. F. 8. sept. 1869. « Quoad abusum admittendi haereticos ut patrinos in sacramento baptismi, iussit in memoriam revocari omnibus Vicariis Apost. decretum ss. Conc. Trid. sess. 24. *de Reform.* ». Ita refertur in *Collectaneis... ad usum... Societatis Missionum* sub n. 269.

Et 22. sept. 1642. interrogata eadem s. C. « an haeretici levare possint ad baptismum filios fidelium et e contra? » respondet: « Alias dubium fuisse resolutum negative ». Ibid. n. 267.

66. Licet ne catholicis, quibus desunt necessaria ad prolis sustentationem, liberos suos cum dominis haereticis collocare, a quibus timeri possit eos ad haeresim pertrahendos?

« Respondeo, ait Lugo n. 166., durissimum videri, filios a parentibus in eo periculo constitui. Posset id aliquando permitti, si necessitas esset gravissima, licet non extrema et filius esset pubes et de quo probabiliter speratur perseveraturum in fide, vel si talis maneat communicatio cum parentibus, ut quasi sub eorum cura manere videatur et paternis consiliis dirigi et iuvari posse. Alioquin filium impuberem (quidni et minorem?) haereticis dare quid aliud est, quam agnum lupis committere vel filios ad Turcas nutriendos transmittere? » Cf. dicenda tr. 6. sect. 4. sub §. 12.

67. An liceat templa haereticorum adire? Monet primo Lugo n. 171.-173. quod ingressus iste est per se et in genere loquendo aliquid indifferens et potest in multis casibus licitus esse, nempe quoties nullo modo generat scandalum aut infert damnum verae fidei nec affert periculum perversionis nec denique significat explicite vel implicite adhae-

sionem falso cultui vel approbationem eius; quod saepe, ait, contingere potest, ut si ex. gr. templum ingrediaris curiositatis causa ut eius structuram sive ornatum videas, vel ut te forte a pluvia defendas aut in locum munitum recipias, instante adversario etc. Si ergo e contrario illa superius enumerata, scandalum, periculum perversionis etc. locum habeant, res illicita est.

Monet secundo quod in iis locis, in quibus libertas conscientiae viget et catholici cum haereticis promiscue versantur, solent aliquando catholici haereticorum conciones audire, ut eos confutent. Quod quidem cum aliis ipse permittit doctis viris et ob gravem causam. Sane qui hoc pacto interest concioni haereticae, adest mere curiositatis causa, ut nempe noscat quid haeretici doceant. Regulariter tamen id non licere habes ex decreto C. s. O. superius n. 97. recitato.

Porro eadem congregatio s. Officii 14. ian. 1818. ad dubium: « an liceat catholicis adire templa haereticorum » respondit: *licere, si adeant mere curiositatis causa, absque ulla communicatione in sacris.* Quibus verbis significavit se loqui de ingressu in templum cum sacra peraguntur. Quapropter si catholicus adsit cum haeretici ritus suos peragunt, is debet prorsus materialiter adesse absque ullo reverentiae signo et plane omnino se habere ac si spectaret aliquam comoediam.

Tertio docet Lugo, licitum esse catholicis ingressum in templa haereticorum etiam cum ritus suos haeretici celebrant, quando constat fieri ad reddendum solum debitum civile alicui personae, quam comitantur, ut faciunt famuli vel famulae comitantes dominos aut dominas suas, quas alibi honoris et obsequii causa comitari solent: sicut et milites vel satellites regii possunt regi haeretico templum suum intranti assistere, quod colligitur ex exemplo Naaman.

68. Accipe alia decreta. « An catholici Missionarii ac Presbyteri a schismaticis rogati, in horum ecclesiis praedicare possint? Resp. Vel invitantur ad effectum, ut ibi praedicetur veritas catholica indefinite et etiam contra errores eorundem schismaticorum, et tunc affirmative: vel tantum, ut sermo fiat de virtutibus et vitiis, quae communiter tam a catholicis quam a schismaticis amplecti aut vitari debent, et negative ». S. C. de P. F. 1624.

Item eadem s. C. 13. Aug. 1627. « mandavit scribi Archiep. Sardiensi, ut provideret, ne in ecclesia s. Ioannis de Cartola dioecesis Cattamensis catholici cum graecis schismaticis divina celebrent: nam quamvis altaribus diversis utantur, tamen propter ecclesiae identitatem est communicare cum schismaticis in divinis ». Haec non est lex universalis; sane Ierosolymis in templo s. Sepulcri aliud servatur. Confer et similem permissionem factam missionariis in Abyssinia 12. Apr. 1704. apud Zitelli *App. Iur. eccl.*, pag. 495

Rursus. « An liceat catholicis latinis concedere vel permittere, ut in eorum ecclesiis Missam celebrent presbyteri graeci ritus schismatici et haeretici? Resp. Negative; maxime cum Patriarchae Constantinop. commemorationem faciant et festum celebrent infamis Palamae. Id enim perinde est, ac consentire eorum haereticis ritibus et communicare cum eis in eorum sacris schismatico et haeretico furfure pollutis aut saltem occasionem praebere catholicis ad latinas intervenientibus ecclesias communicandi cum haereticis in divinis aut ad minus scandalum concipiendi ». S. O. C. 10. Maii 1753.

S. O. C. 31. Dec. 1600. vetuit ne fideles intersint circumcisionibus iudaeorum.

Ceterum praeter haec omnia tenenda est ob oculos generalis regula tradita missionariis a S. C. P. F. (apud Bucceroni *Enchiridion morale* p. 15.) anno 1719. nempe: « quod communicatio in divinis cum haereticis et schismaticis, ut illicita *regulariter* habenda est in praxi vel *ob periculum perversionis in fide catholica,* vel *ob periculum participationis in ritu haeretico et schismatico*, vel denique *ob periculum et occasionem scandali* ».

69. Quid vero si rex haereticus, in favorem haeresis, iubeat subditos catholicos adire templa haereticorum, interesse eorum sacris, conciones eorum audire? An ad effugiendas gravissimas poenas id licet? Quaestionem solvit Paulus V. duplici Brevi datis anno 1606. et sequenti ad Anglos, quae referuntur a Suarez in Opere *Defensio fidei* in prooemio lib. 6., negans id licere. Cuius rei rationem bene reddit Lugo n. 176., eo quod in iis adiunctis, cum propter obedientiam praestandam regi id praecipienti templum ingrederis haereticum, concionem audis etc., implicite adhaeres falso cultui eumque probas.

Nam cum nulla alia causa civilis est (ut supponitur), propter quam ingrediaris templum, audias concionem, nisi metus poenarum, tunc exerces eam actionem, ut observes legem et sic effugias poenam et hanc tuam observationem legis actu ipso significas. Vis ergo eam actionem, quam praecipit lex: atqui ea est actio non mere civilis, sed religiosa, includens protestationem falsi cultus. Nam lex quaelibet, cum aliquid praecipit, intendit aliquem actum virtutis praecipere; heic vero nullus est alius actus virtutis intentus, quam religionis, falsae quidem ex errore vel malitia, actus nempe in honorem cultus haeretici. Cum ergo vis observare legem, vis ponere eum actum religiosum et sic saltem implicite vis obsequium praestare falso cultui. Nec satis est quod alio fine ad obediendum movearis; nam non solum finis, propter quem aliquid volumus, sed et id, quod volumus, debet esse bonum aut saltem indifferens: heic vero est aliquid malum.

Idem dicendum si esus carnium lege Ecclesiae vetitarum tibi sano imponatur, ita ut moriendum tibi sit, nisi obedias aut morem geras, Lugo l. c. n. 111. Secus carnes vetitas edere potes et in locis haereticorum propter necessitatem ab intrinseco, si alii cibi tibi desunt aut nocent, qua in hypothesi, si notum sit te esse catholicum et damnum non spernendum times, potes omittere protestationem cur id facias; quia et ceteri idem divinare possunt. Quid vero si tibi aegroto tyrannus praecipiat edere carnes in signum infidelitatis? Praemissa protestatione, te id facere ob infirmitatem, utrumque obtines, servas scilicet vitam et Ecclesiam non contemnis. Cum ergo tenearis vitam, quandiu potes servare, videris debere, praemissa protestatione, carnes edere. Lugo l. c. n. 100. 101.

70. S. Inq. C. interrogata, an liceat catholicis haereticorum templa aedificare, respondit: « Non esse inquietandos, dummodo non adsit scandalum nec fiat in contemptum religionis... Tenentur autem ab opere abstinere, 1° ubi huiusmodi opus communiter habeatur *pro signo protestativo* falsae religionis: 2° vel aliquid in ipso contineatur, quod per se, directe ac unice exprimat reprobationem catholici cultus et approbationem damnati cultus haereticorum: 3° aut constet, artifices catholicos ad opus adigi vel vocari ab haereticis in contemptum catholicae religionis. Ceterum quamvis extra hos casus relinquendi sunt in bona fide; semper tamen monendi sunt, ne haereticorum cultui cooperari intendant ». 14. Ian. 1818.

Item s. Poenit. anno 1822. ad quaesitum, « an catholicis liceat pecuniam contribuere pro aedificando templo haeretico », respondit: « Affirmative, sed tantum ad se suaque templa ob incommoda illa ac scandalosa cum Protestantibus simultaneitate liberandum ».

71. Licet ne disputare cum infidelibus? Distinguunt Theologi cum Caietano in 2. 2. q. 10. a. 7. disputationem *materialem* et *formalem*: ea suscipitur tantum exercitii causa, ad acuendum ingenium in re, quae ab utroque disputatore certo tenetur, haec initur ad investigandam vel ad manifestandam veritatem. Utraque rursus potest esse vel *privata*, remotis arbitris aut familiari colloquio inter paucos, vel *publica*; quandonam vero talis sit, ex ipso communi conceptu *publicitatis* iudicandum erit: certe si in loco publico fiat, si ita ut quilibet interesse possit, aut si saltem certa classis hominum, puta doctorum, admittatur, unde ad ceteros iudicium de re dimanet, si intercedente publica auctoritate fiat ad componendas dissensiones civium, publica erit disputatio censenda.

Iam vero disputatio ad investigandam veritatem, quae proinde a dubio circa fidem procederet, nequit esse permissa fideli; » si enim

disputet, tanquam de fide dubitans et veritatem fidei pro certo non supponens, sed argumentis experiri intendens, procul dubio peccat tanquam dubius in fide et infidelis » ait s. Thomas 2. 2. q. 10. a. 7. At disputatio instituta ad manifestandam et persuadendam veritatem fidei est per se actus honestus et licitus, dummodo debitae circumstantiae non desint. Nam et Stephanus cum pluribus Iudaismi asseclis disputabat Act. VI. 9. 10. Paulus quoque cum Hellenistis Act. IX. 29. atque Iudaeis ibid. 24. Item, auctore eodem Apostolo ad Tit. I. 9. Episcopus amplecti debet fidelem sermonem, *ut potens sit exhortari in doctrina sana et eos, qui contradicunt, arguere*, quod ultimum absque disputatione vix fieri potest. Et Petrus 1. epist. III. 15. vult fideles paratos esse ad satisfactionem πρὸς ἀπολογίαν *omni poscenti* eos *rationem de ea, quae in ipsis est, spe:* defensio autem, quae fit apud eos, qui rationem rei exposcunt, iam est disputatio quaedam.

Et sane vindicatio et persuasio publica veritatis, confutatis adversariis et errore profligato, est actus honestissimus sive ex obiecto sive ex fine. Sed quasdam adesse oportet circumstantias. Quaedam ipso naturae iure exiguntur. Debet scilicet fidelis disputator esse *firmus in fide*, ne periculo se obiiciat naufragium in fide faciendi et *doctus*, sufficienter saltem, habita ratione adversariorum et auditorum. Tum necesse est ut *fructus* ex disputatione *merito speretur* saltem *apud auditores*, ut idcirco disputatio redundare possit in honorem Religionis et veritatis. Secus enim actio saltem erit inutilis, sed etiam frequenter periculosa: cf. s. Thom. l. c. Suarez *de Fide* disp. 20. sect. 1. Lugo *de Fide* disp. 22. sect. 5.

Iure autem positivo conditio postulatur, ne disputator sit laicus: sic §. 1. c. 2. *de Haereticis* in 6. « Inhibemus quoque ne cuiquam laicae personae liceat publice vel privatim de fide catholica disputare. Qui vero contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur ».

Itaque clericis, cum debitae circumstantiae non desunt, utraque disputatio, tum publica, tum privata, permissa est iure naturae et Ecclesiastico; utraque, sub poena excommunicationis ferendae sententiae, vetita est laicis iure Ecclesiastico, ob plurima incommoda, quae facile orirentur. Neque adversatur haec lex verbis Petri sup. cit. nam 1° reddere per se Christianus potest rationem suae spei et fidei, quin reapse disputet: 2° ea praeparatio animi non excludit debitam subordinationem legitimae auctoritati, ut absque eius consensu ad actum non veniat. Quae tamen lex obligare desinit, monente Suarez l. c. a. 11. « si necessitas urgeat: imo, pergit ipse, hoc multi extendunt ad casum magnae utilitatis; quia haec est quaedam moralis necessitas et benigna legis interpretatio favet, quae fundari potest in principio, *quod*

cessante fine legis contrarie etiam in particulari, cesset tunc obligatio legis: in illo autem casu eam iudicandum est contrarie cessare (cf. *de Legibus*, n. 373.): quia tunc observare legem esset contra bonum fidei et salutem proximorum... Idemque erit ubi communi consuetudine contrarium introductum sit, ut de terris haereticorum Valentia testatur; nam consuetudo potest ius humanum abrogare ».

Nihilominus Sacrae Congregationes praescripserunt non semel: « publicas disputationes non fieri cum haereticis; quia plerumque vel ob loquacitatem vel audaciam aut circumstantias populi acclamantis, veritas falsitate praevalente opprimitur. Et si aliquando huiusmodi disputationes recusari non possent, primum de illis certior fiat S. C., quae, iusta temporis et personarum qualitatem, quid agendum sit praescribet ». S. C. de P. F. 8. Mart. 1625. 27. Maii 1644. 18. Decemb. 1662. S. Inq. C. 19. Ian. 1644. S. C. C. 6. Mart. 1625. *

72. Iis, quae hactenus diximus iuvat haec addere. Exstat Instructio Cardinalis Vicarii italico sermone data Parochis Urbis, auctoritate R. P. Leonis XIII. 12. Iul. 1878., ad avertenda et praecavenda damna fidei quae tot nefariae haereticorum sectae, Romam ingressae ibique plenam diabolo serviendi libertatem, adeptae, romano populo minabantur. Ex ea Instructione profecto quid in similibus eventibus agere oporteat colligere licet.

Ibidem ergo n. 4. edicitur, « vehementer vetitum esse, ne quis ex mera curiositate prudens ingrediatur aulas et templa Protestantium tum cum conciones habentur atque peccare etiam graviter eos omnes, qui ex mera curiositate audiunt conciones Protestantium et assistunt vel materialiter ceremoniis acatholicis eosque pariter omnes artis musicae cultores, qui vel sola lucri causa in templis Protestantium eandem exercent seu voce seu instrumentis. Pariter graviter peccant typographi, etiam secundarii ministri, qui, ne a superioribus eiiciantur, litteras colligunt ad excudendos haereticorum libros: quinimo, si de haereticorum libris agatur, quibus haeresis edocetur atque sustinetur, *etiam ministri* typographi secundarii maiorem incurrunt excommunicationem speciali modo Pontifici reservatam (cf. heic *de Caritate* n. 275.). Neque a peccato mortali eximuntur architecti, conductores, fabrorum magistri, qui propriam conferunt operam atque laborant ad extruendum aliquod Protestantium templum. Quoad structores aliosque operarios inferiores, a peccato eximi poterunt, dummodo in eorum facto absit scandalum neque opus fiat in Religionis catholicae contemptum ». Tum casus sequuntur, quibus id non licet eademque repetitur doctrina, quae exstat in Responso 1. S. C. 14. Ian. 1818. paulo ante citato.

Cf. dicenda in seqq. *de Cooperatione*, sect. 3. *de Caritate.*

CAPUT IV.

DE INFIDELITATE ET VITIIS FIDEI OPPOSITIS.

XXXIV. Respond. 1. Infidelitas generatim est triplex. *Prima* dicitur Negativa, eorum scilicet, qui nihil unquam de fide audiverunt. Quae non tam est peccatum, quam poena peccati; quia, si fecissent, quod in ipsis erat, Deus fidem eis non abscondisset. *Secunda* dicitur Contraria, eorum scilicet, qui fidem sibi sufficienter propositam vel contemnunt vel ei contradicunt pertinaciter, ut haeretici. *Tertia* dicitur Privativa, quod privative opponatur fidei et est culpabilis ignorantia vel error circa res fidei. Thom. Sanch. Vasq. Laym. c. 10.

73. Laymann lib. 2. tract. 1. cap. 12. n. 3.: « Inter infidelitatem *mere negativam* ac prorsus inculpatam atque *infidelitatem formalem* ac proprie dictam, statuenda est media infidelitas, quam dicere possumus fidei *privative oppositam.* Eaque aliud non est, quam ignorantia vel error in rebus fidei, culpabilis quidem, *sed sine pertinacia.* Puta si catholicus aliquis sive romanam et orthodoxam fidem professus, ex vincibili ignorantia opinionem aliquam verae fidei contrariam teneat paratus tamen eam mutare, si contra Ecclesiae sensum ac definitionem esse sciret ».

Aliter Voit tom. 1. n. 367.: « Alia est *formalis* eaque vel *privativa*, quae est culpabilis carentia fidei in eo, qui vel non vult audire fidem vel ei *sufficienter propositae non assentiri* vel non inquirere, quando tenetur: vel positiva aut *contraria*, quae est carentia fidei in eo, qui sufficienter propositae dissentit, negando veritatem fidei *vel contrarium errorem asserendo* ».

Struggl tract. 4. q. 2. n. 1. distinguit pariter *negativam, privativam et contrariam,* ac privativam definit: « Est carentia fidei subiecto capaci seu omissio *voluntaria assensus fidei in eo*, cui fides vel aliqui eius articuli sunt sufficienter propositi absque assensu tamen contrario aut contradictorio. Licet igitur talis infidelitas privativa sit peccaminosa, tamen non excludit habitum fidei prius infusum (sed quomodo non excluditur habitus fidei, cum non vis assentiri post sufficientem propositionem? imo quomodo *nolle* in eam assentiri non est actus contrarius fidei?) cum non sit peccatum commissionis, sed pure omissionis contra praeceptum fidei. Infidelitas *positiva seu* contraria est assensus positivus contrarius vel contradictorius verae fidei... Unde haec infidelitas positiva, quando est deliberata et mortaliter peccaminosa, excludit habitum fidei; quia est peccatum commissionis contra praeceptum fidei eique contrarie opponitur ».

Salmanticenses tract. 21. cap. 3. n. 1. nullatenus distinguunt *privativam* a *contraria:* « Peccatum, quod immediate opponitur fidei, est

infidelitas, non quidem negativa, seu quae dicit hoc quod est non habere fidem, sed est infidelitas *privativa seu contraria,* qua scilicet aliquis repugnat auditui fidei vel etiam contemnit illam ».

74. Suarez disp. 16. sect. 1. n. 7.: « Supponenda est distinctio de duplici infidelitate una *privativa* et altera *contraria;* quarum prima invenitur in iis hominibus, quibus vera fides nondum est proposita. Secunda vero in illis infidelibus reperitur, qui post sufficentem propositionem fidei illi resistunt. Prius genus infidelitatis per se loquendo est peccatum omissionis, quia proxime opponitur praecepto audiendi fidem et per solam negligentiam seu voluntariam carentiam cognitionis fidei committitur. Contingit autem cum hac ignorantia coniungi errores contra veritatem fidei.... quia vero tota malitia istius actus ex voluntaria ignorantia seu carentia cognitionis provenit, ideo malitia illius peccati *formaliter in omissione* consistere videtur, quamvis materialiter sit commissio ».

De hac re superius n. 4. dixerat: « Distingui solet duplex infidelitas, una culpabilis, quae *privativa* vocari solet et alia inculpabilis, quae solet vocari *negativa...* Haec infidelitas excludit cognitionem et ideo si tanta sit carentia cognitionis, ut etiam voluntatem excludat, infidelitas continget sine peccato... Contingere autem potest, ut aliqui ignorantes totam fidem habeant aliquam notitiam professionis seu praedicationis illius et negligentes sint in quaerenda et investiganda sufficienti propositione fidei et ideo carentia est illis voluntaria et ad culpam imputatur, et haec est infidelitas proprie *privativa* ».

Peccatum autem infidelitatis duplex scil. per omissionem quae est infidelitas privativa) et commissionis (quae est contraria) sic exponit n. 6.: « Praeceptum fidei duplex est, scil. affirmativum audiendi et credendi et negativum non discedendi a fide nec credendi aliquid contrarium revelatis: infidelitas vero contrahi potest ad unum et ad aliud praeceptum: ergo potest contrahi per omissionem et per commissionem. Denique explicatur in hunc modum... Nam duobus modis potest quis resistere auditui fidei, scil. vel nolendo audire, vel nolendo audita credere et utroque modo potest contrahi infidelitas...; prior autem modus per se pertinet ad omissionem, secundus vero ad commissionem ».

75. Has distinctiones innuit Lugo disp. 18. n. 3.: « Aliqui latius nomen infidelitatis usurpantes, dividunt illam in negativam et positivam: sub negativa intelligentes carentiam fidei etiam inculpabilem; subdividunt enim negativam, in mere negativam, quae est inculpabilis et in privativam quae est culpabilis et cum debito habendi fidem ».

Ipse porro Lugo ibid. n. 5. statuit hanc definitionem infidelitatis: « Peccatum infidelitatis seu propriam iufidelitatem possumus definire per oppositionem, quam nomen ipsum infidelitatis significare videtur, cum fide et dicere illud solum proprie esse peccatum infidelitatis, quod *ex obiecto suo* ita opponitur cum fide actuali, ut *quandiu non retractatur, non possit homo habere voluntatem credendi vero et proprio actu fidei* ».

Hinc consectaria ex eodem Lugo, 1° « Quae definitio non competit in primis errori inculpabili, cum illud non sit peccatum.

2° « Nec etiam errori culpabili, provenienti ex ignorantia culpabili; cum hoc enim stare potest adhuc voluntas credendi alios articulos sufficienter propositos, quorum non sit ignorantia et ratio est, quia voluntas illa licet sit peccaminosa, non est tamen nolitio credendi contra fidem sufficienter proposita, sed solum voluntas non adhibendi diligentiam debitam, ut sufficienter fides proponatur. Quare cum illa voluntate potest stare fides articuli sufficienter propositi, quia duplex illa voluntas non opponitur ex parte obiecti voliti ». Consentit Suarez Disp. 15. sect. 2. n. 8.

3° « Similiter non esset infidelitas proprie negatio externa fidei sine negatione interna aut perversio etiam aliorum et inductio ad falsam sectam, sine dissensu interno contra fidem; quia haec omnia licet sint peccata gravissima contra fidem, non opponuntur ex parte obiecti cum actu fidei interno ». Lugo ibid. n. 5.

4° « Quando autem datur dissensus internus contra fidem peccaminosus, tunc datur vera et propria infidelitas, sive dissensus ille sit contra Dei veracitatem sive contra revelationem sive contra articulum revelatum; cum hac enim voluntate negandi aut de iis dubitandi, nisi retractetur, non potest stare voluntas credendi actu perfecto fidei ». Lugo ibid.

5° « Denique neque voluntas graviter peccaminosa, qua aliquis nollet in universum fidem audire christianam neque etiam doctrinam..., licet sit peccatum grave contra fidem, quae non solum obligat ad assensum sed etiam ad auditum praestandum, non tamen videtur dicendum esse proprium peccatum infidelitatis; quia nimirum voluntas illa non repugnat ex parte obiecti cum voluntate credendi ». Ibid. n. 6.

Prob. 1° « quia cum voluntate illa non inquirendi veram fidem nec audiendi illam potest stare simul voluntas efficax credendi illam firmissime, quoties sufficenter proposita sit; quae voluntas est actus elicitus piae affectionis et habet pro motivo formali honestatem fidei: quare voluntas ex parte sua amplectitur honestatem fidei,

licet nolit adhibere diligentiam ad quaerendam occasionem exercendi eam » (quod illustratur exemplo obedientiae). Lugo ibid. n. 6.

« Secundo probari potest, quia stante illa voluntate non audiendi nec inquirendi res fidei, potest homo invitus cogi ad eas audiendas vel casu ipsi non quaerenti ingeri potest notitia fidei et motiva credibilitatis sufficentia ad obligationem credendi. Quo casu adhuc, non retractata priori illa voluntate (negligentiae), potest velle credere; quia voluntas illa prior non excludebat assensum fidei sufficienter propositae, sed solum auditionem illius vel diligentiam ad eam inquirendam: haec autem secunda voluntas (sc. credendi) non vult auditionem nec diligentiam antea nolitam, sed assensum fidei iam auditae ac sufficienter propositae. Atque adeo non est proprie peccatum infidelitatis, quod tunc solum datur, quando ponitur peccatum repugnans ex parte obiecti cum voluntate credendi et cum vero fidei assensu ». Lugo ibid. n. 7.

76. Haec doctrina postrema, uti patet, discedit ab ea, quam ex Suarez attulimus sup. n. 74.

Ratio autem discriminis petenda videtur ex diversa notione infidelitatis, quam alter latioribus, alter strictioribus limitibus circumscribit: seu, ut melius dicamus, quia alter potius statum infidelitatis seu utcunque carentiam fidei seu huius absentiam considerat, alius vero ipsius infidelitatis naturam vitiosam.

Et naturam vitiosam quidem Lugo consideravit. Suarez vero quaerens, *de Fide* disp. 16. sect. 1. n. 2., in quo differat vel quid addat hoc peccatum infidelitatis supra illum defectum fidei, qui in homine fideli esse potest, respondet: « de ratione infidelitatis esse, ut sit peccatum ita fidei contrarium, ut omnino fidem infusam ab homine ex natura sua excludat: quae potest esse quasi generalis descriptio infidelitatis; quae tamen per effectum detur, non potest aut clarius aut brevius tradi. Et declaratur breviter ex ipsa voce; nam est quasi privativa et ideo absolute dicta significat carentiam verae fidei: talis autem carentia omnino excludit fidem ». Ecce quomodo infidelitatem repraesentat non ut vitium fidei oppositum, sed ut statum carentem fide.

Et patet id ex alia ratione, quam adducit ita: « Propterea ignorantia culpabilis fidei, quae in homine fideli esse potest, non est infidelitas; quia simul esse potest cum vera fide et ideo non constituit hominem infidelem neque illum ab Ecclesia excludit. Ergo e contrario de ratione infidelitatis est, ut hunc habeat effectum et sine illo nunquam potest rationem infidelitatis attingere; cum illo autem iam erit infidelitas et hominem infidelem constituit et ab Ecclesia apud Deum illum excludit ».

Quae quidem plane considerant infidelitatem ceu carentiam meram fidei et coniunctam quidem cum aliqua culpa, quae tamen culpa non directe fidei opponatur.

77. Memorandum denique, quod alii, ut Coninck apud Lugo disp. 18. n. 4., dum admittunt distinctionem inter infidelitatem *negativam* et *privativam*, negativam quidem propriam faciunt alicuius status hominis qui nunquam exstitit, v. gr. si homo creatus esset in puris naturalibus nec ullam revelationem accepisset; quia tunc esset mera negatio seu carentia illius quod non debet inesse; infidelitatem vero praesentis status etiam inculpabilem dicunt esse *privativam*, quia est carentia illius fidei, quae debita est inesse et solum abest, propter peccatum primi parentis.

Et posset ea ratio loquendi confirmari ex communi doctrina, quam sic tradit s. Thomas 2. 2. q. 10. art. 1.; « Dicendum quod infidelitas dupliciter accipi potest: uno modo secundum puram negationem, ut dicatur infidelis ex hoc solo, quod non habet fidem; alio modo potest intelligi infidelitas secundum contrarietatem ad fidem, qua scilicet aliquis repugnat auditui fidei vel etiam contemnit ipsam... et in hoc proprie perficitur ratio infidelitatis et secundum hoc infidelitas est peccatum. Si autem accipiatur secundum negationem puram, sicut in illis, qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, sed magis poenae; quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi parentis consequuta est ».

Porro si habet rationem poenae, eo ipso est *privatio*. Sed haec pertinent ad modum loquendi. Nec s. Thomas opponit negationem *privationi*, sed *contrarietati*.

Quidquid de istis sit, in primis notabis infidelitatem negativam non habere rationem peccati, ut patet ex allata doctrina s. Thomae; qui propterea subiicit: « Qui autem sic sunt infideles, damnantur quidem propter alia peccata, quae sine fide (actuali vel habituali) remitti non possunt: non autem damnantur propter infidelitatis peccatum ».

Accedit damnatio articuli 68. Michaelis Baii: « Infidelitas pure negativa in his, in quibus Christus non est praedicatus, peccatum est ».

XXXV. Respond. 2. Infidelitas contraria, ex triplici modo repugnandi fidei, est triplex, scilicet Paganismus, qui fidei nondum susceptae, Iudaismus, qui fidei susceptae in typo et Haeresis, quae fidei susceptae veritati repugnat. Apostasia a fide revocatur ad haeresim, a qua tantum differt, quod Haeresis sit error fidei ex parte tantum contrarius, Apostasia vero ex toto. S. Thom. Laym. l. c.

Satis esse potest textus A. Et quoad idololatriam cf. tr. seq. sect. 1. C. I. D. 3.

Dub. II.

De Iudaismo

Quaeritur hic tantum, quae communicatio cum Iudaeis sit interdicta Christianis.

XXXVI. Respond. 1. His casibus, qui colliguntur ex c. *Nullus* et c. *Omnes* caus. 28. q. 1. et c. *Iudaei, de Iudaeis, Saracenis* etc. 1. Non licet cohabitare. 2. Nec conviviis interesse. 3. Nec uti communi balneo. 4. Nec medicos adhibere. 5. Nec medicinas ab iis datas recipere, emere tamen licebit praescriptas. 6. Nec Iudaeorum filios enutrire in ipsorum domibus. 7. Nec iis famulari. 8. Nec servitute subiici. 9. Prohibentur publicis officiis inter Christianos fungi. 10. Vetitum est eorum azymis vesci. Quibus addit Azor, prohibitum esse, accedere ad eorum nuptias, festa, Synagogas, cum eis ludere, saltare etc. Ratio horum est, tum ut conservetur dignitas Christianae religioni tum ut caveatur familiaritas cum Iudaeis et periculum perversionis: vid. Laym. l. 2. t. 1. c. 12. et 17. Sanch. l. 2. c. 3. Fill. tr. 22. c. 5. n. 128.

XXXVII. Respond. 2. In decem dictis casibus communicare cum Iudaeis ex genere suo videtur esse mortale. Ratio, quia si Clericus id faciat, incurrit periculum depositionis, Laicus vero excommunicationis (c. *Nullus* sup. cit.), quae non nisi ob peccatum mortale imponi solet. Dixi *ex genere suo;* quia probabile est, vel ob materiae parvitatem vel ob necessitatem aliamve causam rationabilem (si tamen non sit periculum perfidiae nec familiaritatis cum Iudaeis) saepe excusari a mortali, aliquando etiam ab omni peccato. Ita communiter. Vid. Auctt. supra citt. et Bon. l. c. item Laym. l. 2. t. 1. c. 17.

78. Verum haec enumeratio causarum valde imperfecta et inadaequata est et quaestio multiplicibus indigeret distinctionibus, in quibus plurimae et diversissimae instituantur hypotheses. Haec ad praesentem locum non pertinent.

Notat ad haec s. Alphonsus lib. 2. n. 18. ex Salmantic. « Principes christiani possunt permittere Iudaeis et paganis aut haereticis libertatem conscientiae tantum ob bonum religionis et ob spem conversionis; non autem ob temporale emolumentum ».

Addit s. Alph. l. c. ex Suarez et aliis plurimis: « Bene autem potest Ecclesia et quicumque princeps supremus compellere Iudaeos et paganos subditos ad audiendam fidem nostram et constat et praxi, quae viget Romae ». Ita cum in America Meridionali Reges Hispani procurabant missiones etc.

Quoad communicationem cum Iudaeis, haec habet Struggl tract. 4. q. 2. n. 5.: « Finis harum prohibitionum est partim dignitas Religionis christianae, partim periculum subversionis. Quando igitur aliqua communicatio ex recensitis huic fini graviter opponitur, illa est peccatum mortale; quando vero solum leviter, illa est peccatum veniale ».

« Praeterea propter necessitatem *aliamque rationabilem* causam potest contingere ut aliqua communicatio cum Iudaeis neque sit ve-

nialiter peccaminosa, ut cum aliis advertit Laymann lib. 2. tract. 1. cap. 17. n. 2. Sic in necessitate possumus uti medico Iudaeo, ut cum aliis advertit Croix ».

Generatim Croix lib. 2. n. 89.: « Ea solum familiaritas cum Iudaeo prohibetur, ex qua periculum perversionis vel scandalum timeri potest, ut communiter habent auctores. Licitum est autem christianis in fide confirmatis, qui in conversionem Iudaeorum incumbunt, cum Iudaeis familiariter agere et cibum capere; quia hic non est periculum perversionis, cum in fide stabiliti sint, uti suppono, neque scandali, cum fiat ad eos convertendos ».

* Scavini lib. 2. n. 809. sic concludit: « aiunt quod secluso scandalo et perversionis periculo ac peculiari prohibitione, non est letale, si quis cum Iudaeis communicet: imo *nulla est culpa,* si fiat ob rationabilem causam vel *consuetudine interveniente, quae hodie ferme ubique obtinet,* postquam gubernia aequalitatem iurium civilium iis cum christianis contulerunt, supremos etiam magistratus ac praefecturas eis tribuentes ».*

Dub. III.

De Haeresi

XXXVIII. Respond. Haeresis est error intellectus liber et pertinax contra fidem, in eo, qui fidem suscepit. Ita commun. Suarez, Becan. cap. 14. q. 2. Unde patet, ad Haeresim, ut et Apostasiam, duo requiri. 1. Iudicium erroneum, quod est eius quasi materiale. 2. Pertinaciam, quae est quasi formale. Porro pertinaciter errare non est hic acriter et mordicus suum errorem tenere aut tueri; sed est eum retinere, postquam contrarium est sufficienter propositum sive quando scit contrarium teneri a reliqua universali Christi in terris Ecclesia, cui suum iudicium praeferat: sive id fiat ex vana gloria sive libidine contradicendi aliave causa. Ita Sanchez, Vasq. Laym. l. 2. t. 1. c. 13. et alii, commun. Ratio est, quia tunc putat, indicium Ecclesiae non esse sufficiens fundamentum credendi, quae est vera pertinacia; quam cum Coninck facilius sic explicant alii, eam tunc esse, cum, etsi obiectum fidei credibiliter proponatur ita ut prudenter de eo non possit dubitare, contrarium tamen iudicet, a quo nolit avelli ullo casu vel saltem nisi evidenter convictus. V. Con. d. 18.

79. Nomen haeresis ab αἱρέομαι est electio et significat opinionem, quam sibi quisque voluntarie eligit, sive bona sit sive mala et a latinis usurpatur in bono quoque sensu. Lugo *de Fid.* disp. 20. n. 2.

Ecclesia tamen et Patres solum in malam partem vocem istam usurpare coeperunt, uti patet ex variis locis s. Pauli.

Idipsum dicendum de nomine *sectae*, licet Paulus in bono sensu usurpaverit, ubi dixit Act. XXIV. 14.: *Secundum sectam, quam dicunt haeresim, sic deservio Patri et Deo meo* cf. v. 5. Sed licet bono sensu potuerit usurpari a Paulo relate ad Iudaeorum gentem, cuius tunc poterat dici *sectio* seu *portio* numerus eorum, qui Christum sectabantur, at non

potest absolute aptari Ecclesiae Christi, quae est catholica seu universalis. Hinc *sectarii* malo sensu dici solent. Vid. Lugo l. c. nn. 3. 4.

Nomen haereseos sumitur *formaliter* et *obiective*. Haeresis formalis dicitur peccatum, a quo quis formaliter denominatur haereticus. *Haeresis obiectiva* dicitur obiectum illud, quod falso creditur vel asseritur ab haeretico, v. gr. in Deo quatuor esse personas: in qua assertione *haeresis obiectiva* est falsum illud quod affirmat, ipsa vero externa *assertio*, qua id profertur, licet sit obiectum voluntatis internae haereticae, non tamen dicitur haeresis obiectiva, sed haeresis *formalis* externa, quae denominatur haeresis et peccaminosa ab ipsa voluntate interna haeretica et mala. Quare si voluntas interna non esset mala propter ignorantiam vel inadvertentiam, voces externae non essent haeresis formalis externa, sed solum materialis. Obiectum tamen ipsum semper est haeresis obiectiva nec hoc pendet a culpa affirmantis; quia obiectum semper opponitur veritati revelatae, quod sufficit ad haeresim obiectivam. Lugo l. c. n. 1.

Heic occurrit explicanda sententia, quam post Magistrum Sententiarum s. Thomas 2. 2. q. 11. art. 2. argum. 2. tribuit Hieronymo, licet in scriptis Hieronymi non inveniatur: « *Ex verbis inordinate prolatis fit haeresis* ». Nam videri potest, quod qui sine malitia inordinate verba proferat, potius peccat contra grammaticae regulas, quam contra fidem, si sensum non habet pravum. At sensus est, quod variatio verborum, quae prima facie apparere potest levis et retinens eundem sensum, potest occultare sensum haereticum. Exemplo sit propositio: *Filius est suppositum aliud a Patre:* quae est catholica. Si ita efferas: *Filius est suppositum et aliud a Patre,* occultat haeresim, uti patet. Lugo ibid. n. 10.

80. Scite autem in definitione haeresis additur: *in eo qui fidem suscepit* et non inutiliter etiam diceretur: *in eo, qui se christianum profitetur* aut *qui retinet nomen christianum.*

Nam sunt, qui et catechumenos comprehendi volunt, si post susceptam fidem, hanc abiiciant. Verum magis proprie haereticus dicitur, qui se segreget ob perversum dogma ab Ecclesia, cuius membrum erat. Hinc licet catechumenus pravam doctrinam tenens crimine haereseos se polluat, tamen haereticorum poenis minime subiicitur; quia non est Ecclesiae subditus, Laymann lib. 2. tr. 2. cap. 12. n. 1.

Additum est: *in homine, qui nomen christianum retineat.* Nam si quis totam fidem christianam etiam post baptismum negat, is non censetur haereticus, sed potius iudaeus aut turca aut paganus aut atheus aut cuiuslibet alterius sectae membrum, cui nomen dederit. Haeresis itaque sive *formalis* sive *obiectiva* ut talis dicatur, non satis

est ut sit contraria dogmati fidei, sed debet habere respectum ad hominem, qui profiteatur christianam religionem.

Sic assertio quod Mars et Iuno sint Dii, non censetur haeresis, sed pars paganismi: sic in ore pagani erit pars paganismi propositio negans Messiam et pars iudaismi erit in ore Iudaei, sicut et propositio negans v. gr. *purgatorium*. Lugo disp. 20. n. 31.

Hanc tamen secundam animadversionem Auctor non tangit, quia simul agit de *Apostasia*.

81. Nisi tamen Apostasia sumatur stricto quodam sensu. Nam quadruplex distingui solet Apostasia; quae significat discessionem seu defectionem.

1° Est apostasia a *religione*, scil. criminosa discessio a religiosi Ordinis instituto sine animo revertendi. Nam si habet animum revertendi, ad tempus in seculo vagaturus, est solum fugitivus: excommunicatus tamen, si habitum religionis abiiciat.

2° Est apostasia *a sacro Ordine*, scil. discessio a statu clericali per maiores Ordines suscepto et obstricto castitatis voto ad statum matrimonii propria auctoritate. Unde si quis in solis minoribus ordinibus constitutus proprio arbitrio se conferat ad statum matrimonialem aut secularem, deposito habitu clericali ac beneficio dimisso, non est apostata.

3° Est apostasia *ab obedientia:* quae vel est particularis, quando quis iustis superiorum suorum praeceptis se subtrabit penitus recusans obedire: vel est universalis, quando quis ab obedientia se subducit Summi Pontificis et Ecclesiae Universalis. Huius praecipua species est *Schisma.*

4° Est tandem apostasia *a fide,* quae proprie in hunc locum facit et est defectio seu discessio a vera fide, quam explicite quis profiteatur. Unde pagani, Iudaei et haeretici, qui ab infantia in falsa fide fuerunt educati, non sunt apostatae.

Porro Apostasia a fide variam speciem desumit a vario termino, ad quem quis discedit. Si enim apostata a fide catholica se transfert solum partialiter ad quampiam sectam haereticam, apostasia idem specie peccatum erit cum haeresi. Si autem se transferat ad iudaismum vel paganismum aut omnimodum atheismum, apostasia erit idem specie peccatum cum hisce infidelitatibus. Struggl, tract. 4. q. 2. n. 6.

De Poenis contra Apostatas agunt Canonistae et videri potest Laymann lib. 2. tr. 2. cap. 16.

82. Definitur haeresis error intellectus *circa fidem*, fidem divinam scilicet, ideoque circa res a Deo revelatas. Requiritur autem, quod dogma ab Ecclesia proponatur ceu de fide credendum.

Propositio tamen veritatis credendae non uno modo fit ab Ecclesia. Sane in sect. 3. Concilii Vaticani Pius IX. Const. dogmatica *Dei Filius*, statuit: « fide divina et catholica ea omnia credenda esse, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia *sive sollemni iudicio, sive ordinario et universali magisterio* tanquam divinitus revelata credenda proponuntur ».

Quocirca cum Ecclesia clare et manifeste proponat credendam s. Scripturam et omnia ac singula in ea contenta: quoties manifeste constet aliquid in Scriptura contineri, aeque debet constare, id nobis ab Ecclesia proponi. Dissensus ergo non posset excusari ab haeresi praetextu defectus propositionis Ecclesiae. Lugo *de Fide* disp. 20. n. 58. Sicut tamen non omnes eodem modo pollent visu vel auditu, ita non omnes pollent eadem Scripturarum intelligentia. Quare ii, quibus certe constat de sensu Scripturae ita ut prudenter non possint dubitare, non ideo excusantur, quia alii ex defectu scientiae vel capacitatis id negent aut de eo dubitent. Et iterum id, quod istis erit de fide credendum, quibus manifestum illud est, non erit tamen de fide omnibus, quia non ita clare loquitur Scriptura ut possit ab omnibus animadverti. Lugo ibid. n. 59.

Addit Lugo n. 60., non modo verum crimen haereseos committere sed esse proprie et vere haereticum illum, qui dissentiat a veritate clare proposita in Scripturis, si communiter fideles eum Scripturae sensum manifeste percipiunt et indubitanter credunt, licet aliqui rudiores illum non percipiant.

Si tamen communiter de eo sensu dubitetur, peccabit quidem contra fidem, qui sensum certum teneat et tamen dissentiat: veruntamen non censeretur proprie et stricte haereticus; quia haeresis dicit divisionem et haereticus proinde dicitur, qui dividit unitatem Ecclesiae et se segregat a reliquo corpore Ecclesiae, dum pervicaciter tenet opinionem contra id quod Ecclesia sentit.

Quando sermo sit de assertione Theologica, quae scil. ducitur ex duabus praemissis, quarum altera sit propositio revelata, alia vero evidens quidem, sed non revelata; qui eam negat, erit haereticus, si ratio negandi petatur ex negatione praemissae revelatae: non erit vero haereticus, si neget ideo conclusionem, quia negat aut veritatem propositionis evidentis sed non revelatae aut negat veritatem *illationis*. Lugo l. c. n. 68. Quod tamen non valet, si haec conclusio proponatur ab ipso Ecclesiae magisterio credenda, ut probat usus Ecclesiae, quae non credentes has conclusiones a se elicitas, anathemate ferit.

In foro autem externo, cum non praesumatur quis negare propositionem praemissam evidentem aut vim illationis legitimae, iste

praesumitur haereticus. Quamquam id relinquendum videtur iudicio prudentum, qui rem totam ex omnibus adiunctis perpensam diiudicent (a).

83. Quaeritur an haereticus censendus sit, qui assensum negat divinae revelationi privatae sibi factae si sufficienter ei sit proposita. Quaestio non est nisi de eo, cui facta divinitus revelatio est.

Verior et communior sententia est, eum peccare contra fidem ac esse vere hoc peccatum infidelitatis. Lugo disp. 20. n. 35. Ratio est; quia reapse non credit Deo.

Iste tamen non incurreret poenas haereticorum nec adeo proprio sensu appellaretur haereticus; non enim discedit a doctrina, quam Ecclesia proponit. Nam ut dicitur in Catechismo Romano part. I. ad IX. artic. Symb. §. 1. ad verba *Credo Sanctam Ecclesiam catholicam:* « Non enim quisque, ut primum in fide peccavit, haereticus dicendus est; sed qui Ecclesiae auctoritate neglecta, impias opiniones pertinaci animo tuetur ». Lugo disp. 20. nn. 35.-44.

84. Quod sane requiratur pertinacia, ut aliquis haereticus sit et dicatur atque adeo incurrat poenas ecclesiasticas, omnes fatentur et pro certo habent et aperte supponitur in decretis conciliorum. Quaestio tota est quanta et qualis debeat esse huiusmodi pertinacia. Lugo disp. 20. n. 154.

Videri potest Lugo l. c. n. 155., ubi affert etymologias et eam magis probat, quae deducit ex *per* et *tenax*, ut particula *per* sit intensiva non secus ac in vocis *percupide*, *peramanter, etc.* et significet *nimis aut fortiter tenax.* Licet autem usurpetur etiam in bonam partem, saepius tamen in malam partem accipitur et in casu nostro significat vitiosam et obstinatam tenacitatem sententiae propriae contra sensum Ecclesiae.

Notat Auctor, quod pertinax heic non est, qui solum *acriter et mordicus sententiam suam tuetur :* neque id opus esse.

Utique fuerunt, qui negarunt adesse pertinaciam, antequam errans moneatur de suo errore et monitionem contemnat; proinde quidam exigebant aliquam temporis durationem eamque non modicam, qua incorrigibilitas appareret et obstinatio contra adhibitas monitiones. Apud Lugo *de Fid.* disp. 20. n. 156. ubi etiam adsunt eorum argumenta.

Verum duo heic confunduntur, nempe 1° quid satis sit, ut reatus incurratur in foro Dei et 2° quid fieri consuescat in foro externo.

(a) Quae fides debeatur Ecclesiae definitionibus, quae non versantur circa res revelatas, dicemus in fine huius sect. E.

Utique iuristae, qui de solo foro externo agunt, dicunt in hoc foro excusari posse reum, si monitus non fuit nec correctus; quia paratus erat errorem deponere et corrigi, si monitus fuisset. Quo etiam spectare potest, ut detur aliquod tempus, quo instrui quis possit nebulasque menti offusas disiicere.

At si agatur de foro interno, communis et verissima sententia est, nec monitiones requiri nec moram aut diuturnitatem temporis, ut aliquis haereticus fiat poenasque incurrat. Ratio est, quia admonitio ad hoc deserviret, ut errans advertat ad oppositionem sui erroris cum doctrina Ecclesiae. Ergo si melius hoc ille scit ex libris et definitionibus Conciliorum, quam ex monitionis verbis scire queat, non est cur sit necessaria alia monitio, ut pertinax sit contra Ecclesiam.

Hinc neque in foro externo semper requiritur eiusmodi monitio aut correctio praecedens, neque id in praxi s. Officii observatur. Si enim aliunde constare possit de doctrinae notorietate et ex qualitate personae et aliis circumstantiis, reum non potuisse ignorare oppositionem opinionis suae cum doctrina Ecclesiae, eo ipso iudicaretur haereticus et ideo in iudicio interrogatur, an sciret, quod id esset contra Ecclesiae doctrinam; quod si fatetur, iam censetur sufficienter haeresim et pertinaciam confessus. Lugo l. c. nn. 156.-158.

Dicit Auctor, tum adesse pertinaciam, cum quis dissentit, postquam aliquid *fuit sufficienter propositum sive* quando scit, contrarium teneri a reliqua Ecclesia.

Porro illud *sive* non est accipiendum ut particula *disiunctiva*, sed uti *explicativa*. Ratio est; quia hoc crimen non subditur poenis, nisi aliquo modo contineat contemptum auctoritatis Ecclesiae et idcirco superius n. 83. diximus, non incurri poenas ab eo, qui dissentiret revelationi sibi privatim factae divinitus, vel qui dissentiret a veritate, quam ipse satis percipit in sacris litteris revelatam, quae tamen aut non percipitur ab aliis plerisque aut saltem in dubio remanet: sup. n. 84.

Advertendum tamen, quod cum agitur de dogmate communi et publico, quisquis audit et negat, non potest non cogitare de Ecclesiae auctoritate atque adeo indifferenter pro haeretico habetur; quia fieri non potest moraliter, ut sine contemptu Ecclesiae id faciat. Lugo disp. 20. nn. 54. 55. et 155.

85. Ut quispiam pertinax censeatur, necesse non est, ut ipsi revelatio proponatur aut immediate a Deo aut immediate ab Ecclesia, videlicet aut a Pontifice Romano aut a Concilio oecumenico: sed satis est ut mediate nobis proponatur, v. gr. per Episcopos aliosve, dummodo circumstantiae, quibus nobis aliquid proponitur, sint tales, ut reddant propositionem seu instructionem evidenter credibilem et in

quibus non possit prudenter negari aut de ea dubitari aut formidari. Lugo n. 159.-161.

Hinc notant doctores, pertinacia minus aliquando excusari posse rusticum et idiotam, quam virum doctum. Nam minora motiva evidentis credibilitatis requiruntur pro rustico, ut obligetur ad credendum, quam homini docto, qui melius penetrat fundamenta formidandi. Non excusari igitur poterit a pertinacia rusticus, qui non acquiesceret iudicio Episcopi vel Inquisitoris, licet posset excusari ab eo gradu pertinaciae ad haeresim requisitae doctus theologus, eo quod afferret rationes verisimiles, cur non obligetur et neget, eam esse doctrinam Ecclesiae: cui propterea prius oportet satisfacere, disputare et explicare fundamenta censurae, ut convincatur aut certe convinci possit ac debeat sapientum iudicio. Postea vero si non acquiescat, poterit haberi ut pertinax; nec enim in singulis casibus opus est ad novam Pontificis declarationem recurrere.

Si tamen agatur de reo accusato, quod quaedam protulerit absona a fide, facilius pertinax iudicabitur vir doctus, quam rusticus; nam facilius de viro docto, quam de rustico, praesumitur, quod sciverit se ea proferre, quae sint contra Ecclesiae doctrinam. Lugo n. 161. 162.

86. Ad pertinaciam denique non est necesse, ut quis neget veritatem aliquam ideo, ut contradicat Ecclesiae seu ut velit resistere Ecclesiae, sed sufficit scire id esse contra sensum Ecclesiae et tamen id tenere. Lugo n. 163. 164.

Seu aliter, sufficit ut ei taliter proponatur infallibilis auctoritas Ecclesiae et eiusdem Ecclesiae definitio de contrario dogmate, ut licet nolit utramque credere, iam satis tamen videat obligationem utramque credendi et non possit prudenter negare aut de illis dubitare aut formidare. Nam hoc ipso si dissentiat et neget auctoritatem infallibilem inesse Ecclesiae in proponendo vel etiamsi id concedat, neget tamen contrarium dogma esse definitum; iam pertinaciter respuit doctrinam sibi evidenter propositam.

Nec aliter peccant de facto haeretici, qui certe de facto nolunt credere, nostram Ecclesiam habere auctoritatem infallibilem in proponendo, vel contraria ipsis dogmata esse a *vera* Ecclesia proposita. Lugo n. 165.

Unde resolves.

XXXIX. 1. Non est haereticus, qui exterius tantum fidem negat aut adorat idolum. Ratio est, quia non errat. Neque talis incurrit in foro conscientiae censuras latas contra haereticos, etsi in foro externo secundum externa procedatur. Fill. t. 22. c. 6. q. 4.

87. Hinc quando poenitens se accusat de prolato aliquo errore, confessarius interrogare debet, an interius crediderit aut negaverit. Si enim interior error abfuit, potest in foro conscientiae absolvi.

XL. 2. Est haereticus, qui affirmative de aliquo articulo fidei dubitat, hoc est iudicat esse dubium. Dixi *affirmative:* quia negative tantum dubius, hoc est suspendens iudicium, per se et simpliciter non est haereticus, quia non habet iudicium; ergo nec erroneum; modo tamen non ideo suspendat, quod virtualiter iudicet, non liquere de certitudine obiecti. Sà, Azor l. 8. c. 9. q. 5. Tol. contra Sanch. et Mald.

88. Triplex casus solet distingui, prouti et auctor innuit.

1° Cum quis *positive* seu *affirmative* dubitat, quod fit, quando ob rationes oppositas iudicat dogma aliquod, ab ecclesia definitum, esse incertum. Et ex communi sententia hic peccat peccato haeresis.

2° Cum quis *negative* se habet et suspendit iudicium, non quasi post sufficienter propositum dogma putet esse iudicium suspendendum, sed mentem ad alia convertens, ne v. gr., inquit s. Alphonsus lib. 7. n. 302., mentem fatiget vel ut ad aliud animum applicet. Et hic est casus, quo non habetur peccatum haeresis; quia nullum reipsa est iudicium atque adeo neque erroneum.

3° Cum quis deliberate suspendit iudicium, quia censet motiva contraria fidei reddere incertam veritatem illius et tunc haereticus est habendus; reipsa enim *positive* dubitat de fidei veritate, dum dubia habet ea dogmata, quae uti certa ab Ecclesia proponuntur. Lugo disp. 20. n. 17.: « Vel dubium fit per suspensionem iudicii, *ortam tamen ex motivis contrariis,* quibus deterrita voluntas imperat suspensionem iudicii modo explicato et tunc iam voluntas approbat virtualiter motiva contraria et facit, quod intellectus motiva illa contraria approbet, dum propter haec suspendit assensum; quod moraliter idem est ac affirmare motiva illa esse tanti ponderis, ut rem reddant dubiam ».

89. Propter eiusmodi dubia non incurritur excommunicatio, nisi exterius proferantur. Si vero dubium suum exterius manifestaret et pertinaciter in eo permaneret, merito iudicaretur haereticus, quippe qui ita se habeat perinde ac si res fidei dubias diceret. Lugo disp. 20. n. 15.-18. et disp. 17. n. 84.

Perinde foret, si quis exterius affirmaret, obiectum aliquod fidei *esse probabile:* quia ex communi intelligentia per hoc significatur, quod obiectum illud non debeat haberi uti certum. Vid. Lugo *de Fid.* disp. 20. n. 20. et disp. 17. n. 96.

Monet tamen Lugo non item dicendum de *assensu probabili:* « Nam qui iudicat assensu probabili obiectum, nihil iudicat de probabilitate sed de obiecto; probabilitas autem tota se tenet ex parte actus (a)

(a) Quae doctrina est difficilis; nam assensus mentis aut non est, aut est certus et assensus probabilis nihil aliud esse posse videtur, quam assensus in probabilitatem rei. Cf. dicenda in praec. 8. de iudicio temerario et dicta in tr. *de Consc.* n. 58. not. Declaratio

(v. gr. dum quis ratione seu argumento probabili utitur ad rem alioquin certam confirmandam). Sicut qui diligit Deum actu minus perfecto et non super omnia, potest id facere absque peccato; quia non dicit, obiectum non esse dignum maiori amore nec excludit positive alium maiorem amorem, sed habet se praecisive, non exhibendo per illum actum tantum affectum, quanto obiectum dignum erat ». Lugo disp. 20. n. 20.

XLI. 3. **Nemo est haereticus, quamdiu paratus est iudicium suum Ecclesiae submittere aut nescit contrarium tenere veram Christi Ecclesiam: esto ex ignorantia etiam culpabili et crassa sententiam suam mordicus tueatur. Laym. l. c. n. 2.**

90. Duplex casus hac resolutione comprehenditur. Primus est, cum quis aut nescit contrarium teneri ab Ecclesia Christi: aut 2° si incertus sit seu dubitet, paratus est se submittere. Ratio, cur non sit haereticus, est quia abest pertinacia.

Non tamen excusatur a pertinacia ad haereticum constituendum sufficienti, qui paratus est corrigi et acquiescere Ecclesiae, *si ab ea argumentis convincatur*. Ratio est, quia iste non est paratus consentire auctoritati Ecclesiae, sed rationibus et argumentis ab ea adducendis in confirmationem suae doctrinae. Quare hic vere pertinaciter resistit auctoritati Ecclesiae. Lugo n. 166.

Pertinax et haereticus erit etiam quisquis nihil scienter negat ab Ecclesia definitum et propositum; sed nesciens, quid Ecclesia in ea re definierit, adhaeret errori suo cum affectu seu proposito non deserendi opinionem suam, etiamsi sciret Ecclesiam contrarium definivisse. Lugo *de Fid.* disp. 20. n. 167. Et id quidem verum est, etiamsi de facto Ecclesia de eo articulo nihil definivisset.

Et idem denique de eo dici debet, qui falso putat, aliquid esse ab Ecclesia definitum, cum revera non sit et tamen ipse contrarium sentit. Haereticus enim merito habebitur, si *utrumque* exterius manifestet, scil. se sentire contra id, quod putat ab Ecclesia esse definitum. Ratio est, quia in his omnibus casibus negatur aliquid, quod est vere de fide, scil. infallibilitas Ecclesiae in proponendo. Ergo non solum in existimatione vel conditionate, sed absolute et in re ipsa pertinaciter resistit auctoritati et doctrinae Ecclesiae in aliquo dogmate Ecclesiae sufficienter proposito. Lugo l. c. n. 167.

---

autem intra parenthesim tradita non exhibet assensum probabilem in rem, quam imo ut certam habes, sed usum argumenti, cuius probabilitatem tenes, pro confirmanda re, ad abundantiam. Nihilominus si etiam cum certitudine affirmetur probabilitas, non tamen exclusive, quod nempe res sit *tantum* probabilis; nondum habetur iudicium contra fidem et huc redit sententia Lugo. E.

91. At eritne haereticus qui credit articulum, qui reipsa de fide est, v. gr. praesentiam Christi realem in Eucharistia; falso tamen putat ex erronea conscientia, hoc esse contra Ecclesiae sensum?

Lugo *de Fid.* disp. 17. n. 83. distinguit. Nam si homo adeo firma fundamenta apprehendat pro ea veritate, ut PUTET CREDI DEBERE ETIAM *contra Ecclesiae sensum,* ex ignorantia invincibili posset excusari a culpa gravi contemptus auctoritatis Ecclesiae (putarem hunc esse casum conscientiae perplexae). Si vero sufficienter appareat obligatio non dissentiendi ab Ecclesia et cum errore circa sensum Ecclesiae velit credere contra eius sensum articulum illum, peccaret graviter contra fidem et quidem peccato haeresis non solum internae sed etiam externae atque adeo incurreret poenas, si sensus contra Ecclesiam prodatur externe. Ratio, quia licet non sit falsus et haereticus sensus de praesentia reali; eiusmodi tamen est assensus contra Ecclesiae auctoritatem.

92. Quod spectat ad ignorantiam etiam culpabilem variae sunt, inquit Lugo *de Fid.* disp. 20. n. 172. seqq., doctorum sententiae, quaenam ignorantia ab haeresi excuset.

Prima dicit, nullam ignorantiam graviter culpabilem excusare ab haeresi. Ita Sotus cum Lopez.

Secunda sententia hoc admittit h. e. non excusare, quando ignorantia est crassa nimis et facile vincibilis. Ita Sayrus.

Tertia sententia hoc admittit, quando ignorantia est affectata. Ita Cano, Navarrus cum aliquibus aliis.

Quarta distinguit de ignorantia quoque affectata; nam si affectetur ignorantia ex negligentia et taedio addiscendi, excusari dicunt ab haeresi: secus, si affectetur ad finem liberius errandi aut affectetur ex prava opinione contra Ecclesiam, quasi parvi momenti sit Ecclesiae propositio.

Communior autem quinta sententia est, quamlibet ignorantiam etiam crassam et affectatam, excusare ab haeresi et haereticorum poenis.

Ratio potissima est; quia fides non amittitur propter peccatum contra fidem ex ignorantia commissum. Quandiu enim homo in ea dispositione manet, in qua potest elicere verum actum fidei circa articulos sibi sufficienter propositos, non potest dici infidelis. Atqui potest quis habere malam voluntatem, quae residet in affectata ignorantia et simul retinere affectum credendi, si quid sibi sufficienter sit propositum. Ergo. Lugo Disp. 20. n. 157.

93. Quoad quartam autem sententiam, quae est Thomae Sanchez *Decal.* lib. 2. cap. 7. n. 23., haec non contradicit quintae ac postremae sententiae. Potest autem esse aequivocatio.

Nam 1° Si negligentia procedit ex contemptu Ecclesiae et ex falsa

opinione de defectu infallibilitatis, utique iste erit haereticus; sed hoc proveniet ex contemptu infallibilitatis Ecclesiae, quam negat: hoc autem abesse potest ab ignorantia etiam affectata.

2° Si ignorantia affectetur ad finem liberius errandi, distinguendum est. Nam si eo animo est, ut etiamsi constaret de mente Ecclesiae, nollet a sua opinione dimoveri et vult ignorare sensum Ecclesiae ideo solum, ut vitet remorsum conscientiae ac minorem experiatur difficultatem; tunc non vitatur haeresis, quia in ea dispositione animi non potest haberi voluntas debita se subiiciendi Ecclesiae proponenti.

3° Idem dicendum videtur, si ignorantia affectetur, ut peccatum sit levius et dissonantia ab Ecclesiae sensu aliquam habeat ex ignorantia excusationem. Nam haec quoque dispositio supponit animum paratum ad non acquiescendum Ecclesiae iudicio.

4° Si vero affectes ignorantiam, ut liberius seu sine remorsu conscientiae pecces, v. g. ut ignores etiam praecepta ieiuniorum, confessionis etc., vel etiam quia si de sensu Ecclesiae constaret, non auderes te illi opponere et ideo vis ignorare, ut sine obstaculo audeas propriae opinioni adhaerere; tunc dicemus, gravissimum quidem esse peccatum: hanc tamen ignorantiam a pertinacia et haeresi excusare; quia te ostendis paratum ad credendum, ubi doctrina Ecclesiae sufficienter proponatur. Et quidem primum exemplum affert etiam Sanchez, qui reipsa quoad substantiam a doctrina, quam proposuimus, non discedit.

Cum vero dicimus ignorantiam affectatam excusare, id intelligendum est non de mera ignorantia poenarum, sed de ignorantia doctrinae ab Ecclesiae definitae, cui ob ignorantiam quis contradicat.

94. Consequenter ad doctrinam statutam superius n. 140. Lugo disp. 20. n. 197. seqq. censet, ignorantiam crassam aut etiam affectatam circa auctoritatem Ecclesiae, excusare a pervicacia, quae ad constituendam haeresim necessaria est; adeo ut quandiu non proponatur ipsi sufficienter auctoritas Ecclesiae eiusque infallibilitas in decernendo, durante ea ignorantia, nondum censendus sit haereticus, qui vel Ecclesiae infallibilitatem vel idcirco aliud ab ipsa Ecclesia propositum neget.

Ratio est, quia, ut ait Lugo ibid. n. 198., qui habet ignorantiam circa definitionem et propositionem Ecclesiae, ideo nondum est pertinax nec haereticus; quia potest adhuc habere voluntatem credendi quidquid Ecclesia proposuerit: a pari autem qui ignorat Ecclesiae auctoritatem, potest adhuc habere voluntatem captivandi intellectum in obsequium fidei divinae et firmiter credendi quidquid sufficienter propositum fuerit uti revelatum a Deo. Ergo nec iste erit infidelis; neque enim fides perditur, nisi per recessum ab obiecto formali fidei, quod est veracitas et testificatio Dei.

Imo consequenter ad idem principium Lugo ibid. nn. 200. 201. facta hypothesi de homine existimante, nulli ecclesiae esse credendum, sed soli spiritui privato, merito statuit quod hic, dum ex culpabili ignorantia reiicit omnem Ecclesiae auctoritatem, infidelis quidem et haereticus erit, si habeat firmam voluntatem non credendi, etiamsi sufficienter eiusdem Ecclesiae auctoritas in definiendo infallibiliter de fide ipsi proponeretur. At si iste non haberet eam malam voluntatem conditionatam non credendi Ecclesiae etiam sufficienter rem proponenti, sed haberet voluntatem universalem credendi Deo, quoties eius revelatio esset evidenter credibilis; etiamsi per ignorantiam illam culpabilem crederet, Deum non posse unquam per Ecclesiam loqui et ideo haberet voluntatem absolutam non credendi de facto Ecclesiae..., adhuc homo ille non esset proprie infidelis neque haereticus. Catholicus autem non esset dicendus omnino absolute; posset tamen dici catholicus quasi conditionate. Non posset dici catholicus absolute; quia absolutam habet voluntatem nunquam credendi Ecclesiae. Posset dici catholicus conditionate; quia in voluntate illa efficaci (ut supponimus) credendi Deo, quoties revelatio sufficienter esset credibilis, continetur implicite conditionata voluntas credendi Ecclesiae, si sufficienter eius auctoritas proponeretur ipsi uti a Deo revelata.

Denique hoc ipsum dici de eo posset, qui ob culpabilem ignorantiam non modo crederet impossibilem quamlibet Ecclesiam divina auctoritate instructam ad infallibiliter docendum, sed praeterea crederet impossibilem quamlibet Dei revelationem. Nam iste, etsi nullum posset elicere actum fidei, quippe qui ne possibilem quidem censet Dei revelationem, adhuc tamen potest habere voluntatem conditionatam credendì Deo, si per possibile vel impossibile Deus posset aliquid hominibus revelare. Atqui haec voluntas et dispositio animi sufficit, ut quispiam non sit proprie infidelis, licet graviter peccet contra fidem ob ignorantiam illam culpabilem circa divinam revelationem.

Imo esset fidelis, si haberet habitum fidei infusum v. gr. in baptismo in infantia suscepto; neque enim hunc habitum ob ignorantiam illam culpabilem amisisset.

Si vero non haberet infusum fidei habitum, hic quidem non esset positive fidelis: non tamen esset proprie infidelis; quia nondum abiecit fidem scienter, sed solum ex culpabili ignorantia et praeterea posset in ea dispositione habere voluntatem credendi conditionatam, si nempe possibilis esset Dei revelatio et ratione huius voluntatis posset dici fidelis sin minus absolute, saltem conditionate. Lugo, n. 202. (a).

(a) Dicta hisce postremis numeris usui esse poterunt nostris diebus, neque raro neque sine fructu. E.

95. Quoad istam ignorantiam, a pervicacia excusantem, duo supersunt advertenda.

1° Hanc doctrinam, quod ignorantia impediat pertinaciam requisitam ad haeresim, locum habere, saltem in foro interno, *quoad omnem fidei materiam,* etiamsi agatur de praecipuis articulis. Qui contrarium dicunt, ii loquuntur et intelligendi sunt de foro externo. Lugo, n. 195.

2° In foro externo ignorantiam culpabilem non semper excusare a praesumptione haereseos, etiamsi reus dicat, se ea ignorasse. Aliquando tamen excusatio illa iuxta circumstantias personae, loci, dogmatis etc. efficit, ut poena minuatur. Lugo, n. 195.

XLII. 4. Nec est haereticus, qui ita dispositus est, saltem habitualiter, ut a suo errore esset discessurus, si sciret esse contrarium fidei, dummodo pertinaciam actualem numquam habuerit. Ibid. et Con. l. c.

96. Heic notandum cum Lugo *de Fid.* disp. 20. n. 170., quo sensu verum sit, protestationem fidei excusare a pertinacia, ut vulgo dici solet.

Bene observat Lugo, id cum grano salis accipiendum esse. Et in foro quidem conscientiae haec protestatio poterit praebere *coniecturam,* quod ille vel non peccaverit, scil. propter ignorantiam invincibilem, vel saltem non fuerit proprie haeresis, scil. propter ignorantiam utut vincibilem. Nam qui protestatur se velle cum Ecclesia in omnibus sentire, non praesumitur velle statim se opponere Ecclesiae. In rigore tamen non est argumentum certum de defectu pertinaciae ad haeresim requisitae, praesertim si protestatio illa non proxime praecessit, sed cum multa distantia. Nam licet *sincera existimetur ea protestatio,* pertinacia potest in istanti vel in morula brevissima consummari. Et sicut qui proposuit cavere a peccato, post horam potest adveniente tentatione, graviter peccare, ita post voluntatem sentiendi cum Ecclesia, potest, adveniente tentatione, mutari voluntas illa in pertinaciam contra Ecclesiam.

XLIII. 5. Rustici, aliique homines simpliciores in Germania, qui haeretici habentur et tamen pertinaces non sunt, possunt absolvi a suis Parochis. Ratio est, quia non sunt haeretici formales habentque fidem Catholicam in Baptismo acceptam, quae non perditur, nisi errando pertinaciter. Laym. l. c.

97. Rustici eiusmodi possunt absolvi a parochis, quando in sinum Ecclesiae venire volunt; quia non censentur haeretici formales atque adeo non incurrerunt excommunicationem Papae reservatam.

Relate enim ad istos haeresis accipitur pro errore contra aliquam fidei veritatem; qui error oritur ex aliqua falsa persuasione contra Ecclesiam Catholicam, cuius auctoritatem isti ignorant, parati tamen

corrigi, si eis veritas et auctoritas verae Ecclesiae proponeretur. Multi autem tum ex Lutheranis tum ex Calvinianis aliisque sectis, quibus a suis pastoribus falsis coloribus depicta est Ecclesia catholica Romana, versantur in tali haeresi materiali. Struggl, Tract. 4. q. 2. n. 7.

Neque vero necesse est, ut eorum ignorantia sit inculpabilis. Videlicet duplici modo haeresis potest dici materialis: vel 1° quia nullum ibi sit peccatum, nisi *materiale* et hoc sensu ignorantia debet esse inculpabilis seu invincibilis: vel 2° quia nondum habetur ibi pertinacia, quae proprie *haereticum formaliter* hominem constituit, licet ignorantia sit culpabilis etiam graviter atque adeo inexcusabilis sit error.

Porro superius vidimus a n. 93. nunquam adesse pertinaciam ad veram haeresim requisitam, quando intercedat ignorantia etiam crassa atque etiam affectata. Ergo materiales dici possunt haeretici, etiamsi ipsorum ignorantia sit graviter culpabilis atque adeo non est opus, ut facultas specialis ad eos absolvendos requiratur, quippe qui excommunicationem illam in haereticos formales latam non incurrerint.

Quod ergo habet Laymann lib. 2. tract. 2. cap. 13. n. 4., qui restringit hanc doctrinam ad eos, *qui examinati invincibili vel saltem mortaliter non culpabili ignorantia laborasse videntur,* nimis severum est et ex supr. dictis reiicimus.

Quod vero ipse Laymann l. c. addit, « aliquarum ecclesiarum consuetudinem exigere, ut tales, etiam materiales haeretici, ad eos mittantur, qui ab haeresi absolvendi facultatem habent et aut Episcopi aut Vicarii examini atque iudicio relinquantur »; intelligi non debet de necessaria ad absolvendum facultate.

Potius id referendum ad aliam cautelam seu ad instructionem necessario praemittendam; imo monet ibidem Laymann absolutionem ab excommunicatione non absolute sed conditionate impertiendam. Sed quoad instructionem, recte ipse advertit, eam omnino requiri, antequam isti (sive formales sive materiales tantum haeretici sint) ad sacram confessionem admittantur. Alioquin multa incommoda accedent et plures inconstantes aut dubitantes in fide catholica permanebunt; instruendi ergo prius et interrogandi, an ex animo firma fide credant quae proponuntur et an parati sint in ea fide usque ad mortem perseverare.

Monita tamen ista pro iis circumstantiis addita a Laymann videntur, in quibus timeri possit, an alia de causa, praeter fidei et salutis aeternae amorem, ad fidem catholicam veniant.

98. Quoad praxim haec suggeri solent. 1° Ante absolutionem sacramentalem, sive sit haereticusfor malis sive solum materialis, debet

(ut diximus) sufficienter instrui in articulis necessariis fidei catholicae; ne in suam haeresim facile relabatur et alia incommoda eveniant.

2° Ante absolutionem papalem (si opus est) ab haeresi et sacramentalem a peccatis, debet abiurare suam haeresim et facere publicam fidei professionem coram Sacerdote et duobus testibus, ut statuitur non solum in iure canonico cap. *Si qui voluerint* 8. Caus. 1. q. 7.: « Si qui voluerint venire ad Ecclesiam catholicam et apostolicam... ante omnia autem hanc ab eis confessionem per scripturam exigi oportet, ut fateantur, se communi consensu Ecclesiae catholicae et apostolicae statuta observaturos » (*ex Nicaen. Concil. Can. 8. de Novatianis*), sed etiam in ritualibus.

3° Post talem professionem absolvendus est ab habente legitimam potestatem ab haeresi (si opus sit) et dein tandem absolvendus est sacramentaliter ab omnibus peccatis ac reficiendus sacra communione etc. Struggl. tract. 4. q. 2. n. 23. (a).

Quod si agatur de recipiendo in Ecclesiam heterodoxo de cuius baptismo dubitetur, an validus fuerit, adeo ut rebaptizandus sub conditione sit: 1° instruatur oportet, 2° fidem profiteatur catholicam, eiuratis erroribus, ut supra, 3° sub conditione baptizetur, 4° conditionate absolvatur et dein confirmationis et eucharistiae Sacramenta suscipiat.

Qua in re difficultas haec occurrit. Nempe si invalide baptizatus fuerat, profecto nec excommunicationem habet, a qua absolvi debeat; quia non erat subditus Ecclesiae, cuius poenas subiret nec iterum absolvi a peccatis potest, quia peccata hominis nondum baptizati non sunt materia sacramenti poenitentiae. Si vero baptizatus

---

(a) C. S. O. 18. Iulii 1630. decretum edidit pro terris infidelium, probatum deinde a Benedicto XIII. 29. Nov. 1725. « S. C. censuit, apostatas a fide, redeuntes ad poenitentiam non teneri ad abiurandam apostasiam publice coram Infidelibus, sed sufficere, ut eam abiurent in Balneo (bagno, carcere) coram fidelibus, abstinendo ab actibus infidelitatis ac deponendo habitum Infidelium, quatenus sit protestativus falsae religionis: si vero sit aequivocus, posse illum deferre; quod si ex illa delatione, ratione personae, aliqua oriretur suspicio, teneri aufugere, quam primum potuerint ». Hinc Benedictus XIII. decrevit, « quod neophyti Tongkinenses pro publica apostasia, teneantur tantum semel abiurare coram Christifidelibus et abiuratione peracta, admittantur ad confessionem sacramentalem, iniunctis poenitentiis salutaribus arbitrio confessarii ». Cf. *Collectanea constt. decrr.* S. S. d. 486.

Item iam Urbanus VIII. 25. Iul. 1630. decreto s. O. statuerat, « confessarium debere absolvere apostatam poenitentem, in articulo mortis constitutum, abiurata prius vero apostasia in foro conscientiae et si per aliquod temporis spatium (supervixerit et poterit, abiuret in Balneo coram fidelibus. Quod si nòn poterit, relinquat chirographum suae abiurationis, saltem signo crucis subscriptum, quod si neque hoc possit, committat confessario, ut suam abiurationem fidelibus manifestat. Non tamen teneri apostatam poenitentem, tunc in periculo mortis constitutum, etiam suadentibus Turcis, cum periculo vitae, fidem catholicam, quam tunc abiurata infidelitate complexus est, confiteri; sed eorum suasiones evadere, vel non respondendo vel aequivocis verbis utendo ». Solebant scilicet tunc huiusmodi homines ab infideli familia vel falsis ministris induci ad actus falsae religionis. Apud *Collectanea* etc. decr. 482. Cf. Ferraris V. *Apostata* nn. 10.-16. E.

valide fuerat, secundus baptismus conditionatus nullum habet effectum et peccata illius indigent alio remedio ac praeterea excommunicatus censetur, *si tamen noverat hanc Ecclesiae poenam, et ipse fuit satis pertinax, ut eandem poenam incurreret.*

Porro cum baptismus sub conditione non conferatur, nisi *prudens sit dubium de validitate prioris baptismi;* ergo itidem dubium prudens est, an peccata praecedentia secundum baptismum sint materia sufficiens Sacramenti poenitentiae. Atqui materiam dubiam confiteri non tenemur. Ergo videtur non posse exigi a neophyto confessio peccatorum *quasi necessaria.*

99. Ceterum contraria praxis exhibita est a nobis in secunda Guryana editione tanquam conformior instructioni, quam alias dederat s. Officii Congregatio, dum ordinem in reconciliandis hisce adultis servandum docebat. Quae quidem instructio sin minus necessariam, saltem opportunissimam supponebat confessionem. Sic 20. Iulii 1859.: « Si baptismus sit sub conditione iterandus, hoc ordine procedendum erit: 1° abiuratio seu fidei professio: 2° baptismus conditionatus: 3° confessio sacramentalis cum absolutione conditionata ». Veruntamen addebatur, quod si reipsa probabilis esset alia sententia, quae alioquin consentanea videri potuit generali principio de non imponenda confessionis obligatione, quando moraliter (ut ait s. Alphonsus lib. 6. n. 505.) de ipsa non constat; committendum non fuisset, ut ad confessionem non necessariam ille urgeretur, cui ipsa tam dura appareret, ut forte difficultate victus a reconciliatione absterreri posset.

Nunc vero pro sententia affirmante obligationem accessit s. Inquisitionis Responsum 17. Dec. 1868. Ad Postulatum enim nomine Episcoporum Angliae oblatum. *An debeat... confessio sacramentalis a neoconversis in Anglia exigi et an debeat esse integra?* ad utramque dubii partem responsum est: *Affirmative et dandum esse decretum latum* sub feria V. die 14. Iunii 1715.

Quod quidem responsum non spectare solum ad specialia Angliae adiuncta, evincit praecedens responsum anni 1715. Propositum nempe fuit *Dubium, an plena fides sit adhibenda Carolo Wippermann de Rostock in Ducatu Mecklenburg praedicanti et lectori theologiae lutheranae quietisticae superintendenti et doctori primario sectae lutheranorum quietistarum, S. Fidei reconciliato in S. O. Parmae et circa nonnullos errores detectos in eius baptismo; an ipsi credendum sit circa ea, quae narrat et quatenus affirmative, tum ut ipsius saluti, tum etiam ut ceterorum illius sectae seu regionis, praesertim si fuerint ignorantes, saluti pariter consulatur:*

Quaeritur, an dictus Wippermann sit rebaptizandus et quatenus

affirmative, an absolute vel sub conditione et quatenus affirmative, an teneatur confiteri omnia peccata praeteritae vitae et quatenus affirmative, an confessio praeponenda sit, vel postponenda baptismo conferendo sub conditione.

Sanctissimus, auditis votis Eminentissimorum dixit: Carolum Ferdinandum esse rebaptizandum sub conditione et collato baptismo, eius praeteritae vitae peccata confiteatur et ab iis sub conditione absolvatur.

Censuit ergo S. C. in his adiunctis certam esse obligationem confitendi peccata ante iteratum sub conditione Baptismum admissa. Cur vero et quanta vis sit huius declarationis, dicemus ubi de absolutione conditionata in tr. X. sect. 5.

XLIV. 6. Cum haeresis et quaevis infidelitas mortalis sit, peccant quoque mortaliter, qui eius periculo se exponunt, sive conversando sive conciones audiendo sive libros legendo: quae proinde, si cui periculosa sint, illicita sunt iure naturae; si vero periculum absit, lectio librorum haereticorum nihilominus illicita est iure positivo Ecclesiae, uti etiam formalis disputatio laici de fide. Quod posterius tamen in Germania locisque similibus, ubi Catholici haereticis sunt permixti, abrogavit consuetudo. Azor, Fill. Bec. Sanch. Bonac. disp. 3. q. 2. p. 5.

100. Haec obligatio cavendi ab iis, quae periculum inferunt peccandi communis est omnibus praeceptis; est enim obligatio vitandi occasiones proximas peccati.

Adverte tamen, non esse *crimen haeresis* huic periculo se obiicere; licet sit contra virtutem fidei.

De concionibus audiendis, superius aliquid adnotatum est n. 69. De legendis libris sermo erit in fine huius voluminis, ubi de *Prohibitione librorum.*

Quoad disputandum item superius dictum est n. 71.

XLV. 7. Matrimonium contrahere cum haeretica, etsi per se sit illicitum habeaturque in Hispania et Italia mortale, probabile tamen est, ob gravium Doctorum auctoritatem (Sanch. *de Matr*. t. 2. l. 7. d. 72. n. 5. Azor t. 1. l. 8. d. 3. c. 3. Reg. tr. 2. l. 32. n. 169. Basilius Pontius *de Matr*. l. 7. c. 6. vid. Card. de Lugo *de Sacramentis in genere* disp. 8. sect. 14. n. 120.), in Germania licere, ex gravi causa, salvo tamen iure naturali et semoto periculo tum contrahentis tum prolis; unde de iis initio constitui debet, ut catholice educentur. V. Bec. l. 5. c. 19. Dian. p. 3. t. 4. r. 269.

De hac re uberius agetur in tractatu de matrimonio, ubi de matrimoniis mixtis ibique quid de miti sententia A. censendum sit, dicemus.

XLVI. 8. Eum, qui lapsus est in haeresim, non teneri in confessione explicare, qualis illa sit, eo quod omnes eiusdem speciei sint, docent Reg. Dian. t. 1. tr. *de Circumst.* r. 46. *citans alios* et Escob. tr. 5. exam. 1. c. 5.

Alii tamen contrarium tenent, quos sequitur Card. de Lugo *de Poen.* d. 16. n. 288. et n. 291.

101. Duae heic quaestiones includuntur. Prior, an teneatur quis in confessione exprimere numerum haeresum, in quas lapsus sit, an vero plures haereses, quas quis dixerit, unum peccatum sint.

Et sic proposita quaestione respondetur, etiam auctore s. Alphonso lib. 5. n. 50., VERIOREM videri sententiam, quae dicit, unicum tantum peccatum esse. Quia non magis est infidelis qui unum articulum negat, quam qui negat plures. Pro qua sententia s. Alph. allegat Croix lib. 5. n. 156.: huc facit et allegatio *Escobar* apud Auctorem, qui dicit se id probabiliter ex Suarez affirmare.

Alia quaestio est, an diversa sint specie peccata pro diversitate haeresum, adeo ut teneatur quis explicare, qualis sit haeresis, cuius est reus. Et Auctor quidem duplicem affert sententiam, pro prima negante afferens Dianam cum aliis, pro secunda autem Lugo.

Verum facile duae sententiae conciliantur. Nam vera est prima sententia, quatenus negatio alicuius articuli fidei non differt specie ab negatione alterius articuli; imo, ut diximus (numero praec.) negatio plurium articulorum adeo non multiplicem habet speciem, ut (si unico actu fiat) nec numerum peccatorum eiusdem speciei multiplicet. Et hoc quidem etiam Lugo *de Poenit.* disp. 16. n. 293. expresse sic tenet: « Hinc infero primo, non oportere explicare errores speculativos contra fidem aut eorum diversitatem; ut si quis nullam sectam amplectens erraret culpabiliter circa Trinitatem vel circa Incarnationem sufficeret dicere: *erravi culpabiliter et advertenter circa mysteria nostrae fidei;* quia omnia illa peccata, SECLUSIS ALIIS EXTRINSECIS..., sunt eiusdem speciei, cum omnia opponantur eidem obligationi credendi seu non negandi doctrinam divinam sufficienter propositam ».

Quod si quid hac in re idem Lugo excipit ibid., hoc non negant alii, videlicet exprimendum esse, si propositio quaepiam praeter haeresim contineat etiam blasphemiam, convicium scilicet aut contumeliam in Deum. Hinc qui negaret, v. gr. *Sacramenta esse septem* aut *Paulum fuisse Hierosolymis,* non tenetur fateri nisi generaliter haeresim; addere deberet speciem blasphemiae, si quis cum Iudaeis diceret, Christum fuisse deceptorem.

102. Quod vero ulterius docet Lugo, id neque Diana neque alii negant. Haec enim est sententia Lugo *de Poenit.* disp. 16. n. 291.: « Ergo retenta nostra sententia de circumstantiis aggravantibus intra eandem speciem non necessario declarandis, adhuc existimo declarandum esse *Paganismum*, *Iudaismum* et *haeresim:* imo idem iudico de secta haereticorum, quam in particulari quis amplexus est; quia existimo eiusmodi peccata specie differre ».

Verum haec non contradicunt praecedenti doctrinae, quod eiusdem speciei sit negatio cuiuslibet articuli; imo si sermo sit de peccato contra fidem, iuxta Lugo ne Iudaismus quidem aut Paganismus aut apostasia differunt specie ab haeresi. Differre ergo specie atque adeo

in confessione exprimendas esse dicit diversas species non propter peccatum contra fidem, sed propter alia peccata specialia, quae in diversis sectis committuntur contra alia praecepta seu virtutes.

Sic ipse rem explicat l. c. n. 292.: « Quamquam illae diversae sectae non differant specie, quatenus praecise opponuntur contra fidem et negant divinam auctoritatem et Dei testimonium; differunt tamen, quatenus opponuntur religioni (aut aliis virtutibus), cum singulae sectae includant aliquas ceremonias vel ritus continentes malitiam specie diversam; v. gr. Iudaismus continet circumcisionem, quae habet malitiam superstitionis: Paganismus includit idololatriam, quae habet malitiam specie diversam: Calvinismus habet usum sacramenti invalidi in Eucharistia... et si in aliqua secta sit error circa matrimonium, ratione cuius matrimonia sint invalida, iam eo ipso illa secta includit peccata fornicationis, quae ex defectu matrimonii validi fiunt a quolibet coniuge vivente secundum ritum illius sectae. Cum ergo ille, qui amplectitur aliquam sectam, amplectatur eius ritus et mores, eo ipso habet voluntatem et propositum faciendi illa peccata specie diversa, quae in exercitio illius sectae includuntur. Unde licet lapsus in alias sectas non differant specie inter se ex parte termini *a quo*, differunt tamen ex parte termini *ad quem:* quatenus per singulas acceditur ad peccata specie diversa.... Debet ergo explicari qualis sit illa secta, ut explicetur species peccati, quod committitur, illam sectam amplectendo ».

Quam doctrinam sic brevius complectitur, ubi etiam de *apostasia* sermonem iniicit ibid. n. 296. in fin.: « Restat ergo, ut si semel explicetur *infidelitas* (idest peccatum in genere contra fidem) et qualitas sectae, quam amplexus est, *propter peccata specialia, quae singulae sectae continent*, non sit necessario explicanda circumstantia apostasiae iuxta sententiam negantem obligationem explicandi circumstantias aggravantes intra eandem speciem ».

Neque hanc doctrinam negat, sed consentanea docet Diana tom. I. tract. 7. resol. 33. et 34.

* DE LIBERALISMO *

103. Operae pretium putamus aliquid addere de pestifera secta, quae in dies aucta perniciem Religioni atque etiam civili societati nunc ubique minatur. Ea *Liberalismus* vocatur.

Quaeritur 1. in quo is situs sit. Sanctissimus Pater Leo XIII. in Encyclica *Libertas* anno 1888. data, triplex liberalium genus distinguit. 1^{m} est eorum, qui absolutam humanae rationis independentiam ab ulla lege seu superiore tuentur: hi reapse Deum verum negant sive humanam

naturam deificant atque *athei* seu *pantheistae* sunt et eorum crimen evidentissimum est: 2^m^ est eorum, qui legem Dei naturalem atque aeternam recipiunt Deoque eiusque voluntati se submittere non renuunt, dummodo haec voluntas naturali modo, ope nempe rationis, se manifestet; aliter enim se manifestanti negant se posse subiicere sive huiusmodi manifestationis negant possibilitatem vel convenientiam: hi porro *rationalistae* audiunt, impugnatores superbi ordinis supernaturalis, revelationis christianae et Ecclesiae Dei, quorum crimen, si christiani sunt, est plenitudo haeresis et apostasiae: 3^m^ genus est eorum, qui ordinem supernaturalem et Ecclesiam Christi se credere fatentur ac leges positivas Dei, quas Ecclesia proponit, ipsius quoque Ecclesiae leges normam esse concedunt privatae vitae singulorum, at contendunt pariter iis non teneri auctoritatem civilem seu *Statum,* utpote independentem prorsus ab Ecclesiae moderamine et directione. Hi simpliciter *liberales* appellantur atque aetate nostra sub hoc nomine innotescunt. Constat historice, quod qui hanc profitentur doctrinam, raro in ea sistunt, sed ad rationalismum et atheismum seu pantheismum, ut pronum est, labuntur: quo factum est, ut sub *liberalismi* nomine omnium huiusmodi errorum professio comprehenderetur (v. opusculum *Il liberalismo è peccato*): verum nihil impedit, quominus, speculative rem tractantes, purum et simplicem liberalismum consideremus et eius malitiam investigemus.

Itaque consentientibus iis, qui de hoc argumento scripserunt, cf. P. Villada *Casus conscientiae* p. 1. c. 1. pagg. 10. 11., liberalismus est systema politico-religiosum, quod plenam independentiam Status ab Ecclesia vel Religione profitetur. *Systema* dicitur; est enim complexio plurium doctrinarum, quae tamen vel eo spectant ut haec independentia modo angustius ex parte, modo plenius ex toto asseratur, vel ab affirmata independentia hac sponte dimanant. *Politico-religiosum;* versatur enim circa relationes, quas, non quilibet singularis homo, sed homines civilem societatem constituentes ideoque civilis societas seu, ut dicitur, *Status* habent vel habere debent cum Ecclesia seu Religione. *Plenam independentiam... profitetur:* certa quaedam independentia utique competit Statui ab Ecclesia; at plenam independentiam Statui asserere proprium est liberalismi, quae huc redit, ut status se regat nullo habito ad Ecclesiam vel Religionem respectu ac si ea non exsisteret (Encycl. *Quanta cura*), nulla proinde Ecclesiae admittatur auctoritas in iudicio ferendo de iis, quae a Statu fiunt vel permittuntur fieri et in obligatione ulla imponenda statui circa ea, quae finem ipsius Ecclesiae eiusque ministerium attingunt, etiam circa ea, quae ab Ecclesia ut religiosa habentur sibique proprio iure com-

petere ipsa affirmat. *Ab Ecclesia vel Religione:* quamvis vera Religio non nisi in Ecclesia sit eaque catholica; independentia tamen Status ita se explicare potest ut non solum respuat debitam subiectionem auctoritati Ecclesiae a Deo constitutae, sed nolit etiam ullam rationem habere religionis h. e. divini cultus debitique obsequi quo tenetur societas erga Deum. Porro utrumque iugum reiicit liberalismus. Quo fit ut liberalismus inter societates quoque acatholicas vigere possit, imo et inter infideles.

104. Existere sectam, quae hoc systema profiteatur, res est in facto posita, omnibus nota..Liberalismus autem vocatur, tum quia alumni huius sectae seipsos *liberales,* nuncupant (nova utique significatione indita nomini, quod antea aliud sonabat et nunc quoque potest repraesentare) tum quia huiusmodi independentia reapse est libertas quaedam, sed libertas carnis, per quam homo servus est peccati, alienus a iustitia Dei: Rom. VI. 20.-22. Quia vero qui se independentem ab aliquo asserit, quocum continuo vivit, nequit diu suam independentiam tueri, nisi eundem tandem sibi subiiciat et quia, reiecta debita dependentia ac subiectione Ecclesiae, iam non est ratio, cur Status parem in ea auctoritatem recognoscat; hinc sponte et facile eo res est adducta, ut plena independentia Status ab Ecclesia evaderet, e sententia liberalium, servitus seu subiectio Ecclesiae potestati Status. Atque hic est apex liberalismi. Prior formula erat: *Ecclesia libera in libero Statu;* posterior et accuratior: *Ecclesia subdita* (nisi exulare e mundo velit, quod omnium vere liberalium est in votis) *libero Statui.*

105. Constat hoc systema damnatum esse atque damnatum infallibili Sanctae Sedis auctoritate. Cf. inter alia Encyclicas litteras Pii IX. *Quanta cura,* ex quibus propositiones a Summo Pontifice proscriptas dedimus ab initio vol. 1. in Sylloge propp. damnatarum. Si clausulam earum litterarum perpendas, manifestum erit, ibi Pontificem omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungi et pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definire ideoque eius definitionem infallibilem esse: Conc. Vatic. Const. dogm. c. 4.

Huc quoque facit Syllabus eiusdem Pii IX., qui tamen Syllabus et alios errores damnat, puta Pantheismi, Rationalismi, Materialismi, qui liberalismus proprie non sunt; quamvis plures atque primipili liberalium eos in deliciis habeant et propagare studeant, ut liberalismum efficacius tueantur.

Nisi plura confundere velimus, liberalismus, secundum suum essentialem conceptum spectatus, distinguendus est ab atheismo, panthei-

smo, materialismo etc.; nam potest quis esse liberalis, quin sit atheus, pantheista etc., etsi atheus, panteista etc., sponte sua sint liberales. Verum conceptum liberalismi habemus in Encycl. *Quanta cura;* ibi eius omnia elementa et cum his connexa reperimus eaque satis sunt ad unum systema constituendum, distinctum formaliter a ceteris, eo pacto, quo singula systemata haeretica ab invicem distingui solent, ratione nempe habita obiecti formalis, quod asserunt, non eorum, quae supponunt aut termini, a quo recedunt.

Ex Syllabo itaque huc faciunt damnatae propositiones 19. 20. 22. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 57. 65. 67. 68. 69. 71. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80.

Auctoritas quidem Syllabi ab initio ea fuit, quae competebat Actis Apostolicae Sedis, unde singulae proscriptiones errorum desumptae sunt. An maior deinde accessit omnibus his proscriptionibus auctoritas? Fertur (cf. card. Mazzella *de Religione et Ecclesia* edit. 2. n. 1052. in nota) Pius IX. die 17. Iunii 1867. coram Episcopis Romam accitis eas confirmasse his verbis: *Encyclicam (Quanta Cura) necnon et Syllabum coram vobis nunc confirmo et vobis iterum tanquam regulam docendi propono.* Ex quibus inferes utique quod et prius tanquam regula docendi Syllabus quoque propositus fuerat; nihilominus spectato modo, quo missus fuit Syllabus, res non erat omni ex parte eliquata: dubitationem sustulisset Pius IX. verbis recitatis. Sed certius documentum huius sollemnis actus desideratur. Potius provocare licet ad confirmationem, quam dicitur obtinuisse Syllabus a feliciter regnante Leone XIII. in Encyclica data 21. April. 1878. « Qua in re Romani Pontifices, decessores nostri ac demum s. m. Pius IX. praesertim in oecumenico Vaticano Concilio (inquiens *praesertim* ad alia quoque alludit acta a Pio IX.)... haud praetermiserunt, quoties opus fuit, grassantes errores reprobare et Apostolica censura confodere. *Has condemnationes omnes* (ergo et quae in Syllabo continentur?), Decessorum Nostrorum vestigia sectantes, *Nos ex hac Apostolica veritatis Sede confirmamus et iteramus* ». Verum nondum satis constat Syllabum quoque iis comprehendi. Nihilominus monumentum est, quovis modo spectetur, magnae auctoritatis.

106. Quaeritur ergo 2° an qui liberalismum profitetur sit haereticus.

Nota 1m Infallibile Magisterium Ecclesiae se porrigit non solum ad veritates revelatas, sed et ad eas quae cum his nexae sunt, quarum certitudo necessaria est, ut certitudo illarum apud fideles sit in tuto. Cf. sis nostram tractationem de Ecclesia, in tract. *de Rom. Pont.* §. XL. ed. 2.

2m Obedientia fidei divinae debetur Deo revelanti et hoc debitum urget fideles, cum infallibile Magisterium Ecclesiae doctrinam revelatam proponit.

3m Magisterio Ecclesiae docenti iam debetur per se obedientia fidei, non quidem divinae, quae auctoritati Dei revelantis innititur, sed religiosae catholicae, innixae auctoritati infallibili a Deo constitutae, cui nos omnes subiecit. Haec fides exeritur quoque cum propter auctoritatem Ecclesiae credimus fide divina veritates a Deo revelatas.

4m Cum infallibile Magisterium Ecclesiae proponit et decernit tenendas esse veritates, quae non continentur deposito revelationis, locus est tantum huic obedientiae fidei religiosae, cuius denegatio actus est rebellionis erga legitimam Ecclesiae auctoritatem.

5m Haeresis proprie in eo est ut negetur assensus veritati a Deo revelatae, per Ecclesia Magisterium propositae ad credendum. Quocirca cum veritas quae respuitur, non est ex revelatis, haeresis proprie non habetur; habetur tamen flagitium denegatae obedientiae fidei, quae Ecclesiae debetur.

6m Quaestio an liberalismus sit haeresis, ad praxim quod spectat, revocari commode potest ad hanc: an liberalis sit haereticus. Porro constat non omnes liberales esse uniusmodi. Quidam liberalismi doctrinam plene amplectuntur: quidam diminute, quaedam tantummodo capita eius doctrinae tenentes.

107. Iam vero dicimus 1° qui doctrinam liberalismi plene amplectitur vel eius suprema capita, qui v. g. tenet plenam independentiam Status, in societate christiana, ab Ecclesia, qui huius subiectionem auctoritati Status affirmat, est vere haereticus et poenis haereticorum obnoxius. Verba sane Domini ad Petrum: ***Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis, et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in caelis,*** continent auctoritatem iurisdictionis (ct. sis nostrum Tr. *de Rom. Pont.* Th. 1.) respectu finis ultimi supernaturalis ab hominibus consequendi, erga omnes et singulos fideles et circa omnia, quae ad regimen huius regni, quod est Ecclesia, necessaria sunt et utilia vel eidem officiunt et impedimento sunt fidelibus pro consecutione finis, ut ea praecipere *ligando*, haec prohibere, irritare *solvendo* valeat. Atqui leges civiles, ordinationes, statuta feruntur in eos, qui subditi Petri sunt quique finem ultimum consequi debent sub Ecclesiae regimine: bonum autem, quod civiles leges ac civile regimen procurare debent, est sua natura subordinatum bono supremo hominum qui est ultimus finis, ad quem per Ecclesiam diriguntur; fieri vero potest, quod civiles ordinationes adversentur regimini Ecclesiae et impedimento sint fidelibus pro consecutione sui finis: ergo

ius habet Petrus proponendi legislatoribus civilibus normam, contra quam agere non possint ac prohibendi et irritandi eas leges, ordinationes, statuta, quae impedimento sint fidelibus pro consecutione sui finis atque Ecclesiae bono officiant. Haec ad essentialem conceptum Primatus Rom. Pont. spectant, qui est certe dogma fidei: atqui ea negantur a liberalibus affirmantibus plenam independentiam Status ab Ecclesia et Religione: ergo.

108. Reapse hunc, errorem iam confixit Bonifacius VIII. in Bulla *Unam Sanctam*, docens oportere gladium temporalem, qui est Regum auctoritas sive auctoritas civilis, esse sub gladio spirituali, qui est auctoritas Petri seu Ecclesiae: ut idcirco reges christiani, etiam quatenus reges sunt, subordinati esse debeant auctoritati Petri atque ita omni humanae creaturae cuiusmodi et reges, qua tales sunt, omnino de necessitate salutis sit subesse Romano Pontifici.

Et re quidem vera, cum Petrus officium et ius habeat pascendi gregem Domini, eius est iudicium ferre, quid in conscientia liceat fidelibus necne, ut Deo placeant suumque finem assequantur: porro inter ea, de quibus quaeri potest, an fidelibus liceant an non, non sunt tantum actiones eorum privatae, sed et publicae atque observatio legum, quas publica tulerit auctoritas; nam et haec observatio debet esse actus honestus et secundum rectam conscientiam, quae non est duplex in homine, sed una h. e. unam normam habens, desumptam ex fine et voluntate Dei: ergo et in iis subiici se debent fideles iudicio Ecclesiae et idcirco nequeunt eae leges observari ideoque nec ferri, quas Ecclesia iudicat esse iniquas; atqui haec est dependentia Status ab Ecclesia et Religione; ergo.

Itaque quaemadmodum certum est et de fide, Ecclesiam esse a Deo in terris statutam, ut sit omnibus Magistra veritatis omnesque dirigat in finem supernaturalem, pariter certum est et de fide, auctoritatem civilem in suis legibus et ordinationibus condendis subordinatam esse debere Magisterio et potestati Ecclesiae, ut non possit eas leges condere et ea constituere, quae Ecclesia iudicat non licere. Quis vero unquam inter christianos et christiane sentientes de hac re dubitavit? An civilis auctoritas non est subdita Deo eiusque lege tenetur? Nonne Deus Ecclesiam instituit, qua doceremur quid ipse velit? Igitur non est dubitandum, haeresim esse inter christianos asserere, Statum regendum esse aut posse iure se regere, nullo habito ad Ecclesiam vel Religionem respectu: Statum esse prorsus ab Ecclesiae Magisterio et Auctoritate independentem et, quod peius est, Ecclesiam Statui subordinari. Haereticus ergo est liberalis id asserens, utique nisi ignorantia eum excuset.

Si vero 2° sit liberalis quis diminutus, qui quaedam tantum capita doctrinae liberalismi teneat et non fundamentalia, cuiusmodi e. gr. sunt error 19. 20. et 40. in Syllabo; tum, ut iudicium feratur, an haereticus sit necne, considerandum erit an error, quem amplectitur, opponatur veritati revelatae, an tantum veritati, quam sua auctoritate infallibili probavit Ecclesia. Sic e. gr. censeremus haereticum, qui affirmaret proscriptas in Syllabo doctrinas sub nn. 65. 66. 68. 73., nondum haereticum, qui 75. et 76. teneret. Si res dubia sit, donec Ecclesia sententiam suam ferat aut Theologorum disputationibus res clara fiat, standum pro minori culpa.

Cum igitur confessarius poenitentem aliquem deprehenderit liberalem esse vel causam habuerit cur suspicetur et interrogaverit an ita sit, eo pacto cum huiusmodi hominibus ipse se geret, quo cum iis solet et debet, qui aut haeretici vere sunt aut saltem Ecclesiae iudicio se subiicere renuunt, vel alterutrius criminis idoneam ingerunt suspicionem. Conferri interea potest cit. P. Villada p. 1ª, casu 3. et 4.

SECTIO II.

DE PRAECEPTO SPEI

I. Per spem, quae est virtus Theologica, intelligitur amor concupiscentiae erga Deum, quo Deum et divina, prae omnibus aliis concupiscibilibus, nobis concupiscimus, ita ut omnia potius parati simus perdere, quam Deum et divina. De hac quaeritur, quando eius praeceptum obliget.

109. Multiplex est significatio nominis *spes*. Sane s. Thom. 3. Dist. 26. q. 2. art. 1. ad 3.: « Spes multis modis dicitur. Quandoque enim nominat passionem et sic non est virtus. Quandoque nominat habitum inclinantem ad actum voluntatis similem spei, quae est in parte sensitiva, quae est passio et sic est virtus ».

« Quandoque vero nominat ipsum actum et sic est actus virtutis. Quandoque autem nominat ipsam rem speratam Tit. II. 13.: *Exspectantes beatam spem* (cf. et Rom. VIII. 24. 25. *Spes autem quae videtur, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam exspectamus*). Ubi spes est id, quod exspectamus et sic est obiectum virtutis. Quandoque autem nominat *certitudinem*, quae consequitur spem Rom. V. 4.: *Probatio vero spem* (operatur) idest spei certitudinem et sic nominat statum perfectionis in virtute, quantum ad certitudinis intentionem ».

Suarez addit alium sensum, qui erit sextus, *de Spe* disp. 1. init.: « Interdum dicitur de illo, in quem speramus, ut frequenter videre est in Psalm. XIII. 6.: *Dominus spes eius est:* Psalm. XXI. 10.: *Tu es,*

qui extraxisti me de ventre, spes mea etc. » Et in antiphona *Salve Regina* ad B. V.: *spes nostra salve.* Valentia tom. 3. disp. 2ª q. 1. punct. I.: « Spes communissimo sensu dicitur quaecumque exspectatio futuri eventus sive *boni* sive *mali*, Virgilius: *Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.* Proprie magis dicitur de exspectatione futuri boni ».

Conceptum spei exhibet s. Thomas 2. dist. 26. q. 2. a. 3. « Spes de ratione sua dicit extensionem appetitus in aliquod arduum, quod non omnino excedat facultatem sperantis. Ea enim quae excedunt et velut excedentia apprehenduntur, desperationem magis quam spem faciunt. Unde secundum hoc quod inest alicui facultas in aliquod arduum, secundum hoc est inclinatio in illud arduum et ideo in illud arduum, quod proportionatur facultati naturae sensitivae, *inclinatio sensitivi appetitus spem facit, quae est passio;* in illud vero arduum, quod proportionatur naturae intellectivae, *inclinatio illius facit spem, quae est actus voluntatis* ».

Quae ut intelligas, adverte haec in doctrina s. Thomae. 1° Spes et est in appetitu sensitivo et sic est passio atque est in voluntate et sic est actus rationalis. 2° Prout passio est, pertinet ad partem irascibilem non concupiscibilem; partis enim concupiscibilis est prosequi bonum sibi et refugere a malo: sed quia necesse est quod interdum animal difficultatem experiatur vel pugnam subeat pro adipiscendo bono aut cavendo malo, eo quod haec excedunt potestatem facilem animalis, ideo ipsum bonum vel malum, prout ardua sunt vel difficilia, sunt obiectum *irascibilis.* Quaecumque ergo passiones respiciunt absolute bonum vel malum, pertinent ad concupiscibilem, ut amor, odium, gaudium, tristitia etc. Quaecumque vero passiones respiciunt bonum vel malum sub ratione ardui, prout est aliquid adipiscibile vel fugibile cum aliqua difficultate, pertinent ad irascibilem, ut audacia et timor, spes, ira etc. 1. 2. q. 23. a. 1.

Quamvis in appetitu sensitivo distinguantur, e doctrina s. Thomae, pars concupiscibilis et irascibilis, in voluntate tamen, quae bonum sub universalissima ratione respicit, nulla est huiusmodi distinctio: spes proinde quae est actus voluntatis, nequit proprie dici esse non in concupiscibili, sed in irascibili. Nihilominus, quoniam proportio est quaedam inter actus voluntatis et appetitus atque quod appetitui competit, plenius et simplicius a voluntate habetur, ipsa voluntas potest dici *irascibilis*, prout vult impugnare malam, quamvis non ex impetu passionis atque in ardua tendit: 1. p. q. 82. a. 5. ad 2. Quocirca caritas et spes non sunt quidem in concupiscibili et irascibili, proprie loquendo, cum sint actus simplices voluntatis, sed dicitur caritas esse

in concupiscibili, spes in irascibili, quatenus in voluntate sunt, quae habet actus similes concupiscibili et irascibili: *de Verit.* q. 25. a. 3. ad 6^{m}. Iam vero agimus nunc de spe, prout est rationalis actus, a voluntate elicitus.

110. Definitio spei, prouti est virtus theologica, ab A. tradita: *amor concupiscentiae erga Deum* etc. merito potest videri manca. Forte supplent postrema: *parati sumus perdere omnia potius, quam Deum,* ubi innuitur cura adipiscendi hoc bonum.

Item manca est definitio apud Struggl tract. 4. q. 3. n. 2.: « Est virtus divinitus nobis infusa, qua voluntas desiderat Deum, prout iste est beatitudo nostra ex gratia et meritis consequenda ».

Ratio, cur utraque non placeat, est, quia spes supponit potius amorem et desiderium et supra ea quidpiam addit. Ita certe s. Thomas 1. 2. q. 40. art. 1.: « Patet, quod spes differt a desiderio, sicut differunt passiones irascibilis a passionibus concupiscibilis et propter hoc spes praesupponit desiderium, sicut omnes passiones irascibilis praesupponunt passiones concupiscibilis ». Ergo male definitur spes per merum desiderium. Pariter idem s. Thomas 1. 2. q. 62. art. 4. ad 3.: « Spes respicit duo. Unum quidem sicut principale obiectum, scilicet bonum, quod speratur et respectu huius *semper amor praecedit spem*, nunquam enim speratur aliquod bonum nisi desideratum et amatum ». Et rursus 1. 2. q. 40. art. 7.: « In quantum igitur spes respicit bonum speratum, spes ex amore causatur; non enim est spes nisi de bono desiderato et amato ». Amor vero, ex quo spes, saltem necessario, procedit, non est perfectus amor, qualis est caritas, sed imperfectus amor, quo complacemus in eo, quod est bonum nobis: 2. 2. q. 17. a. 8. Cum ergo spes praesupponat amorem et desiderium, non recte per tales actus definitur.

Si itaque non recte definitur spes per amorem aut desiderium, quia spes praesupponit ea et aliquid superaddit, qui demum istud erit? Audiatur s. Thomas 1. 2. q. 40. art. 1.: « Circa obiectum autem spei quatuor conditiones attenduntur. *Primo* quidem quod sit bonum; non enim proprie loquendo est spes nisi de bono et per hoc differt spes a timore, qui est de malo. *Secundo* ut sit futurum; non enim spes est de praesenti iam habito et per hoc differt spes a gaudio, quod est de bono praesenti. *Tertio* requiritur quod sit aliquid arduum cum difficultate adipiscibile; non enim aliquis dicitur aliquid sperare minimum, quod statim est in sua potestate ut habeat et per hoc differt spes a desiderio vel cupiditate, quod est de bono futuro absolute, unde pertinet ad concupiscibilem, spes autem ad irascibilem. *Quarto* quod illud arduum sit possibile adipisci; non enim aliquis sperat id, quod

omnino adipisci non potest et secundum hoc differt spes a desperatione ».

111. Quod ergo spei ita proprium est, ut eam a desiderio seu cupiditate distinguat, est tertia obiecti conditio, nempe *difficultas consecutionis ob arduitatem* (a). Imo et quarta conditio ad id quadantenus conducit; nam desiderium et de re potest esse non possibili desideranti (desiderium quoddam inefficax), spes non item.

Hinc ad locum Augustini, ubi cupiditas ponitur loco spei, sic respondet ibid. ad 1: « Dicendum quod Augustinus ponit cupiditatem loco spei, propter hoc, quod utraque respicit bonum futurum et quia bonum, quod non est arduum, quasi nihil reputatur, ut sic cupiditas maxime videatur tendere *in bonum arduum*, in quod etiam tendit spes ». Et ad 2: « Obiectum spei non est bonum futurum absolute sed *cum arduitate et difficultate adipiscendi* ».

Adde quae habet 3. dist. 26. q. 2. a. 2. ad 2^{m}: « Spes non solum facit tendere in Deum ut quoddam *arduum* consequendum, sed etiam ut ex *ipso est auxilium* in omnibus aliis arduis vel bonis acquirendis vel malis vitandis. Unde qui habet spem, sperat Deum consequi speratque per ipsum omnia necessaria quantumcumque difficilia obtinere: sperat omnia nociva, *quantumcumque sint difficilia*, repellere. Et secundum hoc spes est in homine principium omnium operationum, quae ad bonum arduum ordinantur, sicut caritas omnium quae in bonum tendunt et sicut fides omnium, quae ad cognitionem pertinent ».

Inde est, quod s. Thomas ideo negat, in Sanctis esse spem relate ad gloriam *corporis;* quia non est *boni ardui*. Ita *de Virtut.* q. 4. art. 4. ad 15.: « Dicendum, quod gloria corporis derivatur in Sanctis a gloria animae et ideo habentibus gloriam animae, quae est potior, gloria corporis *non habet rationem ardui* » (b).

Et rursus probaturus, non inesse beatis spem circa continuationem beatitudinis, sic disserit ibid. ad 3.: « Dicendum, quod continuatio beatitudinis non habet rationem futuri, quia inquantum aliquis homo fit beatus, aeternitatem participat, in qua non est praeteritum et futurum: unde in beatitudine illa dicitur vita aeterna. Dato etiam quod haberet rationem futuri, *non habet rationem ardui* respectu eius,

---

(a) Eatenus ergo *arduum* bonum dicitur, quatenus non huiusmodi est, ut illud assequamur statim ac volumus, sed opus est actione ac contentione virium atque etiam auxilio alterius. Hoc autem est, quod alii significant dicentes, spem esse *desiderium cum exspectatione:* desiderium nempe boni, quod nobis promittimus attenta nostra industria aut auxilio alterius aut utroque; sic enim dicimur exspectare illud: quam doctrinam habes a Laymann sub n. 12. et est prorsus clara. E.

(b) Tanta est enim certitudo, ut nulla sit possibilis fuga a bono tamquam difficili, ut dicitur sub n. 10. et ideo non sit locus spei, quae hanc fugam removeat. E.

qui beatitudinem obtinet. Ex hoc enim ipso accepit non solum facultatem sed etiam necessitatem quandam nunquam peccandi sed semper permanendi. Et ideo totaliter tollitur ratio spei ».

Munus autem speciale spei *respectu ardui* sic exhibet s. Thomas, 3. dist. 26. q. 1. art. 1. ad 1.: « Appetitivae partis duplex est motus, scilicet prosecutio et fuga. Obiectum autem spei, quod est bonum difficile et arduum, ratione suae bonitatis natum est movere ad prosecutionem, sed ratione suae difficultatis natum est movere ad fugam. Hic tamen motus retardatur per spem et ideo spes importat primum motum..., tamen cum quiete privante secundum motum, qui est fuga ». Proprium igitur spei est prohibere, ne difficultas boni arceat ab ipsius prosecutione.

Addit s. Thomas, ex difficultate addi quandam bono pretiositatem. Ita l. c. art. 2. ad 1.: « Difficile vel arduum addit quandam specialem rationem bonitatis, scilicet pretiositatem quandam, ex hoc ipso quod non de facili habetur, sicut dicitur omne rarum, carum ».

112. Ex dictis patere debet, quinam sit character proprius actus spei et quomodo spes a desiderio differat. Differt nempe, non quasi ab elemento alieno nec quasi excludat ipsum; imo vero spes supponit desiderium et ita supponit, ut includat; sed quidpiam addit, quod desiderium per se non importat, removendo fugam, quam boni difficultas seu arduitas suadere nata est.

Quinam actus in spe ceu elementa contineantur, sic tradit Laymann lib. 2. tr. 2. cap. 1. n. 6.: « Superest, ut explicemus definitionem spei iuxta strictiorem eius acceptionem traditam a scholasticis cum Magistro 3. dist. 26.: *Exspectatio certa beatitudinis ex Dei gratia et nostris meritis*. Cum dicitur exspectatio, nota hos voluntatis actus subordinatos esse, qui sunt *amor, desiderium, intentio et exspectatio*. Nam *amor* latius patet, quam desiderium: amamus enim cum absentia tum praesentia, desideramus tantum absentia. *Desiderium* latius patet intentione et expectatione; quia desiderium boni absentis aliud est simplex, quo desideramus etiam ea, quae valde difficilia aut impossibilia acquisitu iudicamus ideoque desperamus nec consequi intendimus, quo modo reus supplicio afficiendus vitam longiorem desiderat, quam tamen desperat et interdum obtinere non intendit. Aliud vero est desiderium efficax boni absentis seu nondum possessi, quod quatenus per media acquisita possibile iudicatur, dicitur intentio; quatenus vero arduum, tamen reipsa acquirendum iudicatur propter mediorum efficacitatem sive propter propriam facultatem sive ob alterius auxilium, dicitur expectatio. Ex quo apparet, quod actus expectationis seu spei modum quendam firmitatis superaddat actui intentionis propter perspectam obtinendi facultatem ».

113. Ex munere itaque spei proprio, ut desiderio rei exoptatae addat remotionem fugae, seu quietem in desiderio non obstante difficultate, additur actus expectationis. De qua s. Thomas 3. dist. 26. q. 1. art. 1. ad 3.: « Frequenter nomina imponuntur rebus occultis ex suis signis, sicut essentiales differentiae ex accidentibus nominantur. Signum autem alicuius *quiescentis* cum extensione appetitus in aliquid desideratum solet esse quod frequenter visum dirigit in illud, ut videat si ex aliqua parte ad ipsum accedat et ideo *dispositio praedicta quietis cum motu* dicitur expectatio ». Exspectatio igitur dicit extensionem seu intentionem desiderii cum quiete idest securitate adipiscendi.

Veruntamen spes quidpiam addit vel ipsi exspectationi. Nam, ut habet s. Thomas, ubi explicat verba Damasceni dicentis concupiscentiam *bonum exspectatum* 3. dist. 26. q. 1. art. 3. ad 2.: « bonum exspectatum Damascenus large accipit pro bono, quod nondum habetur; quod quidem commune *est concupiscentiae, et spei* ». Sane spes exspectationi, quae communis est cum concupiscentia, addit certitudinem. Ita s. Thom. ibid. ad 1.: « Exspectare importat protensionem appetitus in aliquid cum quiete privante fugam vel recessum (recessus proprius est desperationis). Haec autem quies contingit ex difficultate eius in quod motus appetitus tendit, sed non in promptu est ut habeatur: quod enim in promptu est, sine mora acquiritur. Et quia bonum cum difficultate proprie est obiectum irascibilis; ideo exspectare proprie ad irascibilem pertinet tendentem in aliquod bonum. Habet autem se ad spem sicut commune ad proprium, inquantum spes addit certitudinem circa exspectationem » (a).

Exinde s. Thomas dicit, verba illa Symboli: *Exspecto resurrectionem mortuorum et vitam venturi seculi,* referri ad spem. Ita 2. 2. q. 17. art. 6. ad 2.: « Exspectatio ponitur in symbolo fidei non quia sit actus proprius fidei, sed inquantum actus spei praesupponit fidem... Et sic actus fidei manifestatur per actus spei ».

Notandum vero, quomodo spes seu exspectatio differat a longanimitate: « Exspectatio, inquit s. Thom. 2. 2. q. 17. art. 5. ad 3., quae ponitur in definitione spei, non importat dilationem, sicut exspectatio, quae pertinet ad longanimitatem; sed importat respectum ad *auxilium divinum,* sive id, quod speratur, differatur, sive non differatur ».

114. Quod vero spes respiciat ad auxilium alterius, eam distinguit a magnanimitate. Ita s. Thomas 2. 2. q. 17. art. 5. ad 4.: « Magnanimitas tendit in arduum sperans aliquid, quod est suae potestatis: unde

---

(a) Sed qui definiunt spem, desiderium cum exspectatione, exspectationem certam intelligunt. E.

proprie respicit operationem aliquorum magnorum. Sed spes, secundum quod est virtus theologica, respicit arduum alterius auxilio assequendum ».

Sed haec exspectatio alterius auxilii explicat, quomodo spes habeat obiectum possibile et possit ab eodem bono recessum impedire.

« Spes, inquit s. Thomas 3. dist. 26. q. 2. art. 2., de ratione sua dicit extensionem appetitus in aliquod arduum, quod non omnino excedit facultatem sperantis. Ea enim quae excedunt et velut excedentia apprehenduntur, desperationem magis quam spem faciunt. Unde secundum hoc quod inest alicui facultas in aliquod arduum, secundum hoc est inclinatio in illud arduum. Et ideo in illud arduum, quod proportionatur facultati naturae sensitivae, inclinatio appetitus sensitivi spem facit, quae est passio; in illud vero arduum, quod proportionatur naturae intellectivae, inclinatio illius spem facit, qui est actus voluntatis. Sed quia est aliquod arduum, quod excedit facultatem naturae, ad quod homo per gratiam potest pervenire: ideo oportet, quod *ex aliquo dono naturae superaddito fiat inclinatio in illud arduum* et illud donum est habitus spei ». Ex quibus planum fit, bonum speratum fieri possibile per gratiam atque adeo consequendum esse auxilio alterius.

Hinc doctrina, quod spes respiciat duo, scil. et obiectum speratum et auxilium, quo rem speratam obtineamus. Ita 1. 2. q. 40. art. 7.: « Spes duo respicere potest. Respicit enim sicut obiectum bonum speratum. Sed quia bonum speratum est arduum possibile, aliquando autem fit aliquod arduum possibile nobis non per nos sed per alios: ideo spes etiam respicit illud, per quod fit nobis aliquod possibile ».

Quia vero ex supradictis beatitudo aeternae vitae fit nobis possibilis solum per auxilium divinum, proinde sic eam doctrinam in casu applicat 2. 2. q. 17. art. 4.: « Spes duo respicit, scilicet bonum, quod obtinere intendit et auxilium, per quod illud bonum obtinetur. Bonum autem, quod aliquis sperat obtinendum, habet rationem causae finalis; auxilium autem, per quod aliquis sperat illud bonum obtinere, habet rationem causae efficientis... Spes autem respicit beatitudinem aeternam sicut finem ultimum, divinum autem auxilium sicut primam causam inducentem ad beatitudinem ».

Et art. 6. ibid. ad 3.: « Spes facit tendere in Deum sicut in quoddam bonum finale adipiscendum et sicut in quoddam adiutorium efficax ad subveniendum ».

Et ibid. art. 7.: « Obiectum spei est uno modo beatitudo aeterna et alio modo divinum auxilium... Et utrumque eorum proponitur nobis per fidem, per quam nobis innotescit, quod ad vitam aeternam possu-

mus pervenire et quod ad hoc paratum est nobis divinum auxilium, secundum illud Hebr. XI.; *Accedentem ad Deum oportet credere quia est et quia inquirentibus se remunerator est.* Unde manifestum est, quod fides praecedit spem ».

Quod ergo spes extendat appetitum ad arduum, quod est vita aeterna et arduitas non prohibeat, inde est, quod innititur divino auxilio. Ita s. Doctor *de Virt.* q. 4. a. 1.: « Est autem possibile aliquod haberi ab aliquo dupliciter: uno modo per potestatem propriam, alio modo per auxilium alterius; nam quae per amicos sunt possibilia, aliqualiter possibilia dicimus... Sic igitur quandoque sperat homo aliquid adipisci per propriam potestatem, quandoque vero per auxilium alienum: *et talis spes expectationem habet, in quantum homo respicit in auxilium alterius* ».

Unde sic; In tantum spes habet exspectationem, in quantum nititur auxilio alterius. Atqui exspectationis proprium est, ut (sup. n. 12.) sit dispositio quietis vetantis recessum a bono, in quod quis motu desiderii fertur. Ergo in quantum spes nititur divino auxilio munus obit spei omnino proprium.

115. Ceterum cum s. Thomas innuit, obiectum spei uno modo esse beatitudinem aeternam, alio modo auxilium, quo beatitudo obtineatur, eo ipso innuit duo obiecta, quae spes perinde ac aliae theologicae virtutes habet.

Qua de re sic s. Doctor *de Virt.* q. 4. art. 1. post verba mox allegata: « Tunc necesse est, quod motus spei feratur in duo obiecta, scil. in bonum adipiscendum et in eum, cuius auxilio innititur. Summum autem bonum, quod est beatitudo aeterna, homo adipisci non potest nisi per auxilium divinum... et ideo spes adipiscendi vitam aeternam habet duo obiecta, scilicet ipsam vitam aeternam, quam quis sperat et auxilium divinum, a quo sperat... Sic igitur sicut formale obiectum fidei est veritas prima, per quam sicut per quoddam medium assentit his, quae creduntur, quae sunt materiale obiectum fidei; ita etiam formale obiectum spei est *auxilium divinae potestatis et pietatis,* propter quod tendit motus spei in bona sperata, quae sunt materiale obiectum spei. Sicut ergo ea quae creduntur materialiter, omnia referuntur ad Deum, quamvis aliqua eorum sint creata, sicut quod credimus, omnes creaturas esse a Deo etc., ita etiam omnia, quae materialiter sperantur, ordinantur in unum finem speratum, quod est fruitio Dei: in ordine enim ad hanc fruitionem speramus adiuvari a Deo non solum spiritualibus sed etiam corporalibus beneficiis ».

Ubi adverte, obiectum *formale* ita describi, ut ponatur in recto *auxilium* et in obliquo ponatur divina potestas et pietas: *divinae,* ait,

potestatis et pietatis. Ut hoc rite intelligatur et non confundatur cum auxilio, quod esse potest obiectum spei *materiale,* accipienda ea verba sunt pro voluntate Dei potente et benigna auxiliandi.

Idque expressius alibi s. Thomas sic dicit 2. 2. q. 18. art. 4. ad 2.: « Spes non innititur principaliter gratiae iam habitae, sed divinae omnipotentiae et misericordiae, per quam etiam qui gratiam non habet, eam consequi potest, ut sic ad vitam aeternam perveniat. De omnipotentia autem Dei et misericordia eius certus est quicumque fidem habet ».

116. Quaenam autem sit certitudo spei, paucis sic tradit s. Thomas *de Virtut.* q. 4. art. 4. art. 2. ad 4.: « Dicendum, quod certitudo spei derivatur a certitudine fidei. In quantum enim motus appetitivae virtutis dirigitur a virtute cognoscitiva, participat aliquid de eius certitudine ».

Porro quomodo virtus appetitiva participet certitudinem ex vi cognoscitiva, sic alibi 2. 2. q. 18. art. 4. explicat: « Dicendum, quod certitudo invenitur in aliquo dupliciter, scilicet essentialiter et participative. Essentialiter quidem invenitur in vi cognoscitiva; participative autem in omni eo, quod a vi cognoscitiva movetur *infallibiliter* ad finem suum. Secundum quem modum dicitur quod natura certitudinaliter operatur, tanquam mota ab intellectu divino certitudinaliter movente unumquodque ad finem suum. Et per per hunc etiam modum virtutes morales certius arte dicuntur operari, inquantum per modum naturae moventur a ratione ad suos actus et sic etiam spes certitudinaliter tendit in finem suum, quasi participans certitudinem a fide, quae est in cognoscitiva ».

Certitudo igitur et infallibilitas spei sequitur certitudinem et infallibilitatem fidei et refertur 1° ad certitudinem divinae ordinationis, 2° ad certitudinem divini auxilii, 3° ad infallibilem ordinem inter duo ista et boni sperati assecutionem.

« Spes, inquit s. Thom. 3. dist. 26. q. 2. art. 4., supponit *facultatem* in finem perveniendi, quae *quidem est ex liberalitate divina ordinante* nos in finem et ex *meritis*, secundum quae omnes virtutes in finem ultimum perveniunt; ideo certitudo spei causatur ex *liberalitate divina* ordinante nos in finem et ex *inclinatione omnium aliarum* virtutum et etiam ex *inclinatione ipsius habitus:* et ideo praeter certitudinem, quam habet ut quaedam virtus, includit certitudinem, quae est in omnibus aliis virtutibus et ulterius certitudinem divinae ordinationis ».

117. At, inquies, nonne s. Petrus dicit: *Cum timore et tremore salutem vestram operamini?*

Resp. s. Thomas 3. dist. 26. q. 2. art. 4. ad 4.: « Quandiu in hac

vita sumus, potest esse accidentale impedimentum, ne spes, quae de se certitudinem habet, suum finem consequatur et ideo nunc cum spe adiungitur timor separationis ». Et rursus, ibid. ad 2.: « Certitudo cognitionis nunquam deficit; sed certitudo naturae deficit quidem, non per se, sed per accidens; quia talis defectus *non est ex ipso directivo in finem,* ex quo habet certitudinem, sed ex aliquo accidente: sicut ignis habet certitudinem absolutam calefaciendi et tamen deficit quandoque ex aliquo impedimento. Et similiter etiam est de spe: unde etiam ipsa inclinationis naturae certitudo dicitur spes, ut patet Rom. IV. 18. *Qui contra spem in spem credidit* ».

Deficere autem per accidens non indicat defectum ex parte Dei aut ex parte mediorum, prouti a Deo sunt, sed tantummodo ex peccatis.

Ita s. Thomas 2. 2. q. 18. art. 4. ad 3.: « Dicendum, quod hoc, quod aliqui habentes spem, deficiant a consecutione beatitudinis, contingit ex defectu liberi arbitrii ponentis obstaculum peccati, non autem ex defectu potentiae vel misericordiae, cui spes innititur. Unde hoc non praeiudicat certitudini spei ».

118. Hinc vero patet, quomodo possit spem habere etiam ille, qui non habet aut gratiam aut merita.

S. Thomas, 1. 2. q. 62. art. 4. ad. 2.: « Potest autem aliquis sperare, antequam habeat caritatem, non ex meritis, quae iam habet, sed quae sperat se habiturum ».

Et 1. 2. q. 65. art. 4.: « Similiter dicendum est de spe (quod possit esse sine caritate, sicut dixerat de fide). Nam actus spei est exspectare futuram beatitudinem a Deo, qui quidem actus perfectus est, si fiat ex meritis, quae quis habet, quod non potest esse sine caritate. Si autem hoc exspectet ex meritis, quae nondum habet, sed proponit in futuro acquirere, erit actus imperfectus et hoc potest esse sine caritate ».

Qua de re *de Virt.* q. 4. art. 3. ad 2.: « Spes, quae est ex meritis praecedentibus, non potest esse sine caritate, quae est merendi principium. Sed spes informis, quae est sine meritis in actu sed ex meritis in proposito, est quidem sine caritate in actu, sed non sine caritate in proposito ».

Nec spei certitudini obest, quod quis nesciat, an gratiam habeat. S. Thom. 3. dist. 26. q. 2. art. 4. ad 5.: « Licet nesciam, utrum finaliter habiturus sim caritatem; tamen scio quod caritas et merita, quae in proposito habeo, ad vitam aeternam certitudinaliter perducunt ».

Certitudo ergo spei dicit infallibilem firmitatem eorum, quae spem causant.

Haec de virtute spei videbuntur forte lectori latius, quam par sit,

a nobis pertractata: verum tum obiecti nobilitas, tum absentia accuratae notionis huius virtutis in pluribus tractationibus moralibus, tum eiusdem necessitas pro instructione catechetica, quae ampla esse velit et ad tramites veritatis exacta, effecerunt ut diutius in hac declaratione immoraremur.

II. Resp. 1. Probabile est praeceptum Spei obligare per se, cum primum homini usum rationis assecuto Deus et Beatitudo, tamquam finis, ad quem ten lere debet, sufficienter est propositus; ita ut notabili tempore non differat. Ita Becan. c. 17. q. 7. n. 2. Turr. et ceteri commun. Et est ratio; quia sine actu Spei nec iustificari nec in iustitia divina persistere nec meritorie operari possumus. vid. Scholasticos.

III. Resp. 2. Praeceptum Spei per accidens obligat. 1. Quando actus Orationis, Poenitentiae, Caritatis etc. in praecepto sunt, qui sine praevio actu Spei exerceri non possunt. Ita Auct. cit. et Fill. tr. 22. c. 8. n. 255. 2. Quando quis ita tentatur, ut periculum sit consensus, nisi animum spe erigat. Vid. Fill. l. c. Laym. l. 2. t. 2. c. 2. Bonac. t. 2. d. 5. q. 3.

119. Cum de obligatione spei habendae agitur, advertendum in primis, spem necessariam esse *necessitate medii* ad assequendam iustificationem et salutem. Quoad iustificationem, patet ex Trid. sess. 6. c. 6. Et sane cum homo debeat se actibus suis praeparare ad iustificationem a Deo gratuito obtinendam, id facere nequit, nisi speret. Rursus eodem pacto cum finem suum, qui est Deus, consequi debeat homo meritis suis per auxilium Dei, nequit ad hunc finem se movere nisi bonum illud arduum speret et speret auxilium Dei. Quia vero quae necessaria sunt necessitate medii, si sint in nostra potestate, sunt etiam nobis praecepta, patet actum spei cadere sub praecepto.

Pro intelligentia ergo prioris responsionis, duo advertenda sunt. Primum, quod in huiusmodi praecepto duplex potest obligatio considerari: altera, qua praeceptum evadit *negativum* et erit obligatio non desperandi vel etiam non praesumendi (nam duo haec vitia virtuti spei opponuntur, alterum per defectum, alterum per excessum) et sic praeceptum spei obligat semper et pro semper, iuxta naturam praecepti negativi; altera, qua praeceptum est *affirmativum* et erit obligatio eliciendi positive actum spei. Et haec non obligat pro semper, sed solum suis temporibus.

Alterum est, quod haec obligatio vel est intrinseca vel extrinseca: quod aliis verbis efferri solet, nempe quod spei praeceptum obligat vel *per se vi* scilicet *ipsius virtutis* vel *per accidens*, quia nempe actus aliquis spei necessarius est ad aliud praeceptum implendum, v. gr. poenitentiae, quemadmodum dictum est de fide (n. 40.). Et de utraque hac necessitate tractat Auctor distinctis duabus responsionibus.

120. Iam vero quod aliquando praeceptum spei per se obliget deducitur ex damnata Prop. I. ab Alex. VII.: « Homo nullo unquam

vitae suae tempore tenetur elicere actum fidei, spei et caritatis ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium ».

Pulchre s. Thomas ad quaestionem, utrum de spe debeat dari aliquod praeceptum 2. 2. q. 22. art. 1.: « Respondeo dicendum, quod praeceptorum, quae in sacra Scriptura inveniuntur, quaedam sunt de substantia legis, quaedam vero sunt preambula ad legem. Preambula quidem sunt ad legem illa, quibus non exsistentibus lex locum habere non potest. Huiusmodi autem sunt praecepta de actu fidei et de actu spei. Quia per actum fidei mens hominis inclinatur, ut recognoscat auctorem legis talem cui se subdere debeat. Per spem vero praemii homo inducitur ad observantiam praeceptorum. Praecepta vero de substantia legis sunt, quae homini *iam subiecto* et ad obediendum parato imponuntur, pertinentia ad rectitudinem vitae. Et ideo huiusmodi praecepta statim in ipsa legislatione proponuntur per modum praeceptorum. Spei vero et fidei praecepta non erant proposita per modum praeceptorum, quia nisi homo iam crederet et speraret, frustra ei lex proponeretur. Sed sicut praeceptum fidei proponendum fuit per modum denunciationis et commemorationis, ut supra dictum est q. 16. art. 1., ita etiam praeceptum spei in prima legislatione proponendum fuit per modum promissionis. Qui enim obedientibus praemia promittit, ex hoc ipso incitat ad spem. Unde omnia promissa, quae in lege continentur, sunt spei excitativa. Sed quia lege iam exposita, pertinet ad sapientes viros, ut non solum inducant homines ad observantiam praeceptorum, sed etiam multo magis ad conservandum legis fundamentum; ideo post primam legislationem in s. Scriptura multipliciter inducuntur homines ad sperandum etiam per modum admonitionis vel *praecepti* et non solum per modum promissionis, sicut patet... in multis aliis Scripturae locis ». Post quae verba, nescio, quomodo Turrianus in 2. 2. disp. 65. dub. 1. alleget s. Thomam quasi affirmantem nuspiam in ss. Litteris hoc praeceptum proponi, sed loca Scripturarum intelligi posse de meris hortationibus.

121. Quaestio ergo fit quando obliget hoc praeceptum. Et quidem determinare hoc tempus, difficile est. Cum enim praeceptum hoc non obliget pro semper et ipsum praeceptum non determinet tempus, recurrendum videtur ad articulum necessitatis, qui, ait Suarez *de Spe*, disp. 2. sect. 1. n. 2., vix potest in proposito designari.

Primum vero simul et unicum tempus, in pro praeceptum spei *per se* obliget, Auctor recenset, cum homini, usum rationis assecuto, proponitur Deus ceu beatitudo ac finis, ad quem tendere debet. Et rationem reddit; quia sine spe nec iustificari nec in iustitia persistere nec meritorie operari potest.

Verum haec non modicam habent difficultatem. Nam ratio allata manifeste evincit, actum spei pro adultis necessarium esse necessitate medii. Nam, ut inquit Laymann lib. 2. tr. 2. cap. 2. n. 1., Deus homines adultos salvare non vult sine eorum voluntate et cooperatione: haec autem cooperatio, supposita fide, non fit sine actu spei; siquidem per spem voluntas viatoris incipit accedere et appropinquare Deo. Porro si actus spei est ita necessarius, quomodo Auctor dicit, esse *probabile* hominem teneri etc.?

Praeterea alius obiiciet, ex vi allatae rationis actum spei non *per se*, sed ratione alterius praecepti esse necessarium. Et reipsa si fingas, hominem non teneri primo illo tempore, quo acquirit usum rationis, se ad Deum convertere aut quidpiam aliud praestare, ad quod actus spei sit necessarius, eo ipso iam cessat huius actus necessitas pro eo tempore.

Et concedendum videtur, utramque difficultatem solida ratione inniti. Hinc quod secundum Sanchez *Mor.* lib. 2. capp. 33. n. 3.: « Esto, diceremus hoc praeceptum (se convertendi ad Deum) tunc (cum primum homo acquirit usum rationis) obligare, non obligaret praeceptum spei *per se*, sed *per accidens* ratione alterius » (a).

Quod vero attinet ad primam difficultatem, ideo Auctor dicit, esse *probabile* hominem tunc teneri; quia licet certum sit, debere hominem ad Deum converti, cum ei est sufficienter propositus, tamen non aeque certum est, hominem ad eam conversionem teneri primo tempore, quo incipit usus rationis.

122. Nempe dissentiunt Scholastici, an statim ac puer ad usum rationis pervenerit, teneatur se ad Deum convertere: quam conversionem Doctores, affirmativam sententiam tenentes, non eodem modo deinde explicant. Et quidem hanc quaestionem agitare consueverunt ad aliam controversiam solvendam, num scilicet possit fieri, ut puer cum solo peccato originali habeat peccatum veniale. De qua s. Thom. 1. 2. q. 89. art. 6., Suarez *de Peccat.* disp. 2. sect. 8., Vasquez in 1. 2. disp. 149., Sanchez *Moral.* lib. 2. cap. 33. n. 3. et alii passim Commentatores s. Thomae (in eum locum).

Indoles tamen illius controversiae efficit, ut ea, quae incidenter dicunt de nostra hac quaestione, non magnam nobis afferant utilitatem. Sane lis est inter eos, de qua conversione, perfectane per caritatem, an alia minus perfecta, obligatio concedenda sit vel neganda: quamvis etiam negata necessitate perfectae conversionis per caritatem

---

(a) **Erit forte qui putet, cum de prima conversione ad Deum agitur, actum spei, non simplex medium, sed intrinsecum elementum eiusdem esse, spem nempe esse inchoatam illam conversionem, quae perficitur accedente caritate. E.**

posset spes habere locum in alia conversione minus perfecta. Rursus qui negant obligationem perfectae conversionis, non infinite id negant, sed mere contendunt, non ita urgere illud conversionis praeceptum statim post acquisitum usum rationis, ut interim non possit prius offerri occasio peccati venialis committendi. Quod Auctor innuit, dum ait, ita puerum teneri, ut *non differat notabili tempore.* Quocirca posset dici, omnes fateri et tenendum esse, per eam aetatem revera intra quoddam temporis spatium (alii plus alii minus coarctant) occasionem et necessitatem occurrere actum spei eliciendi.

Veruntamen pro re nostra nihil proprie extundi potest; quia non *per se* urgeret praeceptum, ut diximus, sed alia esset ratio obligationis. Ceterum, etiamsi adesset ista obligatio praecepti per se, scientia huius praecepti in puero supponi non potest et e contrario ubi proponitur sufficienter etiam pueris obiectum huius spei, instar miraculi habendum foret, si non tenderent in illud actu quopiam spei idoneo. Proinde quoad praxim concludi potest, hanc quaestionem vix esse necessariam.

Concludendum ergo cum Suarez *de Spe* disp. 2. sect. 1. n. 3.: « Dico ergo, ut de caritate et poenitentia resolvi solet, hoc tempus non posse designari positive et omnino determinate, sed quasi negative et confuse; tenetur enim homo aliquando in vita spem exercere; quod vero illud sit nunc vel postea, relinquitur hominis arbitrio. Item negative possumus dicere, teneri hominem non diu differre huiusmodi actus post perfectam propositionem beatitudinis vel eius apprehensionem. Denique ita tenetur exercere hos actus, ut ratione illorum sit bene dispositus ad operandum et vitandum peccata; quod moraliter praestari non potest, nisi ab homine bene sperante ». Sed hoc est *ratione alterius* nec haberetur malitia distincta a peccato, in quod quis laberetur (cf. *de Fide* n. 40.). Haec autem ratio a Coninck *de Spe* disp. 19. dub. 9. n. 44. sic effertur: « Vix fieri potest, ut quis concipiat serium ac constans propositum bene vivendi, nisi eiusmodi spem concipiat ». Et Turrianus in 2. 2. disp. 65.: « Spes enim maxime necessaria est ad rectam vitae institutionem ».

123. Sed ecce praesto sunt alii casus, in quibus obligatio per se huius praecepti a DD. agnoscitur.

Sane obligat per se, quando quis per desperationem amisisset habitum spei infusum; nam in eo casu tenetur homo se convertere per spem ad suum ultimum finem, inquit Struggl tract. 4. q. 3. n. 9. et melius forte dicet alius, tenetur a desperatione recedere, quod solum spem concipiendo fieri potest et, inquit Sanchez lib. 2. cap. 33. n. 3., eodem praecepto *tenetur homo* sperare et non desperare.

Alii assignant tempus obligationis articulum mortis; quia, inquiunt, debet se praemunire contra tentationes. Verum sic, ut advertit l. c. Sanchez, non adest obligatio ex vi praecepti, sed per accidens ex aliis praeceptis.

Item dicunt, quando urget gravis tentatio desperationis, quae aliter vinci non potest, nisi per oppositum actum spei et tunc utique ipsa virtus spei, quae desperationem vetat, praecipit tentationem repelli non modo per actum spei, sed et per alia media: licet si per alia media repelli posset, non esset obligatio eliciendi actum spei, etsi praeceptum repellendi tentationem sit ex virtute seu praecepto spei.

Ceterum bene monent DD., pro praxi, quoad impletionem huius praecepti nullum habendum esse scrupulum. Quippe ad implendum hoc praeceptum, sicut et de praecepto fidei diximus, sufficit spes virtualis et haec passim exercetur, cum quis sponte et libere orat aut sacramenta suscipit aut pia opera exercet: negari autem nequit et virtuali huiusmodi exercitio fieri satis huic praecepto. Hinc vix suspicio est, fideles huic obligationi deesse. Qui vero desunt, cum fere sine advertentia id faciant, non est cur quoad praeteritum molestia eis creetur.

Quod attinet ad Resp. 2^{m} ex dictis res clara est. Adverte inter eos, quos enumerat A. et illos actus recenseri posse, qui ex necessitate medii identidem fiunt (a).

Unde sequentes casus resolvuntur.

IV. 1. Mortale peccatum est sperare, sive amare magis (amore concupiscentiae) terrena haec, quam caelestia: v. g. si quis ita comparatus sit, ut desideret perpetuo degere in hac vita et Deo relinquere caelum, si sibi relinquat terram.

124. Ad intelligendam rationem resolutionum, recole ea, quae de natura spei traduntur. Nempe cum obiectum spei sit Deus, ut summum bonum, amabile amore concupiscentiae, quasi in commodum amantis; primus actus, qui in sperante supponitur, est iste amor concupiscentiae. Suar. *de Spe*, disp. 1. sect. 3. n. 4.

Porro ex hoc concupiscentiae amore nascitur desiderium vel beatitudinis vel bonorum supernaturalium; quippe omnis amor parit desiderium, si bonum amatum sit absens. Suarez ibid. n. 10.

(a) Quidam cum praecepto spei coniungunt praeceptum quoque *timoris*, de quo plura et frequenter in Scripturis. Verum si timor sit filialis, hic non ad spem, sed ad caritatem pertinet. Si autem timoris nomine intelligimus solum fugam seu aversionem ab aeterna poena, hic actus iam continetur implicite in desiderio beatitudinis, quod pertinet ad spem. Si timor proprie accipitur prout respicit malum imminens a Deo: hic actus non spectat ad virtutem theologicam atque praeceptus quidem est, verum non per se sed propter aliud, ut prompti nempe efficiamur ad observantiam legis, cuius transgressio meretur poenam. Cf. s. Thomam, 2. 2. q. 22. a. 2. E.

Si autem bonum amatum sit excellens et difficile ad consequendum, etiam ex amore eius nascitur spes; necessarium tamen est, ut adsit iudicium, quo quis credat consecutionem talis boni esse possibilem, imo et esse futuram vel certo vel probabiliter pro ratione spei. Suar. ibid.

Denique necessarium est, ut non adsit iudicium certum ac definitum, tale bonum nunquam fore consequendum; quia ex hoc nascitur desperatio. Suar. ibid.

Iam vero, omni virtuti, ad quam spectat amare, desiderare et gaudere, possunt secundum omnes hos actus assignari actus contrarii; nam eadem est ratio contrariorum. Quocirca amori concupiscentiae Dei contrarium est odium, non quo proprie ipsi Deo in se aliquod malum quis velit, sed quo Deum a se avertat ita, ut nolit in eo constituere suam felicitatem. « Potest enim quis vel ex ira vel ex nimio amore creaturarum odisse Deum ac de eo tristitiam habere seu taedium, ut clare in hoc actu explicatur: Volo potius in re alia quam in Deo ponere felicitatem meam. Et similiter potest intelligi tristitia spei contraria ». Suarez, ibid. disp. 2. sect. 2. n. 3.

In hoc peccato cum aversio a Deo sit quasi directe voluntaria et aversio sit per odium et tristitiam, patet esse peccatum ex suo genere gravissimum. Suarez, ibid. n. 9.

125. Occasione exempli, quod ponit A. illius, qui desiderat perpetuo in hac vita degere, quaeri potest an sit contra spem, optare e contrario mortem ex taedio vitae.

Ad quam quaestionem bene respondet Gury tom. 1. §. 214. id non esse contra spem; quia non excluditur finis ultimus aut eius assecutio. Si quod peccatum sit, est quaedam inordinata voluntas eius, quod divina Providentia non disposuit vel inordinatus amor sui. Quatenus esse potest inordinatus amor sui, de eo agemus in seq. sect. Prout vero esse potest inordinata voluntas contra divinam Providentiam, ut peccatum grave sit, necesse est, ut sit vera rebellio contra illam cui non vult homo subiici aut quam detestatur. Secus, manente subiectione hominis Deo, peccatum erit veniale, ob defectum debitae conformitatis voluntati divinae.

V. 2. Mortale item est desperare de consequendo Deo aut salute et venia peccatorum aut mediis ad illam consequendam necessariis, v. g. auxiliis gratiae et emendatione vitae. Quod peccatum ratione parvitatis materiae non potest esse veniale, cum sit iniuriosum misericordiae Dei S. Thom. q. 20. a. 3. Laym. l. 2. t. 2. c. 2. n. 3.

126. Desperatio est voluntaria diffidentia obtinendi a Deo beatitudinem et auxilia ad eam necessaria. Est vehementer iniuriosa divinae bonitati divinisque promissis et peccatum est ex genere suo

mortale: cum per eam homo a Deo avertatur nec nisi ob imperfectionem actus esse potest veniale, cuiusmodi in gravi tristitia, cum animus non bene sui compos est, accidere solet. 2. 2. q. 20. a. 1. et 3.

Non est autem opus infidelitatem praevertere in mente, ut in voluntate exsistat motus desperationis. Manente enim in intellectu recta aestimatione circa universalia, potest particularis aestimatio corrumpi: ita manente iudicio quod fornicatio sit peccatum ideoque fugienda, potest particulare iudicium subire quod heic et nunc sit facienda quia placet. Iam vero ut oriatur motus desperationis, satis est particularem aestimationem corrumpi, ut v. gr. etsi quis credat Deum velle omnium salutem, potest tamen aestimare quod sibi in tali statu exsistenti non sit amplius Deus veniam peccatorum concessurus. Idcirco fieri potest ut in peccatore sola fides maneat. s. Thomas ibid. a. 2.

« Ad hoc autem ut homo aliquod bonum arduum (ideoque magnum) non aestimet ut possibile sibi adipisci vel per se vel per alium, perducitur ex nimia deiectione, quae quando in homine dominatur, videtur ei, quod nunquam possit ad aliquod bonum relevari. Et quia accidia est tristitia quaedam deiectiva spiritus, ideo per hunc modum desperatio ex accidia generatur. Hoc autem est proprium obiectum spei, scilicet quod sit non solum bonum et arduum sed et possibile (cf. heic Caiet.) ». Ibid. a. 4.

VI. 3. Mortale etiam est praesumere de misericordia Dei, v. g. cum quis sperat id, quod est impossibile secundum legem Dei ordinariam: ut si speres remissionem peccatorum et salutem sine poenitentia vel per propria merita et vires naturae: vel etiam si quis statuat perseverare in peccatis, quandiu bene valet et tamen speret se acturum poenitentiam ante mortem. S. Th. 2. 2. q. 21. art. 1. Laym. l. c.

127. Praesemptio heic refertur ad voluntatem et significat generatim quemdam animi motum ad aliquid agendum, quod excedit agentis facultatem seu vires suas. Clarius: « Praesumptio, ait s. Thomas 2. 2. q. 21. a. 4., duplex est. Una quidem, quae innititur propriae virtuti, attentans scilicet aliquid ut sibi possibile, quod propriam virtutem excedit... Alia est praesumptio, quae innititur inordinate divinae misericordiae vel potentiae, per quam sperat se obtinere gloriam sine meritis vel veniam sine poenitentia ».

Quinque modi praesumptionis enumerari possunt ex Suarez.

Primus est, si quis speret consequi beatitudinem vel remissionem peccatorum propriis viribus: haec est praesumptio pelagiana, quae non potest committi sine haeresi.

Secundus est, si quis indebito ordine speret aut velit supernaturalia, puta remissionem peccati sine poenitentia, gloriam sine meritis, sanctitatem excellentem tepide operando. Et haec est praesumptio lute-

rana, quae vix potest committi graviter sine tali haeresi et spei aperte repugnat.

Tertius modus est, si quis speret a Deo speciale praesidium ad res illicitas, ut ad peccandum vel ad sumendam vindictam de inimico; quo pacto Calvinistae peccatum Deo adscribunt, uti proditionem Iudae.

Quartus est, si quis speret a Deo supernaturalia bona praeter ordinem divinae providentiae: ut si quis speraret se habiturum tantam gloriam, quantam habet B. V. Est autem contra spem, quia haec nititur divina potentia Dei ordinata et promissionibus eius. Unde quamvis iste videatur magna sperare de Deo; tamen quatenus invertit ordinem divinae sapientiae, indigne sentit de Deo et pervertit ordinem sperandi.

Denique quintus est illorum, qui cum diu in peccatis perseverent, tam facilem sperant futuram veniam et tam certam, *ac si nihil peccarent.* Et hoc etiam est contra debitum ordinem spei. Nam licet interdum delinquere ex fragilitate ob spem veniae possit non esse praesumptio, imo aliquantulum minuere peccatum (v. infr. 52.); inde tamen occasionem perseverandi in peccato sumere, quoddam est praesumptionis genus.

Ita Suarez *de Spe* disp. 2. sect. 3. n. 2., qui addit n. 3. tres priores modos esse gravissimos; in duobus autem reliquis facilius esse posse culpam levem. Praeterea notat n. 4., quod licet tres priores modi corrumpant spem, non solum quia regulariter supponunt infidelitatem, sed etiam quia destruunt formale obiectum spei et reddunt hominem indispositum ad actum spei; qui enim sperat de suis viribus, nihil cogitat de bonis supernaturalibus: qui etiam sperat contra debitum ordinem divinarum promissionum, destruit fundamentum et rationem spei infusae; tamen peccatum praesumptionis, prout communiter committi solet, scil. potius in actu exercito et virtualiter quam formaliter, non destruit virtutem spei; quia est peccatum imperfectum in suo ordine nec reddit hominem omnino inhabilem ad actum spei. Neque opus est, ut peccatum contra spem ipsam excludat: quemadmodum nec omne peccatum contra fidem facit infidelem.

128. Auctor Thomam et Laymann allegat pro sententia aiente, peccari praesumptione, dum quis statuit perseverare in peccato quousque bene valeat et speret se acturum poenitentiam ante mortem.

S. Alph. lib. 2. n. 21. reponit, quod « hoc non dicunt neque s. Thomas neque Laymann ». Et est verissimum: nam Laymann lib. 2. tr. 2. cap. 2. n. 2. et 3., solum loquitur de eo, « qui confidat ex Dei misericordia consecuturum se remissionem peccatorum *sine operibus poenitentiae* ».

Itemque s. Thomas tum 2. 2. q. 21. art. 1. tum ibid. art. 4. de praesumptione loquitur, qua quis « sperat se obtinere gloriam sine meritis, vel veniam sine poenitentia ».

Contra vero ibid. art. 2. ad 3. ita de casu nostro loquitur: « Ad tertium dicendum, quod peccare *cum proposito perseverandi in peccato sub spe veniae,* ad praesumptionem pertinet. Et hoc non diminuit, sed auget peccatum. Peccare autem *sub spe veniae quandoque percipiendae cum proposito abstinendi a peccato et poenitendi de peccato*, hoc non est praesumptionis. Sed hoc peccatum diminuit; quia per hoc videtur habere voluntatem minus firmatam ad peccandum ». Hinc Suarez mutuatus ea est, quae habet (*sup.* n. 127.).

S. Thomas a. 1. exempla afferens praesumptionis, prout inordinate innititur divinae misericordiae, ait: « sicut si aliquis sperat se veniam obtinere sine poenitentia vel gloriam sine meritis ». Et in art. seq. demonstrans praesumptionem esse peccatum, hos duos actus solum memorat eodemque modo loquitur art. 4. Nunc vero in textu mox allegato art. 2. ad 3. respondens argumento desumpto ex Magistro, qui dixit Adamum minus peccasse, quia peccavit sub spe veniae: cum s. Thomas dicit, ad praesumptionem pertinere, peccare cum proposito perseverandi in peccato sub spe veniae, de eo loquatur oportet, vel qui sperat veniam absque poenitentia, vel cui spes veniae sit ratio perseverandi in peccato. Sane recitato hoc textu s. Thomae, Salmanticenses tr. 21. c. 5. n. 56. subdunt: « Unde qui sperat gloriam, nolens a peccato recedere, quod est velle perseverare in peccata, habens tamen propositum ante mortem a peccatis resipiscendi, non proprie peccatum praesumptionis committit: quia hic non destruit motivum spei ». Et s. Alphonsus, n. 21. producta eadem sententia s. Thomae, infert: « quare, secundum s. Thomam, non est peccatum contra spem velle perseverare in peccato, sub spe aliquando poenitendi ».

129. At alia est hypothesis, si spes veniae sit ratio perseverandi in peccato. Hanc hypothesim reapse facit Suarez l. c. n. 50. in fine, loquens de eo, qui inde, h. e. ex spe veniae *occasionem sumit* perseverandi in peccato. Iam vero occasionem sumere perseverandi in peccato ex spe veniae huc redit, ut spes veniae seu divina misericordia sit ratio cur quis velit perseverare in peccato. Loquitur utique Suarez de perseverantia in peccato; sed quia discrimen inter peccare et iugiter in peccatis admittendis perseverare, videtur accidentale, ratione scilicet numeri et temporis: quaestio fieri potest et de eo, qui sub spe veniae peccat.

Iam vero ad hanc specialem quaestionem spectat doctrina s. Alphonsi qui n. 21. probat distinctionem traditam a Sporer *de Spe*, c. 4. n. 1. et a Croix lib. 2. n. 126., scilicet: non peccare ex praesumptione, si quis peccat, sperando concomitanter peccatum postea remissum iri: at contra spem peccare, si spes de venia facile obtinenda fieret illi ratio

seu motivum ad peccatum influens, vel si peccata augeret, quia Deus tam facile ignoscit decem, quam quinque peccata, quod peccatum esse praesumptionis dicit.

Quam doctrinam amplectitur Struggl, tr. 4. q. 2. n. 17., duas statuens assertiones. 1° « Quando misericordia Dei est motivum partiale (*partiale* inquit; nam motivum quoque erit semper mala cupiditas) intrinsecum ipsius voluntatis peccaminosae et ratio propter quam liberius peccat, tunc talis voluntas peccaminosa semper est simul praesumptio. Ratio, quia hoc modo peccans habet inordinatam fiduciam in misericordiam divinam eaque tanquam motivo liberius peccandi abutitur ».

2° « Quando misericordia Dei non est motivum partiale intrinsecum ipsius voluntatis peccaminosae, sed solum actus spei distinctus, praevius, concomitans et consequens, tunc voluntas peccaminosa non est praesumptio, etsi actus spei praevius removeat maiorem timorem peccati et sit per accidens occasio liberius peccandi adeoque in tali casu non committitur peccatum praesumptionis ».

130. Veruntamen quaestio fieri poterit, an frequenter putandum sit hoc speciale peccatum praesumptionis admitti. Videtur enim generatim in huiusmodi peccatoribus spes veniae esse concomitans, ut removeat etiam, quemadmodum loquitur Struggl, maiorem timorem peccandi et sit occasio, per accidens, liberius peccandi; non vero esse motivum vel partiale peccandi, sed hoc esse plene malam cupiditatem. Cum praesertim non sit adeo obvia et facilis haec ratio agendi, etiam malae voluntati, ut spem veniae seu divinam misericordiam assumat tamquam motivum peccandi.

131. Praesumptio, qua « aliquis sperat se veniam obtinere sine poenitentia vel gloriam sine meritis, est proprie species peccati in Spiritum Sanctum; quia scilicet per huiusmodi praesumptionem tollitur vel contemnitur adiutorium Spiritus Sancti, per quod homo revocatur a peccato ». S. Thomas 2. 2. q. 21. a. 1.

Haec si ex errore pelagiano procedat, coniuncta est cum haeresi. Verum fieri potest, aiunt Salmant. l. c. n. 56., quod quis sine praedicto errore praesumat consequendam gloriam et remissionem peccatorum, absque poenitentia et meritis, a sola Dei misericordia, puta ex quodam privilegio, quo Deus ex potentia absoluta velit eum locupletare. Sic potius stultus est, quam infidelis. Atque hoc quoque peccatum grave est, ex superbia procedens, contradicens ordini divinae providentiae. Praesumptio, de qua diximus n. 129., non habet adiunctam haeresim: manifesta est autem iniuria, quae fit divinae bonitati.

132. Si per se comparatio fiat inter desperationem et praesumptionem, qua quis inordinate innititur divinae misericordiae; minus est

peccatum praesumptio, quam desperatio; « quoniam magis proprium est Deo misereri et parcere, quam punire, propter eius infinitam bonitatem. Illud enim secundum se Deo convenit, hoc autem secundum nostra peccata ». Desperatio totaliter avertit a Deo; praesumptio retinet adhuc conversionem aliquam ad Deum. S. Th. q. c. a. 2.

Praesumptio leve peccatum esse potest cum propter imperfectionem actus, tum etiam propter levitatem materiae, ut si in aliquo periculo, absque debita oratione aut praeparatione, speres tibi, quod non est promissum, auxilium Dei.

Advertunt DD. (cf. Gury, tom. 1. n. 214. q. 4.) non esse peccatum praesumptionis, si quis pluries idem peccatum (vel diversa peccata) committat, quia tam facile pluries (vel plura) quam semel commissum accusatur. Nihil est enim in hac ratione agendi, quod adversetur spei: est tamen prava animi dispositio.

VII. 4. Denique mortale est odisse Deum (odio scilicet abominationis seu aversionis) v. gr. si Deus displiceat tanquam nobis infestus, propter vindictam peccatorum. V. Laym. l. c. Bon. disp. 3. q. 3.

133. Res clara est. Sed cur hoc peccatum recenseatur inter ea, quae sunt contra spem, ratio esse potuit; quia iuxta A. amor Dei boni nobis, est actus spei, quae est sententia Suarez: at in sect. seq. videbimus hunc amorem quoque ad caritatem spectare.

SECTIO III.

DE CARITATIS PRAECEPTIS

CAPUT I.

AN, QUANDO ET QUOMODO OBLIGET PRAECEPTUM CARITATIS DEI.

I. Caritas Dei est amor amicitiae, quo Deo bene volumus et omnia bona ipsi cupimus ob summam et infinitam eius divinae naturae perfectionem.

134. S. Thom. 1. 2. q. 26. art. 4.: « Motus amoris in duo tendit, scilicet in bonum, quod quis vult alicui vel sibi vel alii et in illum, cui vult bonum. Ad illud ergo bonum, quod quis vult alteri, habetur amor concupiscentiae; ad illum autem, cui aliquis vult bonum, habetur amor amicitiae ». Qui et benevolentia dicitur et aliud est ab amicitia. S. Thomas 2. 2. q. 23. a. 2. negans actum caritatis perinde esse ac benevolentiam, ait... « Amor, qui est in appetitu intellectivo, etiam differt a benevolentia; importat enim quandam unionem secundum affectum amantis ad amatum, inquantum scilicet amans aestimat amatum quodammodo ut unitum sibi vel ad se pertinens et sic movetur in ipsum. Sed benevolentia est simplex actus voluntatis, quo

volumus alicui bonum, etiam non praesupposita praedicta unione affectus ad ipsum. Sic ergo in dilectione, secundum quod est actus caritatis, includitur quidem benevolentia; sed dilectio sive amor addit unionem affectus et propter hoc Philosophus dicit, quod benevolentia est principium amicitiae ».

Amicitia vero definiri solet « *amor benevolentiae, mutuus, non latens, cum aliqua bonorum communicatione* ».

Dicitur *amor benevolentiae* seu melius cum benevolentia; quia, ut dicit s. Thom. 2. 2. q. 23. art. 1.: « non quilibet amor habet rationem amicitiae, sed amor qui est cum benevolentia, quando scilicet sic amamus aliquem ut ei bonum velimus. Si autem rebus amatis non bonum velimus, sed ipsum earum bonum nobis velimus, sicut dicimur amare vinum aut equum aut aliquid huiusmodi, non est amor amicitiae sed cuiusdam concupiscentiae. Ridiculum enim est dicere, quod aliquis habeat amicitiam ad vinum vel ad equum ».

Nota. Non ita dividitur amor amicitiae et amor concupiscentiae, ut quilibet amor, qui non sit amicitiae, sit amor concupiscentiae; quia scilicet potest esse benevolentia sine amicitia et sine concupiscentia, aliis verbis non omnis amor benevolentiae est amor amicitiae. Sic nulla amicitia est ad aviculam, ad catellum etc., nec tamen affectus erga huiusmodi debet esse concupiscentiae, sed saepe sistit in illis.

Item saepe homines diligunt alios, qui id ignorant: nec tamen est amor concupiscentiae. Imo affectus excitatur etiam erga mortuos: ita legendo historias vel aetatis praesentis vel etiam antiquiorum temporum affectus fertur vel in quasdam gentes aut in quasdam personas. In his omnibus nulla est adhuc amicitia neque concupiscentia.

Patet ergo, latius patere amorem benevolentiae, quam amorem amicitiae seu, ut melius dicamus, inter benevolentiam et amicitiam ingens discrimen esse, sicut quasi inter genus et speciem.

Nam ad amicitiam requiritur *amor mutuus*. Potest autem fieri, ut amemus aliquem amore benevolentiae, si velimus ei bonum et deficiat redamatio. Ita Deus amat peccatores et illis benefacit; nec tamen est vere illorum amicus. Ita etiam peccator potest diligere Deum ratione imperfecta vel certe antequam gratia sanctificante induatur, cum scilicet nondum constitutus est Dei amicus.

Dicitur *non latens:* et reipsa amici dici non solent, si neuter sciat alterius in se amorem. Addunt, amicitiae proprium esse ut sit diuturna imo perennis: diuturnus autem non potest esse amor sine amore mutuo; frigescet enim facile.

Additur cum *communicatione bonorum.* Haec communicatio non uno modo intelligitur.

Nam 1° quidam explicant de beneficiis invicem rependendis. Quo revocant illud s. Gregorii: *Probatio dilectionis exhibitio est operis* et Apostoli: *Non diligamus verbo neque lingua* etc.

2° Quidam explicant per bonum aliquod, quod commune debeat esse, ut in eo quaedam sit *societas, aequalitas* etc., uti est *inter concives, inter commilitones, inter consanguineos* etc. Et quoad rem praesentem considerant *vitam gratiae, qua efficimur divinae consortes naturae.*

Huc spectat, quod quisque feratur ad diligendos eos, qui similes sibi sint in indole, in professione, in doctrina in vitiis quoque. Haec omnia et singula vera sunt, sed non requiruntur omnia.

135. Itaque amicitia non dicit actum amoris sed habitum caritatis seu statum illius, qui habet caritatem. Consonat id sacris litteris. Ita Christus Ioan. XV. 14. 15. *Vos amici mei estis, vos dixi amicos.* Ps. CXXXVIII. 17. *Nimis honorificati sunt amici tui, Deus.* Iacob. II. 23. *Abraham amicus Dei appellatus est.*

Notanda est doctrina s. Bonaventurae: quod amor concupiscentiae sit a caritate. Ita ille 3. dist. 27. art. 2. q. 2. quaerens, *an motus caritatis possit esse mercenarius* et distincta mercede creata ab increata et aeterna, subdit: « De secunda mercimonia dubium est, pro eo quod illa potest esse cum caritate, *non tamen est omnino certum, utrum sit a caritate.* Nam quidam voluerunt dicere, quod non est a caritate sed potius ab affectu naturae, caritate concomitante. Amor enim caritatis, ut dicunt, cum sit amor gratuitus, non intuetur praemium; imo liberaliter omnino facit hominem servire Deo, sicut filius patri suo. Aliis autem videtur, quod talis affectus mercenarius possit esse a caritate. Desiderium enim habendi aeternam mercedem et fruendi aeterno bono, est desiderium gratiae nec est amoris naturalis nec acquisiti, sed potius amoris gratuiti: praecipue illud desiderium, quo dicebat Apostolus: *Cupio dissolvi et esse cum Christo.* Ad affectum enim caritatis non tantum spectat amare Deum amore amicitiae, imo etiam amore concupiscentiae; frui enim est amore inhaerere et constat, quod frui Deo est per caritatem. Et ideo voluerunt isti dicere et satis probabiliter, ut videtur, quod motus caritatis secundum aliquod genus mercimoniae possit esse mercenarius, scilicet secundum quod constituit mercedem suam circa bonum increatum, ad quod tendit sicut ad finale praemium et desiderat tanquam omne bonum. Si enim hanc positionem sustinere velimus tanquam probabilem, *satis faciliter dissolvuntur rationes, quae sunt ad oppositam partem* ».

Illud autem notandum, quod dubiam ac probabilem dicit thesim de caritatis *motu mercenario*, non autem dubium dicit principium de

duplici amore, scil. et amicitiae et concupiscentiae exoriente a *caritatis* virtute. Imo hoc principio ceu certo utitur etiam in responsione ad 2.: « Dicendum quod duplex est motus in caritate, videlicet motus amicitiae et motus concupiscentiae. Motus amicitiae est ille, quo quis desiderat Deo placere et servire. Motus concupiscentiae est, quo desiderat Deum habere et videre ».

136. Hinc s. Thomas ponit obiectum caritatis in Bono divino quatenus est obiectum beatitudinis. Ita 2. 2. q. 23. art. 4.: « Proprium obiectum amoris est bonum. Et ideo ubi est specialis ratio boni, ibi est specialis ratio amoris. Bonum autem divinum, inquantum est beatitudinis obiectum, habet specialem rationem boni. Et ideo amor caritatis, qui est amor huius boni, est specialis amor. Unde et caritas est specialis virtus ».

Et 1. 2. q. 65. art. 5. ad 1.: « Caritas non est qualiscumque amor Dei, sed amor Dei, quo diligitur ut beatitudinis obiectum ».

Et q. 114. art. 4.: « Considerandum est, quod vita aeterna in Dei fruitione consistit. Motus autem humanae mentis ad fruitionem divini boni est proprius actus caritatis ».

Hinc ex s. Thoma discrimen inter caritatem et spem, quoad obiectum 2. 2. q. 23. art. 6. ad 3.: « Idem bonum est obiectum caritatis et spei. Sed caritas importat unionem (in hac vita inchoatam) ad illud bonum: spes autem distantiam quandam a Deo. Et inde est, quod caritas non respicit illud bonum, ut arduum ».

137. S. Alph. lib 2. n. 24. confirmat, desiderium possidendi Deum esse obiectum caritatis; « quia, inquit, caritas tendit in Deum tanquam ultimum finem et ideo desiderium possidendi Deum, qui est ultimus finis, est proprius actus caritatis: imo perfectior aliis; nam possessio Dei est caritas consummata ».

Et s. Bernardus tr. *de diligendo Deo* c. 7. n. 17.: « Non enim sine praemio diligitur Deus, etsi absque praemii intuitu diligendus sit ». Quibus verbis quidam abutuntur. Sed attendant, s. Bernardum excludere solum temporalem mercedem. Hinc pergit. « Verus amor se ipso contentus est. Habet praemium, sed id, *quod amatur*. Nam quicquid *propter aliud* amare videaris, id plane amas, quo amoris finis pertendit non per quod tendit... Quanto magis Deum amans anima aliud praeter Deum sui amoris praemium non requirit? aut si aliud requirit, illud pro certo, non Deum diligit ».

Huc spectant quae habet s. Franciscus Salesius tr. *de Amore Dei* part. 2. lib. 4. cap. 10.: « At si, quod impossibile est, exstaret quaedam infinita bonitas, inter quam et nos nulla communio intercederet, profecto eam in maiori pretio haberemus quam nosipsos... et conse-

quenter fieri posset, ut desiderium simplex foveremus eam diligendi: verum, proprie loquendo, eam non diligeremus; quia amor respicit unionem. Multoque minus integrum nobis esset habere erga eam caritatem; nam caritas est amicitia et amicitia debet esse mutua, cum fundetur in communicatione atque habeat pro fine unionem. Quod dico propter quosdam homines, qui chimaeris pascuntur ». Vide Bulgeni *della Carità*, part. 1. cap. 4. n. 51.

Huc faciunt et illa Hugonis a s. Victore lib. 2. *de Sacram.* cap. 8.: « Sed forte mercenarius eris, si diligis Deum et servis ei, ut praemium ab illo accipias. Dicunt hoc stulti quidam et tam stulti, ut se ipsos non intelligant. Diligimus (inquiunt) Deum et servimus illi, sed non quaerimus praemium, ne mercenarii simus, etiam ipsum (scil. Deum) non quaerimus: dabit, si voluerit, sed nos non quaerimus. In tantum enim excutimus manus ab omni munere, ut etiam ipsum non quaeramus, quem diligimus. Pura enim et gratuita et filiali dilectione diligimus: nihil quaerimus. Ipse cogitet, si quid dare voluerit; nos nihil requirimus. Diligimus ipsum, sed non quaerimus aliquid: etiam ipsum non quaerimus quem diligimus. Audite homines sapientes: Diligimus (inquiunt) ipsum, sed non quaerimus ipsum. Hoc est dicere: Diligimus ipsum, sed non curamus de ipso. Ego homo sic diligi nollem a vobis. Si me sic diligeretis, ut de me non curaretis, ego de vestra dilectione non curarem ».

138. Hinc patet haud admittendum, quod s. Alphonsus, post Iuvenin et Habert cum Gotti, dicit lib. 2. n. 24., diligere divinam bonitatem tanquam nobis convenientem esse actum caritatis, « si respicimus bonum nostrum, ut terminum gloriae Dei, diligendo divinam bonitatem tanquam nobis convenientem, eo quod ipsa nos adiuvat ad Dei voluntatem adimplendam et consequendum nostrum ultimum finem, qui est diligendi Deum et propter quem Deus nos creavit: non vero « si respicimus bonum nostrum tanquam terminum talis actus, quia esset amor concupiscentiae ». Pro qua confusione allegant Augustinum. Scilicet non vident, 1° utrumque actum et concupiscentiae et amicitiae ad caritatem spectare et 2° neque possibilem amorem esse, nisi feratur in bonum conveniens, id est aptum satiare desiderium voluntatis in beatitudinem. Quam doctrinam pluries inculcat s. Thomas, uti v. gr. *de Mal.* q. 6. art. 1.: « Considerandum, quod obiectum movens voluntatem est bonum conveniens apprehensum. Unde si aliquid bonum proponatur, quod apprehendatur in ratione boni non autem in ratione convenientis, non movebit voluntatem ». Superius autem vidimus, ideo esse conveniens, quia est obiectum beatitudinis: sine quo nec amor esset possibilis. Huc revoca damnatam quietistarum doctrinam, quam habes infr. n. 151.

139. Centies vero Augustinus amorem concupiscentiae, quo Deum nobis diligimus, vocat amorem gratuitum. Afferamus quaedam.

Libr. *de Catechiz. rudib.* cap. 27. n. 55.: « Simul colatis et diligatis Deum *gratis;* quia totum praemium nostrum ipse erit, ut et in illa vita, bonitate eius et pulchritudine perfruamur ».

Et Serm. 31. al. 234. *de Temp.* n. 3.: « Cor..., quod recte petit, recte pulsat et quaerit; pium esse debet. Primo amare Deum gratis: haec enim est pietas, nec sibi extra illum ponere mercedem, quam exspectat ex illo. Illo enim melius nihil est ».

Et Serm. 334. al. 48. *de Sanctis* n. 3.: « Hoc est Deum gratis amare, de Deo Deum sperare, de Deo properare impleri, de ipso satiari. Ipse enim sufficit tibi, praeter illum nihil sufficit tibi... Ipse sit nobis quidquid hic sine illo desideramus ».

Et in Ps. 52. n. 10.: « Deus noster laudetur voluntate, ametur caritate; gratuitum sit, quod amatur et quod laudatur. Quid est gratuitum? Ipse propter se, non propter aliud. Si enim laudas Deum ut det tibi aliquid aliud, iam non gratis amas Deum. Erubesceres, si te uxor tua propter divitias amaret et forte, si tibi paupertas accideret, de adulterio cogitaret. Cum ergo te a coniuge gratis amari velis, tu Deum propter aliud amabis?... Non tibi terram, sed se ipsum servat, qui fecit caelum et terram ».

Et Enarr. in Ps. 77. n. 21.: « Rectum itaque cor cum Deo est, quando *propter Deum* quaerit Deum (heic quis dicet: ecce amor gratuitus: atqui pergit). Unam quippe concupivit a Domino, hanc requiret, ut inhabitet in domo Domini semper et contempletur eius delectationem. Cui dicit cor fidelium: saturabor, non ollis carnium aegyptiorum nec melonibus et peponibus et allio et cepis nec manna visibili...; sed saturabor, cum apparuerit gloria tua ».

Et in Ps. 85. n. 8.: « Si Deum propterea invocas, ut veniat ad te pecunia, ut veniat ad te hereditas, ut veniat ad te secularis dignitas, Deum tibi adiutorem ponis cupiditatum, non exauditorem desideriorum. Quid ergo, inquis, faciam? quid orem? Quid ores? quod te docuit Dominus, quod te docuit caelestis magister. Invoca Deum tanquam Deum, ama Deum tanquam Deum. Illo melius nihil est, ipsum desidera, ipsum concupisce. Vide invocantem Deum in alio psalmo: *Unam petii a Domino, hanc requiram.* Quid est, quod petit? *Ut inhabitem in domo Domini per omnes dies vitae meae.* Ut quid hoc? *Ut contempler delectationem Domini.* Si ergo amator Dei esse vis, sincerissimis medullis castisque suspiriis ipsum dilige, ipsum ama, illi flagra, illi inhia, quo iucundius nihil invenis, quo laetius, quo diuturnius... Si ergo invocas Deum, tanquam Deum, securus esto ».

In verbis A. *ob summam* etc. continetur obiectum formale caritatis. Porro recolenda sunt ea, quae dicemus, ubi de contritione. Nam et heic s. Alph. lib. 2. n. 24., memorat varias sententias Theologg., quorum alii in infinita bonitate, infinita perfectione, alii in aggregatione omnium perfectionum, alii in infinitate perfectionum, alii in essentia, alii in essentia prout est radix aliarum perfectionum sed virtualiter ab ipsis perfectionibus distincta, alii in singulis perfectionibus obiectum formale caritatis collocant. Concludit s. Alph. ex communi sensu verum actum amoris esse: « Amo te super omnia, quia bonitas es infinita, quia es infinite bonus ».

Sed et verus conceptus communis est, quod Deus diligatur, *quia Deus est*. Et cum bonum appretiative summum sit tale ob quamlibet perfectionem, ideo conceptus quilibet divinarum perfectionum satis est. Hinc Ioannes: *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.* 1. Epist. IV. 19.

II. Resp. 1. Praeceptum Caritatis Dei praecipit Deum super omnia amandum. Patet ex Scriptura. Ratio est, quia finis ultimus plus est diligendus, quam omnia media, quae ad eum referuntur: non quidem intensive (etsi enim hoc etiam deceat, non tamen est in praecepto) sed appretiative, ita ut nullam creaturam pluris facias, quam Deum velisque potius omnia perdere, quam Deum offendere et sic illi male velle S. Th. 2. 2. q. 27. a. 3. Azor, Sanch. Bec. 2. 2. c. 19.

140. Quaestio esse potest circa doctrinam A. de *intensione* amoris. Nota interdum DD., ut s. Thomam, nomine intensionis intelligere *appretiationem*, quam Scotus appellat etiam *extensionem*. Cavenda igitur in his hallucinatio. Vid. Coninck *de Virt. Theol.* dist. 25. n. 2.

Quod non requiratur intensio maior, est doctrina *communis*. Vid. Coninck l. c. n. 14. Qua doctrina exploditur tum opinio eorum, qui actum amoris *summe intensum* exigebant, qui ad absurdum proinde declinabant; quia nullus actus cogitari potest ita intensus, ut cum Dei auxilio intensior elici non possit (Coninck l. c. n. 4.), tum eorum, qui requirunt, ut Deum amemus intensius, quam ullam rem aliam; quae opinio pariter ut improbabilis reiicitur, iuxta quam idem dolor de peccatis, qui hodie sufficeret ad remissionem peccati, cras non sufficeret, si intensius quis v. gr. doleret de damnatione aeterna parentum suorum sibi comperta. Conin. ibid. n. 5.

Ratio autem cur sufficiat amor summe appretiativus et non requiratur aut summus aut maior intensive patet; quia in amore intensiore aut non intensiore nulla intercedit comparatio, vi cuius alterum alteri praeferatur: imo fieri potest, ut quod intensius diligo, posthabeam appretiatione. Ita intensius aliquis amabit catellum, quam fratrem; nec tamen perdere fratrem potius quam catellum auderet.

Suarez *de Carit.* disp. 5. sect. 2. n. 2.: « Breviter dico, hoc praecepto non exigi a nobis certum aliquem intensionis terminum seu gradum ».

Et probat 1° quia solum petitur verus et absolutus amor Dei, ut ultimi finis gratiae et naturae; atqui hic actus potest esse sine certa intensione.

2° Si certa requiratur intensio, haec erit vel summa simpliciter et hoc non; quia nullus est talis gradus in caritate, nisi quis habeat caritatem Christi: vel summa respective et talis obligatio neque ex Scriptura nec aliunde probatur.

Confirm. Ex opposita sententia mater semper dubitare potest, an peccet mortaliter diligendo filiolum et actus alioquin honestus propter solam intensionem evaderet malus et quidem graviter. Praeterea hoc praeceptum obligaret ad maiorem intensionem miserum illum hominem, qui forte magno quopiam affectu res alias diligat. Suar. ib. n. 2. 3. Et hoc sensu verum est, quod modus caritatis non cadit sub praeceptum: ib. n. 5.

III. Resp. 2. Probabile est praeceptum caritatis Dei obligare 1. Quando homo adeptus est sufficientem cognitionem Dei infinite boni, a quo omnia sua bona habet et cui omnia debet. Ratio est; quia cum teneatur Deo ex filiali amore tota vita servire, id non videtur posse fieri, nisi eliciat actum amoris. *Hac de re vide Propos. oppositam damnatam ab Alex. VII. Prop. 1. *Ita s. Th. 1. 2. q. 89. a. 6. Nav. *Man.* c. 11. n. 7. Valent. et cet. comm. (notat autem Con. *de Act. Supern.* disp. 24. d. 3. n. 50. non statim post talem notitiam peccare mortaliter, sed tantum, si differat notabiliter, v. gr. ultra annum) contra Palaum qui dicit probabile esse, quod non obliget. Si scrupulus te angat, an praecepto huic satisfeceris, docet Escob. ex Petro Hurt. 2. 2. d. 172. s. 1. §. 24. quod, si positive non meministi, te omisisse, tenere possis, te satisfecisse. Trull. tamen l. 1. c. 5. d. 13. n. 9. monet expedire, ut quis se in confessione aliquando accuset sub dubio, si forte praeceptum istud violarit, vel alia praecepta affirmativa, de quibus non certo constat, quando obligent vel violentur. 2. Quando est periculum labendi in odium Dei, nisi actum caritatis elicias. 3. Quando quis tenetur conteri, v. gr. moriturus aut celebraturus, cui Confessarius deest. Ratio est, quia contritio includit actum caritatis. 4. Si quis gravem tentationem praesertim in articulo mortis, putet se aliter vincere non posse. Quibus aliqui addunt articulum mortis absolute, eo quod tunc securissima via eligenda sit. V. Laym. l. 2. t. 3. c. 2. Bonac. l. 3. q. 4. p. 2. Hurt. 2. 2. dist. 174. s. 6. §. 17.

141. Quaeritur, quando obligat praeceptum caritatis. Adverte tres propositiones damnatas ab Innoc. XI.

5m « An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus ».

6m « Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare praeceptum caritatis erga Deum ».

7m Tunc solum obligat, quando tenemur iustificari et non habemus aliam viam, qua iustificari possimus.

Tum 1^m ex damnatis ab Alex. VII.: « Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actum fidei, spei et caritatis ex vi praeceptorum ad eas virtutes pertinentium ».

Perpendamus casus ab A. propositos.

I. *De adipiscente usum rationis.*

142. Cur Auctor dicat *probabiliter* teneri puerum, explicavimus, ubi de praecepto Spei idem disputavimus et innuimus quaestionem, an STATIM puer teneatur, se ad Deum convertere, aliis affirmantibus, aliis negantibus.

Quod subditur de Coninck, intelligendum est *seclusa inadvertentia;* nam accedente inadvertentia, excusaretur etiam ad diuturnius tempus.

Non recte autem Auctor opponit Valentia cum Palao, qui *de Carit.* tract. 6. disp. 1. punct. 4. n. 2. profitetur, se eandem, ac Valentia, sententiam habere et solum ibid. negat, puerum teneri in primo instanti usus rationis et ait posse prius committere peccatum veniale.

Bene Laymann lib. 2. tr. 3. cap. 2. n. 6.: « Curari deberet a Parochis, parentibus, confessariis, ut pueros et rudes admoneant, cogitare a quo creati et cur in hoc mundo positi sint, nimirum ut Deo omnium auctori ac Domino serviant, ad ipsum tanquam ultimum finem actionibus tendant, cui in perpetuum uniti esse debent ». At opus est ut praesertim Deum proponant secundum ea attributa, quae affectum filialem excitant, scil. uti patrem creatione et adoptione etc. providum, amantem, benefactorem liberalissimum etc. tum Christum pro hominibus morientem etc.

Speculationes autem Escobar et Trullench nullius sunt momenti. Nam nemo peccat, nisi sciat obligationem et scienter velit obligationem violare. Ceterum peccata ideo dubia, quia quis nescit, quando urget obligatio, non sunt materia necessaria confessionis et quidquid deliquerit quis, remittitur, etiamsi expresse non fateatur.

II. *Ne quis labatur in odium Dei.*

143. Recole, quae diximus de peccato desperationis tr. *de Spe*. Videlicet teneris ex *praecepto caritatis,* qua negativum est, ad repellendam tentationem. Sed non ideo teneris ad eliciendum actum amoris, nisi sit unicum medium tentationem vincendi. Secus, si aliter id posses, v. gr. mentem alio divertendo aut Mariam invocando etc.

III. *Quando quis ad iustificationem solum hoc medium habet.*

144. Haec tamen obligatio non oritur ex praecepto caritatis erga Deum, sed vel a virtute Religionis, vel a caritate erga se etc.

IV. *De gravi tentatione etc.*

145. Ea quoque foret obligatio mere per accidens.

V. *De articulo mortis.*

146. Aliqui securissimam viam dixerunt, ut sic prospiciatur certiori modo aeternae saluti. Et s. Alph. ibid. n. 23., ut patet ex interiecta notula, dicit esse probabilissimum *ex Sporer* et *Marchant* etc.

Et Gury vol. 2. §. 445. resp. 2. ait, *quorumdam* esse sententiam, quod in articulo mortis quis teneatur elicere actum caritatis, ut videbimus in tract. de poenitentia, ubi de contritione.

Tria notemus. 1° Quod assistens moribundis egregie faciat hortando et excitando ad actus caritatis, certum est; at aliud est id esse utile, aliud esse obligationem et cum agitur de obligationibus, quas fere ignorant fideles, inutile est de iis disputare, ut iam advertimus, nisi et ipsi prius doceantur.

2° Sporer dicit *de Carit.* n. 35. probabilissimum id esse et ita ex *multorum* opinione suadere Marchant; unde forte s. Alphonsus desumpsit illud *cum communi.* Atqui Marchant *Tribun. Poenit.* tom. 2. tr. 2. tit. 4. sect. 1. q. 2. ne unum quidem pro sua illa opinione allegat. Sed fuit *Antoine,* qui communem dixit.

3° Nec Sporer nec Marchant tangunt rationem illam *maioris securitatis* et viae tutissimae. Tota horum ratio est; quia (ut ait Marchant) hoc insinuatur in parabolis Evangelii de *Virginibus vigilantibus,* vel in admonitione, ut exspectemus *Dominum praecinti lumbos.* Quae argumenta in rem nostram prorsus inefficacia sunt.

147. Ceterum ratio dubii est, quia non est de fide, non requiri etiam cum Sacramento poenitentiae contritionem perfectam. Ita Suar. *de Carit.* disp. 5. sect. 3. n. 3.: in articulo autem mortis tutius est eligendum. Atqui tutissima est doctrina, attritionem sufficere in Sacramento poenitentiae. Et sane principium de tutiore eligendo valet, cum res est dubia: *in dubio tutius est eligendum:* atqui certa est doctrina satis esse attritionem in sacram. Poenit. Debilior vero est ratio Coninck disp. 24. n. 51. cum Valentia; quia licet certum sit, sufficere attritionem, tamen non sumus certi, nos habere sufficientem attritionem: quasi vero FACILIUS et CERTIUS elici tunc possit actus perfectae caritatis! Sit ergo *probabilis* et *consulenda* haec sententia, ut ait Palaus l. c. n. 9. §. 5., quam tamen reiici ab Azor et Sanchez dicit.

Laymann vero ab A. allegatus utique praecedentia, sed non postremam hanc opinionem habet.

Alii, v. gr. Bonacina l. 3. q. 4. p. 2. Valentia etc. caritatis actum

exigunt, quo se homo communiat adversus tentationes. Resp. Idipsum dici potest de signo Crucis de invocatione B. Virginis et quovis alio medio ad id idoneo. Num idcirco sub gravi obligamus ad haec omnia adhibenda? Illud unice itaque statui potest, actum caritatis et quodvis aliud medium sub gravi esse adhibendum, quando unicum sit medium gravis culpae vitandae. Tunc autem omissio non caritatis violat praeceptum, sed unum eundemque reatum inducit, ac peccatum, in quod quis ob eam omissionem labatur.

Alii, uti Reuter *Theol. Mor.* p. 2. n. 85. Viva *in* 1. *prop. Alexandri VII.* n. 7. etc. inde arguunt, quod cum homo tunc in eo sit, ut ultimo suo fini coniungi debeat, tunc maxime *conveniens, congruum, utile, commodius, opportunius* sit, se ad id disponere per exercitium praecipuarum virtutum et caritatis. Resp. Plura alia sunt *convenientia, congrua, commoda, utilia, opportuna;* verum nec *convenientiae* nec *commodi* nec *utilitatis* nec *opportunitatis* ratio, sed ratio *necessitatis,* a qua se subtrahere quis non possit, obligationem gravem potest inducere. Satis vero praecinctos habet lumbos et lampadem gerit accensam, quisquis sanctificante gratia ornatus Dei amicus imo et filius est.

Nonnulli demum cum Cardenas ita arguunt: doctrina damnata est, sufficere semel in vita actum caritatis elicuisse; ergo elici in morte debet. Resp. Tum istud sophisma tum praecedentia infirmissima argumenta ea sunt, propter quae de ista obligationis opinione scripsit Sanchez *Dec.* lib. 2. c. 35. n. 9. *Iure optimo id reprobat Azor.* Et Tamburini *Dec.* lib. 2. c. 3. n. 4. *Ponere hanc obligationem, quae certe fundamento solido non innititur, nihil aliud est, nisi scrupulos ingerere.* Et de eadem re Lugo *de Poenit.* disp. 7. n. 276. *Non debet ergo Confessarius laqueos iniicere poenitenti in re incerta.*

148. Addit Suarez *de Carit.* disp. 5. sect. 3. n. 4. cum communi DD., saepius hominem in vitae suae decursu, eiusmodi actum elicere debere. Sed, ut bene notat etiam Gury vol. 1. §. 219., facile huic praecepto fideles satisfaciunt; quia saepius actus caritatis eliciunt, gaudendo de divinis perfectionibus, optando ut nemo Deum offendat, dolendo de Dei offensis per alios irrogatis, desiderando ut omnes illum colant et ut sanctificetur nomen eius, vitando peccata, quia ipsi displicent, servando legem, ut illi serviant et se subiiciant ut Domino.

Memoranda est heic sententia illorum, qui voluerunt tempus huius obligationis assignare vel quolibet die festo vel quolibet mense, quae sententia placuit s. Alphonso eamque refert etiam Gury l. c. §. 218.

Nos putamus has sententias nulli fundamento inniti. Pro eiusmodi opinione non allegantur nisi Cardenas et Croix: vid. s. Alph. l. 2. n. 8. At Croix lib. 2. n. 141. mere ista habet: *Cum in tanta sen-*

tentiarum varietate nesciamus, quando et quoties diligendus sit Deus, arripiamus tutiora. Quae sane non possunt ita intelligi, quasi Croix ex defectu rationum ad asserendam ullam obligationem, absurdissime et contra prima principia inferat necessitatem obligationes strictiores sine ulla ratione imponendi.

Cardenas vero *Cris.* 2. disp. 6. n. 18. ita disserit: *Valde occultum et incertum est determinare tempus, in quo instat hoc praeceptum: solum enim dicimus violari praeceptum, cum multo tempore differtur dilectio Dei, iudicio prudentis et mensis integer videtur mihi multum tempus ob summam huius praecepti dignitatem.* Quae plane nullius sunt roboris. Mitto enim quod nemo antea hunc terminum fixerit: at prorsus imbellis, ut patet, est ratio, quam petit a summa praecepti praestantia. Profecto si quo praestantius est praeceptum, eo maior esse debeat actuum praeceptorum frequentia; cum praestantius sit praeceptum sumendi Eucharistiam, quam abstinendi a carnibus, concludendum foret, ad sumendam Eucharistiam plus quam bis hebdomadis singulis nos teneri! Cf. tr. X. sect. 5. sub §. CLIX.

De relatione autem operum in Deum per caritatem, dictum est satis in tr. *de Actib. Hum.* C. ultimo.

Ex dictis resolves.

IV. 1. Mortale est, si quis omittat dilectionem Dei tunc, quando praeceptum obligat.

149. Praeceptum obligat sub gravi. Ergo. Nota tamen, raro hanc culpam ex advertentia committi. Praeterea cum tam incertum sit tempus, quo obliget et insuper satisfiat praecepto etiam actibus aliis, v. gr. repellendo tentationem etc.; hinc vix erit occasio, qua confessarius interrogare de hoc debeat.

V. 2. Mortaliter peccat etiam, si quis amet Deum amore appretiative seu aestimative minore, quam creaturas.

Res, per se patet. Implicite id fit, quoties quis graviter peccat. Sed haec circumstantia transscendentalis non computatur.

VI. 3. Peccat item contra caritatem Dei, si quis Deum non diligat principaliter propter se, tanquam finem ultimum omnium rerum, sed tantum propter aliud, v. gr. vitam aeternam vel ad evitandum infernum. Quod esse mortale docet Sylvest. et Navar.; quia scilicet Deus non diligeretur appretiative super omnia, si aliud ab illo amaretur, ut finis principalis. Addo *principalis*; quia, ut bene Tolet. l. 4. c. 9. Deus propter retributionem vitae aeternae amari potest: sed minus principaliter, ut scilicet vita aeterna vel alia Dei dona sint tantum causa movens, ut facilius, expeditius et ferventius diligatur.

150. Quaestio ista plena est periculi et plane optandum fuisset, ut aliis plane verbis proponeretur; cum reipsa proponatur heic ratione plane incongrua.

Et sane incohaerentem sententiam habes, dum dicit peccare eum, qui diligat Deum 1° non *principaliter propter se* et 2° sed *tantum propter aliud*. Nam *principaliter* dicit primum gradum in serie plurium; ergo ibi supponitur Deum diligi aut diligi posse *propter* se quidem at minus principaliter et dein id excluditur, addendo SED TANTUM PROPTER ALIUD.

Sic igitur intelligenda resolutio, quod ille peccaret, qui ita actu comparatus animo esset, ut nisi ea praemii h. e. commodi sui spes adesset, Deum nollet diligere. Ita Sanchez, *Mor*. lib. 2. cap. 35. n. 3. Ratio est; quia detrahit Deo dignitatem finis ultimi.

Quod idem notat s. Alph. lib. 2. n. 24. in fin.: « Tunc tamen quis peccaret, quando actuali intentione nollet amare Deum, nisi propter spem, vel timorem », scil. nisi speraret praemium amoris vel nisi a timore inferni cogeretur. Et cum Dei amor potissimum se prodat in observanda lege Dei iuxta illud: *Si diligitis me, mandata mea servate;* hinc peccatum hoc in eo praesertim adesset, qui paratus esset peccare nisi adesset infernus: cuiusmodi timorem appellare solent scholae serviliter servilem.

Sed neque secunda pars exactam proponit doctrinam, ubi dicit amari posse Deum propter retributionem, si haec sit causa tantum movens, ut *facilius, expeditius, ferventius diligatur*. Nam retributio potest esse et causa finalis actus amoris Dei, quin desinat Deus esse finis noster ultimus. An damnares eum, qui ideo solum multiplices elicit actus caritatis (alioquin non multiplicaturus); quia ampliorem sibi mercedem vult in caelo comparare! Minus apte ergo doctrina illa exponitur, quae vera esse potest solum, si intelligatur de eo, qui secus nullo modo esset amaturus unquam Deum: non vero admitti posset, si agatur de eo, qui elicit sponte caritatis actus ad obtinendum eum finem, quem Deus promisit diligentibus se.

Ita sane Sanchez *Moral*. lib. 2. c. 35. n. 3. inquiens: « Potest tamen Deus diligi *propter se,* etsi simul diligatur propter mercedem aeternae vitae, dummodo merces illa non sit *finis ipsius Dei*, sed *dilectionis nostrae.* Quod est dicere clarioribus terminis: licitum est nobis dilectionem Dei et omnia opera nostra bona in aeternae beatitudinis mercedem referre, tanquam *in finem minus principalem* ». Quamvis mentio heic *finis minus principalis,* si intelligas, quod intentio haec, in eo actu dilectionis Dei propter mercedem, debeat esse explicita, confusionem potius gignat. Nam per se in ipso actu, qui rectus est, iam ordinatio in Deum tamquam supremum finem, implicite continetur et hoc semper retinendum.

151. Recole damnatam propositionem 18^{m} ex 31. Alex. VIII. « Intentio, qua quis detestatur malum et prosequitur bonum, MERE ut

obtineat caelestem gloriam, non est recta nec Deo placens ». Ergo qui prosequitur bonum, mere ut obtineat caelestem gloriam, recte agit: porro inter actus, quibus homo prosequitur bonum, est quoque amor Dei. Cur ergo intentio elicientis actum amoris Dei mere ut obtineat caelestem gloriam, non erit recta et Deo placens?

Demum prae oculis habe propositiones damnatas ab Innocentio XII. 12. Mart. 1699.

Quarum prima est: « datur habitualis status amoris Dei, qui est caritas pura et sine ulla admixtione motivi proprii interesse. Neque timor poenarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum neque propter perfectionem neque propter felicitatem in amando inveniendam ». Ergo caritas eiusmodi fabulosa est et chimaerica; attende autem maxime postremam propositionis partem, ex qua patet, amari Deum posse propter merita acquirenda, propter perfectionem nostram et propter felicitatem in amando inveniendam.

Quinta vero: « In eodem statu sanctae indifferentiae nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus, ut simus perfecti *et beati propter interesse nostrum*, sed omnem perfectionem *et beatitudinem* volumus, in quantum Deo placet efficere, ut velimus res istas impressione suae gratiae ».

Sexta: In hoc..., statu nolumus amplius SALUTEM, ut salutem propriam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut *nostrum interesse omnium maximum;* sed eam volumus voluntate plena *ut gloriam et beneplacitum* Dei, ut rem, quam ipse vult et quam nos vult velle propter ipsum ».

VII. 4. Mortale et gravissimum omnium est, si quis Deum formaliter oderit odio inimicitiae seu malevolentiae (amori amicitiae opposito) v. gr. si optes Deum non esse, non habere scientiam, potentiam etc. De his vid. Laym. l. c. Bon. l. c. Sanch. l. 2. c. 3. et 5. Reg. l. 27.

Res clara est.

CAPUT II.

DE PRAECEPTIS CARITATIS ERGA PROXIMUM.

VIII. Caritas proximi praecipit 1. ordinem in eo diligendo, 2. dilectionem inimicorum, 3. eleemosynam, 4. correptionem fraternam. Deinde prohibet 1. odium proximi, 2. scandalum, 3. ne iniuria, bellum aliudve grave damnum vel malum inferatur. De quo postremo agetur in Decalogo; de reliquis hic.

Dub. I.

Quis ordo servandus inter personas, quae diliguntur.

IX. Resp. 1. Ordine caritatis quisque tenetur post Deum diligere 1. seipsum, secundum bona spiritualia, 2. proximum, quoad eadem bona, 3. seipsum, quoad bona corporalia, 4. proximum, quoad eadem, 5. denique seipsum et deinde proximum quoad bona externa. Ita Laym. l. 2. t. 3. c. 3. ex s. Th. et communiter.

152. Tria sunt diligenda 1° Deus, 2° nos ipsi et 3° proximus. Luc. X. 27.: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et proximum tuum sicut te ipsum.* Ubi amor sui supponitur et ideo non praecipitur.

Nomine proximi intelligitur quaelibet creatura intellectualis, quae nobiscum capax est aeternae beatitudinis ac donorum divinorum. Comprehenduntur ergo non solum homines viatores, sed etiam Angeli, animae beatae in caelo et animae in purgatorio: non tamen animae damnatae aut daemones aut creaturae irrationales, ut stulta et inscita hypocrisis hodierna fingit. Est communis doctrina. Ratio quoad damnatos est; quia non sunt capaces bonorum nec possunt efficaciter iuvari.

Nota nos et proximum diligere nos posse duplici modo, 1° caritate theologica, 2° caritate seu virtute mere morali.

Diligimus ex virtute theologica, quando huiusmodi amor pro motivo formali habet divinam bonitatem, v. gr. quia sumus imago Dei summe boni: quia sumus capaces beatitudinis et amicitiae cum Deo summe bono: quia conducimus ad honorem Dei summe boni: aut quia talis amor Deo placet: aut quia in proximo ipsam Christi Dei personam aspicimus.

Hic est amor, de quo Scripturae loquuntur, cum dicunt *translatos esse a morte ad vitam qui diligunt fratres* 1. Ioan. III. 14. *et implesse legem qui diligit proximum* Rom. XIII. 8. et hic est reapse amor praeceptus eo mandato Christi superius relato: etsi non opus semper sit ut hic actus eliciatur quotiescumque alios diligimus.

Diligimus caritate morali nos et proximum, quando pro motivo formali habet amor honestatem illam ac virtutem, quae ex lumine rationis in tali amore relucet. Hic amor potest esse ex gratia, supernaturalis, sicut ceterae virtutes morales.

153. Quoad amorem proximi notandae sunt duae propositiones damnatae ab Innocentio XI.

10ª Non tenemur proximum diligere actu interno et formali.

11ª Praecepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

Tenemur ergo diligere actu interno et formali. Ratio est; quia tenemur diligere proximum sicut nos ipsos. Atqui tenemur nos diligere nec possumus nos diligere nisi actu interno et formali, scil. benevolendo. Ergo et benevolendo tenemur diligere proximum.

Porro ad satisfaciendum huic praecepto sufficit amor generalis, qui neminem excludit ac omnes complectitur, ut docet s. Thom. 2. 2. q. 25. art. 8.: cui praecepto proinde satisfit, dum in oratione dominica vel salutatione angelica pro omnibus generatim oramus et bona supernaturalia optamus et petimus.

154. Diligere alterum est velle ei bonum seu melius, hoc etiam complectitur. Porro bonorum, quae velle aliis possumus, est triplex ordo.

In primo ordine sunt bona spiritualia et supernaturalia, uti gratia sanctificans, gratiae actuales, virtutes, vita aeterna etc.

In secundo sunt bona naturalia et corporalia intrinseca, ut sunt vita corporalis, doctrina, sanitas et aliae corporis bonae dispositiones, vires etc. animique naturales dispositiones.

In tertio ordine sunt bona naturalia extrinseca, ut bona fama, honor, divitiae. Bona fama tamen et honor respectu divitiarum seu bonorum fortunae sunt altioris ordinis; quia bona fama est quid spirituale ac morale.

155. Responsio Auctoris paucis sic exponi potest: In pari ordine bonorum parique necessitate et causa, magis tenemur nosmetipsos diligere, quam proximum.

Ratio est, quia dilectio sui est regula dilectionis proximi, iuxta illud Christi Domini: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Regula autem est prior et potior, quam regulatum. Ita s. Thom. 2. 2. q. 26. art. 4. ex illo textu Evangelii arguit. « Ex quo videtur, quod dilectio hominis ad seipsum est sicut exemplar dilectionis, quae habetur ad alterum. Sed exemplum potius est, quam exemplatum. Ergo homo ex caritate magis debet diligere seipsum, quam proximum ».

Unde patet, uti advertunt communiter Theologi, quod verba illa Christi denotant *similitudinem*, non autem *aequalitatem.*

Haec regula valet, ubi sint eiusdem ordinis bona et in reliquis par sit conditio. Secus enim aliae valent regulae:

1° Si bonum proximo necessarium est altioris ordinis, possumus

et quandoque tenemur nos privare bono inferioris ordinis ad bonum illud proximo procurandum.

2° Proximum in maiori necessitate constitutum possumus et quandoque tenemur iuvare cum nostro damno.

3° Idipsum dicendum est, si par quidam sit necessitas, sed non par causa utriusque. Quae sequantur ex his principiis, videbimus infra.

Unde resolvuntur hi Casus.

X. 1. Peccat contra caritatem sui, qui salutem suam spiritualem vel corporalem negligit: quod grave est, si fiat sine causa et cum gravi damno, v. gr. mortis vel gravis morbi. Trull. l. 2. t. 6. d. 1.

156. Quoad negligentiam *circa salutem spiritualem* peccatum contra caritatem sui accusari non solet. Ratio est, quia est finis legis; accusare autem alia peccata continet accusationem violati huius praecepti, quo iubemur finem sectari: non secus ac qui violat decalogum est Deo inobediens nec tamen duplex confitendum est peccatum, scil. furti v. gr. et inobedientiae. Ad summum posset cogitari peccatum hoc, quando negligentia versatur circa quaedam media ad salutem, quae non habent quandam certam ex lege obligationem, v. gr. *orandi*, vel quando obligatio versatur circa *aliquod e multis mediis adhibendum,* adeo ut ad nullum determinatum tenear. Verum tunc generatim includitur in peccatis acediae etc.

Quoad *salutem temporalem* haec obligatio confunditur cum ea, quam nobis imponit quintum praeceptum. Quod si relate ad nos finis quinti praecepti est etiam caritas erga se, est tamen circumstantia, quae subintelligitur aut est ratio, quae eandem obligationem imponit ac confirmat.

Ceterum quando agitur solum de morbo, vix unquam poenitentes se accusant: quod ideo fit 1° quia non apprehendunt iniustitiae malum, sicut cum agitur de proximo: 2° quia saepius causae morbi non sunt proximae et immediatae atque adeo non gravem imponunt obligationem eas vitandi, ne morbus sequatur.

XI. 2. Nullius boni consequendi causa licet peccare, etiam venialiter; quia talis vellet sibi malum spirituale. Laym. ibid.

157. Distinguendum heic est (utamur hac forma) damnum emergens a lucro cessante, nempe *damnum spirituale positivum ex peccato* proveniens et omissio maioris boni spiritualis.

Si agatur de damno spirituali, quod ex peccato *positive* proveniat, bonum spirituale proprium praeferri debet cuivis bono alterius, utcumque magnum videatur. Ergo non liceret mendacium, etsi per id

omnes Iudaei ad fidem convertendi essent. Multo vero minus graviter peccandum foret: quo spectat illud Christi Domini Matth. XV. 26.: *Quid prodest homini si mundum universum lucretur* etc.

Heic autem alia est ratio; quia nempe peccatum displicet Deo, cuius et amicitia et beneplacitum rebus omnibus creatis praeferendum est.

Si vero agatur de iis bonis spiritualibus, ad quae acquirenda non tenemur ex praecepto, possumus saepe honeste et laudabiliter proximi bonum spirituale praeferre. Ita quis potest differre ingressum religionis, ut opera sua non desit v. gr. paroeciae vel seminario vel dioecesi vel missioni vel conversioni aliquorum. Et tunc non habetur reipsa lucrum cessans; quia bonum minus maiori compensatur. Ita qui contemplationis, ieiuniorum, chori etc. bona dimittunt, ut proximum erudiant.

Imo potest quis optare dilationem beatitudinis aeternae, ut ad eam obtinendam alios adiuvet. Ita s. Martinus: *Domine, si populo tuo adhuc sum necessarius, non recuso laborem.* Ita s. Paulus Philip. I. 23.: « *Coarctor e duobus, desiderium habens dissolvi et esse cum Christo multo magis melius: permanere autem in carne necessarium propter vos* ». Ita et de s. Ignatio legitur in breviario.

Et quoddam spirituale bonum proprium potest dimitti, ut temporaliter proximus iuvetur. Ita laudabiliter intermittetur psalmodia ad infirmos curandos. Huc spectat, quod differre possit quis ingressum religionis, ut indigentiae parentum aut educationi consanguineorum prospiciat: s. Alph. lib. 2. n. 26. Hac ipsa de causa subinde teneri potest quis differre ingressum religionis, etiamsi voto ad id se obstrinxerit, si videlicet parentes auxilio eius indigeant.

Multo vero magis laudabiliter et honeste possumus temporalia bona negligere, ut ea aliis obveniat. Sic possumus beneficium, dignitatem, pensionem, ius abdicare, ut haec alius consequatur.

158. Huc spectat quaestio an quis ratione caritatis licite se exponat periculo peccandi.

Generale est principium, non adesse obligationem vitandi eiusmodi periculum, quando iusta causa postulat ut te exponas et lapsus non apparet quodammodo seu moraliter certus.

Hac de causa licite leguntur et tractantur materiae periculosae sive ab iis qui curare debent animas, uti ecclesiastici, sive qui debent corporibus mederi, ut qui student medicinae et chirurgicae arti.

Eadem de causa et licite periculum subeunt hi quidem in medendis feminis, illi in excipiendis confessionibus.

Ratio est; quia ubi necessitas aut iusta causa postulat, non temere

quis auxilio Dei confidit et sic adhibitis mediis, quae semper adhiberi debent ad praecavendum lapsum, prudenter se tutum a periculo credit. Secus, si iusta desit causa, etiamsi velit media adhibere; quia nec auxilium Dei sibi debet polliceri et forte voluntas eo ipso apparet iam in lapsum cedere. Vid. s. Alph. lib. 2. n. 26. et lib. 5. n. 63.

Imo, ut docet cum communi s. Alphonsus lib. 6. n. 453., interdum quis etiam tenebitur ad opus caritatis, cum lapsus est valde *alioquin* probabilis: si proximus versatur in extrema necessitate spirituali: dummodo se quis praemuniat mediis opportunis, quia adhuc auxilium Domini prudenter speratur, qui iubet proximo tunc succurri.

XII. 3. Tenetur quisque proximo in extrema necessitate spirituali constituto succurrere, etiam cum certo vitae periculo: dummodo sit aeque certa spes illum iuvandi neque gravius inde malum immineat: v. gr. teneris cum vitae periculo baptizare vel absolvere moriturum, si alius non adsit, qui faciat. S. Aug. lib. *de Mend.* s. Th. 2. 2. q. 26. a. 5. Regin. l. 4. c. 25. s. 6.

Dixi, *in extrema,* v. gr. qua certo putetur moriturus in mortali; quia in gravi tantum obligatur is, qui ex officio alienam salutem curat, ut Parochus; cui ideo non licet fugere tempore pestis, nisi substituto aeque idoneo. Valent. t. 3. d. 3. q. 4. p. 3. et Laym. l. c.

159. Haec resolutio respicit casum in quo vitandum sit malum spirituale proximi cum damno proprio temporali.

Doctrina est s. Thomae 2. 2. q. 26. art. 5. generalis: « Illud est magis ex caritate diligendum, quod habet rationem pleniorem diligibilis ex caritate... Consociatio autem in plena participatione beatitudinis, quae est ratio diligendi proximum, est maior ratio diligendi, quam participatio beatitudinis per redundantiam, quae est ratio diligendi proprium corpus. Et ideo proximum quantum ad salutem animae magis debemus diligere, quam proprium corpus ».

Verum doctrinam sic magis determinat in Responsione ad 3.: « Cuilibet homini imminet cura proprii corporis; non autem imminet cuilibet homini cura de salute proximi, nisi forte in casu necessitatis. Et ideo non est de necessitate caritatis, quod homo exponat proprium corpus pro salute proximi, nisi in casu quo tenetur eius saluti providere; sed quod aliquis sponte sese ad hoc offerat, pertinet ad perfectionem caritatis ».

Necessitas *extrema, gravis, communis* alibi distingui solet, ratione habita rei, quae necessaria esse dicatur: cf. Tr. VIII. p. 2. n. 19. Heic sub formali ratione necessitatis distinctio fit in re, quae utique per se maxime est necessaria, qualis est necessitas aeternae salutis. Dicitur ergo extrema necessitas, quam proximus sine auxilio alterius aut superare omnino non potest aut certe ita difficile est, ut id moraliter ei censeatur esse impossibile.

Ergo extrema necessitas spiritualis est, qua quis sine alterius auxilio certum ac proximum subit damnationis aeternae periculum. Male autem quidam heic addunt etiam proximum periculum *peccandi.* Nam peccatum fit propria voluntate; nemo ergo potest esse in necessitate extrema peccandi, ut non possit, sine proximi auxilio, a peccato cavere: s. Alph. n. 27.

Casus ergo erit v. gr. si aliquis decedere debeat sine baptismo. Nam si solum agatur de absolutione impertienda, non aderit ista necessitas extrema, cui tenear cum periculo vitae subvenire, si possit sibi proximus per contritionem providere.

160. Quod autem quis teneatur ratio est quod dicit Ioannes Apost. 1. Ep. III. 16. *Et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Et Augustinus *de Mendac.* cap. 6.: « Temporalem vitam suam pro aeterna vita proximi non dubitabit christianus amittere ».

Ut tamen urgeat haec obligatio, duo requiruntur, 1° ut spes salvandi proximum sit moraliter certa. Hinc mater non tenetur vitae periculum subire, ut proles possit baptizari; quia salus infantis non est certa. Addunt casum, si videam Petrum, in peccato constitutum, tempore somni vel phrenesis occisum iri. At quoad phrenesim debeo certus esse, eum ad mentem non reversurum.

2° Requiritur, ut nemo alius sit, qui possit id praestare. Nam secus non est necessaria opera mea.

Bene Reginaldus *Praxis fori Poenit.* lib. 4. cap. 25. sect. 6. n. 357.: « Ad vitandos scrupulos, qui circa talem obligationem conscientias timoratorum vexare possent; notandum est cum Valentia..., non esse censendum proximum laborare extrema necessitate, si quomodocumque ad tempus futurus sit extra Dei gratiam, sed si certo aut probabiliter putetur extra moriturus et ideo incursurus aeternam damnationem; qui nimirum apparet brevi moriturus aut ex circumstantiis iudicatur longo tempore in malo statu perseveraturus probabiliterque in eo migraturus ex hac vita. — Notandum est etiam, nos de tali necessitate proximorum non teneri inquirere, qui curam illorum non gerimus. Etenim ea inquisitio actus est providentiae habendae de aliorum commodis vel incommodis, quae incumbit tantum iis, qui curam illorum ex officio gerunt; nec ceteris aliud incumbit, quam subvenire occurrenti eis proximorum necessitati. Accedit, quod nec, si eam cognoscamus, debemus nos pro ea angi sollicitudine, si probabiliter credamus, alios adesse, qui laboranti opem sint laturi aut si neminem sciamus quidem, sed nec spem probabilem habemus, quod possimus per operam nostram necessitati huiusmodi efficaciter subvenire adeoque simus id frustra conaturi: quod non est prudentiae ».

Dicit Auctor « *nisi gravius malum inde immineat* »: v. gr. si te moriente, ea de causa plurium aliorum salus periclitetur.

161. Quando autem necessitas non sit extrema, sed solum gravis, videlicet quam quis absolute superare potest, licet difficulter, valet decisio Auctoris, quod teneantur solum cum certo periculo vitae qui curam hanc habent *ex officio*, cuiusmodi sunt episcopi, parochi aut alii curam animarum habentes, uti superiores Religiosorum, cappellani absente parocho etc. Et huc spectat illud Christi Ioan. X. 11.: « *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis* ».

Ratio, quia pastores praeter legem caritatis, tenentur subditis succurrere ex officio et propter beneficium.

Hic consectaria, quod parochus non possit fugere tempore pestis: tenetur enim sacramenta administrare, licet non omnia, sed solum necessaria, scil. baptismum et poenitentiam. Nec eo tempore potest abdicare paroeciam; licet possit alium sibi substituere, accedente consensu Ordinarii. S. Alph. lib. 2. n. 27.

* Idem s. Doctor ibid. aliquid aliud addit, dum doctrinam Auctoris confirmat. « Si proximus sit in necessitate tantum gravi, non teneris ei succurrere cum periculo vitae, famae vel bonorum, nisi sis pastor... vel *nisi tuum damnum temporale esset leve.* Scilicet obligat caritas, ut si commode potes, grave malum alienum avertas *.

162. Addit s. Alph. n. 27. teneri etiam alium, qui non sit parochus, si periculum *grave* subeat non quispiam e proximis, sed communitas v. gr. si desit parochus tempore pestis aut alias periculum adsit, ne communitas ammittat fidem. Rationem addit: quia grave damnum commune praeferendum idest magis praecavendum, quam tuum particulare. At magis placet ratio aliorum (quam inferius ibid. tangit et s. Alph.) scilicet quod in iis adiunctis necessario plures sint, qui *extremam* quoque, non vero solum gravem patiuntur necessitatem. Salmant. tract. 21. cap. 6. n. 32. Praesertim vero si admittatur quod dicit s. Alphonsus (l. c.), censendam extremam necessitatem, si versatur in periculo mortis *rudis*, qui ob ignorantiam forte nescit elicere actum contritionis et ideo indiget absolutione sacramentali. Alii tamen censebunt, fidelem utut rudem satis nosse, se ad Deum ex toto corde convertere nec deesse auxilium gratiae divinae.

Si vero agatur de periculo fidei, quia periculum est deceptionis, quae non pendet a sola voluntate eorum, qui decipiuntur: forte locus esse potest facilis necessitati extremae, v. gr. si minister haeresis errores suos alicubi diffundat etc. Hinc qui diebus hisce nostris *prudenti*, ut aiunt, silentii oeconomia utuntur, ne odium malorum subeant, huius obligationis obliti penitus videntur.

XIII. 4. Ordinarie non licet vitam suam postponere alienae. Addo, ordinarie; quia licet, si sit persona publica, a qua multum pendet: uti etiam pro repub. pro fide et religione defendenda; imo etiam pro amico propter Deum dilecto. Less. l. 2. c. 9. d. 6. Laym. l. c.

Quando liceat vel urgeat obligatio postponendi propriam vitam vitae alienae, melius disputatur, ubi de V. Praecepto. Cf. ibi Dubium 3ᵐ.

An liceat se ipsum infamare, dicemus cum Auctore in Praecepto 8º §. XXVII.

XIV. Resp. 2. Quoad proximos inter se servandus est hic ordo. 1. Qui melior est, magis diligendus est ea dilectione, quam comitatur gaudium circa bona possessa, item honor, cultus et reverentia. Sic v. gr. plus diligendus est vir sanctus, quam parens improbus. Ratio, quia est magis coniunctus cum praecipuo obiecto caritatis, quod est Deus. Item parentes magis, quam filii vel uxor magisque benefactores, quam ii, quibus benefecimus. Laym. l. c. et comm. 2. Appretiative et dilectione ea, qua alteri optamus bonum nondum possessum, cum beneficentia, magis diligendi sunt ii, qui nobis sunt coniunctiores quoad ea bona, quae sunt debita tali coniunctioni et in quibus haec fundatur.

163. Quoad ordinem servandum inter proximos, clarius doctrina Auctoris proponitur a Laymann, unde Auctor desumpsit. « Ea dilectione, quam comitatur complacitum seu gaudium in bono alieno possesso itemque quam comitatur honor, cultus, reverentia, ii magis diligendi sunt qui meliores ac Deo similiores sunt, auctore s. Thoma 2. 2. q. 26. art. 7. 8. 9. Ob eandemque rationem parentes magis, quam filii et uxor magisque benefactores quam ii, quibus benefecimus. Ratio, quia maiorem illi cum Deo communi omnium parente ac benefactore similitudinem gerunt. Ea vero dilectione, qua desideramus alteri bonum nondum possessum et quam comitatur misericordia et beneficentia, ii magis diligendi sunt, qui nobis coniunctiores exsistunt ». Lib. 2. tr. 3. cap. 3. n. 5.

Et n. 6. subdit aliud principium: « Qui nobis coniunctiores sunt, aliis praeferri debent secundum ea bona, in quibus coniunctio vel amicitia fundatur; quia communicatio bonorum est fundamentum amicitiae et caritatis ».

E quo principio, quod Auctor refert in postrema parte responsionis, sequuntur dein subiectae resolutiones.

164. Ut tamen ratio horum principiorum rite intelligatur, advertendae sunt bases eorum, quas ex s. Thoma proponemus.

Prima haec est, quod dilectio habet ac sumit *quantitatem* suam tum ex parte obiecti, tum ex parte diligentis. Ita s. Thom. 2. 2. q. 26. art. 5. ubi quaerit: *Utrum magis debeamus diligere* MELIORES, *quam nobis* CONIUNCTIORES, ad 1.: « Dilectio caritatis non solum habet quantitatem ex parte obiecti, quod est Deus, sed ex parte diligentis, qui est ipse homo caritatem habens, sicut et quantitas cuiuslibet actionis dependet quodammodo ex ipso subiecto ».

Qua distinctione praemissa docet, ex obiecto sumi speciem dilectionis, ex parte vero diligentis sumendam esse intensionem dilectionis.

Ita s. Doctor 2. 2. q. 26. art. 7.: « Omnis actus oportet, quod proportionetur et *obiecto* et *agenti*. Sed ex obiecto *habet speciem:* ex virtute autem agentis habet *modum suae intensionis.* Sicut motus habet speciem ex termino ad quem est, sed intensionem velocitatis habet ex dispositione mobilis et virtute moventis. Sic ergo dilectio speciem habet ex obiecto, sed intensionem habet ex parte ipsius diligentis ».

Explicat deinde, quaenam sit caritas ex obiecto et quomodo diversas dilectio sumat species. Et in his fundatur doctrina, quae ponitur in prima parte responsionis sup. n. 163. de specie caritatis, quam debemus, iis, qui sanctitate magis excellunt.

Sic itaque s. Doctor l. c.: « Obiectum caritativae dilectionis Deus est:... Diversitas ergo dilectionis, quae et secundum caritatem, quantum ad speciem attendenda est in proximis diligendis secundum comparationem ad Deum, ut scilicet ei, qui est Deo propinquior, maius bonum ex caritate velimus: quia licet bonum, quod omnibus vult caritas, scilicet beatitudo aeterna, sit unum secundum se, habet tamen diversos gradus secundum diversas beatitudinis participationes et hoc ad caritatem pertinet, ut *velit iustitiam Dei servari,* secundum quam meliores perfectius beatitudinem participant. Et hoc pertinet ad speciem dilectionis; sunt enim diversae dilectionis species secundum diversa bona, quae optamus his, quos diligimus ». Ubi patet, caritatem heic commensurandam modo, quo quis magis participat de bono divino, scil. quo maiorem habet sanctitatem. Porro pro maiori alicuius sanctitate caritas importat gaudium de hoc eorum bono, et ii sunt, quibus simul maior honos, cultus et reverentia debetur.

Item quod dicitur de parentibus sic explanat s. Thomas 2. 2. q. 26. art. 9.: » Gradus dilectionis ex duobus pensari potest. Uno modo ex parte obiecti et secundum hoc id quod habet maiorem rationem boni, est magis diligendum et *quod est Deo similius.* Et sic pater magis est diligendus quam filius; quia scilicet patrem diligimus sub ratione principii, quod habet rationem eminentioris boni et Deo similioris ».

Idipsum dicit s. Thomas ibid. art. 12. de benefactore: « Aliquid diligitur magis dupliciter: uno modo quia habet rationem excellentioris boni, alio modo ratione maioris coniunctionis. Primo quidem modo benefactor est magis diligendus: quia cum sit principium boni in beneficiato, habet excellentiorem boni rationem sicut et de patre dictum est ».

165. Et haec quidem quoad primam partem responsionis Laymann. Quoad secundam vero, quae agit de caritate, vi cuius optamus bona nondum possessa, sic idem s. Thomas 2. 2. q. 26. art. 7.: « Sed intensio

dilectionis est attendenda per comparationem ad ipsum hominem, qui diligit: et secundum hoc illos, qui sunt sibi propinquiores, intensiori affectu diligit homo ad illud bonum, ad quod omnes diligit, quam meliores ad maius bonum ».

Denique quoad tertiam partem responsionis, quod scilicet magis coniuncti nobis debeant diligi magis secundum ea bona, in quibus fundatur amicitia, ita explicat s. Thomas 2. 2. q. 26. art. 8.: « Illi qui magis sunt nobis coniuncti, sunt ex caritate magis diligendi, tum quia intensius diliguntur tum quia PLURIBUS RATIONIBUS diliguntur. Intensio autem dilectionis est ex coniunctione dilecti ad diligentem. Et ideo diversorum dilectio est mensuranda secundum diversam rationem coniunctionis, ut scilicet *unusquisque diligatur magis in eo, quod pertinet ad illam* coniunctionem, secundum quam diligitur... Sic ergo dicendum, quod amicitia consanguineorum fundatur in coniunctione naturali originis, amicitia autem concivium in communione civili, et amicitia commilitantium in communicatione bellica. Et ideo in his, quae pertinent ad naturam, plus debemus diligere consanguineos: in his autem quae pertinent ad civilem conversationem, plus debemus diligere concives, et in bellicis plus commilitones ».

Ex qua doctrina ibid. ad 3^m deducit, quod « ex hoc, quod duci exercitus magis obediatur in bello quam patri, non probatur quod *simpliciter* pater minus diligatur, sed quod minus diligatur *secundum quid*, id est secundum dilectionem bellicae communicationis ».

166. Quod autem superius dixit Thomas de pluribus rationibus ob quas diligimus nobis coniunctos, id explicans docet simul, quomodo in iis sit virtus divina Theologica 2. 2. q. 26. art. 7.: « Est autem et alius modus, quo plus diligimus ex caritate magis nobis coniunctos; quia pluribus modis eos diligimus. Ad eos enim, qui non sunt nobis coniuncti, non habemus nisi amicitiam caritatis: ad eos vero, qui sunt nobis coniuncti, habemus aliquas alias amicitias, secundum modum coniunctionis eorum ad nos. Cum autem bonum, supra quod fundatur quaelibet alia amicitia honesta, ordinetur sicut ad finem ad bonum, super quod fundatur caritas, consequens est ut caritas imperet actui cuilibet alterius amicitiae, sicut ars, quae est circa finem, imperat arti, quae est circa ea, quae sunt ad finem. Et sic hoc ipsum quod est diligere aliquem, quia consanguineus vel coniunctus est vel quia concivis vel propter quodcumque huiusmodi aliud licitum ordinabile in finem caritatis, potest a caritate imperari, et ita ex caritate tam eliciente quam imperante pluribus modis diligimus magis nobis coniunctos ». Et ibid. ad 3^m: « Caritas non solum elicit actum dilectionis secundum rationem obiecti, sed etiam secundum rationem diligentis, ut dictum est. Ex quo contingit quo magis coniunctus magis amatur ».

Prosequitur deinde s. Thomas et reddit rationem, cur et quomodo 1° debeamus magis diligere nobis magis coniunctos secundum carnalem originem: 2° an ex caritate debeamus magis diligere filium quam patrem: 3° an homo magis debeat diligere matrem: 4° an homo magis debeat diligere uxorem, quam patrem et matrem. Et quoad primum doctrina certa est, praeferendos coniunctos ratione originis, licet quoad rationes alterius coniunctionis potior possit aut etiam debeat esse alia amicitia.

Ita s. Thom. 2. 2. q. 26. art. 8.: « Si comparemus etiam coniunctionem ad coniunctionem, constat quod coniunctio naturalis originis est prior et immobilior, quia est secundum id, quod pertinet ad substantiam: aliae autem coniunctiones sunt supervenientes et removeri possunt. Et ideo amicitia consanguineorum est stabilior. Sed aliae amicitiae possunt esse potiores secundum illud, quod est proprium unicuique amicitiae ».

Quoad comparationem inter amorem erga patrem atque erga filios, pater est magis diligendus dilectione, quae sumitur ab obiecto. Secus intensius diligendus filius, plures ob rationes, quas sic affert. s. Thomas 2. 2. q. 26. art. 9.: « Alio modo gradus dilectionis computatur ex parte diligentis et sic magis diligitur quod est coniunctius. Et secundum hoc filius est magis diligendus, quam pater... Primo quidem, quia parentes diligunt filios, ut aliquid sui exsistentes. Pater autem non est aliquid filii; et ideo dilectio, qua pater diligit filium, similior est dilectioni, qua quis diligit seipsum. Secundo quia parentes magis sciunt, aliquos esse suos filios, quam e converso. Tertio quia filius est magis propinquus parenti, utpote pars exsistens, quam pater filio, ad quem habet habitudinem principii. Quarto quia parentes diutius amaverunt; nam statim pater incipit diligere filium: filius autem tempore procedente incipit diligere patrem. Dilectio autem quanto est diuturnior, tanto est firmior, secundum illud Eccli. IX. 14.: *Non derelinquas amicum antiquum; novus enim non erit similis illi* ».

167. Pro duplici autem dilectionis ratione, sic munera sua cuique potiora assignantur ibid. ad 1.: « Principio debetur subiectio, reverentia et honor; effectui autem proportionaliter competit recipere influentiam principii et provisionem ipsius. Et propter hoc parentibus a filiis magis debetur honor, filiis autem magis debetur cura provisionis ».

Et rursus ad 3. memorat et excipit casum necessitatis, quae potior sit: « Ad patrem proprie pertinet, ut ei a filiis honor impendatur; ad filium autem ut ei utilitas a parentibus provideatur. Quamvis in articulo necessitatis filius obligatus sit ex *beneficiis susceptis*, ut parentibus maxime provideat ».

De comparatione autem inter patrem ac matrem, quaestione de iis

facta, *qua tales sunt,* sic s. Thomas reddit rationem, cur pater prae matre sit diligendus 2. 2. q. 26. art. 10.: « Per se loquendo pater est magis diligendus quam mater. Amantur pater et mater ut principia quaedam naturalis originis. Pater autem habet excellentiorem rationem principii quam mater: quia pater est principium per modum agentis, mater autem magis per modum patientis et materiae » (a).

Est tamen alia ratio, maior scil. amor matris, quam patris erga filium: sed tunc non considerantur reduplicative qua tales genitores. Ita s. Thom. ibid. ad 2.: « Dicendum quod hoc pertinet ad aliam rationem dilectionis. Alia enim est species amicitiae, qua diligimus amantem et qua diligimus generantem. Nunc autem loquimur de amicitia, quae debetur patri et matri secundum generationis rationem ».

Denique quoad comparationem inter uxorem ac parentes, ita s. Thomas 2. 2. q. 26. art. 17.: « Gradus dilectionis attendi potest et secundum rationem boni et secundum coniunctionem ad diligentem. Secundum ergo rationem boni, quod est obiectum dilectionis, magis sunt diligendi parentes, quam uxor; quia diliguntur sub ratione principii et eminentioris cuiusdam boni: secundum autem rationem coniunctionis magis diligenda est uxor; quia uxor coniungitur viro, ut una caro exsistens, secundum illud Matth. XIX. *Itaque iam non sunt duo, sed una caro.* Et ideo *intensius diligitur uxor,* sed *maior reverentia est parentibus exhibenda* ».

168. Bannez, quem Auctor allegat, duo habet quae notentur et quae apud auctorem clara non sunt. « Bannez, inquit Laymann lib. 2. tract. 3. cap. 3. n. 6. corol. 6., docet, insigni amico aut benefactori potius ex caritatis lege subveniendum esse, quam consanguineo non valde propinquo vel de nobis non bene merito. Similiterque fratribus spiritualibus magis etiam in temporalibus bonis subveniendum videtur, quam cognatis non valde propinquis: quandoquidem bona spiritualia, in quibus spiritualis societas fundatur, aliquo modo dependent a temporalibus tanquam subservientibus ».

Quod vero habetur in 2. Resolutione, hoc est, quod « Bannez, ut ait Laymann l. c. cor. 7., non improbabiliter docet, parentes carnales etiam in spiritualibus rebus praeferendos esse; partim quia eorum nobiscum coniunctio etiam in his fundata est, partim quia coniunctio carnalis, aliarum coniunctionum fundamentum ac basis, suapte natura prior ac stabilior est, sicut monet sanctus Thomas q. 26. a. 8.: gratia

(a) Quae consideratio pendet etiam ex quadam systematica ratione res considerandi. Ceterum, si, quod uterque parens confert, spectetur, constat plus conferre matrem quam patrem et illius maxime impensis foetum efformari, ut, absente etiam actione viri, vera auctrix prolis ipsa dici possit et debeat. E.

autem caritatis inclinationem naturae non destruit, sed perficit et ad finem supernaturalem dirigit, teste eodem s. Thom. 2. 2. q. 26. art. 7. Et quod dictum est de parentibus, eadem ratione dici debet de filiis ac fratribus carnalibus comparatione filiorum ac fratrum spiritualium.

Unde resolves.

XV. 1. In bonis pertinentibus ad naturam et vitam corporalem conservandam, succurrendum est (extra necessitatem extremam) primo omnium uxori, quia est una caro cum viro, 2. filiis, 3. parentibus et quidem patri prae matre, 4. fratribus, sororibus, deinde propinquis, domesticis et familiaribus. Dixi *extra extremam necessitatem;* quia in hac parentes, eo quod vitam dederint, praeferendi sunt etiam uxori et liberis. Laym. ibid. n. 5. et 6.

XVI. 2. In rebus pertinentibus ad civilem communicationem praeferendi sunt concives, in bellicis commilitones, in spiritualibus spirituales filii, patres, fratres. Bannez tamen probabiliter docet, parentes carnales, etiam in spiritualibus, aliis omnibus praeferendos; quia coniunctio carnalis est fundamentum aliarum coniunctionum. V. Laym. hic l. c.

Clara sunt ex iam dictis et quoad debitum filiorum erga parentes cf. dicenda in 4° Praecepto.

Dub. II.

De odio et dilectione inimicorum.

XVII. Certum est, inimicos aliquo modo diligendos, cum sint proximi: cum s. Th. 2. 2. q. 25. a. 1. communiter omnes. Sed quaeritur de modo et an possint odio haberi?

169. Quoad principium de necessitate diligendi etiam inimicos, utpote proximos, s. Thomas nihil habet loco allegato ab A. 2. 2. q. 25. art. 1. nisi generatim proximos esse diligendos.

Doctrinam generalem tradit potius ibid. art. 8. sic, ut discamus diligentissime distinguenda esse quae sunt de praecepto caritatis et quae sunt de perfectione caritatis.

« Dicendum (inquit), quod dilectio inimicorum tripliciter potest considerari. Uno modo ut inimici diligantur, in quantum sunt inimici, et hoc est perversum et caritati repugnans; quia hoc est diligere malum alterius ».

« Alio modo potest accipi dilectio inimicorum quantum ad naturam, sed in universali, et sic dilectio inimicorum est de necessitate caritatis, ut scilicet aliquis diligens Deum et proximum, ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos suos *non excludat.*

« Tertio modo potest considerari dilectio inimicorum in speciali, ut scilicet aliquis in speciali moveatur motu dilectionis ad inimicos, et istud non est de necessitate caritatis absolute; quia nec etiam moveri motu dilectionis in speciali ad quoslibet homines singulariter est de necessitate caritatis, quia hoc esset impossibile ».

« Est tamen de necessitate caritatis secundum praeparationem animi, ut scilicet homo habeat animum paratum ad hoc, quod in singulari inimicum diligeret, si necessitas occurreret » (idest ei in necessitate subveniendi).

« Sed quod absque articulo necessitatis etiam hoc actu impleat, ut diligat inimicum propter Deum, hoc pertinet ad perfectionem caritatis. Cum enim ex caritate diligatur proximus propter Deum, quanto aliquis magis diligit Deum, tanto etiam magis ad proximum dilectionem ostendit, nulla inimicitia impediente: sicut si aliquis multum diligeret aliquem hominem, amore ipsius filios eius amaret, etiam inimicos sibi ».

XVIII. Resp. 1. Quilibet homo, saltem privatus, tenetur proximo, etiam inimico communia dilectionis signa et beneficia exhibere ex praecepto; specialia vero ex consilio tantum, nisi aliunde ratio obligationis accedat. Ita comm. cum Laym. c. 4. ex s. Th. l. c. q. 25. a. 8. et 9. Dixi 1. *communia*, qualia secundum Caiet. v. *odium*, sunt, quae Christiano debentur a quovis Christiano in communi, concivi a concive, cognato a cognato. Ratio autem est; quia ista negare est vindicare iniuriam, quod non licet privato. Dixi 2. *nisi aliunde accedat ratio obligationis*, qualis esset, verbi gratia 1. timor scandali ex omissione, 2. spes salutis inimici: vid. Azor to. 2. l. 11. cap. 3., 3. necessitas temporalis vel spiritualis, 4. culpae deprecatio et exhibitio specialium signorum amoris. Ratio est; quia, his casibus, neglectus specialium signorum esset exterior odii declaratio. Laym. l. c.

170. Nomine inimici hoc loco intelligitur homo, qui me iniuste laesit aut iniusto odio prosequitur. Nam qui iuste laedit vel odit, non inimicus sed amicus habendus est.

Ab alio quis pati potest vel *meram offensam* vel etiam *iniuriam*. Offensa generatim dicitur *laesio seu irritatio voluntatis alterius,* cum nempe cuipiam contra eius voluntatem molestia infertur ac ius ipsi fit ad displicentiam, indignationem, aversionem atque iram adversus laedentem. Et si fiat sine laesione alterius iuris dicitur *mera offensa* contra caritatem ac pacem humanam. Ita v. gr. si petenti a me librum commodatum vel aliud beneficium, quod facile praebere possum, negavero, offendo amicum et licet nullum eius ius violem, immerito tamen molestiam infero, quam graviter fert et merito offenditur. Debetur sola reconciliatio.

Si vero accedat violatio iuris, tunc offensa sumit proprie nomen *iniuriae,* quae est laesio iuris alieni et tunc agitur non solum contra voluntatem, sed etiam contra ius illius.

S. Antoninus *Sum.* part. 2. tit. 8. §. 6. sic ponit quaestionem: « Utrum odiens proximum possit communicari, v. gr. pone quod aliquis sustinuit magnam iniuriam vel damnum ab aliquo, propter quod denegat illi salutationem; numquid potest licentiari ad communionem? »

Ergo non confundenda haec causa cum causa eorum, qui ex quadam

antipathia, ex apathia, ex diversitate indolis, conditionis gradus etc. omittunt quaedam signa benevolentiae etc. et uno verbo nolunt commercium cum illis habere, licet parati sint, ubi necessitas postulet, caritatis officium non negare.

171. Cum auctor doctrinam appellet s. Thomae, eam heic nota 2. 2. q. 25. art. 9.: « Dicendum quod effectus et signa caritatis ex interiori dilectione procedunt et *ei proportionantur.* Dilectio autem interior ad inimicum *in communi* quidem est de necessitate praecepti, *in speciali* autem non absolute, sed secundum praeparationem animi ».

« Sic ergo dicendum est de effectu et signo dilectionis exterius exhibendo. Sunt enim quaedam signa vel beneficia dilectionis, quae exhibentur proximis *in communi*, puta cum aliquis orat pro omnibus fidelibus vel pro toto populo, aut cum aliquod beneficium impendit aliquis toti communitati et talia beneficia vel dilectionis signa inimicis exhibere est de necessitate praecepti. Si enim non exhiberentur inimicis, hoc pertineret ad livorem vindictae ».

« Alia vero sunt beneficia vel dilectionis signa, quae quis exhibet *particulariter* aliquibus personis et talia beneficia vel dilectionis signa inimicis exhibere non est de necessitate praecepti nisi secundum praeparationem animi, ut scilicet subveniatur eis in articulo necessitatis, secundum illud Prov. XXV. 21.: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit, da illi potum* ».

« Sed quod praeter articulum necessitatis huiusmodi beneficia aliquis inimicis exhibeat, pertinet ad perfectionem caritatis, per quam aliquis non solum cavet vinci a malo, sed etiam vult in bono vincere malum, quod est etiam perfectionis; dum scilicet non solum cavet propter iniuriam sibi illatam pertrahi ad odium, sed etiam propter sua beneficia intendit inimicum pertrahere ad suum amorem ».

172. Notanda et alia principia s. Thomae. Nam 3. dist. 30. q. 1. art. 2. ad obiectionem, quod tenemur benefacere inimicis, inter beneficia autem sunt signa amicitiae, respondet ad 1.: « Beneficia amicabilia procedunt ex liberalitate, non ex debito: *Necessitas autem facit omnia communia:* et ideo in necessitate subveniendum est etiam inimicis. Sed hic est magis effectus iustitiae, quam amicitiae ».

Item ad obiectionem, quod oratio se extendit ad omnes et ideo alia etiam beneficia omnibus sunt porrigenda, respondet ibid. ad 2.: « Oratio est de his bonis, quae pertinent ad communicationem vitae spiritualis, quam caritas principaliter intendit et ideo non est simile de hoc et de aliis (beneficiis) ».

Item ad obiectionem, quod simulata est dilectio, quae non procedit ad opus, respondet ibid. ad 3.: « Non est simulata dilectio, quando tantum exhibetur in opere, quantum habetur in affectu ».

· Item ad obiectionem, quod negare signa familiaritatis est quaedam vindicta, respondet ibid. ad 5.: « Negare homini signa familiaritatis, *quando necessitas expeteret,* esset vindicta vel etiam quando veniam peteret vel quando se ille, qui hostis habetur, ad familiaritatem se ingerat, si habeatur praesumptio, quod non simulate vel irrisorie facit; *quia tunc diligit et inter amicos deputandus est.* Sed quod aliquis ultro se ad familiaritatem inimico ingerat, hoc perfectionis est ».

173. Nunc explicemus singulas partes Resp. A. Itaque communis ac generalis regula est. Inimicis non debetur nisi generalis dilectio, quae omnibus hominibus debita est: quae regula intelligenda tam de affectu interno, quam de externo effectu. Ratio; quia inimico, qua inimicus est, non debetur aliquid dilectionis, sed generali ratione, qua homo est. Ergo illi non amplius debetur quam omnibus hominibus debeatur generatim.

Ita s. Thom. *de Virt.* q. 2. art. 8.: « Cum ad inimicum nulla alia unio nobis remaneat, nisi sola unio caritatis, ex necessitate praecepti tenemur eos diligere in communi et affectu et effectu »... Et mensura est haec: « Tenemur affectu et effectu caritatis, quo omnes proximos diligimus et pro omnibus oramus, non excludere etiam illos, qui nulla nobis speciali constrictione coniunguntur, ut puta illos qui sunt in India vel Aethiopia ».

Dicitur *saltem privatus:* quia, ut dicitur in resolutione secunda, pater ac superior possunt ad correptionem per aliquod tempus subtrahere eiusmodi communia officia, seu signa dilectionis et beneficia.

Dicitur *communia dilectionis signa.* Quaeritur: intelligitur ne hoc nomine id, quod omnibus hominibus generatim debetur, an vero intelligitur ea quoque dilectio, quae ex specialibus titulis quibusdam debetur?

Respondet Lorca 2. 2. q. 25. n. 27. distinguendum esse. « Nam si titulus sit solum specialis amicitia et familiaritas, quam aliqui voluntarie intra se contrahunt, non debetur inimico: haec enim est specialis dilectio et *potest* dissolvi, non solum si amicus fiat inimicus, sed etiam si non fiat, quare nemo tenetur eam cum amico conservare. Si vero dilectio et eius signa debeantur aliis titulis, naturali vinculo, ut consanguineitatis, collegii et similibus, licet specialiora sint, quam quae omnibus hominibus debentur, inter generalia computantur ab omnibus et non potest inimicus ab eis excludi ». Ita Lorca.

Ergo generaliter falsum est, quod quis teneatur pristinae amicitiae aut familiaritatis signa alteri exhibere, quando haec amicitia aut familiaritas prorsus erat ultronea.

In ipsa illa speciali coniunctione, quae inest inter quosdam v. gr.

cognatos, collegii alumnos etc., convivas, contubernales etc., distinguendum est id, quod ex suapte natura exigit illa coniunctio, ab eo quod inter membra coetus illius accedat ex ultronea familiaritate. Nam quod spectat non quidem ad officium impositum a natura illius coniunctionis, sed ad peculiarem voluntariae familiaritatis significationem, id non pertinet ad communia signa.

Ubi etiam advertendum, quod dilectio, quae debetur ex aliis titulis: non pertinet ad virtutem caritatis theologicae, nisi quatenus actus isti virtutis dilectionis imperari possunt a caritate theologica, non secus ac aliae virtutes morales.

Ita s. Thomas *de Virtut.* q. 2. art. 9.: « Aliae dilectiones licitae et honestae, quae sunt ex aliquibus causis, ordinari possunt ad caritatem, et sic caritas illarum dilectionum actus imperare potest et sic quod magis secundum aliquam illarum dilectionum diligitur, magis diligitur ex caritate imperante. Manifestum est autem quod secundum dilectionem naturalem propinqui plus diliguntur etiam secundum affectum et secundum dilectionem socialem plus coniuncti et sic de aliis dilectionibus. Unde manifestum est, quod etiam secundum affectum unus proximorum magis est diligendus quam alius, et ex caritate imperante actus aliarum amicitiarum licitarum ».

Ergo, ut demum paucis haec resumamus, caritas postulat, ut inimico non negem 1° officia caritatis christianae, quae definivimus sup. sub §§. XII. XIV., 2° ut non negem officia, quae ratio alicuius coniunctionis specialis communiter imponit erga eos, qui talis coniunctionis sunt participes. Ita pater non potest negare alimenta filio aut uxori: ita Praelatus non potest negare beneficium, quo alioquin quispiam dignus sit nec miles obedientiam aut obsequium duci etc.

174. Auctor quatuor casus addit, in quibus tenemur obsequia etiam specialia exhibere inimico.

1° Timor scandali ex omissione, nempe si negando signa specialia amoris, quae antea praestare consueveras, ad maius odium vel iram concites inimicum.

2° Spes salutis inimici, nempe si salutatione vel quopiam alio benevolentiae signo animum inimici Deo et tibi conciliaturum te arbitreris. Azor tamen, quem ex Laymann Auctor allegat, de hac re tom. 2. lib. 12. cap. 3. q. 4. solum dicit, quod id « PROBABILE VIDETUR, *et ita sentit Gabriel* etc.; ex quo patet, non certi quidpiam ab ipso proponi. Adverte, quod probabilis quaedam spes affulgere fructus deberet ».

3° Necessitas temporalis vel spiritualis, quod etiam innuit s. Thom. n. 37., imo, ut superius ait s. Thomas n. 69., id non tam ex caritate,

quam ex iustitia debetur; quia in necessitate bona omnia sunt communia. Laymann autem alio sensu intelligit necessitatem spiritualem, necessitatem nempe non inimici, sed propriam. « Si (inquit) ad depellendum odium, quod adversus hominem geris, necessarium esse existimes, specialia amoris effecta ipsi praestare, sicuti praeter alios monet Navarrus etc. ». Haec tamen videtur minus obvia regulae explicatio et vix inde vera necessitas oriri posse videtur.

4° Denique *deprecatio culpae* et exhibitio signorum specialium amoris ex parte offensoris: nempe, ut ait Laymann lib. 2. tr. 3. cap. 4. n. 2., sunt exhibenda haec signa inimico, qui culpae veniam poscat; nam (ut ait Tullius apud Facciolati V. *Deprecatio*) *deprecatio est, in qua non defensio facti sed ignoscendi postulatio continetur* et officia amicitiae exhibenti vicem mutuam oportet rependere. Quo in casu, ut s. Thomas dicit, iam *tunc diligit* (inimicus) *et inter amicos deputandus est.*

Quod vero subdit Auctor: « *Ratio est, quia his casibus, neglectus horum signorum esset exterior odii significatio* » valere ad summum potest pro tertio, si intelligatur de necessitate *inimici* et non de *propria* et pro quarto casu.

Quod vero ad duos priores casus spectat, obligatio, quaecumque ea sit, exhibendi signa amoris, non oritur ex speciali, de qua agimus, obligatione diligendi inimicos et non praebendi signa odii; sed est obligatio orta ex generaliori lege consulendi proximis. Et cum reipsa ad nihil speciale per se quis teneatur erga offensorem, in offenso vero illi actus haud modicam contineant difficultatem, caritas autem non obliget cum gravi incommodo, maxime ubi mala proximo eveniunt ex mera sui malitia (ut in casu), huiusmodi obligatio, si qua sit quandoque, non valde urgenda est. Neque enim haec obligatio caritatis differt ab ea, quam quisque perpetuo habet, retrahendi proximum a peccato aut ad meliorem frugem reducendi. Hinc ad secundum actum teneor ego ex aequo ac quisque alius tenetur ad hortandum inimicum aut alios peccatores, ut resipiscant.

Unde resolves Casus sequentes.

XIX. 1. Per se loquendo, nemo tenetur ad inimicum diligendum positivo et peculiari actu neque ad eum salutandum, alloquendum, aegrotum invisendum, moestum consolandum, hospitio excipiendum vel familiariter cum eo agendum etc.; quia haec sunt signa specialia amoris. Fill. tr. 28. c. 1. Dico: per se; quia si omissio scandalosa esset aut per aliquid horum posses sine tuo incommodo inimicum tibi et Deo reconciliare, id omittere esset grave; uti etiam, si inaequalis persona soleret alium salutando praevenire, v. gr. subditus Praelatum. Laym. l. c.

175. Quod dicit A., non teneri te *ad actum positivum:* recole doctrinam s. Thomae *sup.* n. 171.

Ad exceptionem « Dico *per se* », adverte 1° recolenda quae diximus *sup.* n. 174.: 2° nota verba « *si posses sine tuo incommodo* ». Quod raro eveniet; quia personae graviter offensae difficile *fere* id est. Veruntamen si reipsa abest incommodum, valet doctrina generalis, quod caritas ad benefaciendum idest ad retrahendum a peccato impellere debet, si sine incommodo gravi fieri possit. Quod tamen addit A., quod *omittere esset grave,* vix aliquando verum erit.

Quod addit ex Laymann, de *inaequali subdito,* qui solebat salutare praelatum, hoc pertinet ad *signa communia* et non iam specialia; nam omnes subditi et semper reverentur praelatum et male ageret, etiamsi praelatus non esset inimicus.

S. Alphonsus in h. l. lib. 2. n. 28. addit: « Sic etiam, si prius consueveras inimico peculiaria signa exhibere » et allegat Tournely scil. Collet *cum Suarez.*

Forte ex Collet transscripsit allegationem Suarez; sed hic revera nihil tale habet. Ea de re vide quae superius diximus n. 173.: nam ubi amicitia et familiaritas est ultronea nec oritur ex speciali *necessaria* coniunctione, nemo tenetur eam servare.

Recte tamen monuit ibid. s. Alphonsus, amovendum scandalum, qua de re nos sup. n. 174., addens, eam obligationem, si adsit, non esse gravem, quae urgeat cum magno incommodo.

XX. 2. Non licet inimicum excludere a communibus orationibus v. gr. oratione Dominica et quae pro communitate instituitur nec a communibus eleemosynis, resalutatione, responsione, expositarum mercium venditione; quia haec sunt communia dilectionis signa ideoque contra haec facere, v. gr. cognatos omnes invitare, obvios omnes ex vicinia vel collegio ex consuetudine salutare, solo inimico excluso, est ex genere suo et regulariter mortale. S. Th. Nav. Laym. ll. cc. Addo 1. *ex genere suo;* quia, si levitas materiae aut causa rationabilis excuset, v. gr. si pater vel superior filio vel subdito, ob correctionem, ea subtrahat ad tempus, leve vel nullum erit; quia habet ius puniendi. Addo 2. *regulariter;* quia, si persona multo maior inferiorem non resalutet, v. gr. nobilis rusticum, pater filium, non videtur mortale, ut notat Sà ver. *Caritas.* Bon. t. 2. d. 3. q. 4. p. 3. V. Azor 3. p. l. 12. c. 13. q. 5.

176. Vigilanter A. dicit: non *licet excludere a communibus orationibus.* Nam male confessarius obligaret ad orandum apposite pro inimico. Satis est, si in oratione, quae fit pro communitate, positive inimicus non excludatur.

Quoad exclusionem a communibus beneficiis bene Suarez *de Carit.* disp. 5. sect. 5. n. 7.: « Dices; non teneor orare vel facere omnibus beneficium. Ergo possum excipere quem voluero. Respondetur ex s. Thoma 2. 2. q. 83. a. 3., interdum simpliciter non teneri nos ad aliquid faciendum: si tamen facimus, tenemur debito modo et ordine facere. Ut saepe non teneris orare; sed si oras, teneris attente orare: ita ergo in proposito ».

S. Alphonsus n. 28., addit ex s. Bernardino, quod si conversando cum inimico times ex hoc peius evenire, tunc abstinendum est tibi ab iis amicitiae signis, modo interius diligas et apud alios scandalum repares.

S. Alphonsus fatetur cum communi, non teneri te ad salutandum inimicum, excipiens casus fere illos, quos memoravit Auctor ex Laymann sup. n. 174. et addens « *si est superior* » quod ad rem non facit; quia non est tunc signum speciale.

177. De salutatione et allocutione Diana tom. 7. tr. 5. res. 31. haec refert ex Lorca 2. 2. disp. 25. n. 28.: « Salutatio et allocutio eodem modo debentur inimico, quo aliis (et hoc est principium magnum, nunquam oblivioni tradendum). Videndum ergo erit, qualiter hominibus debita sunt. Dicendum est primo: alloquutio et conversatio non sunt de generalibus signis dilectionis quae omnibus hominibus debemus, sed de specialibus; sunt tamen de generalibus inter *valde coniunctos* et ideo non debentur nisi coniunctis ».

« Secundo: Salutatio anticipata nemini debetur, nisi quibusdam personis dignitate praecellentibus, honoris causa ».

« Tertio: Resalutatio et responsio omnibus hominibus debita est virtute affabilitatis praesertim concivibus ».

« Quarto: Omissio alloquutionis et salutationis, etiam quando debita est, non est regulariter peccatum mortale; nam opponitur affabilitati, quae non est tantae obligationis, nisi forte ex circumstantia personae et aliis cederet in magnam iniuriam, vel propter scandalum, quod raro fit et prudentis arbitrio decerni oportet ».

Ex quibus Lorca concludit, non esse certum, peccare mortaliter eum, qui occurrentibus pluribus, inter quos inimicus, salutat omnes, excepto inimico; tum quia omissio salutationis, ut dictum est, etiam debitae regulariter non est peccatum mortale, tum quia id potest facere non in odium et repulsam inimici, sed in significationem proprii gravaminis et iniuriae.

Haec Lorca; quae, inquit Diana, plures non probant, praesertim si inimicus prior salutavit.

At dicendum, rem iudicandam esse ab adiunctis. Nam 1° etiam s. Alph. n. 28. excipit iudicem, superiorem, praelatum et, ut puto, quia est alius finis, correctionis scilicet: 2° excipit, si id fiat non ex odio, sed iusto dolore acceptae iniuriae, modo (addit) ex brevi tempore iniuriam acceperis. 3° Huc spectare debet, quod addit Hurtadus apud Diana tom. 7. tract. 5. resol. 30. n. 1. si quis infamem passus sit iniuriam, cuius aestimatio digna petit vultum austerum ac tristiorem, v. gr. si Sodomita aut Iudaeus appellatus sis aut quidpiam simile; tunc enim

negatio salutationis prudenter censetur oriri non ex odio, sed ex iusto dolore, qui iuste adimit signa urbanitatis omnibus eiusdem conditionis hominibus et e contra videreris atroces iniurias parvi aestimare.

178. Ad haec, 1° si agatur de amicitia quam servare vel non servare liberum sit, non dure agendum cum eo, qui nolit ullum habere commercium cum eo, quem amicitiae officio defuisse expertus est.

2° Id proportionate servandum inter eos, quibuscum abrumpi non potest commercium, si servatis officiis necessariis alicuius coniunctionis propriis, totum abrumpatur quod spectet ad ulteriorem familiaritatem.

3° Existimandum non est, eos, qui iniuriam fecerint, iniustam habere debere severitatem, qua ab aliis tractentur; conscii enim esse debent, sibi id rependi quod promeruerunt.

4° Esto abesse debeat id, quod sapit ultionem offensae ex odio. At si praelato, vel superiori generatim permittitur, ut ista severitate utantur in subditos, id supponit, laesores animadversione aliqua dignos esse. At numquid minus digni sunt animadversione, ideo quia offensus non est superior? Et cum nec consuetudo nec leges patiantur, ut ob quamlibet offensam querela ad iudices publicos deferatur, profecto rationes omnes, quae publicae potestatis interventum exigunt, scilicet insolentiae atque audaciae refraenatio, defensio omnium, ordinis conservatio etc., convenientissime postulant, ut etiam in his levioribus ea prorsus non desint, quae in aliis gravioribus iudices peragere solent. Et si odium abesse a iudicibus potest, potest et a privatis, dum offensoribus rependunt quod promeruerunt.

179. S. Alph. l. c. addit ex Sporer, non esse absolvendum religiosum, qui per notabile tempus, puta post hebdomadam, colloqui cum inimico renueret.

Verum Sporer tract. II. *in I. Praecept.* cap. 6. n. 34. tom. 1. pag. 153. non ita generaliter loquitur. Id enim statuit, quando *gravis praecesserit rixa*, adeo ut praesumi debeat, rem *ex gravi odio* proficisci. Quod si levis fuit causa rixae, omissio loquendi potiusquam ab odio, proficisci censetur ex naturali muliebri passione (nam de duabus monialibus agit). Concludit autem, se non daturum absolutionem post unam *aut alteram* hebdomadam; sed in hoc supponit odium.

Praeterea admittit illud, quod apud Diana tom. 7. tr. 5. res. 31. in fin. alii adverterunt, « negationem salutionis vel alloquutionis propter aliquam inimicitiam non esse scandalosam inter personas, de quibus non est ambigendum, an malevolentiam foveant animo, v. gr. inter religiosos qui quotidie celebrant ». Addit tamen Diana, hoc ultimum aliquibus displicere et merito.

Alia causa foret, si negata salutatione aut aliqua allocutione, ubi occasio postulat, negaretur solum familiaritas, quae ad alios habeatur.

De hoc casu aliisque pluribus multa egregie disputat Sporer tract. II. *in I. Praecept.* cap. 6., quae omnino videnda sunt.

XXI. 3. Etsi quivis teneatur inimico veniam legitime petenti non tantum interius remittere, sed etiam externa remissionis signa ostendere: negat tamen Trul. l. 15. c. 5. d. 5. ex Azor et Fill. teneri statim postquam offensio est illata; eo quod sit res violenta et supra fragilitatem humanam. Non tenetur autem remittere satisfactionem pro damno, si ab eo sit laesus: imo nec eam acceptare, si offerat: sed etiam iuridice potest compensationem petere, dummodo in utroque casu ponatur odium, ut docent Valent. Nav. Laym. l. 2. t. 3. c. 4. Quod si tamen poena sit valde gravis, verbigratia, capitis, mutilationis neque laeso ex ea commodum proveniat, non videtur ea, deprecante altero, sine peccato vindictae posse expeti. Similiter, si satisfaciat, quantum potest, ad id, quod non potest, eum urgere, videtur contra caritatem, ut docet Sylv. et Fill. t. 28. c. 1. q. 9.

180. 1° Tenetur remittere *interius* etiam non petenti veniam. Et hoc duo complectitur. Primum *negativum,* sc. ut deponat omne odium, rancorem, pravum affectum, malevolentiam, vindictae *iniustae* appetitum (scil. ut non velit aut vindictam per se sumere, aut ab aliis iniuste) et uno verbo ut non velit ei ullum malum iniuste inferendum. Et hoc debetur etiam ante externam reconciliationem atque inimicitia durante.

Alterum *positivum* est actus amoris, quod velit ipsi salutaria bona. Quod tamen de praecepto intelligendum ex iuxta regulam alias traditam cum s. Thoma sup. n. 171., Cf. Spor. tract. II. *in Praecept.* I. cap. 6. n. 42.

Si poenitens dicat velle se ignoscere, sed non posse oblivisci: non odisse, sed non posse aspicere, alloqui, salutare: caute incedendum. Saepe enim eiusmodi homines non feruntur ex interno *vero* ac voluntario odio in proximum, sed solum ex vehementi phantastica impressione, maxime si melancholici sint et cholerici, ex iniuriae acceptae vivida imaginatione facile ad inimici recordationem vel aspectum in motus amaritudinis, rancoris etc. feruntur; qui quidam motus rationem praeveniunt ac perturbant et in signa etiam externa prodeunt, licet illi voluntate reipsa non consentiant, sed facti sui compotes resistant. Cum his opus est patientia et prudentia, et sicut non semper credendum est ipsis dicentibus, se odio nullo teneri; tamen si interrogans confessarius deprehendat reipsa, hanc dispositionem animi ac motus solum ex horrore ac recordatione iniuriae, non ex malevolentia procedere, potest eos absolvere. Spor. ibib. n. 44.

181. Remissio offensae debet esse etiam *externa,* videlicet significandum est aliquo modo, te inimicitiam deposuisse. Haec signa si negentur *maxime inter aequales,* essent indicium odii perseverantis et obfirmati.

Dicitur tamen *petenti veniam.* Nam, ut inquit s. Antoninus post Durandum *Sum.* part. 2. tit. 8. cap. 2. §. 6.: « Aut iniuriator exhibet condignam satisfactionem aut non. Si exhibet secundum quantitatem culpae

et (supple) possibilitatem suam, sic tenetur eum ad amicitiam recipere et ei loqui... Si autem non exhibet, non tenetur ei loqui, quando scilicet satisfacere aut omnino non vult aut semiplene ».

Et si offensus non tenetur ad externam reconciliationem antequam offensor sincere et plene, quantum in se est, satisfaciat, multo minus tenebitur, si reconciliationem offensor non petit.

Quod non obligandus sit offensus STATIM ad externam reconciliationem, non tenent ii solum DD., quos A. allegat, sed s. Alphonsus in nota ad h. l. fatetur, esse communem doctrinam. Mirum vero est, quod idem dicat id *probabiliter* doceri. Profecto ubi communiter DD. conveniunt et in oppositum nulla ratio adducitur, non solet sententia dici mere *probabilis*.

Quantum temporis concedi possit ad sedandum prius animum, ne offensus ad actum nimis violentum compellatur, pensandum est prudentis iudicio, habita ratione gravitatis iniuriae et dispositionis personarum et aliorum adiunctorum. Ita Sporer l. c. cap. 6. n. 44.

182. Quod non teneatur offensus remittere satisfactionem pro iniuria, *communissima* est doctrina. Distinguendae quidem satisfactiones, prout vel intercessit *mera* offensa, vel iniuria quoque sive cum damno, sive sine damno, cf. n. 67.

Ratio evidens est; quia ex praecepto caritatis teneris proximo remittere solummodo malum ipsi indebitum, non item bonum tibi debitum. Atqui sola aversio, indignatio animi tui, qua proximo male velis et velis iniustam vindictam, est malum inimico indebitum: satisfactio vero tibi pro illata iniuria et maxime restitutio pro damno tibi irrogato, est bonum tibi debitum; ergo. Licet vero id sit malum inimico, illud tamen ipse non vis ut malum eius, sed quatenus est bonum tibi iuste debitum: dummodo tamen offensum animum deponas. Sporer, l. c. n. 18.

Ad haec nemo tenetur diligere inimicum plusquam se ipsum et ultra terminos iustitiae et caritatis. Ergo nemo tenetur remittere inimico ius ad satisfactionem.

Hinc, ut supr. n. 181. ex s. Antonino, si inimicus a te veniam petat nec tamen debitam satisfactionem offerat, cum possit, debes quidem ostendere, te odium in animo non fovere et offensam remittere; interim tamen satisfactionem potes exigere et eousque reconciliationem differre. Sporer, l. c. n. 45.

183. Quod dicit A., posse offensum *nolle acceptare satisfactionem*, intellige, quod possit eam iuridice postulare, ut ibid. A. subdit.

Nam, ut Valentia scribit tom. III. disp. 3. quaest. 3. p. 2. prop. fin., fuerunt qui dicerent, teneri offensum ita remittere iniuriam pe-

tenti veniam, ut etiam praetermittat actionem iniuriarum coram competenti magistratu. Ita Sylvest. V. *Caritas:* q. 6., quando alter sufficientem offerat satisfactionem. Sed, inquit Valentia, verius mihi videtur, quod absolute affirmat Glossa..., non teneri laesam partem omittere actionem iniuriarum, etiamsi alioquin teneatur deponere odium et rancorem. Ratio est; quia non tenetur aliquis determinate acceptare hanc potius quam illam satisfactionem pro iniuria, sed potest petere a iudice, ut sibi iuridice compensatio debita fiat. Et Sporer l. c. n. 19. dicit hanc sententiam communem Doctorum.

Hac de re s. Antoninus, part. 2. tit. 8. cap. 2. §. 6.: « Ex illatione iniuriae oritur actio iniuriarum. Hanc nullus tenetur remittere, imo quandoque laesus dimittere non potest, ut si iniuria illata est monacho etc. ».

Id s. Alph. n. 29. fatetur docere etiam Salmanticenses et iam diximus ex Sporer, esse doctrinam *communem*. Veruntamen notat cum A., difficile esse, ut in actione criminali non subintret livor vindictae, praesertim si poena sit gravis, v. gr. mutilationis, mortis etc. et ut addit Sporer l. c. n. 19., si haec satisfactio laeso sit prorsus inutilis. Hinc subdit s. Alph. *se adhaerere Antoine,* quod « practice loquendo *nunquam liceat expetere punitionem inimici, etsi iustam et legitima auctoritate faciendam.*

Verum Antoine *de Carit.* cap. 2. art. 2. q. 2. resp. 3. in fin. sic dicit: « Nunquam licet expetere punitionem inimici etsi iustam et legitima auctoritate factam, QUATENUS EIUS MALUM EST; nam hoc est actus odii nunquam liciti ». Et supra dixerat ibid. q. 2. resp. 3.: « Imo adversus illum licet instituere actionem tum civilem tum criminalem, modo id non fiat ex odio, vindicta aut alio pravo fine: civilem quidem, ut damnum illatum compenset vel pro iniuria satisfaciat; criminalem vero ex amore publicae iustitiae, ne aliis noceat vel ne impunita maneant crimina cum reipublicae damno ».

De hac re s. Thomas 2. 2. q. 108. art. 1. sic probat quomodo legitimus potest esse finis petendi vindictam: « Vindicatio fit per aliquod poenale malum inflictum peccanti. Est ergo in vindicatione considerandus vindicantis animus. Si enim eius intentio feratur *principaliter* in malum illius de quo vindictam sumit et ibi quiescat, est omnino illicitum... Si vero intentio vindicantis feratur *principaliter* in aliquod bonum, ad quod pervenitur per poenam peccantis, puta ad emendationem peccantis vel saltem ad cohibitionem eius et quietem aliorum ed ad iustitiae conservationem et Dei honorem, potest vindicatio esse licita, alias debitis circumstantiis servatis »: quibus addi potest alia ratio vindictae expetendae, scil. *ad aliorum exemplum* ac *fraenum.*

Et in his nota quod s. Thomas dicat « *si intentio feratur* PRINCIPALITER ». Nam in *malum* delinquentis semper ferri debet aliquo modo.

184. Fatendum tamen, DD. communiter monere, valde periculosum esse ut offensus expetat hanc vindictam; quod intelligendum est, quando offensor pro facultate sua privatam satisfactionem tum iniuriae tum damni obtulerit. Ratio est, quia difficile et raro abest malevolus animus. Vid. Spor. l. c. n. 19.

In praxi dicunt DD. consulendum, ut offensus abstineat. Quod intellige, nisi urgeat ratio publici boni aut emendationis rei etc., sed sola reparatio ordinis iustitiae. At qui agendum, si confessarius poenitentem videat omnino velle persequi actionem iniuriarum ac timeat, subesse affectum malevolum?

Forte erunt, qui prae oculis habentes s. Alph. doctrinam, dicent non absolvendum et forte id erui potest etiam ex aliorum DD. dictis.

Veruntamen putaverim, prudenter rem perpendendam. Nam in animo poenitentis nimis facile multa confunduntur et affectus vindictae multis rationibus (vid. sup. n. praec. dicta s. Thomae) legitimus fit: aliunde difficulter obtinebitur, ut abstineat.

Non damnarem eum, qui sectetur illam s. Antonini sententiam, ubi ait: « Non ergo est necessarium volenti communicare, ut dimittat actionem iniuriarum laedenti, sed odium ». Et si confessarius rite explicet distinctionem inter affectum et affectum et doceat, qua intentione liceat vindictam quaerere (idque facillima ratione proponet, quae in promptu est, si poenitenti imponat, ut rem non secus perpendat, ac si offensus non ipse foret, sed tertius quidam); tunc puto absolvendum, si dicat, se non odio ferri, sed recta aliqua intentione. Aut certe efficiet confessarius, ut poenitens intelligens, nullum pabulum sic praeberi animo malevolo, sponte dimittat consilium instituendi actionem.

XXII. Resp. 2. Etsi odium inimicitiae, sive personae secundum se et bonorum, quae in se habet, volendo scilicet illi malum, ut sic sive quatenus illi malum est, ex genere suo sit mortale; odium tamen abominationis sive qualitatis, quo non hominem, sed eius malitiam vel saltem personam tantum quatenus malam vel nobis noxiam aversamur, saepe licitum est, ut docet Con. a. 29. d. 3. et communiter.

Omnia clara.

Unde resolves sequentes casus.

XXIII. 1. In confessione satis esse, si dicas, te grave malum voluisse proximo nec opus esse explicare speciem mali, v. gr. mortem, infamiam, etc. quod omnia comprehendantur sub una ratione mali. Caiet. Bon. Turr. Trull. l. 1. c. 5. docent probabiliter: sed contrarium probabilius docent Suar. et Pal. t. 6. d. 4. p. 1.

185. Lugo *de Poenit.* disp. 16. n. 259.: « Dubitari solet de peccato odii, an in eo sit declarandum malum proximo desideratum; an

sufficiat dicere: ex odio desideravi ei malum grave, non declarando, an mortem, infamiam vel paupertatem. Non est autem sermo, quando *desideravi* INFERRE illud malum: tunc enim *certum est*, voluntatem auferendi famam differre specie a voluntate occidendi: sed sermo est, quando odium sistit in mero desiderio, quo vellem illi ea mala aliunde evenire, quia mala eius sunt ».

Et sane ipse s. Alph. alibi lib. 5. n. 50., tractans, quot peccata committat qui diversa mala optat inimico etc., tres affert sententias ita: Prima sententia dicit, unum esse specie peccatum: quia peccata odii, quibus malum aliis optatur, speciem sumunt a contrarietate cum virtute caritatis et diversa mala se *materialiter* habent. Secunda sententia dicit, plura specie committi peccata; quia desiderium sumit speciem ab obiecto desiderato. Tertia tamen sententia, satis probabilis, dicit, unum committi specie peccatum, si mala illa apprehendantur sub uno genere mali, scil. ut media optatae ruinae proximi: secus si voluntas feratur ad optanda diversa mala specifice considerata. Ita s. Alphonsus, et sic patet, quaestionem resolutionis esse de re hinc inde probabili. Et videndus Lugo l. c. nn. 259.-263.

XXIV. 2. Licet proximo velle malum aliquod v. gr. temporale (dummodo non sit iusto gravius), quatenus id illi bonum est, v. gr. morbum vel adversitatem, ut a peccatis emendetur. Bon. d. 3. q. 3. p. ult. §. 1. *ex multis*. Cavendum tamen est, ne fiat ex vindicta, ex qua si Psalmum 108. super inimicum tuum legas; peccas mortaliter. Generatim vero, ob bonum spirituale, proprium vel alienum, licet mala poenae inefficaci affectu aliis velle; quia, cum in hoc affectu bonum spirituale praeferatur temporali, non est inordinatio. v. Less. l. 2. c. 47.

Sic licet v. gr. mortem optare haeresiarchae vel publicae pacis turbatori, ob bonum commune et multorum salutem, iuxta illud Galat. V. 12. *Utinam abscindantur*. Item tristari de eo, quod dignitates conferantur indignis, vel de sanitate eius, qui ex illa sumit occasionem peccandi. Item mortem, egestatem aut morbum alicuius desiderare, ut cesset a peccatis e vitam in melius mutet. Eadem ex causa Bon. Azor et Palaus t. 6. p. 1. n. 11. excusant a peccato matrem, quae mortem filiarum exoptat, eo quod ob deformitatem vel inopiam commode et honeste nuptui tradere non possit. *Vide Prop. 15. inter damnatas ab Innoc. XI. *Etsi vero sibi ipsi optare mortem Nav. et ceteri dicant esse mortale: ad evitanda tamen gravia mala, v. gr. afflictionem internam id licere volunt Sanch. Sot. Gran. Dian. p. 5. t. 14. r. 92. Ita et Trull. l. 1. d. 2. n. 11. excusat foeminam, quae sibi vel alteri mortem optat ad vitandam gravem infirmitatem, mendicitatem, vitam acerbam etc. vel alia similia mala a marito, v. gr. inflicta vel infligenda. Mulierculas tamen ob minimas molestias mortem optantes Dian. l. c. mortalis damnat, nisi ut plerumque fit, excuset defectus advertentiae et deliberationis.

186. Huc faciunt superius n. 183. allata ex s. Thoma; eadem enim est causa.

Huc spectant etiam illa, quae s. Thom. habet *de Virt.* q. 2. art. 8. ad 10.: « Licite potest ille, ad quem ex officio pertinet, malefactores punire vel etiam occidere, eos ex caritate diligendo. Dicit enim Gre-

gorius..., quod iusti persecutionem commovent, sed amantes; quia si foris increpationes per disciplinam exaggerant, intus tamen dulcedinem per caritatem servant. Possumus enim illis, quos ex caritate diligimus, velle aut inferre aliquod malum propter tria. Primo quidem propter eorum curationem: secundo inquantum aliquorum temporalis prosperitas est in detrimentum alicuius multitudinis vel etiam totius Ecclesiae... tertio ad servandum ordinem divinae iustitiae secundum illud Psalmi LVII. 11.: « *Laetabitur iustus, cum viderit vindictam* ».

Quae rationes s. Thomae explicant tum primam partem resolutionis quae malum temporale optari posse dicit ob eiusdem proximi spirituale bonum tum etiam postremam, quae idipsum permittit propter spirituale bonum, proprium vel alienum.

Quoad applicationes de optata morte haeresiarchae etc. nulla est difficultas.

187. Quaestio fit de matre exoptante mortem filiarum, eo quod ob deformitatem et inopiam non possit eas tradere nuptui. Et s. Alphonsus tum in nota huic loco interiecta tum lib. 5. n. 22., dicit non admittendam sententiam Bonacina, Azor, Palai etc. affirmantium id licere et pro se allegat Roncaglia et Salmanticenses: Azor quoque pro ea opinione allegant Salmantic. tr. 20. cap. 13. n. 46.; sed male. Nam Azor ibi p. 1. lib. 3. cap. 12. q. 2. hoc exemplo mere utitur ad declarandum, quid sit odium abominationis; non autem probat, id licere, sicut non probat suicidium, quod mox ad alium casum declarandum proponit. Etiam Palaus male eam sententiam Azor tribuit tract. 6. dist. 4. p. 1. n. 11.

At in primis doctrina Roncaglia non potest placere s. Alphonso, qui paulo infra (in not. interiecta auctori hoc loco) rectam dicit doctrinam Viva allegantis sententiam s. Scripturae Eccli. XXX. 17. *Melior est mors quam vita amara:* Roncaglia vero generatim scribit tract. 2. cap. 3. q. 4. resp. 1.: « Neutiquam approbarem, optare mortem filii vel filiae ob nimiam mendicitatem familiae, sive eandem mortem sibi ob evadendam aliquam molestiam temporalem, licet gravem; nam *iuxta rectam rationem bonum vitae anteponendum est temporalibus malis* ». Quae ratio nimis probat etiam in sententia s. Alphonsi rectam appellantis doctrinam Viva.

Aliunde s. Alphonsus quaestionem intelligit non de malo filiarum vitando per earum mortem, sed de malo suo: « quia (inquit) *malum matris* non praeponderat malo *filiae optato.*

At Bonacina v. gr. non sic rem accipit *in Decal. Praecept. Prim.* disp. 3. q. 4. punct. ult. §. 1. n. 7.; exposita enim sententia iisdem prope verbis: ac A. noster subiicit: « Ratio est, quia hoc non est

odium personae seu inimicitiae, sed abominationis seu qualitatis, idest deformitatis aut inopiae, ob quam ex amore filiarum optat illis mortem ».

Quidquid porro sit de hisce Doctorum inter se pugnis, ortis ex aliorum sententia non rite forte intellecta: doctrina generalis prorsus tenenda sic proponitur a s. Thoma 3. dist. 30. q. 1. art. 1. ad 4.: « Caritas attendit ad quaedam bona per se, scilicet ad bona gratiae: ad quaedam autem per accidens, in quantum ad ista ordinantur. Bona autem temporalia, quae per accidens caritas attendit et ex consequenti, possunt se invicem in diversis impedire; quia prosperitas unius inducit adversitatem alterius. Unde quia caritas ordinem habet et plus debet diligere quisque se quam alium et propinquos quam extraneos et amicos quam inimicos et bonum commune multorum quam bonum privatum unius; potest aliquis salva caritate optare malum temporale alicui et gaudere si contingit, non inquantum est malum illius, sed inquantum est impedimentum malorum alterius, quem plus tenetur diligere, vel communitatis aut Ecclesiae ».

Et s. Gregorius *Moral.* lib. 22. cap. 11. n. 23.: « Inter haec sciendum, quia evenire plerumque solet, ut non amissa caritate et inimici nos ruina laetificet et rursum eius gloria sine invidiae culpa contristet; cum et ruente eo, quosdam bene erigi credimus et proficiente illo, plerosque iniuste opprimi formidamus ».

188. Doctrina ergo generalis est, *servandum esse ordinem caritatis.* Ordo autem caritatis exsistit non solum inter personas et personas, sed etiam inter bona, seu etiam mala. Idcirco sicut esset contra ordinem caritatis diligere potius extraneum quam coniunctum, ita esset contra ordinem caritatis optare Petro aliquod malum, ut ipse Petrus evitet minus malum. Et ideo generatim nunquam possumus optare malum, nisi privatio haec boni sit praeferenda privationi alterius boni maioris, seu aliis verbis, nisi bonum, quod intendimus, praeferendum rationabiliter sit bono, cuius privatio optatur alicui.

Hac de causa, inquit Viva *in Prop.* 13-15. Innoc. XI. n. 3., potest aliquis citra mortale (dicit *citra mortale;* quia huiusmodi affectus saepe non vacant culpa veniali, praesertim si sint absoluti et solum implicite conditionati) optare sibi mortem ad evadendam vitam, quam experitur morte ipsa amariorem, qua de re Auctor mox loquitur; nam ut dicitur Eccli. XXX. 17. *Melior est mors, quam vita amara.* Sic Elias 3. *Reg.* XIX. 4. *petivit animae suae ut moreretur,* ad evadendas Iezabelis insidias. Et Moyses Num. XI. 15. populi pervicacia contristatus, ait: *Obsecro ut interficias me et inveniam gratiam coram oculis tuis, ne tantis afficiar malis.* Ionas etiam, quia, parcente Deo Nini-

vitis, populi perturbator et propheta mendax videbatur, dixit IV. 3. *Et nunc Domine, tolle, quaeso, animam meam a me; quia melior est mihi mors, quam vita.* Et Iudas Machabaeus 1. *Mach.* III. 59. *Melius est mori in bello, quam videre mala gentis nostrae.*

Eandem doctrinam tradit Felix Potestas *de* 1. *Praecept.* n. 298., licet minus ad rem misceat causam de desiderio mortis tum *propriae* tum *alienae:* neque probabilitatem huius doctrinae negat s. Alphonsus lib. 5. n. 22.

Salmanticenses autem permiscentes pariter quaestionem *de se* et *de aliis*, scribunt tr. 20. cap. 13. n. 46. « mortale esse, *sibi vel alii* optare mortem ad vitandam molestiam infirmitatis, mendicitatis, vitae poenalis a marito inflictae, aegritudinem internam, afflictionem et similia. Ratio est (aiunt); quia vitium timiditatis et pusillanimitatis est velle carere (vita), ob vitanda aliqua mala minoris momenti ». Atqui 1° ista nihil pertinent ad desiderium mortis aliorum: 2° undenam vitium timiditatis aut pusillanimitatis mortale esse probatur? Erunt letalia, si praeceptum aliquod frangatur; at ubi est praeceptum ne Deum rogem, ut me tollat a miseriis mundi? 3° Nonne haec generaliter dicta contradicunt verbis Scripturae iam relatis? Si ergo levis sit causa, erit peccatum impatientiae, ex genere suo leve.

189. Exinde intelligitur: cur damnatae sint ab Innocentio XI. tres istae propositiones.

Prop. 13. « Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicuius tristari et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere et desiderare, non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolumentum ».

Prop. 14. « Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura est pinguis hereditas ».

Prop. 15. « Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hereditate consequutas ».

Falsitas istarum propositionum patet; quia ordo caritatis postulat, ut vita proximi praeferatur emolumento temporali proprio: imo exigit ut ad illam conservandam succurramus pauperi etiam de necessariis statui. Ergo caritatis ordo pervertitur, si mortem proximi appetamus aut de ea gaudeamus propter nostrum temporale emolumentum. Hisce enim affectibus nostrum emolumentum praefertur vitae proximi, quae est in ordine longe superiori; adeo ut perversio ordinis non possit dici levis nec possint huiusmodi affectus culpa vacare. Et sane magis est damnum pati, quam non reportare lucrum. Atqui ad vitam pro-

ximi conservandam tenemur adhuc damnum pati, erogando pauperi ea quoque, quae sunt statui necessaria, quamvis non cum magno detrimento. Ergo a fortiori non possumus eius mortem appetere ad lucrum temporale reportandum. Ita Viva l. c. n. 12.

190. Hinc sequitur, non admittendam doctrinam eorum, v. gr. Palai *de Caritat.* tract. 6. disp. 4. punct. 1. n. 11., qui ad cohonestandum desiderium vel gaudium mali alterius, solum exigunt, ut non optetur quatenus est illius malum vel ex displicentia personae. Nam requiritur praeterea, ut emolumentum, quod ex illo optato malo speratur, rationabiliter secundum ordinem caritatis praeferendum sit.

Aliud est tamen dicendum, si quis, supposita alterius morte, gaudeat de temporali emolumento, quod ipsi provenit. Id enim non est de morte aliena gaudere, sed dumtaxat de utilitate inde exorta, quod nullum est peccatum. Roncagl. l. c.

Qua de re Viva l. c. n. 4.: Si quis gaudeat praecise de emolumento temporali, quod ex morte alicuius provenit, nullatenus vero gaudeat de illius morte; unde complacentia et desiderium inefficax terminetur tantum ad bonum proprium, nullatenus ad malum alienum, sed solum ex suppositione mortis alienae velimus emolumentum temporale, quod consequitur et de illo gaudemus vel ad summum de connexione, quam mors proximi habeat cum nostro illo emolumento: si ita res intelligatur, aberit peccatum. Et in hoc sensu (iuxta eundem Viva) interpretandi sunt Caietanus, Palaus, Oviedo, Mendo etc., ut advertit etiam Puente Hurtadus; licet minus caute loquuti desiderium recta ferri fingant in proximi malum. Cf. dicta in tr. *de Peccatis* an. 109. deinceps.

Addit s. Alph. lib. 5. n. 21. in eandem rem: « Non damnandus, qui gaudet de effectu sequuto scil. hereditate obtenta ex morte alterius; *licet materia sit periculosa* ».

At licet sit periculosa, cum tamen haec fere eveniant et fideles forte se accusent, quod gaudium habuerint de morte aliorum etc., cum tamen affectus gaudii non respiciat malum sed effectum sequutum: hinc confessarius antequam damnet, debet examinare et rite instruere. Nam alioquin affectum complacentiae de bono effectu sequuto prohibere est repugnare naturae.

Quaenam vero emolumenta ex rationis rectae dictamine praeferenda videantur, non est locus heic persequi.

Quod ergo dicitur v. gr. de matre optante mortem filiarum, unde nata est controversia, non videtur damnandum, si desiderium oriatur ex timore malorum, quae passurae sint, si vivant, non solum quoad temporalia sed forte quod aeterna.

Sic s. Alphons. lib. 5. n. 21. non respuit sententiam Roncaglia et Salmanticensium aientium, posse patrem licite optare mortem filii, si timeat ex eius flagitiis dehonestandam esse familiam.

191. Quod A. dicit de mulierculis, quae excusantur a gravi peccato cum ob minimas molestias optant sibi mortem, s. Alph. dicit non improbabile et docet Felix Potestas *de* 1. *Praec.* n. 298. Item Salmant. tr. 20. cap. 13. n. 46.: « Convenimus, non statim esse damnandas de culpa mortali mulierculas et maxime vetulas, quae ob res minimas vociferantur sibique mortem exoptant, cum plerumque ex advertentiae defectu haec proferant ». At licet intercedat advertentia, ubinam (praeter impatientiam) ratio culpae, si mortem sibi a Deo optent? Cohibendae sunt in confessione consideratione purgatorii, quod in hac potius, quam in altera vita subire proderit. Caeterum cum haec vita sit exsilium in valle lacrymarum, praeter peccatum impatientiae aut defectum resignationis, vix intelligi alius reatus potest in morte optanda.

XXV. 3. Privatus, qui aversus ab alio fugit illum, si id faciat, ut eum suo colloquio et solatio privet atque ita contristet et male illi sit, est odium inimicitiae et peccatum: si vero nihil mali optando tantum fugias, quia naturae est deformis vel tibi solet esse molestus, est odium aversionis et peccatum, si sit sine ratione, quale non erit, si sit persona valde aspera, modo absit contemptus, scandalum et vindictae cupiditas. vid. Bon. l. c.

Nihil habet notatu dignum.

192. Adverte tamen verba Coninck *de Virt. Theol.* disp. 29. n. 60.: « Facilius contingit, odium abominationis erga proximum esse solum veniale peccatum, ut si quis alterum sine iusta ratione ob morum discrepantiam aut quia ab eo aliquid passus est, *leviter* aversetur eiusque consuetudinem fugiat, ita tamen ut nullum ei malum optet. Sic saepe ii qui graviter ab aliis laesi sunt, post remissam iniuriam sentiunt adhuc quandam in animo aversionem, qua illorum conversationem horrent, quam ob *suam infirmitatem* non possunt ita statim superare ideoque illos fugiunt; qui ideo non sunt damnandi peccati mortalis, modo nullum malum iis optent et sint parati eis in omni necessitate succurrere, prout caritas postulat nec exterius ulla inimicitiae signa ostendant, v. gr. nolendo occurrentes secundum morem patriae salutare aut loquentibus respondere etc. ».

Dub. III.

De eleemosyna.

XXVI. Suppono 1. huius praecepti obligationem nasci ex duplici capite: 1. ex necessitate proximi egentis, 2. ex persona possidentis bona vel minus necessaria vel superflua.

Suppono 2. duplicem dari necessitatem proximi, 1ª dicitur extrema, ex qua egenti imminet periculum vitae vel etiam gravis et diuturni morbi, secundum Dian. p. 5. t. 8. r. 1. 2ª gravis, ex qua imminet periculum gravis mali, ut captivitatis, infamiae, gravis iacturae bonorum vel status, unde fiat, ut difficulter se possit sustentare: v. gr. si non possit vivere secundum suum statum, vel si nobilis cogatur alteri famulari, vel artifex aut vir honestus mendicare. 3ª dicitur communis, qua laborant mendici triviales. Laym. l. 2. tr. 3. c. 6.

Suppono 3. bona necessaria et superflua dici, vel respectu vitae sive naturae, vel respectu status vel decentis conditionis personae; quo modo seculares raro putant se habere superflua, ut docet Laym. et Nav. c. 24. Nam quae sunt necessaria ad alendos liberos, famulos, honestas donationes, convivia, hospitum tractationem (qualia tamen non sunt, quae ad quemcumque fastum et pompam quisque sibi requirit) spectatis etiam communibus eventibus, heredibus, necessitate futura etc. non sunt superflua. *Hac de re vide proposit. 12. inter damnatas ab Innoc. XI.*

193. Ut obligatio existat, requiritur ex parte recipientis necessitas. Nam, ut ait s. Thomas 2. 2. q. 32. art. 5.: « Ex parte recipientis requiritur, quod necessitatem habeat; alioquin non esset ratio, quare eleemosyna ei daretur ».

Ex parte dantis requiritur, ut vel habeat bona superflua, vel certe *minus ipsi necessaria*, quam necessaria sint indigenti, de qua re infra dicetur.

A. duplicem necessitatem ab initio proponens et deinde tres enumerans, videtur significare quod postrema non sit vera necessitas. Sed de his infra. Nihil movere debet, quod non omnes DD. quosdam casus ad eandem necessitatis speciem revocent ac quidam dicant solum gravem illam, quam alii dicunt extremam aut fere extremam et viceversa.

Declaratione indiget 3. suppositio et videndum est quotuplici modo bona dicantur necessaria.

S. Thom. 4. dist. 15. q. 2. art. 1. q. 4ª: « De rebus exterioribus dicitur nobis necessarium aliquid dupliciter. Uno modo, sine quo non potest aliquis esse aut vivere. Alio modo dicitur nobis necessarium, quo indigemus ad honeste vivendum vel decenter secundum statum nostrum ».

Auctor ad decentiae necessitatem refert ea, quae ad alendos quoque liberos necessaria sint. Sed minus accurate; nam pro liberis necessarium quidpiam esse potest vel absolute, vel solum ad decentiam.

Melius s. Thomas utrumque necessitatis modum refert et ad homi-

nem in se et ad eundem quoad eos, quorum gerit curam. Ita 4. dist. 15. q. 2. art. 4. q. 1ª: « Utroque autem dictorum modorum potest aliquid esse alicui necessarium dupliciter: vel ratione sui ipsius et hoc dicitur a quibusdam necessarium *individui,* vel ratione eorum, quorum curam gerere debet et hoc dicitur necessarium *personae*, inquantum *persona* ad dignitatem pertinet, secundum quam alicui competit aliorum curam gerere ». S. Antoninus tamen infr. n. 114. ratione *personae* videtur *necessarium* dicere id, quod pertinet ad *decentiam.*

194. Auctor dicit, seculares raro putare, se habere superflua et heic intelligitur superfluum *necessitati decentiae.* De hac re habenda est ante oculos propositio 12. damnata ab Innoc. XI.: « Vix in secularibus invenies, etiam in regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo status ».

Sed rursus ne praeceps de his iudicium feramus et alios angustiis vexemus, notandum ex s. Thoma, hanc decentiam non consistere in indivisibili, sed habere quandam latitudinem.

Ita ipse 4. dist. 15. q. 2. art. 4. q. 1ª: « Talis decentia non consistit in aliquo indivisibili; quia multis additis homo non excedit status sui conditionem: multis etiam subtractis conditio sui status decenter conservatur. Sed tantum potest addi, quod esset ultra conditionem status sui et tantum diminui, quod non servaretur honestas vel sui status decentia. Et hoc quidem sermone determinari non potest; quia de singularibus non est iudicium: sed statur in hoc prudentiae arbitrio et discretionis, quae docet de omnibus ».

S. Alphons. lib. 2. n. 32. addit ex Navarro, Caiet. et Sylvestr., quod « necessarium ad decentiam status... habet latitudinem eo maiorem, quo status est maior ».

195. Praeterea egregie s. Thomas quoad utramque necessitatem considerandum dicit, an resarciri facile possit necne. Ita 4. dist. 15. q. 2. art. 4. q. 1ª: « Illud ergo sine quo non potest esse vel vivere aliquis vel ipse vel illi, quorum curam habet, non debet in eleemosynam expendi; hoc enim dicitur necessarium simpliciter quasi necessitate absoluta, *nisi forte posset, antequam talis necessitas incumbat, per alium modum resarciri; quia iam excideret ab huius necessitatis ratione.* Similiter etiam illud, quo subtracto non potest servari decentia status aliquo modo sui vel suorum, non debet aliquis in eleemosynam expendere; *nisi de facili resarciri possit* etc. ».

Porro ad regulam traditam a s. Thom. sup. n. 108. commensuranda sunt etiam ea, quae A. dicit de *fastu et pompa.* Nam et excessus certe dari potest, quod A. innuit voce *quemcumque;* at ista quoque *latitudinem habent* et discretione magna utendum in decidendo excessu.

Et s. Alphonsus ipse lib. 2. n. 32. consentit cum Navarro et Caietano: « pertinere ad decentem statum conservandum omnia, quae requiruntur non solum ad filios (decenter) et famulos et hospites sustentandos, sed etiam ad honestas donationes, convivia et moderatas magnificentias exhibendas ».

XXVII. Resp. 1. Nemo tenetur dare eleemosynam ex bonis sibi ad vitam necessariis, nisi esset persona talis, ex qua penderet salus Reipub. Est communis. Et ratio patet ex ordine caritatis.

196. Quod dicit A., aliquando, scil. si periclitetur persona reipublicae necessariae etc.. teneri nos ad eleemosynam ex necessariis ad vitam, videtur non admitti a s. Thoma, qui sic ait 2. 2. q. 32. art. 6.: « Necessarium dicitur dupliciter. Uno modo, sine quo aliquid esse non potest, et de tali necessario omnino eleemosyna dari non debet, puta si aliquis in articulo necessitàtis constitutus haberet solum, unde possent, sustentari et filii sui vel alii ad eum pertinentes; de hoc enim necessario eleemosynam dare est sibi et suis vitam subtrahere. Sed hoc dico, nisi forte talis casus immineret, ubi subtrahendo sibi daret alicui magnae personae, per quam Ecclesia vel respublica sustentaretur; quia pro talis personae liberatione seipsum et suos *laudabiliter* periculo mortis exponeret: cum bonum commune sit proprio praeferendum ». Nam cum dicat *id laudabile,* videtur innuere agi de consilio, non de praecepto. Et ita intelligit s. Antoninus infr. n. 114. quarto, qui tamen intelligit solum de servanda persona *utiliori*, non vero de ***necessaria*** reipublicae aut Ecclesiae.

Respondet tamen Suarez *de Carit.* disp. 7. sect. 4. n. 6.: « In citato sexto articulo solum intendit docere, quid in hac materia sit bonum quidve malum. Unde *laudabile* ibi non significat consilium vel praeceptum, quod s. Thom. reliquit definiendum ex ordine caritatis ».

Ea de re Valentia tom. 3. disp. 3. q. 9. punct. 4.: « Quarto certum est, debere etiam aliquem de necessariis non modo ad decentiam status, sed etiam ad vitam sui ac suorum, eleemosynam facere in extrema necessitate eius, ex cuius vita pendeat *notabiliter* salus reipublicae aut Ecclesiae. Ita Caiet. hic art. 6. et alii communiter, idque patet ex ordine caritatis, quo bonum commune debet praeferri privato... Neque obstat, quod s. Thomas ait, in tali etiam casu facere eleemosynam de necessariis ad statum (imo ad vitam) esse *laudabile*. Ut enim cum Caietano et Ioanne Medina advertimus, laudabile appellat s. Thomas eo loco non id, quod non est etiam ex praecepto debitum, sed quod non est *illicitum* ». Et reipsa ita fert contextus, cum subdat ***bonum commune praeferendum esse privato.***

Non dissimulandum tamen, loca quaedam s. Thomae, quae Suarez

allegavit l. sup. cit. et disp. IX. sect. 3. n. 1. et 3., ut evinceret, in eo casu vitam propriam posthabendam vitae alterius, hoc reipsa non evincere.

197. * Itaque cum de bono communi agitur, contingere potest, ut teneamur illud praeponere non solum bonis nostris, sed et nostrae vitae: verum heic praeter caritatem intervenit quoque iustitia legalis. Solet utique frequenter dici quod *caritas non obligat cum gravi incommodo:* sed ut patet ex dictis, excipienda est necessitas extrema spiritualis proximi (nn. 158.-160.) et necessitas etiam temporalis societatis, ut heic dictum est, atque extrema proximi necessitas temporalis, ut dicetur §. XXIX.: nisi quod in hac hypothesi, cum modicum sufficiat sublevandae necessitati, raro grave erit incommodum sublevantis. Cf. exceptionem sub §. XXXII. Cum tantum est gravis necessitas proximi, non tenetur homo cum gravi damno seu incommodo succurrere: quia in pari causa iure quis se praefert proximo quemadmodum et in extrema necessitate proximi nemo tenetur succurrere, si hoc ipso coniiciendus sit in eandem necessitatem. Principium ergo universale est; non teneris succurrere necessitati proximi, si succurrens eandem necessitatem es subiturus. Hinc, seposita extrema necessitate proximi, qui casus rarus est, *caritas non obligat cum gravi incommodo,* ut fert commune axioma. *

XXVIII. Resp. 2. Probabile est, ex superfluis naturae et status teneri aliquem, etiam in gravi necessitate, succurrere proximo, si probabiliter putet alium non subventurum: idque, ut Azor, t. 2. l. 12. c. 7. Syl. et Fumus volunt, sub mortali, contra Medin. qui vult esse tantum consilii. Ratio est, quia cum in Scriptura frequenter damnentur homines ob neglecta opera misericordiae; haec non sunt restringenda ad extremam et raram necessitatem. v. Laym. l. c.

198. S. Alphonsus in not. huic loco interposita dicit *hoc tenendum* videlicet sub gravi culpa teneri hominem ad dandam eleemosynam *gravi* necessitate laboranti *ex superfluis.* Et haec est doctrina s. Thomae, 4. d. 15. q. 2. a. 1. q. 4. ad 4. « Dicendum, quod tempus, ad quod obligat praeceptum de eleemosynis faciendis, accipitur ex parte accipientis et ex parte dantis. Ex parte autem accipientis, quando apparent signa probabilia *extremae necessitatis futurae,* nisi ei subveniatur, ut cum aliquis videt alios impotentes vel pigros ad subveniendum et pauperem indigentem cibo et potu et aliis vitae necessariis nec sibi satisfacere posse: non enim exspectanda est ultima necessitas; quia tunc forte non posset iuvari natura iam fame vel siti consumpta... Ex parte autem dantis, quando habet homo multa, quibus non indiget neque ad sustentationem, vitae sui et suorum *neque ad decentem status sui conservationem, etsi pauperes extremae necessitatis non compareant.* Neque

oportet occasionem futurae necessitatis praetendere ultra probabilia signa futurae necessitatis; quia haec est superflua sollicitudo, quam Dominus prohibet Matth. VI. 31.: *Nolite solliciti esse, dicentes: quid manducabimus aut quid bibemus aut quo operiemur etc.* ».

In quibus clare obligatio edicitur de superfluis utrique necessitati et respectu eorum pauperum, in quibus non apparet extrema necessitas.

199. Id manifeste confirmant, quae dicit in Quodlib. 8. art. 12.: ad quaestionem enim « Utrum ille, qui non dat pauperi petenti, si habeat de superfluo, peccet », sic respondet: « Circa hoc distinguendum est. Supposito enim, quod aliquis habeat de superfluo et respectu individui et respectu personae, quod tenetur pauperibus erogare, aut videt in paupere PETENTE evidentia signa *extremae necessitatis*, aut non. Si videt, certum est quod tenetur dare et peccat non dando: in hoc enim casu loquitur Ambrosius: *Pasce fame morientem: si non paveris, occidisti.* Si vero non appareant, tunc non tenetur dare pauperi PETENTI: quia quamvis teneatur dare superfluum pauperibus, non tamen tenetur omnibus dare *nec huic dare*, sed tenetur distribuere secundum quod sibi visum fuerit opportunum ». In quibus manifeste adstruitur obligatio orta ex superfluitate, etiamsi desint, qui extrema necessitate laborent. Sed non eruitur necessitas dandi huic petenti, etsi necessitas videatur gravis.

S. Antoninus vero doctrinam suam et s. Thomae sic proponit part. 2. tit. 1. cap. 24. §. 5. quodam compendio. « Nota igitur ex praedictis: primo quod non dare eleemosynam... tunc est mortale, quando quis superflua, ultra scilicet necessaria naturae et personae, habens, non subvenit patienti *extremam* necessitatem, quam novit, sec. Thomam, Richardum, Durandum et Hervaeum... »

« Secundo cum quis sciens extremam necessitatem proximi, non subvenit ei de eo, quod est sibi necessarium personae idest ad decentiam sui status et familiae, sed superfluum naturae: et hoc sec. Durandum et Richardum... Sed b. Thomas 2. 2. q. 32. dicit, hoc esse sub consilio: unde non peccaret istud omittens, saltem mortaliter. Quod forte intelligitur de tali necessario personae, idest quoad decentiam, propter cuius carentiam sustineret magna pericula vel damna corporis et animae » (a).

(a) S. Antoninus proculdubio habuit heic prae oculis illum locum s. Thomae 2. 2. q. 32. art. 6. qui sequitur ad cit. n. 196.: « Alio modo dicitur aliquod esse necessarium, sine quo non potest convenienter vita transigi secundum conditionem et statum propriae personae et aliarum personarum, quarum cura ei incumbit... De huiusmodi ergo eleemosynam dare est bonum et non cadit sub praecepto, sed sub consilio. Inordinatum esset autem si aliquis tantum sibi de bonis propriis subtraheret, ut aliis largiretur, quod de residuo non posset vitam transigere convenienter secundum proprium statum

« Tertio cum quis de superfluo utriusque necessitatis naturae scilicet et personae non subvenit magnas necessitates et miserias patientibus, etsi non extremas, sibi notas: et hoc videtur esse mortale sec. Durandum, sed non sec. Thomam ». Hoc forte referri potest ad sententiam s. Thomae sup. n. 199., ubi dicit, extra casum extremae necessitatis liberum esse ut eleemosyna detur, prout magis opportunum videtur, scilicet aut petenti aut alii, pro lubitu.

« Quarto dare eleemosynam de necessario naturae, scilicet sibi et familiae, esset peccatum; quia contra caritatem, sec. Thomam, Richardum et Durandum: et hoc nisi, ut dicit Thomas 2. 2. q. 32. ubi supra, quis daret personae alicui, quia considerat utiliorem illam reipublicae vel Ecclesiae, quam se et familiam et ideo praefert conservationem vitae illius suae, subveniendo ei de necessario vitae: ad quod tamen non tenetur ex praecepto, sed pertinet ad magnam perfectionem. Laudabiliter enim quis daret eleemosynam de necessario personae indigentibus, etsi non extreme, cum vellet religionem ingredi, vel in promptu per industriam posset sibi cito suo decenti statu providere, sec. s. Thomam ubi supra ». Cf. not. ad secundum.

Quoad probationem huius eiusdem doctrinae, quae sumitur ex 12. Prop. damnata ab Innocentio XI. n. 123. notabis, quae sequuntur.

Quaestio, an seculares habeant superflua non modo naturae sed etiam *statui*, orta est ex discrimine, quod doctores omnes fatentur esse inter seculares homines et clericos beneficiatos, nempe, ut ait Viva in Prop. 12. Innoc. XI. n. 11., quod beneficiati clerici debent in pios usus erogare quidquid superest congruae sustentationi (intellige de fructibus beneficii) atque adeo graviorem habent obligationem subveniendi pauperibus ex superfluo; seculares vero possunt de superfluo status plurimum servare ad altiorem statum acquirendum.

200. Exinde orta controversia, quam Diana tom. 4. tr. 7. resol. 14. sic proponit: « An spes ascendendi ad superiorem statum liberet ab onere elargiendi eleemosynam de superfluis ».

---

et negotia occurrentia. Nullus enim inconvenienter vivere debet. Sed ab hoc tria sunt excipienda. Quorum primum est quando aliquis statum mutat, puta per religionis ingressum; tunc enim omnia sua propter Christum largiens opus perfectionis facit, se in alio statu ponendo. Secundo, quando ea, quae sibi subtrahit, etsi sint necessaria ad convenientiam vitae, tamen de facili resarciri possunt, ut non sequatur maximum inconveniens. Tertio, quando occurreret extrema necessitas alicuius privatae personae vel etiam aliqua magna necessitas reipublicae. In his enim casibus laudabiliter praetermitteret aliquis id, quod ad decentiam sui status pertinere videtur, ut maiori necessitati subveniret ». Sed s. Antoninus non videtur assequutus mentem s. Thomae. Nam quod in fine dicit *laudabiliter* fieri, sic loquitur, ut ostendat non esse *inordinatum;* ideo non tangit heic quaestionem, an sit de praecepto necne: qua de re cf. sup. n. 198. 199. Quod vero ab initio dicit *esse de consilio*, intellige ex *parte dantis*. Vid. sup. notata n. 110 et 111. ex Suarez et Valentia.

Porro ipse Diana sic respondet ibid. n. 2.: « Ego puto sententiam Caietani et Corduba esse probabilissimam, quam tuetur sapientissimus Vasquez opusc. *de eleemosyna* cap. 4. dub. ultim. n. 14. ubi sic asserit: *Laici de bonis patrimonialibus possunt servare ad statum suum vel consanguineorum mutandum. Unde vix in secularibus invenies etiam in regibus superfluum statui.* — Ita ille et cap. 1. dub. 3. n. 26.: *Appello superfluum status vel praesentis vel futuri, quem ego licite possum acquirere et ad illum ascendere. Nec enim teneor ego meum statum et dignitatem amittere, ut alius non amittat suum* (casus est, cum succurrendum esset ei, qui e suo statu casurus esset) *et simili ratione non teneor ego ob similem necessitatem futurum perdere statum, quem digne poteram conquirere, quod expresse sensit Navarrus et Caietanus* 2. 2. *et Suar.* l. c.: *qui licet sentiat, de superfluo quemlibet teneri ad eleemosynam, sed non existimat superfluum, quando quis habet superfluum statui praesenti, illud tamen in futurum reservat, ut mutet in statum digniorem et ita vix aliquis tenetur aut secundum opinionem Caietani aut secundum nostram, quando tenemur tantum ex superfluo status.* Haec Vasquez ». Qui tamen Vasquez (vid. Viva l. c. n. 1. et 2.) docuit, non solum in necessitate extrema sed etiam in gravi teneri quemquam ad largiendum non modo ex superfluis, sed etiam de necessariis statui, dummodo sit superfluum naturae seu suae ac suorum sustentationi; quod quidem est contra communiorem dd. sententiam: atque adeo severiorem, quam alii, doctrinam tenuit.

Non placuit itaque Vasquezio doctrina, quae tenet, extra casum extremae necessitatis, nos teneri ad eleemosynam solum ex superfluis statui. Hinc addidit, superfluum statui, cum intelligi possit de statu praesenti et etiam de altiori sperato, ad quod licite quis potest contendere, vix reperiri etiam in regibus: atque adeo obligationem, quae desumatur solum ex superfluitate bonorum, vix ullam in laicis reperiri; obligationem ergo desumendam esse ex necessitate pauperum.

Quam quidem doctrinam solum perfidia ianseniana poterat in calumniam vocare, quasi neget obligationem largiendi eleemosynas.

201. Ceterum Diana l. c. ita prosequitur; « Vide etiam eundem (sc. Vasq.) infr. n. 32. et Corduba lib. 1. q. 36. cum Granado in 2. 2. Contr. 3. (aut. 8.) tr. 11. sect. 1. n. 3.., ubi adducit et approbat doctrinam Caietani in *Sum.* V. *eleemosynae largitio,* sic asserens ». *Hoc esse iudicandum consideratis sumptibus honorabilibus etiam filiorum familiae, status munificentia, magnificentia, communibus eventibus, haeredibus et aliis eiusmodi: ita ut videatur raro contingere, ut homo secundum statum gloriose vivens, superflua habeat.* Haec Caietanus.

Vide etiam Malderum in 2. 2. q. 32. art. 6. dub. 4., ubi docet etiam, vix unquam contingere, ut quis habeat superfluum status, cum possit quilibet cogitare de statu augendo, imo status cum divitiis crescat ».

Pergit Diana: « Vide etiam Ludovicum a s. Ioanne in *Sum.* q. *de Eleemosyna* art. 3. dub. 4. append. 3. sic asserentem: Hinc apparet, non esse damnandum eum, qui dicta bona superflua retinet, ut sibi vel suis comparet aliquem honorem, dignitatem aut statum, qui licite acquiri possit, dummodo non cesset subvenire extremae aut fere extremae necessitati proximi ».

« Quae omnia, subdit Diana, satis pro divitibus eorumque confessariis, ut reor, plausibilia erunt; consulendum tamen eis est semper, ut large eleemosynas praebeant ».

Addit Diana: Supradictam sententiam non admittit Duvallius 2. 2. *de Carit.* q. 8. art. 4.; quia ex illa duo gravissima incommoda sequerentur. Primum, nullum unquam hominem dici posse habere superfluum; omnes quippe sperare et aspirare ad superiorem statum possent: saltem nulla est ratio, cur unus potius quam alter ad eiusmodi statum aspiret. Secundum, eum qui nullam dignitatem superiorem speret, cum paucis supra necessitatem et decentiam sui status praesentis habiturum superflua; eum vero, qui hanc dignitatem speret, seu qui maiori ambitione duceretur, habendo plurima supra decentiam sui status, non habiturum superflua.

His nihil addit Diana. Verum si in concreto res spectetur, difficultas evanescit et potest utrumque conciliari, ut Viva l. c. n. 11. advertit ex Tamburino; nam et illi, qui volunt de superfluis servare ad statum augendum, habent, quae expendant in pauperes, quin statui etiam sperato obicem ponant: quoniam quae sunt necessaria statui, non sunt, ut audivimus a s. Thoma, in indivisibili sita ideoque sine aliquo vero detrimento minui possunt per eleemosynas.

Ceterum ex prop. illa damnata duo tantum erui possunt. 1° In secularibus aut saltem in regibus plus aliquid, quam vix superfluum statui reperiri: quod quidem, uti et Viva fatetur l. c. n. 4., communiter intelligitur de statu *praesenti*.

2° Esse aliquos, qui ad eleemosynam tenentur, quando obligatio urget tantum ex superfluo statui.

Sed et attendenda illa verba A. *si probabiliter putet, alium non subventurum.* Nam ex s. Thoma sup. n. 112. hic casus iam ad necessitatem prope extremam revocandus est et pro probabilitate huius defectus stabit probabilitas obligationis gravis ad subveniendum.

XXIX. Resp. 3. Proximo in extrema necessitate teneris succurrere ordinarie ex bonis etiam aliquo modo ad statum necessariis. Suarez, Laym. *ex communi*. Satisfacis tamen probabiliter, si des cum onere restituendi, quando erit ditior. Vasq. etc. contra Suar. Con. etc. v. Dian. p. 5. t. 8. r. 5.

Addo *ordinarie:* quia, si maius damnum aestimaretur, te excidere tuo statu quam mors pauperis, non tenereris. Azor l. c.

202. Haec est doctrina s. Thomae 4. dist. 15. q. 2. a. 1. ql. 4. « Praeceptum legis obligat, quod etiam necessitati extraneorum *absolutae* primo subveniatur, quam necessitati propriae vel propinquorum *conditionatae,* et ideo dicitur communiter, quod dare eleemosynam de superfluo cadit in praecepto, et sic dare eleemosynam ei, qui est in extrema necessitate, dare autem de eo, quod est necessarium *necessitate secunda*, non autem de eo, quod est necessarium necessitate prima; quia hoc esset contra ordinem caritatis ».

Utrum vero satisfiat praecepto subveniendi in extrema necessitate, si detur mutuum, inter Doctores controvertitur.

Pro probabilitate sententiae affirmativae facit auctoritas Toleti, Navarri, Covarruviae etc. apud Dianam tom. 4. tr. 7. res. 4. n. 2. tum etiam ratio; quia praeceptum subveniendi egeno impletur, si detur quod sufficit, ut liberetur ab indigentia, in qua versatur. Atqui ad id sufficit mutuatio, licet imponatur onus restituendi, cum possit. Ergo nihil amplius imponendum est. Confirm. quia sufficit occurrere necessitati proximi pro tempore, quo ipsa durat: atqui hoc modo occurritur mutuando et contra absolute largiri perinde erit ac subvenire etiam pro eo tempore, quo indigentia illa cessabit. Nemo ergo ad id tenetur. Et hanc quidem doctrinam approbant Vasquez et Lessius (apud Diana l. c.), si mutuum non sit absolutum, sed conditionatum, scilicet si proximus ad meliorem fortunam devenerit.

Quaestio ab aliis ita solvitur. Inspiciatur nempe, utrum qui in necessitate versatur pauper sit tum re tum spe, an vero etsi in praesens nihil habeat, habere tamen possit postea. Nam in primo casu valent rationes eorum, qui dicunt, subsidium dandum sine ullo restitutionis onere; quippe iure naturae debetur ipsi sustentatio, adeo ut possit eam etiam per vim auferre. In secundo autem satis est si mutuum ipsi detur. Idque praxis habet quotidiana, ut urgente necessitate mutuum petatur et detur; secus etiam homines multa possidentes possent quopiam tempore, quo premuntur actualiter aliqua angustia, aliena surripere et non restituere, licet paulo post multa habeant. Cf. tamen Lugo *de Iust. et Iure* disp. 16. nn. 167. 168. (a).

(a) Cf. et quae damus in tr. 8. p. 2. sub § IV. E.

Quod addit A. *ordinarie* adesse eam obligationem, refertur praesertim ad casum, quo liberatio alterius ab extrema necessitate non exigit grave aliquod dispendium.

XXX. Resp. 4. Probabile est, quod proximo in gravi necessitate constituto quisque teneatur subvenire cum modico detrimento proprii status; quia parvo suo incommodo tenetur magnum incommodum proximi impedire. Laym. l. c. ex s. Thom. Bon. d. 3. q. 4. p. 6.

203. Hanc doctrinam A. sumpsit ex Laymann lib. 2. tr. 3. cap. 6. n. 4., qui tamen non absolute id pronunciat, sed adhibendo vocem dubitationis « *videtur succurrendum* ». Ideo auctor dicit *probabile* tantum. Hanc doctrinam tenuit Vasquez, ut patet ex dictis n. 200.

Sincere autem fatendum est, s. Thomam, qui a Laymann allegatur, 2. 2. q. 32. art. 6., nihil de hac re habere, sed disserte dicere, quod dare eleemosynam de necessariis ad statum, est *bonum,* sed non cadit sub praeceptum: « Alio modo dicitur aliquid esse necessarium, sine quo non potest convenienter vita transigi secundum conditionem et statum propriae personae et aliarum personarum, quarum cura incumbit. Huiusmodi necessarii terminus non est in indivisibili... De huiusmodi ergo eleemosynam dare est bonum et non cadit sub praecepto, sed sub consilio ».

Neque melius allegatur Bonacina disp. 3. q. 4. punct. 6. nn. 5. 6. Nam Bonacina agit de superfluis bonis. Ita ille: « Respondeo, nos teneri *de superfluis vitae et statui* facere eleemosynam proximo etiam extra necessitatem ipsius extremam vel quasi extremam, seu in communi aut gravi pauperum necessitate ».

Ergo non videtur haec obligatio imponenda, sed utendum est hortationibus, ut ex consilio id faciant, nisi familiae bono obsit.

Ex dictis collige.

XXXI. 1. Homines privati non tenentur inquirere pauperes. Vasq. etc. Si tamen dubitent de extrema alicuius indigentia, tenentur inquirere veritatem. Sanch. Dian. p. 5. tr. 8. r. 39.

204. Ita s. Thom. Quodlib. 8. art. 12.: « Nec tenetur inquirere (pauperes), quia hoc esset nimis grave, quod de omnibus pauperibus inquireret et praecipue cum ad eum, qui necessitatem patitur, pertineat, ut necessitatem suam exponat ».

Vasquez tamen apud Viva in Prop. 12. Innoc. XI. n. 2. hoc ponit discrimen inter laicos et ecclesiasticos, quod laici non teneantur perquirere pauperes, ut eleemosynam elargiantur, sed sufficiat, si illam erogant pauperibus, qui obviam fiunt; secus vero ecclesiastici, praesertim Episcopi, qui sunt patres pauperum ».

Quod vero subdit A., quod teneatur inquirere de veritate ille, qui

dubitat de alterius necessitate extrema, sic evolvit Diana tom. 4. tr. 7. res. 7. edit, coordin. ex Ioanne Sancio: « Qui dubitat, an proximus extreme indigeat, ex caritate tenetur veritatem indigentiae indagare...; id omittens peccat eodem modo, quo perquirere tenetur qui dubitat, an dies festivus sit, vel ieiunii... Manente autem dubitatione post factam diligentiam, non est quis obligandus ad eleemosynam ». Ita ad sensum Sancius.

Sed cavendum hac in re, ne scrupulis opprimamus proximos. Et ad eam obligationem inquirendi non videtur inducendus, nisi qui grave habeat dubium de necessitate vere extrema. Secus cum singuli pauperes passim se dicant ieiunos, sine pane etc., semper inquirere omnes deberent.

XXXII. 2. Nemo tenetur magnam vim pecuniae dare pauperi, ad pretiosissimam medicinam emendam vitae servandae necessariam, vel ad redimendum a periculo mortis. Sà et Conin. disp. 27. dub. 8. n. 135. Et ratio patet ex dictis.

205. Consentit s. Alph. in notula addita ad resp. 2. hisce verbis: « Notat tamen Viva, quod neque in gravi neque in extrema necessitate pauperis teneatur dives magnam pecuniam erogare; cum haec sint media valde difficilia et fere moraliter impossibilia. Tenetur vero beneficiarius nisi reliquum (sc. superfluum) velit aliis operibus applicare », quod tandem significat, nec beneficiatum teneri. Fac pauperem infirmitate teneri diuturna, cui aquae regionis longinquae remedium certum afferrent, an putas, divitem rogatum debere ei omnes necessarias expensas suppeditare? Sic brevi omnes divites spoliarentur et magna perturbatio in societate oriretur. Neganda est ergo haec obligatio.

Et sane nemo neque cum de sua vita agitur, tenetur exquisita et extraordinaria ac difficilia media adhibere: a fortiori non tenetur, cum agitur de aliis.

XXXIII. 3. Si proximus tantum egeat usu rei, satis est illam accomodare, v. gr. si ab hostibus spoliato vestem commodes, vel vulnerato equum, donec domum revertatur. Laym. Bonac. ll. cc.

Res est per se manifesta.

XXXIV. Resp. 5. In communibus pauperum necessitatibus tenetur aliquando dare eleemosynam, qui habet bona naturae et statui superflua. Ita commun. s. Thom. Suar. Bellarm. contra Navar. et Vasq. qui negant teneri. Ratio est, tum quia quisque tenetur diligere proximum, sicut seipsum: tum quia alioqui pauperes isti inciderent in necessitatem gravem. Videtur tamen haec obligatio tantum esse sub veniali, ut recte Medina idque, si nulla sit iusta causa negandi: alias sub nullo. Vide Laym. Bonac. l. c.

206. Auctor dicit, recte Medina docere, quod hoc obliget tantum sub *veniali.*

S. Alph. lib. 2. n. 32. concedit, plures esse doctores, qui tradunt, aut nullam esse obligationem aut obligationem non esse gravem, inter

quos recenset etiam s. Antoninum. His opponit aliam seriem doctorum aientium, hanc obligationem esse *gravem* et huic sententiae se adhaerere dicit, utpote communiori.

Nescio tamen, an omnes, quos allegat, hoc reipsa doceant. Sanchez *Cons.* lib. 1. cap. 5. dub. 5. n. 37. et Salmanticenses, tract. 21. cap. 7. n. 17. quos citat, utique adesse obligationem affirmant; sed non dicunt hanc esse gravem. Addit s. Thomam; sed nuspiam vidi s. Thomam affirmare, sub gravi hoc praeceptum urgere: imo s. Antoninus sup. n. 114. s. Thomam allegat pro levi obligatione, etiam cum agitur de necessitate gravi.

Quidquid sit, Suarez, qui tenet eandem ac s. Alph. sententiam, *de Carit.* disp. 7. sect. 3. n. 7. nec tamen firmo ac valido confirmat argumento, thesim mox sic explicat: « Non dico teneri in singulis actibus (sub gravi) neque teneri ad dandum omnia, sed absolute teneri, quod hac negatione bene explicatur — si habeat propositum formale vel virtuale numquam dandi eleemosynam, nisi in gravibus necessitatibus, illud est peccatum mortale ex se, nisi fortasse faciat id, quia certus est, graves necessitates occurrere — ».

Addit Suarez, ibid. n. 10.: « Qui habet superflua *simpliciter* et propositum habet faciendi eleemosynam et saepe facit, quamvis saepe omittat et nonnulla etiam in *vanos usus* expendat, dummodo graves necessitates non praetermittat, non peccat mortaliter... et hoc videtur procedere ex aequitate: *et quidem non est asserendum peccatum mortale, ubi sufficienti ratione non convincitur* »... Accedit, quod si omnes divites ita se gererent, moraliter reipublicae et pauperibus subveniretur ».

Ad quae nota 1° Non est heic quaestio de excusandis expensis in *vanos usus;* nam si usus non est secundum rectam rationem, nunquam aliqua culpa carebit.

2° Quod ait, non asserendum peccatum mortale ubi non sufficienter id convincitur, heic revera sedulo retinendum; cumque plures alii negent, gravem esse hanc obligationem, alii saltem dicant probabilem hanc sententiam et ratio ipsius Suarez non sit convincens, nos dubitabimus de eius thesis firmitate.

Suarez insuper excusat eum, qui *saepe omittat, si etiam saepe facit eleemosynam.*

207. S. Alphonsus lib. 2. n. 32. dicit: « Ceterum Viva, Tamburinus, Mazzotta et Roncaglia (a), cum communiori censent, satisfacere

---

(a) Paulo aliter Roncaglia. Nam haec habet tract. 6. cap. 3. q. 4. reg. 2.: « Quoad laicos habentes superflua proprio statui, sunt qui putant, ab ipsis satisfieri obligationi eleemosynae, si distribuant quinquagesimam partem annui reditus, ceteris reservatis ad altiorem statum adipiscendum. Talis opinio, meo videri, nimis favet divitibus: unde consulerem, ut liberaliores essent erga pauperes ».

probabiliter divites, erogando in pauperes communes quinquagesimam partem suorum redituum, sive duos aureos ex centum, sed non in eadem proportione, si divitiae multum excedunt ». Intelligenda autem haec sunt de quinquagesima parte superfluorum, ut patet ex oppositione cum ecclesiasticis, quos ad omnia superflua in pios usus eroganda obligant.

Addit praeterea s. Alph.: « Dicunt probabiliter Viva.... non esse obligationem, omne superfluum eiusmodi pauperibus elargiri, hoc enim praeceptum non obligat singulos in solidum, sed communiter omnes divites, ex quibus si singuli aliquid largiantur, satis subvenitur his communibus necessitatibus ».

Et admittit sententiam Ledesma, quod ille solum mortaliter peccet, qui statuat nullam dare eleemosynam in communibus necessitatibus, vel qui in hoc est notabiliter negligens. Et haec quoad mensuram; nam ex dictis n. praec. haec obligatio gravis certe non est.

Unde resolvuntur Casus sequentes.

XXXV. 1. Pauperibus trivialibus, etsi ex nuditate, morbo etc. videantur obtendere signa extremae necessitatis, raro quis tenetur ex praecepto subvenire, etiam de superfluis; tum quia fere ad movendos spectatores ista necessitas exaggeratur, tum quia ab aliis iuvandi praesumuntur. Mald, Wiggers, Dian. p. 5. t. 8. r. 17.

208. Nihil est notandum, nisi hoc dici ne quis scrupulis vexetur.

Certum est, pauperes uti solitos industriis, ut extorqueant quanto plus possunt et nuper legi, in urbe Londinensi haberi scholam de hac arte fingendi morbos.

Sed simul certum est, non deesse largienti meritum, si forte decipiatur.

XXXVI. 2. Si quis dives et abundans diu neget omnes eleemosynas, cum proposito dandi meliore et commodiore loco ac tempore, vel egentioribus, vel in alium pium usum convertendi, is non peccat, cum habeat iustam causam negandi; si vero talis, sine rationabili causa, omnes a se pauperes inhumaniter repellat, eum dicit Laym. l. c. versari in malo statu.

209. Etiam Suarez *de Carit.* disp. 7. sect. 3. n. 9. excusat eum, qui (nisi occurrant graves necessitates) eleemosynas communibus pauperibus negat, quia cogitat de aedificando templo aut erigendo collegio etc. Nam, inquit, « haec quoque sunt necessaria reipublicae et pertinent suo modo ad statum et ad pietatem etiam christianam ».

Quod vero Laymann dicit, versari *in malo statu* eum, qui repellat *inhumaniter* omnes pauperes *sine rationabili causa,* indicium est illum non voluisse aut non potuisse dicere, teneri eos per se ad eleemosynam sub gravi; quamvis malum esse eorum statum censeat, si addantur *inhumanae repulsae, citra ullam causam.* Certe pauperes exinde ad iram concitantur. Sed de hoc in seq. resolutione.

XXXVII. 3. Nulli omnino, quantumvis diviti, omnes pauperes sine eleemosyna repellenti, facile neganda est absolutio, tum ob dubium et dissensum DD. de hac obligatione: tum quia vix reperitur, qui causam saltem apparentem non praetendat, si superflua se habere fateatur. Laym. ibid.

210. Ecce igitur Laymann, qui nihilo minus docet, non facile negandam his absolutionem. Rationem addit s. Alphonsus lib. 2. n. 32., quia de hac obligatione, qualis sit, doctores non consentiunt.

Ipse Suarez l. c. n. 9. quaerens, an sua sententia sit ita certa, ut contraria non sit probabilis et secura, respondet: « Non audeo quidem simpliciter dicere, aliam opinionem esse improbabilem; quia habet auctores graves et rationes non contemnendas: attamen *mihi videtur non admodum* secura et probabilis ».

Atqui hoc, *non admodum*, locum relinquit sufficientiae probabilitatis. Dein multa congerit Suarez, quibus emolliat ac veluti rarum exhibeat casum, quo obligatio ex sua sententia gravis urgeat.

Sanchez *Consil.* lib. 1. cap. 5. dub. 5. n. 41. in eandem rem: « Dixi raros esse, qui habeant superflua et sic raros damnari eo quod non faciant eleemosynas, quod mire explicat Metina; quia (inquit) est nimis difficile iudicare, quis, cui et quantum sub mortali teneatur dare: quia incertum est, per quid necessaria a superfluis distingui possint et quae et quanta necessitas in paupere requiratur, quantum etiam unicuique ad naturam et statum sit necessarium et an vera sit, an simulata pauperis necessitas et an sint alii divites, qui velint illis succurrere multaque alia incerta sunt, ob quorum ignorantiam non sunt facile condemnandi. Haec Medina et patent ex dictis ». Dixerat autem ibid. n. 19. in fin., non esse cur solliciti sint confessarii divitum de praecepto eleemosynae; quia rari sunt habentes superflua *simpliciter*.

Addiderim vero 1° quoad praeteritum raro fieri, ut quis accuset hoc peccatum ceu grave; ratio est, quia esset obligatio amplectens cursum vitae et quae actu vix unquam sub gravi urget, ut dicebat Suarez. 2° Quoad futurum vero vix unquam erit poenitens, qui confessario *suaviter* ac *prudenter* hortanti ad aliquam eleemosynam, neget se facturum.

211. Diana tom. 4. tract. 7. resol. 8. in gratiam confessarii, qui in excipiendis confessionibus divitum magnis premebatur augustiis, haec scripsit.

1° Divites, etiamsi habeant superflua, non tenentur neque sub veniali dare eleemosynas in communi necessitate. Ita plures.

2° Etiam in gravi necessitate dives, qui habet superflua, non tenetur dare sub gravi. Haec opinio, inquit, mihi placet et probabilem vocat Malderus.

3° Etsi vera esset opinio eorum, qui in gravi necessitate sub gravi teneri docent: tamen 1° non tenentur inquirere pauperes, sed solum occurrentibus misereri nec eos nimia austeritate impedire: 2° nec tenentur dare omnibus occurrentibus, sed aliquibus: nec 3° penitus eorum indigentiae providere, sed aliquid dare.

4° Quae conservantur ad acquirendum maiorem statum pro se aut consanguineis, non dicuntur superflua statui.

5° Non tenetur ad sublevandam extremam necessitatem cum diminutione gravi seu detrimento sui status.

XXXVIII. 4. Etsi dicta de eleemosyna danda intelligantur respectu omnium egentium, etiam peccatorum, infidelium et inimicorum; damnandi tamen non sunt Magistratus excludentes a suis civitatibus, iusta de causa, pauperes peregrinos. Laym. ibid. Trull. l. 1. c. 5. d. 10.

212. Adverte tamen, non negligendum ordinem caritatis; licet enim non neganda sit eleemosyna eo quod aliquis sit infidelis, inimicus etc.; at id non impedit, quominus ii praeferantur, qui ex ordine caritatis praeferri debent.

Notanda doctrina s. Thomae 2. 2. q. 27. art. 7. quoad amicos et inimicos diligendos: « Primo modo (sc. spectata dilectione ex *parte proximi*) dilectio amici praeeminet dilectioni inimici; quia amicus èt melior est et magis coniunctus, unde est materia magis conveniens dilectionis: et propter hoc actus dilectionis super hanc materiam transiens, est melior... Secundo modo (ex parte scil. rationis, propter quam diligitur) dilectio inimici praeeminet propter duo. Primo quidem quia dilectionis amici potest esse alia ratio quam Deus; sed dilectionis inimici solus Deus est ratio. Secundo quia praesupposito quod uterque propter Deum diligatur, fortior ostenditur esse Dei dilectio, quae animum hominis ad remotiora extendit, scil. usque ad dilectionem inimicorum... Tanto ergo ostenditur divina dilectio esse fortior, quanto propter ipsam difficiliora implemus ».

Quoad excludendos peregrinos ab aliqua civitate, Diana tom. 4. tr. 7. res. 42. haec ex Becano *de Virt. theol.* cap. 21. n. 24. notat. Recte excluduntur pauperes peregrini, si magistratus id faciant ob has causas: 1° quia pauperes domestici peregrinis praeferendi sunt, si utrisque satisfieri non possit; 2° quia peregrini saepe inferunt morbos, corruptelas, haereses, contentiones, proditiones: 3° quia multi ex illis sano et integro sunt corpore, qui, si admittantur, computrescunt in otio et aliis peccatis consequentibus: si excludantur, *cogitant de victu per labores acquirendo, quod honestius est* ».

XXXIX. 5. Religiosis aeque ac aliis pauperibus debentur eleemosynae; quia eorum paupertas et necessitas est vera et iusta, tametsi voluntarie contracta, cum voluntas et causa fuerit rationabilis et grata Deo. Losc. Dian. p. 5. t. 8. r. 18. Aliud est de iis, qui sponte sua culpabiliter sunt pauperes, ut vagabundi, ibid. r. 19.

213. Fuit Medina apud Diana tom. 4. tr. 7. resol. 40., qui contendit, eleemosynam deberi religiosis, quia ministrant spiritualia, non vero quia sunt pauperes; neque enim ex eo quod quidam sponte se coniiciant in paupertatem; obligatio oriri debet quoad alios, ut eos sustentent. Sententia haec est a nomala, a nemine alio excogitata aut adoptata et merito. Etenim

1° Ubi vera est necessitas, caritas exigit ut ei subveniatur, etiamsi in istam necessitatem non modo voluntarie, sed etiam per crimen quis se coniecerit. Ergo a fortiori quando non per crimen, sed iusta et pia de causa hanc necessitatem subiit.

2° Tunc solum licet subtrahere subsidium, cum aut pauper in sua potestate habet, ut a paupertate se eximat aut subsidium ad vitia adhibeat; atqui neutrum locum habet, cum agitur de religiosis.

3° Cum religiosi revera patiantur necessitatem, ille solus neganda subsidia dicet, qui contendat ablegandos esse e mundo eos, qui statum illum necessitatis profiteantur. Atqui nullus christianus, qui noverit eum statum esse perfectionis propriae Ecclesiae Christi, poterit id contendere. Ergo.

Quoad vagabundos, dicitur non danda eleemosyna; nam ipsorum inopia non modo est voluntaria, sed vitiosa et culpabilis.

XL. Resp. 6. Eleemosyna tantum facienda est ex bonis propriis et quorum quis liberam habet administrationem. Potest tamen fieri ex alienis, quando proximus est in extrema vel quasi extrema necessitate et aliunde succurri non potest; tunc enim omnia sunt communia. In communi vero necessitate, licet tantum cum consensu domini tacito vel expresso. V. s. Thom. 2. 2. q. 32. a. 7. Regin. 286. Fill. Laym. Bon. l. c. n. 11. Less. l. 2. t. 12.

214. Liberam bonorum administrationem v. gr. non habet uxor de bonis dotalibus aut filius de bonis adventitiis.

Bona vero non propria, quorum tamen quis habet administrationem sunt v. gr. capituli, collegii, conventus.

Eleemosyna porro licite fit solum quando et bona propria sunt et libera est eorum administratio.

Quando eleemosyna fiat ex alienis in extrema necessitate, servanda est regula 1° ut sint superflua e vita alterius: 2° ne sit ea quantitas, ad quam nemo etiam in extrema alterius necessitate tenetur.

S. Alph. not. h. l. addit, non posse te dare ex alienis, si tua habeas, secus teneberis ad restitutionem. Verum Sporer, quem ille allegat ibi,

nullo tamen loco indicato, dicit, quod « si plures sciunt extremam necessitatem proximi, omnes tenentur succurrere per aequas partes: si alii nolint, omnes tenebuntur in solidum... Si unus velit totum praestare, alii liberabuntur. Quod si aliis de contribuendo admonitis et recusantibus, unus totum praestitit, poterit ab aliis partes ratas iure exigere vel compensare ». Ita Sporer in 4m *Praec. Decal.* c. 6. n. 50. Quae doctrina nescio an cohaereat cum ea, quam ipsi s. Alph. tribuit.

Putarem in hoc casu pensandum etiam incommodum dantis; nam si dare deberet ex necessariis ad statum et posset auferre ab alio huic statui superflua, pensanda esset illius, qui abundat, potior obligatio.

Secunda pars est plana: casus speciales perpenduntur in resolutionibus.

Unde resolves.

XLI. 1. Non licet dare eleemosynam ex bonis obnoxiis restitutioni, v. gr. furto ablatis, licet tamen ex acquisitis per opus illicitum (sed non cum iniustitia) v. gr. ex lucro meretricum. Ratio est, quia haec sunt propria, priora non. Bon. ibid.

215. Turpia ac sordida lucra, in quibus tamen intercedit laesio iustitiae, fiunt propria acquirentis. Ergo dare potest.

Dubium motum est: quia Ecclesia ex his non acceptat oblationes ad altare faciendas partim ob servandam reverentiam, partim ob scandalum vitandum, partim ad imitationem V. T.: in quo Deus vetuerat ne merces prostibuli offerretur in domo Domini. Laym. lib. 2. tr. 3. cap. 6. n. 7.

XLII. 2. Pueris, filiis familias, servis, ancillis, uxoribus non licet dare eleemosynam, nisi tenuem, in qua parentum, dominorum et maritorum voluntas praesumitur. Particulares vero casus, in quibus uxor dare potest, vid. suo loco praecept. 7° c. 1. d. 4. v. Bon. disp. 4. q. 4. p. 6. Dian. p. 5. t. 8. r. 25. ubi ex Hurt. notat, si pater nullas det eleemosynas, posse pro eo dare filium.

XLIII. 3. Tutores et Curatores, qui habent curam bonorum alienorum, possunt facere modicas eleemosynas ex bonis, quae administrant, quales nimirum ipsi facere deberent, quorum sunt. Vasq. Azor. Con. Dian. p. 5. t. 8. r. 35.

Doctrina est clara.

Dub. IV.

De misericordia spirituali seu de fraterna correptione.

XLIV. Correptio fraterna est admonitio, qua quis proximum conatur revocare a peccato. De qua certum est, praeceptam esse iure tum naturali, quo membra unius corporis se mutuo iuvare tenentur, tum divino positivo Matth. XVIII. 15. *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum.* Bec. 2. 2. c. 21. Laym. c. 7. Fill. tr. 28. c. 5. Bon. p. 7. Quaeritur autem, quae sit eius materia, quos et quomodo obliget.

216. S. Thom. 4. dist. 19. q. 2. art. 1.: « Correptio fraterna *est admonitio fratris de emendatione delictorum fraterna caritate* ». « No-

tificatur per tria, quae ibi ponuntur, scilicet actus ipse, cum dicit *admonitio fratris:* finis, cum dicit *de emendatione delictorum:* principium, cum dicit, *fraterna caritate* procedens ».

Pulchra doctrina s. Thomae proponit tria superioris officia l. c.: « Ad hoc quod homo recte gradiatur in via salutis, tria sunt ei impendenda ab eo, qui ipsius curam gerit: 1° ut in finem rectum ordinet, et quantum ad hoc dicitur superior inferiorem *dirigere:* 2° ut ei cautelam adhibeat, ne a via ad finem ducente discedat et quantum ad hoc dicitur eum *regere:* 3° ut, si contingat eum discedere, quod ad viam reducat, et quantum ad hoc dicitur eum *corrigere;* quandoque quidem, ut rectitudo iustitiae fiat ab eo, quando scilicet, ille qui deliquerat, emendatur ex cura sibi impensa; quandoque autem ut rectitudo iustitiae de eo fiat per poenas inflictas, etiamsi ille non corrigatur ex parte sua ».

Deinde duplicem modum reducendi errantem sic assignat, quo *correctio* distinguitur a *correptione:*

« Sed aliquis a via rectitudinis discedens dupliciter potest ad viam reduci... Uno modo per timorem *turpis* aut odium ipsius, ut cum quis turpitudinem peccati abominatur et confusionem inde consequentem. Alio modo per timorem et odium *tristis,* sicut cum quis post poenas illatas pro peccatis vel quas timet inferri, resilit a peccato. Et quia iste secundus modus est cum quadam violentia, ideo *correctio* dicitur, quasi usque ad rectitudinem perducens. Sed primus modus proprie dicitur *correptio.* Illa enim rapi dicuntur, quae subito auferuntur: unde etiam syllaba corripi dicitur, quae raptim et quasi subito pronunciatur ».

« Et propter hoc quando homo ex hoc solum quod ei turpitudo peccati ostenditur et ad meliora eum quis hortatur, ipse per se ad viam rectitudinis revertitur, corripi (al. corrigi) dicitur ».

« Ex quo patet quod secundus modus (correctio) soli praelatis competit, quorum verba vim coactivam habent per inflictionem poenarum; sed primus modus ordinem praelationis non requirit; quamvis etiam praelationis ordo ipsum requirat; quia secundus modus adhiberi non debet, nisi ubi primus locum non habet, etiam a praelatis. Et ideo correptio, quando praeter ordinem praelationis fit, vocatur fraterna ».

217. Alii, ut Struggl *de Carit.* n. 52. omissa distinctione correctionis a correptione, distinguunt correctionem in *iudicialem* et *fraternam.* *Iudicialis* est, quae fit a persona publica (seu potestatem habente) propter bonum commune per impositionem alicuius poenae, ut delicta, quae redundant in detrimentum commune, debite puniantur et alii a similibus delictis absterreantur. Unde talis correctio non pertinet ad misericordiam, sed ad iustitiam vindicativam. Fraterna vero correctio

est, quae fit a proximo per aptam dehortationem a peccato, prout hoc est malum spirituale ipsius peccantis aut etiam offensa Dei (id redundat). Unde correctio fraterna est actus misericordiae, aut etiam simul caritatis erga Deum (id, ut monuimus, redundat: refertur enim non ad utilitatem proximi, quo spectat correptio, sed ad zelum divini honoris).

218. Probatur praeceptum. Est praeceptum aut saltem consilium divinum Eccli. XIX. 13. 14. *Corripe amicum, ne forte non intellexerit et dicat: non feci aut, si fecerit, ne iterum addat facere. Corripe proximum* etc.

Afferuntur et verba Christi Matth. XVIII. 15. *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum* etc. Ubi verba illa *in te* intelliguntur *coram* te vel *te sciente* (a).

Prob. ratione: quia si lege naturali et lege caritatis tenemur sublevare necessitatem proximi corporalem, multo magis spiritualem, dum fieri potest. Heic addit Struggl *et impedire offensam Dei:* sed non est ad rem. Huc facit illud Pauli: *Pro invicem sollicita sint membra* 1. Cor. XII. 25.

Quomodo locus sit correctioni et sit *misericordia,* sic bene Laymann lib. 2. tr. 3. cap. 7. n. 1.: « Licet peccatum *libera* voluntate suscipiatur, tamen habet adiunctum reatum poenae, quem peccator refugit. Deinde propter naturae infirmitatem, passionum vehementiam, intellectus caecitatem, inveteratam peccandi consuetudinem, plerumque peccator quodam veluti peccati vinculo constringitur, quo illum exsolvere, seu admonendo, ne in peccatum, cuius periculum ipsi impendet, consentiat, sive admonendo, ut ex peccato, in quo iacet, exsurgat, magnum spiritualis misericordiae opus est ».

Fatendum, ex se seu genere suo esse gravem obligationem corripiendi, ubi grave sit peccatum. In praxi tamen valet illud Emmanuelis Sà v. *Correptio* n. 2.: « Omittere correptionem fere semper veniale peccatum est... In Praelatis tamen facile potest esse mortale ».

Et hanc doctrinam et auctoritate et ratione confirmat Diana tom. 7. tr. 4. resol. 6. n. 3.: « Ex quibus omnibus concludo, praeceptum hoc

---

(a) Verum haud recta est talis interpretatio. Collata enim seq. interrogatione Petri v. 21. et parallelo loco Lucae XVII. 3. 4. patet *in te* esse *contra te,* ut sermo sit de iniuria tibi facta, quam tu dimittere debes. Ne tamen inferas, heic de correptione fraterna praeceptum non dari. Nam illud profecto exhibent verba sequentia: cur autem disserte solum de peccatis contra nos factis loquutus sit Dominus, audi Maldonatum in h. l. « Credo ergo de omni peccatum genere sive contra nos sive contra Deum agi. Spectandum est enim Christi consilium, ut peccantem non acerbe accusemus, sed benigne corrigamus. Dixit autem *si peccaverit in te;* quia tunc acerbi, tunc acres, tunc disserti reprehensores esse solemus, cum eos, qui contra nos peccaverunt, obiurgamus. Et voluit sapientissime Christus ibi nobis fraenum iniicere, ubi maximum periculum erat, ne praecipites ageremus: tamen ex una peccatorum specie totum genus intelligendum est ». E.

fraternae correptionis ample accipiendum esse, nec facile credendum, timoratos praesertim viros peccare letaliter illud violando, praesertim si praelati non sint; non solum quia ita sentiunt graves DD., sed etiam quia praecepta caritatis minus rigorosam afferre solent obligationem ». Ratio patebit inferius.

XLV. Resp. 1. Omne mortale peccatum proximi per se est sufficiens materia, ut hoc praeceptum obliget sub mortali. Ita communiter. Et ratio est, quia, cum vitam spiritualem proximi tollat, sufficientem necessitatem correptionis inducit. Dixi 1. *omne mortale:* quia, etsi etiam veniale sit materia correptionis, non tamen graviter obligans nec nisi facillime possit. Dixi 2. *per se;* quia si quis ob timorem, verecundiam, pusillanimitatem putet se non ita stricte obligatum, vel minus esse idoneum ad corripiendum, videtur tantum peccare venialiter. V. s. Thom. 2. 2. q. 32. a. 2. et ceteros supra cit.

219. Quod peccatum mortale sit materia sufficiens et necessaria correptionis, nihil est dubitandum. Quoad venialia corripienda, alii negant hanc obligationem; quia non *lucrandus heic* est frater, qui iam habet caritatem. Alii obligationem astruunt, sed raro faciendam, nisi facillime possis. Apud Diana tom. 7. tr. 4. res. 8. n. 2. Laymann bene explicat cap. 7. n. 3.: « Ceterum quia plerumque impedimentum aliquod intervenit sive ex parte corripiendi, ne iniquo animo correptionem accipiens deterior fiat, sive ex parte corripientis, quem saepe naturalis verecundia constringit, ut difficile in animum inducat proximum arguere seu monere, nisi admodum familiaris sit; ideo rarior est haec obligatio emendandi peccata venialia proximorum, quibuscum vivimus ».

Excipe eos, qui ratione officii peculiarem aliorum curam gerere debent, v. gr. Religionum praelatos. Imo fieri potest, ut sub mortali teneantur, si ex his culpis disciplinae vigor minuatur et impunitas venialiter peccandi passim invalescere incipiat. Quod idem dici posset de patrefamilias relate ad filios, s. Alph. lib. 2. n. 35.

Imo Diana tom. 7. tr. 4. resol. 8. n. 5. pro certo habet, etiam privatos graviter teneri; quia dissolutio disciplinae religiosae est grave malum religionis et communitatis totius, quod malum ex fidelitate et caritate erga matrem suam tenentur impedire.

220. Docet A. quod ob timorem etc. evadit levis omissio correptionis etiam quoad mortalia. Haec resolutio intelligenda est de hypothesi, qua aliae omnes conditiones adsint, quae obligationem inducerent, de quibus infra: secus ob defectum conditionum iam aliunde obligatio deficit. Etsi igitur adsint conditiones, de quibus infra, tamen si quis propter timorem, verecundiam, pusillanimitatem (quod in inferioribus maxime et in simplicioribus solet evenire) aut non se stricte obligatum advertit, vel se (quod frequentius erit) non idoneum existimat ad fratris delictum *emendandum*, quamvis eiusmodi timor et existimatio inanis

sit, hic a gravi culpa excusatur. Struggl n. 56. dicit communem doctrinam.

Diana tr. 4. tom. 7. resol. 4. n. 5. venialem dicit culpam ex imperfectione actus, quando scil. quis in praeparatione animi desiderat salutem proximi et paratus est subsidium conferre, quando viderit necessarium; sed ex tepiditate et inadvertentia retardatur a correptione, aut non satis prospicit articulum necessitatis.

Allegant omnes heic s. Thom. 2. 2. q. 33. art. 2. ad 3., cuius doctrina post s. Augustinum est, omissionem correptionis modo meritoriam esse, si ex caritate omittatur ob mala nempe inde secutura; modo esse culpam mortalem, quando non habet sufficientem rationem, quae deterreat; modo venialem « quando timor (alicuius mali) vel cupiditas (alicuius boni temporalis) tardiorem facit hominem ad corripiendum... non tamen ita, ut si constaret, quod fratrem posset a peccato retrahere, propter timorem aut cupiditatem omitteret, quibus in animo suo praeponit caritatem fraternam ».

221. Solent heic DD. quaerere, an obligemur ad corrigenda peccata facta *ex ignorantia:* quam quaestionem proponit et s. Alph. lib. 2. n. 36.

Distinguunt: nam si ignorantia est vincibilis seu culpabilis, eadem dicenda erunt de hoc ac de aliis peccatis. Maxime tamen in hoc casu inspiciendum, an speretur fructus. Quia in hoc casu multo maius efficietur damnum spirituale alterius, si non se emendet: quippe prius habebat solum peccatum ignorantiae, quod potuit esse non grave; deinde vero forte erit gravius.

Si vero sit ignorantia invincibilis, verissima videtur doctrina Bonacina in 1. *Praec. Dec.* q. 4. punct. 7. n. 11., nos non teneri ad corrigendum proximum, sive peccet ex ignorantia iuris sive facti; nam sic agendo ipse non peccat et consequenter cessat materia praecepti correctionis fraternae, quae definitur *admonitio fratris de emendatione delictorum.*

S. Alphonsus contra post alios distinguit; si agatur de iure naturali, et tunc volunt omnino correctionem adhibendam, quia illa peccata sunt intrinsece mala. Secus si agatur de iure positivo; tunc probabile dicunt, non adesse privatis obligationem corrigendi, sed solum illis, qui ex officio curam aliorum gerunt. Addit tamen s. Alph. probabilius esse, omnes teneri; quia transgressio licet solum materialis, attamen, posita lege, est mala.

Et haec quidem GENERATIM non reiicimus; sed advertimus duo heic confundi. Nam inter opera misericordiae spiritualis duo distinguuntur — *monere peccatores* — et — *ignorantes edocere.* — Primum pertinet ad praeceptum correptionis fraternae, non item secundum.

Paucos autem reperi, et inter hos Valentia, qui rite hanc quaestionem proponant tom. 3. disp. 3. q. 10. punct. 2.: « Si sumamus aliquanto latius correctionis vocabulum, ut significet quamcumque commonitionem, qua proximus simpliciter in re aliqua doceatur veritatem, certum est, corrigi debere etiam eum etc. »

Et clarius Suarez *de Carit.* disp. 8. sect. 2. n. 6., ad quaestionem « an si opus fratris sit de se peccatum mortale, ille autem excusetur a culpa propter ignorantiam, tenearis corripere »: Respondet, « praeceptum spiritualis misericordiae proximi posse habere locum in tali materia, ut sentit s. Antoninus part. 2. tit. 9. cap. 6. §. 4., Sylvester V. *Correctio* dub. 10. Angelus V. *Correctio* n. 6.; sed non esse tam correctionis, quam dandi consilii vel doctrinae. Hoc ultimum patet; quia proximus ibi non delinquit, neque perit. Primum vero constat; quia est proximi quaedam miseria, quae per misericordiam sublevari potest et debet ».

Porro sic proposita controversia, et ipsa facile enodatur et tolluntur diversitates opinandi, sin minus quoad quaestiunculas seu casus particulares, certe quoad generalia principia.

222. Generalia autem principia huc revocantur, ut ad admonendum nos impellere debeat 1° damnum tertii, 2° damnum ipsius ignorantis, 3° scandalum, 4° honor Dei, 5° irreverentia religionis.

Ita si quis ex ignorantia invincibili rem alienam detinet, monendus est, ut damnum innocentis vitetur.

Ita admonendus est, qui ignorat necessaria ad salutem. Sic Bonacina l. c. ex Sanchez, Azor, Bannez, Navarro, Reginaldo etc.

Ita, cum eruditio errantium sit quaedam eleemosyna spiritualis, haec quoque pro loco et tempore et aliis circumstantiis proximo indigenti impendenda est ex caritate.

Ex his recte Valentia l. c. deducit, quod necesse non sit commonefacere eum, qui ex invincibili ignorantia iuris aut facti quidpiam aut facit aut omittit, quod alioquin esset letale, si nullum damnum aut incommodum inde sequatur aut etiam si non continuetur. Ita v. gr. si omittit sacrum vel ieiunium, quia nescit esse diem festum aut pervigilium. Nam neque hic peccat, nec ex illo facto particulari sequitur, ut alias sit peccaturus.

Secus si instet damnum tertii, v. gr. si sciam, quempiam velle de homicidio accusare innocentem, quem invincibiliter putat reum.

Hanc in rem Diana tom. 7. tr. 4. resol. 32. allegat ista ex Oviedo alios allegante: « Mihi tamen valde probabile est, hominem, qui advertit v. gr. clericum ex oblivione omittere horas vespertinas aut comedentem carnes die veneris absque aliorum scandalo, non teneri illum monere. Ratio est; quia ad hoc non tenetur praecepto corre-

ctionis, quia non labitur. Nec alio praecepto, quum illae actiones ex se malae non sint et a malitia, quam haberent ex oppositione ad leges humanas, excusetur eas exercens ob ignorantiam. Nec leges humanae positivae tanti sunt momenti, ut omnes teneamur eas in memoriam aliis revocare, quoties ex earum ignorantia aut oblivione imminet materialis earum transgressio ». Vide plures alios allegatos a Diana tom. 7. tr. 4. resol. 68. n. 1., qui ibid. n. 11. ex Bannez affirmat, quod si materialis illa legis violatio est parvi momenti, parum aut vix obligor proximum ab eo facto auferre, praesertim si *levem aliquam* rationem habeam, cur id non faciam.

223. Veruntamen quod dicitur de obligatione admonendi seu docendi, hoc maxime pertinet ad praelatos et generatim ad eos, quibus quocumque titulo inest obligatio docendi et instruendi alios, in quibus et confessarius comprehenditur.

Ratio; quia hoc munus est ipsorum proprium et ignorantia non modo est malum ac miseria ignorantis, sed alia incommoda inducit, ad quae cavenda tenetur qui curam aliorum et servandi ordinis ac disciplinae gerit.

Motiva sunt 1° quia ignorantia est grave malum proximi, quod quisque prudens vult a se amoveri et tenetur vitare quantum potest, quia quisque scire tenetur quae spectant ad recte vivendum.

2° Quia peccata, materialia quoque, contra legem naturae dedecent naturam humanam.

3° Periculum aliquod est, ne talis tandem peccet formaliter, quando ignorantia coeperit esse vincibilis idque propter consuetudinem, ob quam difficilius erit ab iis abstinere aut quia perseverabit ex pervicacia ob pudorem fatendi errorem suum precedentem.

4° Quia periculum erit deinde scandali; quia eius exemplo alii pertrahentur.

5° Quia periculum est, ne ex conniventia praelati quispiam sibi persuadeat, ea esse licita; quia videt superiorem non reprehendere. Haec ex Diana cit. resol. 68. nn. 6.-8.

Sed rursus requiruntur semper conditiones, quarum praecipua est, ut speretur fructus et ne contrario ob admonitionem fiat formale peccatum, quod erat materiale, neve sequantur scandala aliorum, v. gr. ubi agitur de matrimonio, quod confessarius deprehendit invalide contractum.

Quamquam rursus superior tenebitur, etiamsi fructum non speret, ne scandalum inde oriatur, aut disciplina enervetur.

XLVI. Resp. 2. Praeceptum hoc obligat concurrentibus his circumstantiis: 1. si certo tibi constet de peccato proximi; indagare enim tenetur solus Superior: 2. si probabile sit non emendasse nec emendaturum vel relapsurum; quia eleemosyna egenti tantum danda est: 3. si alius aeque idoneus non adsit, qui correpturus putetur: 4. si sit spes fructus; quia, desperato fine, cessant media: 5. si sit bona occasio, locus et tempus opportunum possisque sine tuo gravi damno facere. Quod si horum aliquid desit, praeceptum non obligat. Unde patet, eius omissionem in privatis vel nullam esse vel levem culpam. v. Bon. l. c.

224. Auctor dicit circumstantias, in quibus obligat. Clarior erit tractatio, si ex adverso enumerantur circumstantiae, in quibus deficit obligatio aut certe non est gravis.

1ª Conditio ergo, constare debet certo de peccato (aut, inquit s. Alph. ex Tournely, de periculo peccati; sed periculum peccati avertere non pertinet ad correptionem). Hinc si notitia sit per auditum aut per alia signa dubia, non tenemur. Imo offendes alium, quem putas ex incerto iudicio esse in statu peccati.

Addit s. Alphonsus lib. 2. n. 38., ex Salmanticensibus, *nisi sit suspicio de homicidio* etc. Sed haec sunt extra locum; quia sermo est de correptione fraterna, non de cavendis quibusvis damnis.

Addit A. non esse obligationem indagandi. Recte; quia hoc est munus tantum superiorum, qui specialem singulorum et praeterea totius communitatis curam habent. Quod non sit obligatio indagandi, recte docet communis sententia cum s. Thom. 2. 2. q. 33. art. 2. ad 4.

Imo neque fas est cuique indagare aliorum facta et agere exploratorem vitae alienae. Nam. Prov. XXIV. 15. *Ne quaeras impietatem in domo iusti et non vastes requiem eius.* Praeterea notitia facti alieni non est scientia, quam quis acquirere teneatur, nisi qui onus habet providendi. Denique hoc est onus intolerabile; quod sane sentiunt ii, qui praesunt.

Non solum non tenemur quaerere peccatores et peccata, quae corripiamus, sed talis inquisitio vitiosa est et reprehensibilis; quia generat scandala, occasionem praebet odiis et dissensionibus. Nam homines moleste ferunt, sua alios facta scrutari et suapte natura talis inquisitio iniuriam infert proximo, cuius honori et aestimationi adversatur, quam de se optimam omnes haberi cupiunt. Dian. tom. 7. tr. 4. resol. 25. n. 3.

Hinc Augustinus serm. 16. *de Verb. Dom.:* « Admonet nos Dominus noster non negligere invicem peccata nostra, non quaerendo quid reprehendas, sed videndo, quid corrigas ».

Conditio 2ª. Non teneris corripere si constet, proximum iam resipuisse a peccato.

Videlicet constare debet, proximum indigere correptione et quidem gravem esse indigentiam. Hinc si sit timoratae conscientiae, adeo ut

credatur advertisse suum lapsum et velle ex animo resurgere; non est obligatio. Quia eleemosina danda est solum indigenti.

Duo autem Auctor notat: alterum quod spectat ad peccatum iam praeteritum, cuius poenitentiam curemus, aliud in futurum, ne rursus quis labatur.

S. Thomas reddens rationem, cur correptio dicatur emendatio delictorum 4. dist. 19. q. 2. art. 1. ad 5. ait: « Nullus movetur ex odio vel timore turpis, nisi ille, cui iam inest aliqualiter voluntas pulchri et boni et ideo cum correptio procedat ex hac via... proprie illi competit, ut corripiatur, qui habet propositum boni, a quo tamen vel propter ignorantiam vel propter aliquam desidiam avertitur et ideo magis proprie respicit omissionem, quae etiam in ipsa transgressione (in peccato admisso) considerari potest, quam transgressionis perversitatem: et propter hoc convenientius dicitur *delictorum*, quam peccatorum emendatio ».

3ª Conditio, ut nullus alius sit, qui probabiliter corripiat. Addendum cum Valentia (l. c. condit. 9ª) non teneri te, si certo aut probabiliter scias, proximum aut per correptionem alterius, aut sponte sua se emendaturum. Ita communis sententia ex Caietano. Ratio est aperta; quia non indiget correptione tua, sicut non indiget tua eleemosyna corporali is, qui domi cibos habet aut alios qui suppeditant.

4ª Conditio. Sperari debet fructus emendationis. Nam si non spero emendandum, nulla est ratio faciendae correctionis, et si spes aliqua sit, sed modica, non erit grave omittere.

Si vero dubites, an profutura sit correptio, si certus sis non obfuturam, teneris adhibere: non item si simul dubites, obfuturam esse.

Excipit Filliucci apud Diana resol. 15., nisi bonum maius, v. gr. reparatio publici scandali in morte, concurrat. Huius enim boni spes compensare debet periculum nullius fructus imo detrimenti.

Ceterum multo magis non tenemur ad correptionem, si praevideamus, hanc fratri noxiam futuram.

5ª Conditio, ut tempus, locus aliaque adiuncta sint opportuna. Quocirca non peccat ille, qui aliud tempus exspectat, in quo vel commodius vel aeque commode queat corrigere, dummodo grave non sit periculum in differendo.

Auctor ex his concludit, in privatis omissionem aut nullam aut levem esse culpam. Sed s. Alphonso ita generice dictum non placet. Et quidem non immerito; quia licet raro, adesse tamen casus potest, in quo graviter obliget.

Prosunt hoc loco tria monita, quae habet et Gury infr. relata sub resol. 6.

225. Tandem monet Diana tom. 7. tr. 4. resol. 6. ad peccatum huius omissionis saltem grave requiri, ut quis omittat ex proposito et intentione; nam si omittat ex tepiditate aut alio eiusmodi affectu, non esset mortale: nisi alioquin notabile damnum proximi tantum esset, ut graviter nolenti praebere ei subsidium correptionis imputari deberet, ut optime advertit Caietanus.

Huc faciunt, quae graves DD. tradunt de eo, qui non compescat detrahentes. Qua de re s. Thomas 2. 2. q. 73. art. 4. *Si non placeat ei peccatum, sed ex timore vel negligentia vel etiam verecundia quadam omittat repellere detrahentem, peccat quidem, sed multo minus quam detrahens et plerumque venialiter*. Hac autem in re multa discretione utatur confessarius, oportet. Neque enim exigere potest, ut quis detractionem praeoccupet, quando ne satis quidem scit, quo sermo alterius tendat; hoc enim et iniurium alteri foret et nimis scrupulis obnoxium. Si vero detractio manifeste prodiit, damnum quidem iam vix reparabile est, fraterna vero correptio tunc temporis multo difficilior et saepius ad irae excitandum aestum, quam ad emendandum detractorem aptior invenietur.

Et iuxta Navarrum *Summ.* cap. 18. n. 37., qui audit detrahentem sine assensu et delectatione, licet non contradicat ob verecundiam vel amicitiam, non peccat mortaliter nisi in tribus casibus: 1° si sit superior, cui incumbit onus corrigendi: 2° si ultra infamiam magnum aliquod damnum proveniat dicenti vel alii: 3° si fama alterius valde laedatur, si laesio scilicet maior valde sit quam quae sufficit ut mortalis sit detractio. Vid. Diana l. c. n. 3.

XLVII. Resp. 3. Etsi hoc praeceptum obliget omnes etiam subditos, magis tamen Praelatos. Ratio prioris est; quia omnes sunt commembra tenenturque sibi externa officia caritatis praestare. Ratio posterioris est; quia subditi tantum ex caritate, Praelati vero etiam ex officio et iustitia tenentur. Unde peccare possunt etiam graviter, veniales culpas non impediendo, si vigor disciplinae per hoc minuatur. Eademque fere est ratio de patrefamilias praesertim erga liberos. Laym. l. c. n. 5 Paul. Trull. l. 1. c. 5. d. 13. et 15. et ceteri.

226. Notant DD. et cum eis s. Alph. lib. 2. n. 40., praelatos et maxime episcopos et parochos teneri, etiam si subire debeant inde damnum grave aut magnum incommodum, v. gr. si inimicitias subire debeant eo quod volunt spiritualiter alicui subvenire, impedire accessum ad domum, monere patres de periculis filiorum, deterrere a mala via etc.: s. Alph. ait episcopos et parochos teneri etiam cum periculo vitae. Hoc tamen officium, ut patet ex data definitione, non spectat proprie ad correptionem fraternam.

Ceteri non tenentur cum gravi incommodo aut damno; quia caritas non obligat cum huiusmodi incommodis aut damnis.

Nomine praelatorum seu superiorum veniunt, auctore s. Alph. n. 40., Episcopi, Parochi, Praelati Regulares, Parentes, Confessarii, Domini, Magistri, Tutores. Addit Aertnys *de Caritate* n. 52. IV. concionatores respectu auditorum: sed ad eos proprie spectat docere universim ignorantes, non singulos peccatores monere et corripere.

XLVIII. Resp. 4. Ordo in correptione servandus est quem Christus praescripsit Matt. XVIII. 15.-17. scilicet ut corripias privatim: deinde coram testibus: tum ad Praelatum Ecclesiae sive Superiorem deferas. Excipe tamen, 1. nisi praestet Superiori, viro probo et prudenti, quam aliis testibus innotescere: prout cautum est in Regula s. Aug.: 2. nisi peccatum sit publicum, tunc enim potest publice corripi: 3. nisi vergat in grave damnum tertii aut communitatis, si Superiori non statim innotescat: v. gr. si quis proditionem moliatur, haeresim occulte spargat; tunc enim immediate Superiori indicandum, quia commune bonum praeferendum est privato Fill. t. 28. c. 7. n. 149. et 155.: 4. quando corripiendus est contentus, ut Superiori statim significetur, ut est apud quosdam religiosos, qui quoad hoc iuri suo renuntiaverunt. Vid. Suar. Becan. Laym. hic, Sanch. Fill. l. c.

227. Ordo correptionis a Christo praescriptus habet finem servandi famam proximi occulte peccantis.

Nam, ut inquit Lugo *Resp. Moral.* lib. 4. dub. 46. n. 5., « caritas semper obligat ad subveniendum proximo cum minimo eius damno ». Ergo quando fructus speratur ex fraterna correptione et sine ullo detrimento famae apud alios remedium adhiberi potest; hoc est faciendum.

Probationes videri possunt apud Suarez *de Carit.* disp. 3. sect. 6. n. 2. Verum advertunt DD. (vid. Suar. l. c. n. 2. ad fin.) hoc fraeternae correptionis praeceptum esse affirmativum et ideo non semper obligat sed quando caritas et recta ratio illud dictat. Si ergo ob circumstantias ratio dictet, licere aut expedire omissionem aut huius ordinis mutationem, tunc cessat praeceptum, ut notat s. Thom. Quodlib. XI. art. 13. ad fin ; imo erit inutile et interdum perniciosum talem ordinem servare.

Quando ergo peccatum fratris est omnino occultum et in nullius tertii detrimentum cedit, tunc ex praecepto caritatis servandus est ordo, ut ante *denunciationem* praecedat secreta admonitio. Ratio, quia secus sine causa proximus infamatur. Denuntiatio nempe debet esse subsidium, quo obtineamus id, quod per fraternam correptionem consequi non datur.

Occultum autem dicitur, quod non est notorium nec generat publicum scandalum. quamvis ab aliquibus sciatur et etiam sit iam aliquis rumor. Suarez, l. c. n. 8.

228. Prima exceptio auctoris non est de omittenda correptione, sed de adhibendo teste ipso superiore. Porro adverte duplicem esse denuntiationem, alteram *evangelicam*, alteram *iudicialem*. Prior fit superiori,

ut patri, alia fit ut iudici, ut ex iudicio procedat. Prior per se primo tendit ad bonum denunciati: alia tendit ad bonum aliorum ac praecipue commune vel ipsius denuntiantis. Interdum autem ab una facile fit transitus ad aliam vel etiam una cum altera miscetur.

Porro alia statuere oportet, si solum de paterna, alia si de iudiciali agatur.

Si agatur itaque de fraterna correptione et denunciatione facienda ut patri, Suarez ponit thesim *de Carit.* disp. 8. sect. 6. n. 12.: « Si peccatum sit omnino privatum, regulariter loquendo etiam censeo, licere illud immediate dicere superiori ».

De hac re tres sunt sententiae, ut inquit s. Alph. lib. 4. n. 243.. alia negat absolute, id licere; alia absolute licere affirmat; tertia communior et probabilior licere ait, si ad emendationem melius id conducat. Ratio, quia caritas tunc praefert maius bonum proximi bono inferiori, scil. consulit magis emendationi, quam integritati famae.

Alio modo sic Suarez l. c.: Lapsus vel levis est vel gravis. Si levis, etiam famae iacturae levis est et prae bono emendationis est contemnenda. Si gravis, vix erit, ut non noceat pluribus vel etiam non sit periculum infamiae totius religionis; denique vix spes est perfectae emendationis sine Superiore, qui amovere possit occasiones aut medicinam adhibere malitiae ac pravae consuetudini. Adde, hoc saepe fieri necessarium; quia privatus plures habere potest rationes, cur ipse per se non corripiat, ut rem consideranti facile patet.

Superior tunc ut privata persona intercedit et ad effectum hoc est utilius; 1° quia maior est certitudo de secreto: 2° ipse utilius conferre operam ad emendationem potest. Adverte: si emendam subditus nolit, superior procedere non potest (uti iudex), nisi forte peccatum sit contra bonum commune.

229. Doctrina s. Thomae *Quodlib.* XI. art. 13.: « Verbum Domini... de correctione fraterna, servari debet secundum quod dependet a caritate et ideo dico, quod semper cum debitis circumstantiis intelligenda sunt. Sciendum est autem, quod in criminibus tripliciter proceditur secundum iura. Quia primo per inquisitionem, et hoc est in peccatis publicis et non debet fieri, nisi praecedet clamor congregationis. Item per denuntiationem et accusationem et hoc est in privatis... Si autem procedatur per denuntiationem, tunc debet praecedere fraternā admonitio; quia finis huius est emendatio proximi et ideo servari debet ordo fraternae correctionis. Utrum autem statim cum quis scit fratrem suum peccasse, debeat denuntiare praelato, dico, quod in istis distinguendum est de conditionibus subditi et praelati. Nam si ego scio, quod frater

per me corrigetur, tunc non debeo hoc denuntiare praelato. Si autem videtur, quod hoc melius fiat per praelatum et praelatus nihilominus sit pius, discretus et spiritualis, non habens rancorem seu odium adversus illum subditum, tunc licite potest hoc denuntiare sibi et tunc non dicit Ecclesiae; quia non dicit ei sicut praelato, sed sicut personae proficienti ad corretionem proximi et emendam. Sed quia propter conditiones diversas praelatorum et subditorum non potest in hoc dari generale iudicium; quia aliquando praelatus vel movetur ad odium adversus subditum vel subditus non bene ferret verba praelati; ideo tenendum est hoc pro regula, quod in omnibus istis semper servanda est caritas et quod melius et magis expedire videtur, et si hoc intendat, scil. emendam proximi et servet quantum potest bonum caritatis, tunc denuntiando non peccat, si vero denuntiet cuicumque personae hoc ex malitia et ut proximus confundatur vel deprimatur, tunc denuntians vel accusans peccat mortaliter ».

Et ad 3.: « Si aliquis referat praelato culpam proximi intendens vel cautelam in futurum vel aliquid huiusmodi, quod ad emendam proximi videret expedire, non peccat. Si autem hoc sive praelato sive alicui amico suo ex malitia referat, tunc peccat mortaliter. Quod si ex incautela alicui dixerit hoc, ita tamen quod non proveniat inde aliud, vel infamia vel vituperium proximo delinquenti, tunc non peccat mortaliter, licet incaute agat ».

230. Exceptio secunda est: Quando est peccatum publicum, publice potest corripi nec necesse est praemittere secretam admonitionem. Ita omnes Theologi. Suarez disp. 8. sect. 6. n. 3.

Per hoc non excluditur officium caritatis quoad fraternam correptionem, uti patet; sed solum significatur, quod si ad publici scandali reparationem et ad commune bonum necessaria sit vel denuntiatio *ad iudicem* vel publica animadversio, necesse non sit, ut fraterna correptio praemittatur. Ratio patet; quia secreta illa correptio tunc solum praemitti debet, quando caritas postulat, ut ita curem bonum publicum ut simul prospiciam famae fratris; quod utrumque obtinetur, si emendatio perfecta et omne periculum per solam secretam admonitionem sperari possit. Atqui in casu crimen est publicum. Ergo cessat ratio parcendi famae. Huc facit illud Pauli 1. Tim. V. 20: *Peccantem coram omnibus argue, ut ceteri timorem habeant.*

Adverte tamen, quod publica animadversio tunc solum licet, quando crimen est notorium notorietate facti; quia ita fama de eo percrebuit, ut nulla tergiversatione celari possit.

Quod si notorium sit *solum* iuridice, quod hoc pacto intelligimus, quando scilicet natura criminis postulabat, ut crimen deferretur supe-

riori ut iudici, licet nondum esset notorium notorietate *facti;* tunc non licet reum publice corrigere. Ratio; quia non est necessaria reparatio scandali et alio modo potest prospici bono communi (a).

231. Tertia exceptio; quando peccatum cedit in grave publicum detrimentum. Ita s. Thom. 2. 2. q. 33. art. 7. et omnes doctores apud Suarez l. c. nn. 5. 6.

Ratio est; quia bonum commune praeferendum est et huic sufficienter est providendum, etiamsi necessario sequatur aliqua infamia proximi, qui alioquin conqueri de hoc non potest; quippe qui voluntarie laedat bonum commune. Atqui ubi igitur de bono communi, oportet ut remedium sit certissimum et praesentaneum v. gr. si quis moliatur proditionem aut haereses occulte spargat et oportet, ut sufficienter provideas non solum in praesens sed etiam in futurum. Aliunde autem spes huius remedii non reperitur in sola secreta fraterna correptione aut certe spes ista est rarissima, praesertim in criminibus illis, quae enumerata sunt. Ergo.

Quod si peccatum proximi vergat in damnum privatae personae; certum est, caritatem obligare etiam ad subveniendum private proximo. Non tamen sic, ut exigitur in bono communi et ideo heic magis providendum, ut utrique bono consulatur.

Ergo in hoc casu praemittenda (si nihil aliud obstet) fraterna correptio, si sit spes, quae facilius adesse poterit; quia haec peccata fere non oriuntur ex corruptione magna morum et pro ratione periculi et damni spes magis minusve certa sufficiet. Si vero haec via locum non habet, tunc quoad denuntiationem faciendam comparanda sunt detrimenta utriusque: sed regulariter praeferendum est ius innocentis et huic potius favendum; nam licet innocentem defendere etiam cum damno aggressoris et solum curandum, ut infamia minima sit. Quod si magna esset inaequalitas, ut si persona peccans esset in magna aestimatione et dignitate eiusque infamia esset ipsi gravissimum damnum, nocumentum autem alterius esset parvi momenti, tunc dissimulandum foret.

Casus sit de homicidio occultissimo, propter quod alius innocens accusatur. Suarez *de Carit.* disp. 8. sect. 6. n. 7. « Si Petrus est homicida occultissimus et tamen Paulus ob suspicionem vel falsos testes propter idem homicidium morte damnandus est, tenebor ne vel saltem mihi licebit revelare homicidam, ut liberem innocentem? Resp.: Si is homicida per calumniam esset causa periculi alterius, affirmandum erit; si vero in ea re Petrus est innocens, sed aliunde ortus est falsus

(a) Cf. sis. Tr. IX. c. 8. n. 28. q. 8. E.

rumor, negandum erit; quia non est subveniendum proximo cum tanto periculo vel damno alterius, qui revera in illo secundo periculo est innocens; unde neque ipse tenetur se prodere. Secus vero esset si crimen esset probabile in iudicio et aliquis vellet procedere via accusationis; posset enim tunc procedere servato ordine iuris ».

232. Quarta exceptio, *quando reus cessit iuri suo.*

Opportunissima ac prope necessaria est haec iuris cessio, ad bonum tum commune tum privatorum. Nam 1° correptio fraterna saepe saepius multas involvit difficultates, uti patet. 2° Non raro emendationis spes est incerta. Porro aut correptionis defectus aut incertitudo exitus grave nocumentum afferunt et reis et bono communi: certior autem et efficacior est opera Superioris. Ergo.

Superior porro post denuntiationem, debet prius corripere et, si subditus emendatur, cessat ordo iudicialis nec potest punire ut iudex, imponendo scil. poenam a iure statutam, licet possit poenitentiam medicinalem iniungere. Si vero hoc medium non proficit, poterit etiam procedere ad excommunicationem, si spes est profectus. Si vero spes non sit, cessare debet et viam, si possit fieri, suscipere iuridici processus et iuridicae inquisitionis, accusationis etc.

Haec cessio plerumque in Religiosis ordinibus servatur, ut notat Suarez *de Carit.* disp. 8. sect. 6. n. 11. Notat vero Gury tom. 1. §. 233. n. 7.: « In communitatibus sub regula viventibus, in collegiis, seminariis etc. plerumque expedit, ut correctio fiat via denuntiationis ad superiorem nec possunt absolvi sodales aut convictores denuntiare nolentes, ubi de gravi damno communitatis agitur. Item de iure naturali denuntiandi sunt superioribus ecclesiasticis sacerdotes corruptores, qui magnum fidelibus spirituale damnum inferunt vel illaturi sunt. Ita communiter ».

Ex dictis resolvitur.

XLIX. 1. Qui facile potest impedire peccatum mortale proximi et ob mali temporalis timorem neglexit, peccat mortaliter. Ita Laym. Suarez, Sanchez l. 6. *Mor.* c. 18. Vid. Paulum hic.

233. Heic non agitur de correptione, sed generatim de mediis, quae in promptu sint pro impediendis malis, v. gr. si potes subtrahere facile argumenta scandali, si servare innocentem a sociis malis etc.

L. 2. Si certo constet, fratrem perfecte emendasse peccatum occultum nec ex eo esse ullum periculum relapsus vel damni ipsi aut alteri, non licet (etiam in Societ. *Iesu*) denuntiare patri vel praelato, nisi frater expresse in istam denunciationem consentiat. Sanch. 2. *Mor.* l. 6. c. 18. n. 40. et 10. Pal. *de Car.* t. 6. d. 3. p. 12. Fill. Trull. l. 1. c. 5. d. 14. Suarez, Hurt. d. 103. et denique Card. de Lugo *Resp. Mor.* l. 4. d. 46. ubi tamen

notat, in Soc. IESU casum esse rarissimum. Ratio autem est; quia cessat motivum caritatis atque adeo ratio denunciandi ideoque est peccatum et quidem, ut C. Lugo l. c. notat ex Suar., mortale ex genere suo. Vid. infr. l. 4. c. 3. dub. 5. et Dian. p. 4. t. 4. r. 71.

234. Dicitur: *etiam in Soc. Iesu;* quia ea habet illam cessionem iuris nec tamen recedit ab hac doctrina.

Ratio; quia caritas obligat semper ad subveniendum proximo cum minimo eius damno. Si ergo totum damnum et periculum fratris lapsi et communitatis vitari potest absque ullo detrimento famae etiam apud praelatum, caritas obligat, ut vitetur illud damnum, ex quo nullus maior fructus sperari posset.

Nec obstat cessio iuris. Nam etsi haec cessio ad hunc casum extenderetur, in quo delatio est inutilis; obligatio caritatis semper manet, ne alteri facias, quod tibi fieri non vis. Adeo ut etsi cessaret per cessionem illam obligatio iustitiae, maneret tamen semper obligatio caritatis.

LI. 3. Si superior immediatus se solo possit delinquentem emendare, ita ut nullum periculum damni vel relapsus ipsi vel alteri vel communitati immineat, videtur peccare manifestando superiori mediato delictum. Pal. l. c. Trull. d. 16. n. 1.

235. Eadem ratio militat, ac pro resolutione praecedenti imo potior: quia superior melius quam privatus potest rem ita composuisse, ut nulla ratio supersit ad alios recurrendi pro remedio.

LII. 4. Praelati et Magistratus tenentur aliquando inquirere subditorum peccata ut corripiantur; non tamen multum et curiose de aliquo in particulari rogare debent, nisi is speciale eius signum dederit neque facile admittere accusatores spontaneos; quia illi specie boni communis saepe se quaerunt. Hurt. etc. Dian. p. 7. tr. 13. r. 10. et 12.

236. Duae Resolutiones Dianae ab Auctore allegantur. Prima in Edit. coord. tom. 7. tr. 4. res. 24., agit de praelatis; altera l. c. res. 30. agit de confessariis, prout hi quoque quodammodo sunt praelati.

Et quoad confessarios, negandum est, posse eos licite inquirere mores poenitentium praetextu correctionis fraternae. Eorum enim auctoritas urget solum in foro interiori, nullatenus in exteriori: inquisitio autem est quid exterius. Praeterea confessarius nullam habet auctoritatem in invitum et renitentem, sed solum in volentem; atqui inquisitio est habentium ius et auctoritatem etiam in invitos. Ad haec viderentur potius exploratores, qui non modo per os poenitentis sed per alios vellent rescire statum illius, quasi de illius fidelitate et sinceritate dubitarent. Atqui hoc vel maxime exosam redderet confessionem et cum facile ad indagines permoveri viderentur ex auditis in confessione, peccarent etiam contra legem vetantem ne confessarius utatur notitia confessionis in gravamen poenitentis. Ergo monitionis materiam licite quaerant ex confessione, non autem aliunde illicite.

237. Quoad praelatos vero, sive ex patris sive ex praelati seu iudicis officio utique tenentur non solum corrigere peccata, quae vident a subditis fieri aut facta ab ipsis fuisse cognoscunt, sed etiam inquirere in vitam subditorum, ut videant si quae forte corrigenda sint. Nisi enim id facerent, subditi faciliter impune peccarent; cum facile esset ipsis cavere ne in conspectu Praelati peccarent et facile sibi persuaderent, alios per se sine superioris inquisitione ipsos non esse delaturos, atque ita cum maximo boni communis detrimento omnia scaterent peccatis et vigor disciplinae omnino dissolveretur. Dian. l. c. resol. 25. n. 2. Vid. s. Thom. 2. 2. q. 33. art. 2. ad 4.

Et cum praelati ius et officium habeant ad disquirenda suorum et probe et improbe facta et ceteroquin omnia suis oculis lustrare non possint, hinc tenentur designare homines probi et veri studiosos per urbem v. gr. vel dioecesim vel paroeciam, a quibus moneantur, si quid eorum providentia indigeat, non secus ac pastor alit canes, quorum latratu excitetur ab abigendum lupum: ibid. resol. 24. n. 2.

Monet tamen DD., hanc obligationem inquirendi prudentiae moderamine temperandam esse, ne nimia sit sollicitudo et indiscreta atque intempestiva inquisitio; ex quo fieret, ut praelatus ipse tanquam inquietus et suspiciosus odio habeatur et detractores foveat. Dian. ibid. res. 25. n. 2. Qua in re cavendum quoque, ne frequenti et imprudenti interrogatione denigret famam alicuius aut iniiciat de alicuius vita suspiciones, quas imprudens interrogatio facile posset excitare. Dian. ibid. res. 24. n. 4.

Quoad non admittendos facile spontaneos accusatores, ratio in promptu est; contingit enim ut quidam aliorum culpis aures Praelati impleant et obturent gossipio, ne sua dein crimina audiant et ficta zeli specie ac boni communis praetextu sua studia prave prosequuntur, inimicos deprimunt, amicos laudant et se aliorum accusatione commendant etc. Quorum calliditate occupatus Superior subinde omnia turbat etc. Sedulo ergo noscat oportet hos pacis hostes, incendii insufflatores; quos bene monebit, ut sibi consulant et aliorum obliviscantur. Diana, ibid. res. 24. n. 3.

LIII. 5. Episcopi, praelati Religiosorum, Pastores animarum tenentur etiam cum suo incommodo, imo aliquando cum vitae periculo, adhibere diligentiam, quam possunt, ut peccata publica et occulta impediant; quia cum Christo pacti sunt curam et sollicitudinem gregis, pro qua multa ab eo bona accipiunt. Hurt. t. 2. d. 162. sect. 7. §. 60. (apud Dian. p. 7. t. 3. r. 28.) aitque hanc esse omnium Patrum et Theologorum doctrinam, quam Christus verbo et exemplo docuerat additque idem esse de magistratibus et concionatoribus. Licet vero hi non teneantur ad id ex iustitia (sicut praelati et magistratus), tenentur tamen peccata publica corripere (sed non facile Praelatorum et Religiosorum, quorum auctoritas ad bonum commune est necessaria) etiamsi non sit spes emendationis. Con. Hurt. Dian. l. c. r. 13.

Dicit A., id praestandum, licet non sit spes emendationis. At alia adest necessitas, ne scil. malum propagetur et ut alii praeserventur.

LIV. 6. Corretio adhibenda est non semper statim, sed cum maior fructus speratur. Hinc interdum permitti potest reiteratio peccati, ut ferventius resipiscat. Dian. p. 7. t. 3. r. 29. et 30. ex Reg. Fill. Trull. Neque sufficit semel esse factam correptionem, sed debet iterum iterumque fieri, quandiu speratur fructus. Ibid. r. 32.

238. Vide Diana tom. 7. tract. 4. resol. 34. et 35. Porro ex resol. 34. n. 1. habes, quod resolutio A., nempe licere differre correptionem, ut post plura peccata commissa ferventius resurgat, intelligenda est, *si non est spes probabilis aliter emendationis* et tunc non permittimus peccatum, sed potius ut non resurgat; quod sine peccato possumus facere.

Excipiunt, nisi casurus sit in peccatum gravissimum, v. gr. sacrilegam Eucharistiae sumptionem.

Non vero admittendum, quod tribuitur divinae providentiae, omittere scil. correptionem, ut proximus oppressus peccatis, ex cognitione propriae miseriae resipiscat. Deus enim habet alia opitulandi media et est dominus gloriae suae: misericordia autem nobis non sinit, ut permittamus, fratrem peccatis involvi.

Quoad dilationem Diana sic bene totum complectitur res. 35. n. 4. 1° Non licet differre, quando intermedio tempore timetur lapsus gravis aut mors in peccato aut tertii grave detrimentum. 2° Quando haec non timentur, dilatio sine iusta causa erit venialis culpa. 3° Si causa dilationis (absente timore praedicto) sit, ut opportunius tempus nanciscaris, id honestum est et debitum. Ceterum haec relinquuntur prudentis arbitrio.

239. Bene ex Gury advertes quaedam tom. 1. §. 233.

1° Privati inter se raro ad correctionem tenentur, nisi sint familiariter inter se coniuncti; quia raro omnes requisitae conditiones reperiuntur.

2° Plerumque suadet prudentia, ut omittatur correptio erga eos, quorum ingenium est incompertum, ne peiores fiant.

3° Scrupulosi ordinarie excusantur a fraterna correctione facienda; quia aut nimis defatigantur aut inepti sunt. Scrupulis enim et anxietatibus perturbati, necessaria discretione ad corrigendum carent et ad causas excusantes attendere non valent.

Dub. V.

De Scandalo.

Articulus I.

Quid, quotuplex, quale peccatum.

LV. Resp. 1. Scandalum dicitur peccatum occasionatum et est duplex: activum et passivum. Activum est dictum vel factum (quo nomine etiam omissio intelligitur) minus rectum, praebens alteri occasionem ruinae spiritualis. Ex s. Thom. 2. 2. q. 43. a. 1. Sanch. Azor, Laym. c. 13. Bon. d. 2. q. 4. p. 2. Dixi *minus rectum* hoc est, quod vel in se malum sit, ut si loquaris turpia coram adolescente, vel mali speciem habeat, ut si iusta de causa, coram aliis eam ignorantibus, comedas carnes die vetito. Scandalum activum aliud est per se tale, aliud per accidens. Per se dicitur, quando directe intenditur alterius ruina id est, si ideo aliquid fiat, ut aliquis ad peccatum inducatur: v. gr. si adulter alienam sollicitet ad adulterium. Per accidens dicitur, quando indirecte et interpretative tantum causatur alterius peccatum: ut si quid facias, quod tibi in mentem venit, aptum natum esse ad inducendum alterum hic et nunc ad peccatum et nihilominus facis: ut si coram pusillis pecces, vel die vetito carnes comedas, non dicendo, quod habeas veniam. Item, si clericus domi suae alat mulierem populo suspectam, esto absit omne peccatum et peccandi periculum. V. Sà v. *Clericus*, Laym. Bon. l. c. Scandalum passivum est ipsa ruina sive peccatum, in quod labitur proximus, ex occasione alterius dicti vel facti. Quod dividitur in datum seu pusillorum, quod oritur ex activo et in acceptum, quod non oritur ex activo, sed ex ipsius sumentis malitia: quale erat odium et invidia Pharisaeorum in Christum, occasione eius dictorum vel factorum: unde hoc dicitur pharisaicum. Ex his patet:

1. Ad scandalum activum non requiri, ut de facto passivum consequatur; sed satis esse, quod data sit occasio, ex qua natura sua sequi possit: ut si quem inducere velis ad peccatum, qui tamen non consentiat; sicut etiam contra, passivum potest dari sine activo. Laym. ibid.

2. Scandalum passivum non esse speciale peccatum neque addere circumstantiam aggravantem; v. gr. qui viso alterius furto, etiam furatur, non ideo peccat gravius. Laym. ibid.

3. Non semper esse scandalum, si pecces coram aliis, sed tantum quando, attentis circumstantiis tam personae agentis, quam coram quibus fit actus, potest probabiliter timeri, ne per hunc actum trahantur ad peccatum, qui alias peccaturi non essent. Sanch. Laym. l. 2. t. 3. c. 13.

4. Omne scandalum activum directe intendens ruinam proximi esse speciale peccatum contra caritatem, ut habet communis sententia. An vero idem sit, quando intenditur indirecte, controvertunt Scholastici et parum refert ad praxim. Sanch. l. 7. c. 6. et 9. Azor, 1. p. l. 4. c. 7. Bon. l. c.

240. Quid sit scandalum habes ex Suarez *de Cens.* disp. 6. sect. 3. n. 19.: « Advertunt DD., quoties de necessitate vitandi scandali agitur *proprie et in rigore theologico* esse accipiendum pro occasione quae aliis datur committendi aliquod peccatum, sive illud sit in actione simili, quale esset v. gr. si alii inducerentur ad aulterium, dum in-

telligunt, personam ecclesiasticam aut religiosam propter tale crimen esse censura ligatam et ideo non sacrificare, sive peccatum sit in actione dissimili, ut si inducatur populus ea occasione ad murmurandum graviter vel ad temere iudicandum, non solum in ea occasione, sed etiam postea in aliis, vel ad aliquid simile. Parum enim refert, quod peccata sint huius vel illius speciei, praesertim si mortalia sint; nam per omnia graviter laeditur caritas et ideo quodlibet scandalum huiusmodi, praesertim publicum est gravissimum damnum. Secus vero erit, si scandalum non in eo rigore sumatur, sed *vulgari modo* pro quadam admiratione quae solet ex aliqua occasione huiusmodi (quando nova est et extraordinaria) in plebe excitari, cum frequenti sermocinatione circa talem effectum et causas eius: quae omnia, per se loquendo, possunt contingere sine peccato et ideo illud non est proprie scandalum et necessitas vitandi illum rumorem non esset per se sufficiens ex hoc capite ad excusandum, nisi inde oriatur alia excusatio de vitanda gravi infamia, quae ex huiusmodi rumore et frequenti dictitatione creari solet (agit de excommunicato qui ratione scandali vitandi sacramenta ministrat etc.). Vid. ibid. n. 18.

S. Thom. 2. 2. q. 43. art. 1.: « Dicendum, quod sicut Hieronymus in Matth. dicit, quod graece scandalum dicitur, nos offensionem vel ruinam et impactionem pedis possumus dicere. Contingit enim, quod quandoque aliquis obex ponitur alicui in via corporali, cui impingens disponitur ad ruinam et talis obex dicitur scandalum. Et similiter in processu viae spiritualis contingit aliquem disponi ad ruinam spiritualem per dictum vel factum alterius; in quantum scilicet aliquis sua admonitione vel inductione aut exemplo alterum trahit ad peccandum. Et hoc proprie dicitur scandalum. Nihil autem secundum propriam rationem disponit ad spiritualem ruinam, nisi secundum quod habet aliquem defectum rectitudinis; quia id, quod est perfecte rectum, magis munit hominem contra casum, quam ad ruinam inducat. Et ideo convenienter dicitur, quod dictum vel factum minus rectum, praebens occasionem ruinae, sit scandalum ».

241. Distinctio A. in scandalum *per se* et *per accidens* est ex s. Thom. 2. 2. q. 43. art. 3.: « Scandalum *activum* potest accipi dupliciter, per se scil. et per accidens. *Per accidens* quidem quando est praeter intentionem agentis; ut puta cum aliquis facto suo vel verbo inordinato non intendit alteri dare occasionem ruinae, sed solum suae satisfacere voluntati, et sic scandalum activum NON EST SPECIALE PECCATUM, quia quod est per accidens, non constituit speciem. *Per se* autem est activum scandalum, quando aliquis suo inordinato dicto vel facto intendit alium pertrahere ad peccandum et sic ex intentione finis

sortitur rationem specialis peccati... et opponitur directe correctioni fraternae, in qua intenditur specialis nocumenti remotio ».

Si directe intendit ruinam spiritualem, dicitur *diabolicum;* secus si intendit quidem peccatum, v. gr. fornicationem, sed non ut ruinam alterius spiritualem.

242. Haec distinctio non est confundenda cum ea, quam s. Thom. tradit art. 1. ad 4. et quae refertur ad modum causandi: « Dictum vel factum alterius potest esse dupliciter alteri causa peccandi; uno modo *per se,* alio modo *per accidens. Per se* quidem, quando aliquis suo malo verbo vel facto intendit alium ad peccandum inducere; vel etiamsi ipse hoc non intendat, ipsum factum est tale, quod de sui ratione habet ut sit inductivum ad peccandum, puta cum aliquis publice facit peccatum vel quod habet similitudinem peccati et tunc ille qui eiusmodi actum facit, proprie dat occasionem ruinae, unde dicitur *scandalum activum. Per accidens* autem verbum vel factum unius est alteri causa peccandi, quando et praeter intentionem operantis et praeter conditionem operis, aliquis male dispositus ex huiusmodi opere inducitur ad peccandum, puta cum aliquis invidet bonis aliorum. Et tunc qui facit huiusmodi actum rectum non dat occasionem, quantum in se est; sed alius sumit occasionem... Et ideo hoc est *scandalum passivum* sine activo ».

In primo autem textu nota sedulo, quod *speciale peccatum scandali* reperit s. Doctor solum in scandalo *per se:* quod oppositum dicit *correctioni fraternae.*

243. Lugo disp. 16. *de Poenit.* sect. 4. n. 157. melius sic tripliciter distinguit, quae distinctio valde confert ad claritatem. « Tripliciter potest me alter ad peccatum inducere 1° *directe et formaliter* intendendo ruinam spiritualem proximi, scil. ex desiderio, ut proximus meus spirituale illud damnum patiatur: 2° *directe sed non formaliter,* quando sic volo, quod ipse violet v. gr. castitatem, non qúia malum eius est, sed quia lucrum aliquod inde spero (scandalum, quod s. Thomas dicit *per se,* haec duo comprehendit): 3° *indirecte,* quando scil. praevideo, quod ex actione mea proximus *facile* accipiet occasionem peccandi, ego tamen id non intendo; sed quia possem et deberem scandalum illud impedire, pecco peccato scandali sive speciali sive generali, in quo potest esse quaestio de nomine ». Verum heic deest scandalum pusillorum in sensu Laymann et scandalum pharisaicum.

244. Definitiones *activi* et *passivi,* tum passivi in *datum* seu pusillorum et *acceptum* seu pharisaicum, obviae sunt. Verum Auctor in hisce distinctionibus neque cum Bonacina neque cum Laymann, quos tamen allegat, cohaeret, sed sequutus est Sanchez *Mor.* lib. 2. cap. 6. n. 2.

Et sane Bonacina *de Peccat.* disp. 2. q. 4. punct. 2. n. 2. 3. scandalum *activum* dicit idem esse ac scandalum datum, quod et scandalum pusillorum appellat. *Passivum* vero, quod committitur ex sola malitia peccantis, arrepta occasione ex aliquo facto nostro, quod non habeat vim praebendi talem occasionem, quod et *pharisaicum,* seu per *accidens* vocat. Haec autem non cohaerent cum divisione nostri Auctoris.

Laymann vero *de Carit.* cap. 13. n. 2. distinguit *activum*, quod et *datum* dicit et mere *passivum* seu *acceptum.* Sed de hoc dicit: « Scandalum mere passivum seu mere acceptum est, cum et praeter operantis intentionem et praeter naturam seu conditionem operis, alter ex eo peccandi occasionem accipit. Dividi potest in scandalum pusillorum, quod ex hominis ignorantia vel infirmitate provenit et in scandalum pharisaeorum, quod ex mera malitia ortum habet ». In quibus et diversam definitionem passivi habetis, et diversam naturam scandali *pusillorum.*

Scandali *pusillorum* exemplum habes in eo, qui ex decenti ornatu feminae sumit occasionem peccandi vel generatim ex praesentia feminae per vias.

245. Primum consectarium: *quod activum esse possit sine passivo, et viceversa. Activum* dari sine passivo, significat culpam adesse, licet non sequatur effectus seu ruina spiritualis alterius.

Quod vero dicit de passivo, quod sine activo haberi possit, hoc constringendum est, in doctrina Auctoris, ad passivum *acceptum:* secus esset falsum. Nec bene heic A. allegat Laymann, penes quem *passivi* definitio et ambitus differunt.

Alterum consect.: quod *passivi ratio* non addat malitiam. Nihil est adnotandum; patet enim, non ideo gravius *per se* esse peccatum quia peractum est alio impellente directe aut indirecte aut occasione desumpta ex facto alterius, quod ad id non impellebat.

Tertium consect.: *scandalum pendet ab adiunctis personarum.*

Exinde quanto quis magis dignitate, gradu, existimatione, potentia fruitur, eo facilius timere debet ne scandalum praebeat.

Contra vero quando ii, coram quibus peccatur, non eiusmodi sunt, qui permoveantur, nullum erit scandali peccatum.

Haec autem, uti patet, dicuntur de scandalo *indirecto.* Nam si directe velis seducere, peccatum scandali non pendet ab hisce adiunctis.

Quartum consect.: *quando* SPECIALE *contra caritatem peccatum sit in scandalo.* Nota heic inexactam formam dicendi in Auctore, ubi dicit — *quando intenditur indirecte* —. Nam ubi scandalum est indirecte, est *praeter intentionem* operantis; ergo non *intenditur.* S. Alph. lib. 2. n. 45 tres de hac re sententias affert.

246. Prima asserit, scandalum esse speciale peccatum contra caritatem tunc solum, quando intenditur directe spiritualis ruina proximi et quidem *formaliter* peccatum proximi intenditur. Secus erit peccatum generale scandali et peccatum reducitur ad eam speciem peccati, ad quod quis inducitur. Ita Sanchez *in Decal.* lib. 1. cap. 6. n. 3. ex s. Thom. sup. n. 193., qui tamen non constringit speciale hoc peccatum ad *formalem* ruinam proximi intentam : unde in hoc Sanchez s. Thomam non habet pro se.

Alii (Lugo *de Poenit.* disp. 16. n. 159.) iuxta distinctiones Lugo sup. 243. asserunt, peccari contra caritatem et contra virtutem, cui peccatum causatum opponitur, si scandalum directe detur tum formaliter tum non formaliter: secus peccari solum contra caritatem, non vero contra virtutem, quae a proximo laeditur. Et hinc Lugo l. c. n. 162. repetendam ducit communem sententiam, quam et s. Alph. lib. 2. n. 44. ad resol. 4. infr. n. 204. non reiicit, quod qui solo suo exemplo inducit ad furandum, non tenetur ad restitutionem. Quia scilicet (ibid. n. 161. in fin.) non ideo peccas contra iustitiam, si praevideas ex tua intemperantia alium praeter intentionem tuam inducendum esse ad furandum nec id impedias. Ratio, quia iustitia obligat te quidem ne procures alios furari, non tamen ut eorum furta impedias et in hunc finem ab intemperantia abstineas.

Tertia sententia, quam s. Alph. tenet, asserit semper duplex adesse peccatum 1° scandali contra caritatem, 2° contra virtutem, quam alter ob scandalum violat.

247. Quod vero ratione indirecti scandali (n. 243.) peccet quis contra virtutes, quas alii violant, nimis est difficile idque evincit non solum exemplum restitutionis, sed plura alia, quae facile afferri possent. Et reipsa Collet et Antoine (apud s. Alph.) obligant ad restitutionem contra communem sententiam, sed utique cohaerenter. Nam peccatum contra iustitiam est laesio iuris alieni et ubi iuris alieni laesio intercedit, adest onus reparandi iniuriam, si capax sit reparationis. Ergo vel admitti debet obligatio restitutionis: vel negandum cum Lugo (et hoc melius) peccari contra iustitiam. Et in hac parte sententiam Card. Lugo superius expositam sup. 246. ut satis tutam sequi possumus ac proinde quando scandalum est *indirectum,* non opus erit interrogare, quodnam peccatum sit ad quod inducti alii fuerint et idcirco neque circumstantias per se mutantes speciem peccati eorundem, v. gr. si illi qui audierunt sermones tuos turpes, erant coniugati vel liberi aut ligati voto castitatis: de qua re vide etiam quae idem Lugo habet eadem disp. 16. n. 160. et 167. ubi n. 160. allegat et Suarez *de Carit.* disp. 10. sect. 2. n. 9.

Subdit A., parum ad praxim conferre hanc quaestionem. Quia si quis fateatur peccatum suum et simul scandalum inde illatum, satis suum peccatum explicat. Veruntamen valde ad praxim refert, an explicari species peccati debeat, ad quod *indirecte* permoveri alii potuissent, v. gr. si audiens te loquentem turpia, erat vel coniugatus vel liber vel persona voto ligata etc.

Unde resolves hos casus.

LVI. 1. Mortaliter peccat, qui alteri dat occasionem ruinae mortalis, nisi indeliberatio excuset, et sic opus indifferens vel veniale saepe transit in mortale, ratione scandali v. gr. si iocosum verbum proferat Religiosus coram feminis vel iis, qui inde occasionem peccati mortalis sumere possunt. Laym. l. c.

248. Nota, quod requiratur advertentia, ex levi illo ioco tantum malum secuturum esse.

Exemplum actionis indifferentis habes in eo, qui sine ulla rationabili causa velit v. gr. ius suum rigorose persequi v. gr. crediti exigentiam non differre ad dies, quando praepropera haec exigentia grave damnum inferet alteri eumque impulsura est ad gravia peccata vel irae vel furti vel prostitutionis etc.

LVII. 2. Venialiter peccat ratione scandali, qui alteri dat occasionem ruinae venialis tantum. Quod verum est, etsi directe illam intendat et quidem per actum mortalem. Sanch. l. 1. c. 6. n. 11. ex communi, contra Suar. Ratio autem est, quia ruina est parva. Et patet a simili, ut si quis per fornicationem intendat furari rem minimam, furtum tantum erit veniale.

249. Auctor dicit doctrinam esse communem contra Suarez. At Suarez *de Carit.* disp. 10. sect. 1. n. 4. communem reipsa tenet doctrinam, et solum excipit: « Quando non corrigere proximum de veniali esset mortale, tunc a fortiori inducere illum per scandalum esset mortale ». Porro disp. 8. sect. 2. n. 6. in fin. casum gravis culpae ob omissam correptionem restringit ad superiores religiosos, si conniveant, quando defectus communitatis *sunt generales.* Proinde culpa gravis scandali ex mente Suarez erit, si superior inducat communitatem ad generaliter veniales culpas committendas.

Videnda doctrina Lugo citata a Croix l. 2. n. 235.

LVIII. 3. Scandalizans committit praeter peccatum scandali, etiam peccatum eius speciei, ad quod alterum inducit: ideoque confiteri debet speciem peccati mortalis, per quod et ad quod induxit, cum numero inductorum, vel qui probabiliter induci potuerunt. Sanchez, Azor, Laym. Bonac. l. c. Card. de Lugo *de Poenit.* d. 16. s. 4. Dian. *de Sacr.* t. 2. t. 4. a. 114. Excipit tamen Card. de Lugo l. c. si praeter intentionem scandalum dederit. Tamb. *de Exped. conf.* l. 2. c. 1. n. 9. ait, quoad inductos, sufficere, si dicas: Fui multis occasio peccandi meo exemplo. Vid. inf. l. 3. t. 6. c. 1. dub. 2.

250. De specie diximus superius a n. 246. et cum Lugo diximus, hoc valere solum quando scandalum est *directum.* Quoad numerum

eorum, qui permoveri potuerunt, difficilis est res inde quoque, quod de hoc probabiliter iudicare non facile sit et praeterea requireretur, id animadversum fuisse. Cf. dicta in tr. *de Peccatis* nn. 249. 250.

LIX. 4. Etsi is, qui scandalizavit alios, teneatur illis rursus dare bonum exemplum, ut inquit Sà: si quis tamen nudo exemplo suo alios ad furtum induxit, neque alio peculiari modo, v. gr. exhortatione, consilio, mandato est cooperatus, non tenetur ad restitutionem; quia talis inductio est tantum contra caritatem, non contra iustitiam. Idem docet esse Less. si cum Caio v. gr. potites ea intentione, ut ipse, consumptis pecuniis, furetur. Vid. Less. c. 9. d. 16. n. 110.

Hanc sententiam s. Alph. ad h. l. communem esse fatetur. Ratio patet ex dictis sup. n. 246. cum Lugo.

LX. 5. Non censetur dare scandalum, qui, licet publice peccet, facit id tamen coram iis, qui vel sunt ita viles vel infames aut improbi, vel qui sunt ita probi ut nemo moveatur ad peccatum: v. gr. si quis fornicetur coram aliis, qui sunt parati idem facere nec eius exemplo moventur vel si coram mansuetis quis contendat, rixetur vel alium caedat. Sanch. 1. *Mor.* c. 6. n. 6.

251. Huc spectat quaestio apud. s. Alph. n. 47. An scandali peccatum sit petere ab alio aliquid, quod iste non praestabit sine peccato, si paratus sit ad peccatum.

Distinguunt autem (propter diversas rationes solvendi quaestionem) num res sit intrinsece mala, v. gr. petere fornicationem a meretrice, quae in prostibulo prostet et omnibus sit parata, an indifferens, ut petere mutuum, quo usurarius abutatur ex sua malitia. Et s. Alph., allatis gravium DD. hinc inde sententiis, sententiam affirmativam amplectitur: excipit autem in secundo casu, *nisi adsit gravis causa:* sed de hac re in art. seq. Ad praxim vero quod spectat, si quaeras an in primo casu circumstantia scandali seu inductionis ad peccatum, sit manifestanda in confessione peccati una cum alio patrati, ipse s. Alph. ibid. n. 46. admittit uti probabilem sententiam eorum (quae certe est difficilior), qui dicunt, non esse in confessione explicandam circumstantiam inductionis ad fornicationem; quia cum uterque participet et concurrat et cooperetur ad peccatum alterius, gravior erit culpa inducentis, sed communis adest culpa in eadem specie. A fortiori in casu nostro, ubi vix inductio concipi potest; nam ille supponitur paratus et solum praestolari rogantem ut peccet.

Sed solutio posterioris q. quando scilicet res, quae petitur non est in se peccatum, spectat ad seq. Artic.

LXI. 6. Non ideo factum aliquod est scandalum, quia alius incipit de tali homine male suspicari aut sentire; quia hic non peccat, si ob sufficientia indicia suspicetur. Secus tamen est, si incipiat male sentire de fide Catholica, Clero, Ordine Religioso vel minus ad pietatem affici. Unde patet facilius dari scandalum ab iis, qui sunt in magna auctoritate vel pietatis existimatione, quam ab aliis. Con. d. 32. n. 33.

Nihil addendum.

Articulus II.

De permissione scandali passivi.

LXII. Resp. 1. Permitti non potest absque necessitate vel utilitate propria vel aliena. Ratio est, quia tenemur ex caritate impedire peccata proximi, si facile possimus. Laym. c. 23. ex commun.

252. Posita obligatione non inducendi sive directe sive indirecte proximum ad spiritualem ruinam, quaeritur, quousque se extendat haec obligatio, scilicet ne *indirecte* detur peccandi occasio.

Nam sicut interdum causa tam gravis adest agendi id, quod cedit in temporale damnum proximi, ut contingit in obsidione v. gr. urbis, in qua damnum sequitur innocentium; eodem modo tam gravis adesse potest causa agendi quidpiam, quod in ruinam spiritualem alterius vertatur, ut non tenear illud vitare. Tum vero in primo, tum in secundo casu non dicimur illud proximi malum *velle,* sed potius *permittere,* sicut in defensione sui et sicut in obsidione urbis permittitur mors quorundam, et mater gravida, dum medicinam necessitate exigente sumit proli noxiam, huius malum permittit.

Sic igitur quaeritur, an omittere semper teneamur ea, unde sequitur spirituale detrimentum proximi. In quo tamen est magnum discrimen ab permissione mali temporalis. Nam malum temporale fere sequitur necessario ex actu meo, nec tribui potest alienae voluntati; contra vero detrimentum spirituale sequitur ex malitia alterius libere, cui ego solum praebeo fere occasionem. Magis proprie ergo heic malum dicitur permitti.

Responsio ergo est, teneri nos ad cavendam ruinam proximi seu ad non dandam occasionem (nam illud *impedire* sic est hoc loco accipiendum); sed additur: *si facile possimus.* Quae quidem regula pro variis adiunctis varium gradum indicat facilitatis. Tria enim prae oculis habentur, 1° incommodum abstinendi: 2° gravitas mali, quod in aliis timeatur: 3° nexus causalitatis sive proximae sive remotae inter actum meum et alterius peccatum.

Haec autem pendent a prudenti aestimatione, ideoque non habent manifestam evidentiam. Et exinde determinatio quoad singulos casus non est facilis et ideo in plures sententias doctores abire solent.

Unde resolvitur hic Casus.

LXIII. Absque causa non licet petere mutuum ab usurario, vel ab infideli iuramentum per falsos Deos, a concubinario administrationem Sacramenti, vel ut celebret: cum enim absque peccato id non sit facturus, cooperareris eius peccato. Suar. Sanch. Trull. l. 1. c. 6. d. 5. n. 15.

253. Quod liceat ex iusta causa petere ea, quae non praestantur ab alio sine peccato, id asseritur in responsione secunda.

Casus praesens est, si iusta causa desit. Et quidem omnes consentiunt non licere. Verum quaestio fit, an grave vel leve peccatum sit, quando alius iam paratus est, paratus quidem non tantum habitu, sed actu ad peccatum. Quam quaestionem A. heic non tangit seu solvit.

Duplex est sententia. Caietanus in *Sum.* V. *Usura:* « Potest tamen peccatum esse, ut si absque rationabili causa quis subeat hoc damnum (solvendi usuras) et utatur alterius iniquitate. Non est tamen mortale peccatum, sed veniale, absque rationabili causa hoc facere ».

Eandem sententiam docent Lugo *de Iust. et Iur.* disp. 25. ex n. 234., Dominicus Soto *de Iust.* lib. 6. q. 1. art. 5. dub. 1., Navarrus *Sum.* cap. 17. n. 262. cum aliis.

Et quidem duplicem petendi mutuum distinguunt causam. 1° Quando causa non sit necessitas aut quaepiam mali gravis evitatio, sed tamen « propter convivia, torneamenta, ludos otiosos et similia, iuxta exigentiam propii status ». De quo agitur potius in seq. responsione secunda, ubi de *gravitate* iustae causae, seu causae honestae.

254. Sed 2° idem quaerunt, quando ita non adest causa iusta, ut haec causa ne honesta quidem sit et rationabilis, adeo ut sit illicita saltem venialiter. Et de hoc casu sermo heic est et pro hac hypothesi stant auctores allegati.

Rationes sunt 1° Peccatum feneratoris est ex pura malitia; peccatum autem ex pura malitia non est cur alteri imputetur. 2° Peccator non excitatur neque impellitur ad peccatum a petente mutuum; iam enim se impulit ante illam petitionem mutui. 3° Petitio autem non est de se cooperatio ad usuram; quia usura non petitur nec offertur, sed tantum est mutui petitio, quae de se non est cooperatio ad malum, quod oritur ex sola malitia usurarii. Ergo licet (alii dicunt, *non esse grave*) petere pecunias mutuas etiam cum periculo feneris. 4° Ratio demum generalis est, quia usurarius non ruit in peccatum occasione alterius, sed iam ipse assentit. Ex Hurtado, apud Diana tom. 7. tr. 5. resol. 55.

Et ob has rationes probabilem hanc doctrinam habent Diana, Hurtadus aliique et probabilem dicunt cardinalis Lugo sententiam etiam illi, qui pro opposita stant, uti Palaus, Sanchez etc.

255. Pro opposita sententia scil. quod sit grave peccatum tum contra caritatem, tum contra virtutem, quae ab alio violatur, s. Alphonsus stat lib. 2. n. 47. Ratio s. Doctoris est, quia, etsi ille sit paratus ad peccandum, tamen « per actum externum semper augetur malitia voluntatis ob eius maiorem complacentiam, conatum, diuturnitatem: cum igitur peccator actu externo notabilem maiorem ruinam sibi inferat, non potest excusari a peccato gravi contra caritatem, qui sine causa gravi cooperatur illi ad opus exsequendum ». Atque ita

disserit Azor p. 2. l. 12. c. 18. ait, « quia licet ille sit animo paratus, nos tamen ei sumus occasio sine iusta causa, ut *nunc actu peccet* ». Addit deinde s. Doctor quod « petens sine gravi causa non excusatur ab alio peccato gravi contra virtutem ad quam laedendam moraliter inducit proximum. Et hoc, etiamsi daretur casus, quem practice iam diximus moraliter impossibile esse evenire, quod opere externo non augeatur malitia proximi parati ad peccandum. Ratio, quia sine iusta causa nunquam licet cooperari ad actionem obiective malam: concurrere enim moraliter, etiam permissive, ad actum obiective malum, sine iusta causa, per se semper est malum » (a).

S. Doctor non docet actum externum addere malitiam interno, quocum fit et a quo pendet, quod negat s. Thomas idque probabilius, ait s. Alph.: sed advertit Thomistas quoque docere, quod « cum contingit perpetratione operis mali voluntatem magis affici ad rem concupitam, tunc sine dubio per opus externum additur aliquid malitiae, quia tunc ipsius voluntatis malitia augetur ». Porro illud semper contingere ponit s. Doctor, ideoque semper per actum externum augeri malitiam voluntatis.

Haec tamen doctrina est difficilis. Nam si petis sacramenta a concubinario sacerdote, qui paratus animo sit ea administrare, quaenam est in hac administratione maior affectio voluntatis ad rem concupitam? Et Thomistae quidem, prout eorum sententia refertur, supponunt hanc maiorem affectionem voluntatis non semper adesse; quomodo ergo demonstratur ea universalis propositio s. Doctoris?

Itaque non est neganda probabilitas priori sententiae, quae negat in hoc casu grave damnum inferri parato ad peccandum et leviter peccare dicit qui sine iusta causa occasionem eius ponit. Sic Lugo disp. 25. n. 235.: « Respondetur, praeceptum caritatis esse, ut quando sine incommodo magno possum, vitare debeam magnum damnum proximi. In casu autem praesenti damnum proximi non est magnum; cum parum referat ei, qui iam ex parte sua voluntatem malam habet et illam alibi exsecutioni mandabit, proponere occasionem, in qua praeter intentionem meam illam exsequatur. Illa autem anticipatio operis externi solum variat accidentaliter peccatum illius; cuius accidentalis circumstantiae vitatio non me videtur graviter obligare: alioquin nec propter utili-

---

(a) Sed, puto, discrimen est inter paratos. Quidam enim ita habitu parati sunt, ut tamen heic et nunc non essent facturi malum, quod ne cogitant quidem: quidam ita parati sunt, ut iam sint facturi: ex. gr. hospes adveniens die veneris, quem, si non admitto ad mensam meam carnibus instructam (quae mihi licent), protestari audio; se iturum alio ad carnes comedendas, etsi ei non liceant. Tunc, post inutilem monitionem si eidem dico: si vis carnes comedere, prande mecum, nullam ei praebeo occasionem peccati. E.

tatem meam licitam, non necessariam nec magnam, possem talem occasionem dare. Quod autem commodum meum sit licitum vel illicitum non videtur referre ad praeceptum caritatis, quae quidem solum obligat ad subveniendum proximo sine meo incommodo et difficultate, praescindendo a commodo licito vel illicito: plerumque enim homo difficilius abstinet a potu venialiter illicito, quam a poculo licito. Et praeceptum subveniendi proximo aliquando non obligat, quando timeo damnum notabile in ordine ad officium vel honorem, quem spero et ambitiose intendo obtinere ab aliquo: quia vere sine magno incommodo meo non possum tunc ei subvenire ».

256. Quod dicitur de iurante per Deos falsos, non solet esse peccatum in exercendo actu, sed in causa scil. falsa religione: atque adeo alter non inducitur ad speciale quoddam peccatum. Ceterum casus similis est sequenti.

Casus potius fit, an liceat iuramentum petere ab eo, quem timeo iuraturum falso: ut contingit, quando debitorem iniuste negantem, se mihi quidquam ultra debere, ad iuramentum coram iudice provoco. Et Diana, tom. 7. tr. 5. resol. 56. n. 2. ex Suarez *de Relig.* tom. 2. lib. 3. cap. 15. n. 10. licere docet, dummodo 1° non exigas, ut iuret falsum: 2° ut adsit iusta causa petendi iuramentum, ut necessitas aliqua vel utilitas, ad quam ius habes. Nam iuramentum potest bene fieri vel male; si male faciat alius, id est per solam eius malitiam.

LXIV. Resp. 2. Ex causa necessitatis vel utilitatis potest permitti. Patet in dicto casu, qui simpliciter sine peccato fieri potest: ideoque licet talia petere ex rationabili causa, etsi alter ex sua malitia sit peccaturus. Requiritur autem maior necessitas, ut permittatur scandalum pusillorum, quam pharisaicum. Item maior, si plures sint scandalizandi, si timeatur peccatum grave et denique, si certo praevideatur, quam alias. Laym. l. c. Bonac. d. 2. q. 4. p. 2.

257. Etiam s. Alph. in not. h. l. concedit, sufficere *utilitatem* et remittit ad alium locum scil. n. 77. Hoc autem in loco ait, ad postulandum ab usurario requiri utilitatem *notabilem* et subdit, non sufficere *modicam utilitatem*, prouti se ait tenuisse n. 47.

Diana tom. 7. tr. 5. resol. 84. n. 2. ex plurium DD. sententia statuit, probabilem, imo probabiliorem ac tutam doctrinam esse, licite peti posse ab usurario mutuum » non solum ad sublevandam necessitatem, sed ad ea, quae decentia proprii status admittit aut exigit, v. gr. propter convivia, torneamenta, ludos otiosos (andare a teatro) et similia (uno verbo *causa honesta*) ».

Quoad petenda autem sacramenta ab indigno notanda sunt verba s. Alph. *de Poenit.* n. 490.: « Mihi videtur durum esse ei, qui est in mortali, manere sine absolutione etiam per diem »; quod confirmat

auctoritate aliorum. Sed satis esse potest quod quis ex devotione velit sacramenta suscipere ob aliquod festum. Rationes eaedem sunt ac sup. allatae n. 210., quia scilicet scandalum est totum ex malitia alterius, qui quolibet momento potest, si vult, cor a peccato avertere et digne agere.

LXV. Resp. 3. Debet permitti, si alioqui propria salus periclitaretur vel aliis, praesertim communitati, grave damnum immineret. Unde bona spiritualia necessaria ad salutem nec debet nec potest quisquam dimittere ob cuiusquam scandalum. Fill. 28. c. 6.

Doctrina est clara.

LXVI. Resp. 4. Bona spiritualia (et secundum Lorca apud Dian. p. 5. t. 7. r. 24. etiam temporalia) non necessaria ad salutem non tenetur quis omittere vel differre, ob scandalum pharisaicum, iuxta illud Matth. 15. *Sinite illos etc.* nisi tamen ex dilatione fructus speraretur: facilius vero ac saepius talia bona differenda vel etiam omittenda sunt, ob scandalum pusillorum: v. gr. ingressus religionis debet differri ob scandalum parentis, si consensus illius brevi speretur. Laym. l. c.

258. Quod additur de temporalibus, non est specialis doctrina Lorca a Diana tom. 7. tr. 5. res. 77. relata, sed est doctrina *communis*, quam Diana verbis Lorca exponit.

Paucis s. Thomas, quoad spiritualia bona, postquam dixit contemnendum scandalum pharisaicum, de scandalo pusillorum subdit 2. 2. q. 43. art. 7.: « Quandoque scandalum procedit ex infirmate vel ignorantia et huiusmodi est scandalum pusillorum; propter quod sunt spiritualia bona vel occultanda vel interdum etiam differenda, ubi periculum non imminet, quousque reddita ratione huiusmodi scandalum cesset. Si autem post redditam rationem huiusmodi scandalum duret, iam videtur ex malitia esse et sic propter ipsum non sunt huiusmodi spiritualia bona dimittenda ».

Quoad bona autem temporalia, s. Thom. l. c. art. 8. sic distinguit: « Aut enim (bona) nostra sunt, aut sunt nobis commissa ad conservandum pro aliis, sicut bona Ecclesiae committuntur praelatis aut bona communitatis rectoribus: et talium conservatio sicut et depositorum imminet his, quibus sunt commissa, ex necessitate et ideo non sunt propter scandalum dimittenda, sicut nec alia quae sunt de necessitate salutis ». Et inde ratio, cur Pius VII. dixerit, se non creare molestiam iis, qui bona Ecclesiae haberent, id tamen in foro externo: pro interno autem recurrendum esse ad Poenitentiariam vel ad Papam.

« Temporalia vero bona, quorum nos sumus domini, dimittere, ea tribuendo, si penes nos ea habeamus, vel non repetendo, si apud alios sint, quandoque quidem debemus, quandoque autem non. Si enim scandalum ex hoc oriatur propter ignorantiam vel infirmitatem aliorum, quod supra diximus esse scandalum pusillorum, tunc vel totaliter di-

mittenda sunt temporalia, vel aliter scandalum est sedandum, scil. per aliquam admonitionem. Aliquando vero scandalum nascitur ex malitia, quod est scandalum pharisaeorum et propter eos, qui sic scandala concitant, non sunt temporalia dimittenda; quia hoc et noceret bono communi (daretur enim malis rapiendi occasio) et noceret ipsis rapientibus, qui retinendo aliena in peccato manerent ».

Et ad 2. subdit: « Si passim permitteretur malis hominibus aliena rapere, vergeret hoc in detrimentum veritatis, vitae et iustitiae, et ideo non oportet propter quodcumque scandalum temporalia dimitti ».

LXVII. Resp. 5. Ad vitandum grave scandalum pusillorum, quaedam praecepta impleri non debent: nisi tamen omissio esset magis damnosa omittenti. V. Laym. l. 2. t. 3. c. 13. Ratio huius est, quia tunc, concurrente duplici praecepto, scilicet naturali de cavendo scandalo et positivo, maius et fortius est naturale.

259. Quemadmodum in concursu praecepti naturalis cessat obligatio praecepti *positivi*, ita cessat seu non adest obligatio alterius praecepti naturalis affirmativi, in concursu negativi v. gr. corripiendi peccatorem, si hoc in scandalum ei vertatur.

S. Alph. lib. 2. n. 51. heic subdit, duplicem esse sententiam DD., quorum alii negant omittenda praecepta, eo quod scandalum non sit datum, sed acceptum et horum sententia probabilis habetur ab ipso s. Alph. Alii, iuxta s. Alph. probabilius, stant pro sententia A., qui dicit omittenda.

Verum, ut patebit ex resolutionibus, minus adaequate rem considerasse videntur; quasi proficisci possit scandalum solum ex infirmitate aut malitia, cum possit provenire etiam ab ignorantia et sic dici non potest, quod scandalum pusillorum sit semper mere *acceptum*, non autem *datum*. Melius definiri possunt quaestiones pro variis casibus in resolutionibus.

Ex dictis resolvuntur hi Casus.

LXVIII. 1. Praelati Ecclesiastici non tenentur (imo nec possunt) ea, quae ad bona Ecclesiae conservanda sunt necessaria, v. gr. lites etc. omittere, ad vitanda scandala pharisaica, imo etiam pusillorum: etsi his prius reddi debeat ratio rectitudinis. Dian. p. 5. t. 7. r. 2. 4. Ex s. Thom. etc.

260. Exempla sunt, si agatur de exigendis decimis, ut in agro campano romano, vel iure stolae vel canone ab emphyteutis.

S. Alph. lib. 2. n. 52. huc revocat doctrinam docentium neque adesse *gravem* obligationem patiendi magnam iacturam bonorum privati ad impedienda huiusmodi scandala. Nota dicendum, obligationem esse *nullam* neque *gravem* scilicet neque *levem*, cum scandalum est pharisaicum, ut vidimus ex s. Thom. n. 258. De hac re non opus est arguere

e propriis bonis, ut concludamus multo minus adesse obligationem, ubi agitur de alienis. Iam vidimus doctrinam ex s. Thoma sup. n. cit.

Heic adde, in his fieri posse, ut scandalum non sit mere acceptum, sed quodammodo datum propter *ignorantiam:* v. gr. cum ignoratur ius exigentis aut cum exactio nimis dura videtur, ut puta si parochus iura stolae exigat a pauperculo. In his sane necessaria est admonitio, qua scandalum sedetur.

Addit s. Alph. ex Laymann et aliis, si ne per monitionem quidem cesset scandalum populi et immineat magna iactura, expedire, ut praelatus procuret assensum Ecclesiae, ut debitum remittatur: licet subdat Laymann, pensandas esse circumstantias ex iis rationibus, quas vidimus in s. Thoma.

LXIX. 2. Si femina utatur veste virili vel contra, tantum ex levitate, sine prava intentione aut periculo scandali et libidinis, veniale tantum erit, alias mortale, nullum vero, si ex necessitate. Dian. p. 5. tr. 7. r. 32. ex s. Th. Syl. etc.

261. Resolutio est, esse mortale, si ex libidine fiat: veniale, si ex levitate: nullum, si ex necessitate. S. Thom. 2. 2. q. 169. art. 2. ad 3.: « Cultus exterior debet competere conditioni personae secundum communem consuetudinem. Et ideo de se vitiosum est, quod mulier utatur veste virili aut e converso et *praecipue*, quia hoc potest esse causa lasciviae et specialiter prohibetur in lege Deut. XXII. 5.: quia gentiles tali mutatione habitus utebantur ad idololatriae superstitionem. Potest tamen quandoque hoc fieri sine peccato propter aliquam necessitatem, vel causa se occultandi ab hostibus, vel propter defectum vestimenti, vel propter aliud huiusmodi ».

S. Thomas, dum dicit *praecipue,* innuit ex aliis causis posse esse vitiosum. Et reipsa indecens est, quod nulla urgente causa mulier mentiatur se virum, aut vir mulierem.

Ceterum huc materia ista spectat solum, quatenus haec mutatio seu simulatio est incentivum concupiscentiae et occultis libidinibus occasionem praebet.

Quod vero additur, veniale esse, si fiat ex mera levitate absitque tam scandalum quam intentio aut periculum libidinis, non ita accipiendum est, ut damnetur severe, si quando ex ioco fiat: cum et iocus honestus esse possit. Bene Laymann *de Carit.* cap. 13. in fin.: vestis mutatio « per se non est peccatum: sed iusta causa cohonestari potest, v. gr. in comoediis ». Quod vero Laymann addit, veniale esse ex s. Thoma, si fiat ex levitate, id s. Thomas non habet, et si levitas ad iocum referatur, idem dicimus ac de comoediis.

LXX. 3. Peccatum, ex quo confessarium in confessione (ex infirmitate tamen) graviter scandalizandum nosti, debes reticere. Laym. l. c. ex Nav. etc.

262. Laymann *de Carit.* cap. 13. n. 10. dicit *ob infirmitatem vel ignorantiam* (sed vix ignorantia locum habere heic videtur). Infirmitas opponitur heic malitiae; infirmo enim accidit tentatio ad praevaricationem; maligno, utpote malam voluntatem habenti, malum non suggerit tentatio, quae malam voluntatem reperit. Ratio resolutionis data est in resp. 5.

LXXI. 4. Uxor semel vel iterum debet omittere ieiunium, ex quo maritus graviter offendetur et orietur discordia. ibid.

263. Laymann l. c. dicit: « Coniugata potest intermittere ieiunium praeceptum, si intelligat maritum aegre laturum et occasionem gravis dissidii ex ignorantia et infirmitate accepturum ». Non ait ergo *semel* aut *iterum;* sed Laymann amplecti vult casum, quo mulier minus idonea ad placendum viro aut satisfaciendum eidem fiat (quod huc non spectat). A. casum innuit potius dissidii, v. gr. quia vir etiam inaniter timet de uxoris valetudine aut pallentem aversatur etc.; porro si causa duret, nescio, an excusetur solum semel aut iterum.

Non comprehenditur heic casus, quo maritus prohibeat uxori ieiunium ex religionis aut praecepti contemptu.

LXXII. 5. Si, ituro te ad sacrum die festo, excitanda sit gravis rixa vel caedes, non teneris ire. Ibid.

264. Idipsum dic de parocho, si praevidet orituras caedes etc., quando ipse Missam celebret, processionem faciat etc.; tenetur enim omittere. Diana tom. 7. tr. 5. resol. 7. n. 2.

LXXIII. 6. Superior peccata subditi saepe potest dissimulare, ad vitandas turbas et maiora mala, quae alioqui teneretur punire.

265. Hoc intellige etiam de patrefamilias, qui filios aliosve reprehendere non possit sine periculo excitandi tumultum, in quo et blasphemiae et alia mala sint exspectanda.

LXXIV. 7. Mulier, quae scit in se, vel in sui aspectu aliquem in particulari scandalizandum, mortaliter peccat, si data opera ei se conspiciendam offerat: adeoque potest et debet non tantum publico, sed etiam sacro abstinere die festo semel aut iterum, ad peccatum illud evitandum. Dixi 1. *aliquem in particulari;* quia ob timorem scandali alicuius ex communitate in genere, vel etiam plurium, abstinere nimis esset difficile et plenum scrupulis. Dixi 2. *semel aut iterum;* quia saepe, nimis esset grave et durum. Bonac. Sanch. Laym. l. c. n. 10. et alii. V. Dian. p. 5. t. 7. r. 21. et 22., ubi in contrarium citat aliquot auctores negantes obligationem praetermittendi rem praeceptam ad evitandum aliorum scandalum.

266. 1° Distingue, an res omittenda sit praecepta, vel non. Si est res praecepta et scandalum timetur *ab aliquo generatim,* non tenetur

omittere (et ego addam *teneri* ad implendum praecepta). Optima ratio est, quia nimis *est id difficile et plenum scrupulis.* Vid. Dian. tom. 7. tr. 5. resol. 7. 8.

2° Si timetur scandalum in particulari, alii teneri etiam per annum affirmant, alii negant. Certum hoc est, non posse nos obligari; quia certa non est obligatio. De hac re s. Alph. lib. 3. n. 331. dicit tres esse sententias: 1ª ait posse et bis aut ter teneri omittere Missam: 2ª teneri audire Missam: 3ª posse omittere, sed non teneri. S. Alph. subdit, omnes has sententias esse probabiles, sed primam esse probabiliorem: sed sufficitne maior probabilitas ad imponendam obligationem?

3° Quod dicitur *semel* aut *iterum*, melius iuxta quosdam intelligitur, si semel aut iterum adsit scandali periculum, quod deinde cesset: secus, si praevidetur duraturum; quia nulla ratio superest abstinendi, cum incommodum dein idem habeatur. Alii tamen etiam in hoc casu utile id dicunt, quia tunc mulier significat se fugere ab eo etc. Sed quae ad hoc obligatio?

Si vero res non sit praecepta, sunt qui mortaliter peccare dicunt mulierem, si offerat se conspectui.

Alii id negant et, inquit s. Alph.. valde probabiliter; est enim scandalum acceptum et non datum et nimis dura esset haec anxietas. Vix enim alioquin accidet, in magno concursu deesse, qui turpia desideria non habeat. Obligatio sub gravi mutandi viam aut abstinendi a via, a fenestra *semel aut iterum*, non probatur. Dein *semel et iterum* intellige modo sup. explicato, n. 3°.

Nota. Si data opera id facit ad excitanda desideria, nulla est controversia. Si ex vanitate, non intendens tamen scandalum viri, alii peccare mortaliter dicunt: ita Sanchez *Moral.* lib. 1. cap. 7. n. 17. At melius explicandum hoc foret, an sit vanitas alliciendi amasium vel amasios. Nam si v. gr. sola vanitas mulierem impellat, ut vel hac via incedat, vel ad quampiam ecclesiam accurrat, ubi multus concursus est, non video rationem peccati gravis.

Addit s. Alph. lib. 2. 53.: « Nequirem excusare a mortali mulierem, si peteret aliquem locum, quem non adiret, nisi sciret ibi amasium esse ». Ita s. Alph. allegans Sporer *in* 5. *Praec.* c. 1. n. 35. Sed 1° Sporer ibid. n. 37. addit: nisi adsit necessitas aut rationabilis causa: 2° si amasius intelligatur sponsus, qui eam ducturus est, ista regula nequit valere: 3° casus forte nimis vage proponitur; quid enim sibi vult, quod non peteret aliquem locum, nisi sciret, ibi amasium esse? Quid de ista muliere supponimus aut quo animo se illuc conferre concipimus? Ceterum in praxi haud frequens est usus huius resolutionis; tum quia non

constat de peccato alterius secuturo, tum quia vix unquam continget, ut offendiculum sit solum in hac determinata muliere.

LXXV. 8. Mulier, quae ex ornatu, etiam conveniente suo statui, probabiliter praevidet aliquem in particulari lapsurum mortaliter, tenetur ad breve tempus eum dimittere aut talis conspectum fugere. Dixi *ad breve tempus;* quia ad longum nimis illi grave foret. V. Dian. l. c.

267. In primis doctrina est s. Thomae 2. 2. q. 169. art. 1. in cultu et ornatu exteriori posse esse virtutem et vitium.

« Dicendum quod in ipsis rebus exterioribus, quibus homo utitur, non est aliquod vitium, sed ex parte hominis, qui immoderate utitur eis. Quae quidem *immoderantia* potest esse dupliciter. Uno quidem modo per comparationem ad consuetudinem hominum, cum quibus aliquis vivit. Unde Augustinus: Turpis est omnis pars universo suo non congruens. *Alio modo* potest esse immoderantia in usu talium rerum ex inordinato affectu utentis... Contingit autem ista inordinatio affectus tripliciter, quantum ad superabundantiam. *Uno modo* per hoc quod aliquis ex superfluo cultu vestium hominum gloriam quaerit, prout scilicet vestis et alia huiusmodi pertinent ad quendam ornatum... *Alio modo* secundum quod homo per superfluum cultum vestium quaerit delicias, secundum quod vestes ordinantur ad corporis fomentum. *Tertio modo* secundum quod nimiam sollicitudinem apponit ad exteriorem vestium cultum, etiamsi non sit aliqua inordinatio ex parte finis. Et secundum hoc Andronicus ponit tres virtutes circa exteriorem cultum: scilicet 1° *humilitatem*, quae excludit intentionem gloriae; unde dicit, quod humilitas est habitus non superabundans in sumptibus et praeparationibus: 2° *sufficientiam*, quae excludit intentionem delitiarum; unde dicit, quod *sufficientia,* est habitus contentus quibus oportet et determinativa eorum, quae ad vivere conveniunt, secundum illud Apostoli 1. Tim. ult.: *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus:* 3° *simplicitatem*, quae excludit superfluam sollicitudinem talium; unde dicit, quod simplicitas est habitus contentus his, quae contingunt ».

« Ex parte vero defectus similiter potest esse duplex inordinatio per affectum. *Uno quidem modo* ex negligentia hominis qui non adhibet studium vel laborem ad hoc quod exteriori cultu utatur, secundum quod oportet. Unde Philosophus dicit,... quod hoc ad mollitiem pertinet, quod aliquis trahat vestimentum per terram, ut non laboret elevando ipsum. *Alio modo* ex eo quod ipsum defectum exterioris cultus ad gloriam ordinat ».

Ad 1^{m} sic concludit esse virtutem: « Quamvis cultus exterior non sit a natura; tamen ad naturalem rationem pertinet, ut exteriorem

cultum moderetur et secundum hoc nati sumus hanc virtutem suscipere, quae exteriorem cultum moderatur ».

Ad 2m « Illi, qui in dignitatibus constituuntur vel etiam ministri altaris, pretiosioribus vestibus, quam ceteri, induuntur, non propter sui gloriam, sed ad significandam excellentiam sui ministerii vel cultus divini ».

Ad 3m « Exterior cultus indicium quoddam est conditionis humanae et ideo excessus et defectus et medium in talibus reduci possunt ad virtutem veritatis, quam Philosophus ponit circa facta et dicta, quibus aliquid de statu hominis significatur ».

268. His positis ita s. Thomas artic. 2., ubi quaerit, « an ornatus mulierum sit sine peccato mortali »: « Dicendum, quod circa ornamenta mulierum sunt eadem attendenda, quae supra communiter dicta sunt circa exteriorem cultum et insuper quoddam aliud speciale, quod scil. muliebris cultus viros ad lasciviam provocat ».

« Potest tamen mulier licite operam dare ad hoc, quod viro suo placeat, ne per eius contemptum in adulterium labatur... Et ideo si mulier coniugata ad hoc se ornet, ut viro suo placeat, potest hoc facere absque peccato ».

« Illae autem mulieres, quae viros non habent nec volunt habere, vel sunt in statu non habendi, non possunt absque peccato appetere placere virorum aspectibus ad concupiscendum; quia hoc est dare eis incentivum peccandi. Et siquidem hac intentione se ornent, ut alios provocent ad concupiscentiam, mortaliter peccant. Si autem ex quadam levitate vel etiam ex quadam vanitate propter iactantiam quandam, non semper est peccatum mortale, sed quandoque veniale. Et eadem ratio quantum ad hoc est de viris ». Et allato Augustini textu, ubi dicitur non decere feminas etiam maritatas nudare capillos, subdit; « In quo tamen casu possent aliquae a peccato excusari, quando hoc non fieret ex aliqua vanitate, sed propter contrariam consuetudinem, quamvis talis consuetudo non sit laudabilis ». Quod principium prae oculis est habendum.

Et ad 1m « Sobrius et moderatus ornatus non prohibetur mulieribus, sed superfluus et inverecundus et impudicus ».

Ad 2m « Mulierum fucatio non semper est cum peccato mortali, sed solum quando fit propter lasciviam vel in Dei contemptum... Sciendum tamen, quod aliud est fingere pulchritudinem non habitam et aliud occultare turpitudinem ex aliqua causa provenientem, puta aegritudine vel aliquo eiusmodi: hoc est enim licitum ».

Ad 3m « Mulieres licite se possunt ornare, vel ut conservent decentiam sui status, vel etiam *aliquid superaddere*, ut placeant viris ».

Imo hunc ornatum ponit inter actus *virtutis*. Ita in Isai. cap. 4. in fin.: « Ornatus mensurandus est ad modum et mensuram personae et intentionem. Si enim mulieres portent ornamenta decentia secundum statum et dignitatem suam et moderate se habeant in factis suis secundum consuetudinem patriae, erit actus virtutis modestiae, quae modum ponit in incessu, statu, habitu et omnibus motibus exterioribus et poterit esse meritorius, si fit cum gratia. Similiter si faciat, ut placeat decenter viro suo, quem habet, vel quem accipere debet, et ut ab aliis mulieribus retrahatur. Si autem habeant ornamenta pretiosiora, quam decent ipsas, erit arrogantia, vel quid deformatum vitio luxuriae, si faciant ad provocandum ad concupiscentiam sui ».

Et in 1. Tim. c. 2. lect. 2. ad fin.: « Servata recta intentione, consuetudine patriae et conditione status, non est (ornatus) peccatum. De fucato autem semper est peccatum. Mulieribus enim non permittitur ornari nisi propter viros et viri nolunt decipi, ut fucatae appareant ».

269. Paucis ergo statui ex s. Thoma possunt haec. 1° Si se ornent animo provocandi ad libidinem, peccant mortaliter. 2° Esse veniale si adhibeatur ex vanitate, levitate, iactantia. 3° Item veniale reputari potest ex genere suo, quod sit ornatus superfluus, vel non sit iuxta conditionem status sive per excessum sive per defectum. 4° Nullum esse per se peccatum, si servetur consuetudo patriae, conditio status. 5° Licite aliquid superadditur, ut placeant viris suis, vel quos habere debent. 6° Faciem linire fuco ac pigmentis erit mortale, si fiat ad lasciviam: veniale si solum ad fingendam pulchritudinem: nullum si fiat ad occultandum aliquem defectum. 7° Excusat s. Doctor a peccato, quae incedunt capillis non velatis, si id non ex vanitate, sed ex consuetudine faciant, licet addat consuetudinem non esse laudabilem: quae quidem animadversio proderit quoad alias quaestiones.

270. Ceterum quoad quaestionem, an mulier teneatur dimittere ornatum aut non exire domo, si scandalum praevideat, Diana tom. 7. tr. 5. res. 9. tres affert sententias (licet non videam, quomodo tertia a prima differat).

Prima negat, eam peccare, quia utitur iure suo: effectus autem per accidens non imputantur, etiamsi praevideantur. Alias esset grave iugum et animae mille laqueis implicarentur. Haec Diana ex Lorca, Azor, Caietano, Bonacina, etc.

Secunda dicit, eam peccare mortaliter, si id agat sine necessitate: necessitatem tamen explicant, si velit invisere vicinas, affines, ne minus urbana videatur, vel ire ad ecclesiam etc.

Tertia, cui, inquit Diana, uti probabiliori adhaereo, est eorum qui docent, feminam sic non peccare, quia non debet privari sua libertate

egrediendi domo, standi ad ostium domi vel fenestras, discurrendi per civitatem etc. Ratio, quia licet detur amasio occasio ad concupiscendum, haec provenit ex huius malitia; est ergo occasio accepta et non data a muliere, quae utitur iure suo. Excipe nisi data opera mulier se offerret aspectui amasii, illius amoris conscia, licet illum non intenderet. Secus si hoc facit solum, ut sua libertate fruatur exeundi domo. Exinde Diana uti severam taxat doctrinam confessarii, qui nolebat absolvere hac de causa nobilem feminam more aliarum ornatam discurrentem per urbem.

Veruntamen Diana l. c. res. 10. n. 2. potius accedit ad praedictam secundam sententiam (unde non falso eum Auctor citat), licet non dicat, *graviter* peccare. Et causis excusantibus seu rationibus scandali contemnendi accenset etiam rusticationes, deambulationes et alias oblectationes, sine quibus vita molesta est additque esse occasiones valde remotas et generales, in quibus oritur peccatum ex malitia potius scandalizati, quam feminae.

Tamen addit exceptionem quod semel aut iterum seu paucis vicibus teneatur abstinere; *quia sine molestia gravi*, id potest. Sed de hac re vide sup. dicta n. 266. Adde, quod ubi frequentia populi est, haec pericula numquam desunt: non est ergo ratio, cur conscia periculi unius specialem huius curam habeat.

Cohaerentius Suarez absolute dicit *de Car.* disp. 10. sect. 3. n. 10.: « Si ornatus sit moderatus et decens, per se non tenetur (dimittere) ad vitandum scandalum; quia de se actus non est malus neque habet per se rationem scandali activi magis, quam naturalis pulchritudo et quia grave esset obligare ad hoc ». Nemo autem tenetur faciem deturpare ad vitanda aliorum pericula, et quod legitur de Sanctis, vultus deturpasse aut caesariem praecidisse, res est perfectionis, non praecepti neque id liceret, v. gr. coniugatae.

LXXVI. 9. Si vero idem timeretur in particulari ex ornatu superfluo, vano et inconvenienti (quem assumere vanitatis et placendi causa, ut videantur pulchrae et procum facilius inveniant, seclusis aliis, non nisi veniale est) teneretur eum omnino dimittere, etiam sub mortali; quia nullum habet ius ad illum ornatum et ex altera parte tenetur vitare peccatum alterius, quando commode potest. V. Sylv. v. *Ornatus*. Alii tamen, ut Caiet. Nav. c. 23. videntur docere, eam tantum teneri sub veniali (sed minus probabiliter) quando in particulari lapsus praevidetur et brevi tempore abstinendum est; qui etiam cum Azor, Less. et Bonac. excusant a mortali eas, quae ex consuetudine loci media ubera detegunt, fuco, pigmentis, alienis crinibus utuntur; dummodo non aliorum lasciviam, sed tantum maiorem pulchritudinis ornatum intendant, absque alio fine mortali, aut lege particulari id sub mortali prohibente. Addunt tamen fore grave et mortale peccatum, huiuscemodi morem detegendi pectus vel tenuiter tantum tegendi, ubi non est, introducere. Navar. n. 19. Less. 112. Laym. l. c. etc. vid. Bonac. *de Mat.* q. 4. p. 9. n. 17.

271. Resolutio Auctoris *de gravi culpa* est nimis rigida et discrimen inter periculum generale et alicuius in speciali in praxi vix quidquam

valet ut vidimus n. praec. Atqui Auctor quoad generale periculum non ita dure sentit in seq. resolutione. Certe 1° s. Thomas sup. n. 230. concedit, *aliquid superaddi, ut mulieres placeant viris.*

2° In praxi cum statim aliae mulieres arripiant avidissime istos ornatus, qui superflui censeri possunt (quia videntur sibi vilescere, si desit sibi id, quod aliae habent), superflua autem permittantur iis, quae virum habent vel habere debent, ut ei placeant; hinc superfluitas mox cedit in consuetudinem patriae.

3° Hinc Diana, l. c. res. 9. n. 6.: « Ego puto non peccare, etiamsi sit superfluus maxime, dummodo sit secundum consuetudinem patriae et de se non sit quasi provocativus ad malum. Unde Turrianus ait, ornatum non habere speciem mali, quantumvis illustrem, si sit iuxta consuetudinem patriae feminarum, quae honestae sunt; secus si esset peculiaris habitus meretricius ».

4° Et reipsa sic nobiliores feminae semper peccarent, quia ornatiores incedunt. Verum praxis docet saepe ignobiliores allicere ad se magis; quia magis ad hoc valet naturalis species nec in superfluitate reipsa habetur gravior ista provocatio: quin imo saepius allicit simplicior forma ornatus, quae solas naturae dotes conspiciendas relinquit.

5° Quod femina peccet vanitate, id nihil confert ad rationem scandali. Nam quod femina peccet pravo fine (et vanitas non excedit veniale), hoc nihil confert ad scandalum passivum, quod oritur ex re ipsa seu ex substantia operis, non autem ex interiori superbia mulieris. Diana l. c. res. 10. n. 4.

6° Ipse s. Alph. (in not. in h. l.) refert Lessii sententiam aientis, etiam a superfluo ornatu mulierem non teneri abstinere nisi semel aut iterum: de qua limitatione quid sentiendum iam sit, vidimus.

De more gestandi pectus denudatum, in resol. seq.

LXXVII. 10. Si mulier non in particulari, sed in genere tantum aliquos in se scandalizandos putet, modo eorum lasciviam non intendat nec ei placeat (licet ei placeat, quod laudetur ut formosa), non videtur teneri abstinere ab illo ornatu, etiam superfluo sub mortali, v. gr. fucando faciem, imo etiam denudando ex communi consuetudine pectus: nisi tamen denudatio, vel ornatus esset valde turpis per se ac directe ad libidinem provocans. Ratio est, tum quia est scandalum potius acceptum, quam datum, et ornatus ille ac pulchritudo remote tantum ad peccatum provocat, ut docent Laym. et Bon., tum quia nimis grave esset isti sexui, praesertim si maritum quaerant, perpetuo sic abstinere, cum illa occasio sit universalis et perpetua nec formosiores unquam licite irent foras, cum pulcritudo naturalis plus noceat, quam artificialis. Plura de hac re vide apud Dian. t. 1. r. 30. Bald. l. 3. d. 5. n. 13. Interim feminam nudum pectus gerentem non mala intentione, etsi quidam excusent a mortali, ego tamen, inquit Sà, difficile absolverem. Et certum est, quod Confessario incumbat huiusmodi ornatum dissuadere et deterrere ab eo. Vid. Sà verb. *ornatus* et cet. ll. cc.

272. Quoad ornatum, sufficiunt dicta in resol. praecedenti. Quoad denudationem pectoris, haec s. Alphonsus lib. 2. n. 55.: « Cum ego

munus concionatoris gessi, pluries hunc perniciosum usum fortiter conatus sum exprobrare; sed cum hic officium agam scriptoris de scientia morali, oportet, ut dicam quod iuxta veritatem sentio et quod a doctoribus didici ».

« Non nego 1° quod illae feminae, quae hunc morem alicubi introducerent, graviter peccarent ».

« Non nego 2° quod denudatio pectoris possit esse ita immoderata, ut per se non possit excusari a scandalo gravi tanquam valde ad lasciviam provocans ».

« Dico 3° quod si non sit ita valde immoderata et alicubi adsit consuetudo ut mulieres sic incedant, esset quidem exprobandum, sed non omnino damnandum de mortali. Id tenent communissime Navarr., Caiet., Lessius, Laymann, Bonacina, Salmant. et alii plurimi et Laymann dicit esse sententiam communem ».

Deinde vero respondet obiectionibus seu potius declamationibus Roncaglia, ubi notat quod « ubi talis viget consuetudo (ostendendi brachia, crura, pectus etc.) assuefactio efficit, ut viri minus moveantur ad concupiscentiam, prout experientia constat.

273. Caietanus de hac re Sum. V. *Ornatus:* « Qualitas (inordinata) ornatus communiter peccatum inducit veniale, si indecens est ac minus castus, ut ornatus mulierum monstrantium media ubera. Veruntamen ubi consuetus est iam mos, sine peccato videtur et in remedium ne peiora fiant, forte introductus ».

Diana tom. 7. tr. 5. resol. 11. postquam retulit communem hanc sententiam et contrariam cuiusdam Alberti de Albertis, qui munus apostoli sua aetate suscepisse videtur adversus hunc morem, addit: « Sed adhuc ego non auderem sententiam Caietani etc. nota improbabilitatis inurere, quam novissime docet Trullench etc. ».

Deinde longas tractationes subiicit eorum, qui de mensura denudationis huiusmodi (scollature) subtilius disputant, an incipere a radice colli debeat et permitti possit, an gravis sit culpa si *digito* amplietur etc. Puerilia et sophistica!

Quoad praxim, vix opus est modo disputare, saltem inter nos.

Sed generatim spectandi mores locorum et certe prava desideria et peccata luxuriae non sunt pauciora ubi alius est vestitus; quod evincit, vanas esse declamationes: hinc servanda regula s. Alphonsi, quam et s. Thomas tradiderat sup. n. 268.

Auctor ex Sà dicit: difficile absolverem. S. Antoninus vero (apud s. Alph. l. c.) licet dicat: « Si de usu patriae est, ut mulieres deferant vestes versus collum scissas usque ad ostensionem mamillarum, ut in partibus Rheni, valde turpis et impudicus est talis usus et ideo (nota)

non servandus »: tamen hanc regulam subiciit. « Ex praedictis igitur videtur dicendum, quod ubi in huiusmodi ornatibus confessor invenit *clare et indubitanter* mortale, tamen non absolvat, nisi proponat abstinere a tali crimine. Si vero non potest clare percipere, utrum sit mortale, non videtur tunc praecipitanda sententia (ut dicit Gulielmus in quodam simili), scilicet ut deneget propter hoc absolutionem vel illi faciat conscientiam de mortali; quia faciendo postea contra illud, etiamsi illud non esset mortale, ei erit mortale; quia omne quod est contra conscientiam, aedificat ad gehennam... Fateor tamen, quod et praedicatores in praedicando et confessores in audientia confessionum, debent talia detestari et persuadere ad dimittendum, cum sint nimia et excessiva: *non tamen ita indistincte asserere esse mortalia* ».

LXXVIII. 11. Peccant etiam graviter, qui componunt, describunt, repraesentant vel pingunt turpia et ad libidinem provocantia. Bon. Sanch., et Fill. l. c. c. 10.

274. Singula verba indigent consideratione; quia diversas rationes exhibent participandi hoc scandalum. S. Alph. bene in h. l. addit componentes et agentes comoedias turpes.

Et quoad turpes imagines peccant non modo pingentes aut sculpentes, sed et publice exponentes. Ita qui Venerem, Adonidem etc. detectis pudendis aut diaphano velo opertis exponunt. Diana tom. 7. tr. 5. n. 2.

Recte tamen distingues imagines viriles a muliebribus. Tectis enim inhonestis, licebit nudas maxime viriles pingere: excipe nisi actio turpis pingatur; neque enim tunc excusabit opificem, quod oculis eae partes non appareant.

Interdum tamen licet aut pingere aut effingere inhonestas partes, si honestus sit finis, v. gr. pro medicinae studiis, non secus ac licet detegere, si ad medendum opus fuerit.

Possunt autem collocari in publico loco, si turpia operiantur, ad ornatum scil. et ostentationem. Prudens autem confessarius intentionem scitabitur et num coopertas ita retineant, ut non facile amoveri velum possit. Ostendi poterunt sine velo peritis in arte et simul scandalo non facile obnoxiis.

LXXIX. Resp. 6. Potest aliquando permitti proximi ruina, quando is paratus est ad malum et alter non intendit, ut peccet, sed tantum non auferendo occasionem, permittit unum peccatum, ne fiant plura, ita ut permissio sit impeditiva maioris mali.

275. De hac doctrina vix ulla est dubitandi ratio. Et si s. Alph. lib. 2. n. 55. uti probabiliorem habet sententiam, quae docet licere minus malum *suadere* ad maius vitandum, a fortiori id valet de mera permissione. Et adverte, s. Alph. ibi quaestionem facere etiam de permissione, licet in responsionibus immoretur solum circa *mali suasionem*, in qua maior adesse videtur difficultas.

Unde resolves.

LXXX. 1. Hero licet non auferre occasionem furandi filiis, aut famulis, cum eos nihilominus ad furandum propensos et paratos novit, ut sic deprehensi puniantur et resipiscant: tunc enim rationabiliter permittit furtum unum, ut evitentur plura. Sanch. Laym. Bonac.

276. S. Alph. valde communem hanc doctrinam dicit et affert etiam locum ex s. Thoma 4. dist. 35. q. 1. art. 3. ad 4.; licet s. Thomas de facto potius agere ibi videatur, quam de iure: ait nempe, maritum posse accusare uxorem de adulterio et crimen probare, quia potuit crimen nosse per insidias uxori paratas, ut eam coram testibus in adulterio deprehenderet. At non dicit, id fieri a marito licite, scil. licite permitti adulterium.

LXXXI. 2. Probabile est, non licere talia ultro ponere aut iis obiicere; quia positive concurreret ad peccatum et tam non auferret occasionem, quam poneret. Sà v. *peccatum* et Sanch. qui ex eadem causa docet, non licere marito dare uxori ansam adulterandi, vel adultero, ut tentent uxorem. Interim probabiliter contrarium docet Laym. l. 2. tr. 3. c. 13. Quod confirmari potest exemplo Iudith, quae vix aliter videtur fecisse. c. IX. Cum enim sciret permissionem libidinis in Holoferne fore impeditivum malorum posuit ei occasionem nempe ornatum suum, alioqui licitum, et tamen communiter censetur in hoc non peccasse. V. Bon. d. 2. q. 4. p. 2. Palaum hic.

277. Auctor dicit solum *probabile*, quia alii contradicunt.

S. Alph. post allatas rationes oppositas, subdit: « Hoc non obstante satis probabilis videtur prima sententia; quia cum maritus aut herus praebet ansam moechandi aut furandi, non vere inducit ad peccandum, sed praebet occasionem et permittit peccatum ex iuxta causa, ut se nempe servet indemnem a periculo damni obventuri ». Hinc comparat hanc casum cum petitione mutui ab usurario etc.

278. S. Alph. lib. 2. n. 57. quaestionem celebrem memorat, an liceat suadere minus malum illi, qui ad maius determinatus est.

Et allata duplici sententia, dicit probabiliorem eorum, qui licere dicunt, si alter fuerit iam ad maius malum determinatus. Ratio, quia tunc suadens non quaerit malum, sed bonum, scilicet electionem minoris mali. Additque ex Sanchez, id non solum privatis licere, sed etiam confessariis, parentibus et iis generatim, quibus ex officio incumbit impedire peccata subditorum.

Etiam Diana tom. 7. tr. 5. res. 34. n. 2. probabiliorem dicit hanc doctrinam. Et cum seq. resol. 35. n. 3. attulisset sententiam Hurtadi, qui licitas solum dicit propositiones, non autem suasiones alterius mali: v. gr. parato ad adulterium aut sodomiam proponere pulchritudinem alicuius mulieris, v. gr. talis mulier est pulchra, maior heic volu-

ptas etc.; quia scilicet propositiones sunt verae et sunt indifferentes et proferuntur ex simplici affectu impediendi maioris mali: reponit Diana: Sed ego puto secundam sententiam satis probabilem esse et tutam in praxi.

Itaque, ut ait Sanchez *de Matrim.* lib. 7. disp. 11. n. 16., « non tantum licet proponere, sed et consulere, imo et inducere ad minus malum perpetrandum... Quia tunc vere non inducitur ad malum sed ad electionem minoris mali, quae bona est ».

Quidam requirunt conditionem, quod damnum sit circa bona, quorum homo est dominus et in quibus negotium suum utiliter agit et potest permittere; secus si agatur de vita et bonis corporis: unde concludunt, non posse me persuadere mutilationem; quia nemo permittere mutilationem sibi potest. Atqui hoc est falsum; quia ad servandam vitam licet perdere et offerre perdendam manum.

Hinc inferes, quod si quis suadeat ad minus damnum inferendum, ut maius eiusdem malum caveat, non tenetur restituere: quia nec tenetur ratione rei acceptae, cum nihil receperit nec ratione iniustae acceptionis seu damnificationis iniustae, quia consilio suo potius utiliter rem alterius gessit. Sanchez l. c. n. 17.

Imo nec ad restituendum teneretur, etiamsi opem tulisset illi latroni, v. gr. rem furto ablatam convehendo, quo minus damnum ille inferret. Ratio eadem est, quia rem domini utiliter gerit. Sanch. l. c. n. 18.

Eadem de causa parato ad malum maius licet offerre materiam mali minoris, sicut Loth filias suas obtulit volentibus vim inferre hospitibus suis. Sanchez ib. n. 19.

Neque admittenda est limitatio quorundam, quod tunc solum liceat suadere minus malum, quando alius utrumque malum, et hoc scilicet et maius, paratus erat perpetrare; nam licitum etiam dicendum est proponere minus malum, quod ille non cogitaret. Ratio est; quia id est solum hortari, ut minus malum faciat nec proponens minus malum, determinat ad malum, sed retrahit iam determinatam voluntatem a malo maiori, proposita minoris materia. Sanch. ibid. n. 20.

Dummodo tamen, quod semper heic supponimus, nulla alia ratio appareat avertendi alium a malo illo maiori.

Neque tamen est necessarium, ut qui minus malum consulit, exprimat eam conditionem « *si maius facturus sis* »; licet non prius suadere debeat, quam certo cognoscat, illum determinatum esse ad malum. Dum enim minus malum consulitur, ea conditio semper subintelligitur.

279. Quidam negant, licere hoc superiori relate ad subditum, cuius peccata ille tenetur vitare, cuiusmodi sunt parentes, confessarii, superiores, magistratus, dux militum etc.

Sed non bene: nam quaestio procedit de casu, in quo nulla alia ratione alius possit a malo avelli maiori post alia media tentata. Porro consilium superioris non minus tunc est utile illi, cui maius damnum inferendum fuisset, quam si a privato consilium ortum esset nec minus utile est etiam ei, cui consulitur; quippe avertitur a maiori crimine.

Hoc solum advertit Sanchez l. c. *de Matr.* lib. 7. disp. 11. n. 23. quod superior, *si alio modo poterat malum maius impedire* et ipse ex officio teneatur ad cavenda aliorum damna, v. gr. magistratus; hic teneatur ad restitutionem. Secus privatus, si eo animo minus suadet, ut retrahat a maiori; quia sic certe utiliter gerit negotium alterius. Si vero minus quoque non impedit, delinquit utique, si hoc quoque poterat impedire; sed cum ad id non teneretur ex iustitia, sed ex sola caritate, non obligatur ad restitutionem. Id verum est, quatenus non vere consulitur illud minus damnum, sed electio minoris prae maiori: et si non tenebatur ad restitutionem (licet peccasset contra caritatem sinendo ut malum fiat), non dando ullum consilium, absurde adstringeretur ad id, quando minus suasit.

280. Sunt qui limitant hanc doctrinam: dummodo damnum minus suadeatur inferendum eidem personae, non vero inferatur diversae. Quam sententiam praefert oppositae etiam Sanchez l. c. n. 24. Ratio est, quia illa tertia persona ius habet, ne, causa vitandi maioris damni alterius, eius malum procuretur; non enim ipsa tenetur, cum suo gravi damno, consulere bono alterius, pati e. gr. mutilationem, ne alius occidatur. Neque ergo tu potes ad id cooperari. Qua de re Auctor *de Rest.* dub. 2. resol. 11.: « Nec tenetur (ad restit.), qui deliberate volenti inferre magnum damnum, suadet ut minus *eidem* inferat: quia tunc utiliter alterius negotium gerit. Dico: *eidem;* quia non licet impedire damnum unius, cum iniuria alterius ». Tamen ipse Sanchez deinde excipit.

1° Si ille decrevisset utrumque malum inferre; tunc enim liceret suadere, ut uni tantum inferat. Nec alteruter queri posset, sive huic sive alteri damnum inferendum caveret. Quod verum est quoad iustitiae debitum; nam si alterutrum potest cavere et pro maiori impedit minus, peccaret contra caritatem.

2° Si damnum unius est modicum, alterius vero magnum; maxime vero si hic pauper sit, alter vero dives. Tunc enim liceret suadere modicum, quo maius cavetur, nec iuste invitus esset, qui tunc modicum hoc patitur.

3° Si qui minus damnum patitur, alioquin teneatur ad illud subeundum, ut maius impediat. Sic cum tenearis vitam profundere, ut salves regem, a quo totius reipublicae salus pendeat, alter potest suadere, ut quisquiam potiusquam in regem iniiciat manum in plebeium ac privatum.

4° Si malefactor nolit certae personae nocere, sed in communi, licet consulere minus damnum, scil. ut illi damnum inferat, cui minus nocebit, v. gr. volenti furari suadere, ut a divite potius auferat, quam ab inope.

5° Imo etiamsi certae personae nocere vellet malefactor, licebit consulere minus damnum alteri indeterminate inferendum. Sic volenti furari a paupere, licebit consulere generatim, ut potius ab aliquo ditiori surripiat. Ita Sanchez ex aliis l. c. n. 24.

281. At sunt, qui tenent, licere suadere minus damnum etiam certae personae inferendum.

Id innuit etiam Sanchez *de Matr*. lib. 7. disp. 11. l. c. n. 24. init.: imo addit, hanc sententiam habere fundamentum in argumento illo generali quod superius n. 14. *quinto* ipse attulerat, petito ex historia Loth, qui filias stuprandas pro hospitibus obtulit.

Turrianus *de Fide, Spe*, etc. disp. 95. dub. 6.: « In re non omnino certa mihi probabilius est, tale consilium esse licitum, quando nulla alia ratione posset quis retrahi a maiori illo peccato committendo, quia consulere minus malum in hoc casu peccatum non est. Deinde is, cui infertur iniuria, non est rationabiliter invitus respectu consulentis; quia ille tantum suasit minus furtum, ne latro committeret maius peccatum: esset tamen invitus respectu latronis ». Apud Diana tom. 7. tract. 5. resol. 36. n. 2.

Et Vasquez opusc. *de Scand*. artic. 1. dub. 2. n. 14.: « Mihi tamen videtur, eodem modo licitum esse suadere minus furtum respectu diversae personae, sicut respectu eiusdem, quando aliud non superest remedium et in hoc nullam fieri iniustitiam ei, a quo latro furatur, id quod minus est. Ratio vero est, quia hoc genus consilii eo tendit formaliter, ne committatur maius peccatum: ex quo fit, ut is, a quo latro furatur illud quod minus est, non sit rationabiliter invitus de eo, qui consilium praebuit; siquidem in causa fuit, ut minus malum committeretur ».

Et sane si caritas postulat 1° ut minus peccatum suadeam, profecto debitum caritatis non potest pugnare cum iustitia. 2° Caritas in casu aeque postulat, ut impediam gravius alterius damnum. Cum igitur alterutrius (ex hypothesi) damnum sequi debeat, regula caritatis, quae utrique debetur, servanda est.

Multo vero magis id videtur verum, quando damnum ultro suscipitur ab eo, qui illud patitur. Nam si volenti committere adulterium suadeas potius fornicationem, profecto fornicatio non committitur nisi a consentiente.

Praeterea cum dicunt, licere generatim divertere intentionem alterius

ab adulterio ad fornicationem non designata persona, nonne advertunt, parum referre, sive designem sive non designem? Nam caritas exigeret ut nec generatim fornicationis periculum cuiquiam obiiciam; quia caritas se habere ad omnes generatim debet.

Hinc putarem licere, suadere volenti fornicari, ut ad corruptam potius et depravatam se conferat, quam ad honestam.

Articulus III.

An liceat alterius peccato materialiter cooperari.

LXXXIII. Resp. Cooperari tantum materialiter, subministrando tantum materiam et facultatem peccandi vel exhibendo obiectum, licet, si sequentes conditiones adsint. I. Si tuum opus vel cooperatio sit secundum se bona vel saltem indifferens: II. si bona intentione et rationabili ex causa fiat et non ut iuves alterum peccare: III. si alterius peccatum impedire nequeas aut saltem non tenearis propter causam rationabilem. Circa quam notant Sanch. et Laym. etsi eius gravitas certa regula definiri nequeat, sed prudentis iudicio metienda sit; tanto tamen graviorem requiri, 1. quanto gravius est peccatum, cuius occasio datur: 2. quanto probabilius est, te non cooperante, alterum non peccaturum, aut quanto certior est effectus peccati: 3. quanto propinquius tua cooperatio peccatum attingit: 4. quanto minus iuris habes ad tale opus: 5. denique quanto magis peccatum cum iustitia pugnat idque propter damnum tertii. Laym. l. 2. t. 3. c. 13.

282. Cooperatio locum non habet nisi in actionibus exterioribus. De cooperatione materiali et formali bene s. Alphonsus lib. 2. n. 63. « Ad distinguendum, quando cooperatio sit mere materialis et quando formalis, alii dicunt..., quod cooperatio tunc est *materialis*, quando ipsa per accidens et remote conducit ad peccatum alterius: *formalis* autem, quando per se vel ob aliquam circumstantiam proxime conducit ad exsecutionem peccati, licet per se sit indifferens. Sed melius cum aliis dicendum, illam esse *formalem,* quae concurrit ad malam voluntatem alterius et nequit esse sine peccato; materialem vero illam, quae concurrit tantum ad malam actionem alterius et ad proximitatem concursus, praeter intentionem cooperantis ». Cum dicit, *concurri ad malam voluntatem alterius*, intellige, ad malum actionis, quod vult alter, cui cooperari dicimur, ut cooperans malum illud velit et ex sua parte gignat, quod alter vult et facit: cum autem dicit ad *malam actionem,* intellige: ad opus, quod malum est principali agenti.

Subdit s. Doctor: « Haec (materialis) licita est, quando per se actio est bona vel indifferens et quando adest causa iusta et proportionata ad gravitatem peccati alterius et ad proximitatem concursus, qui praestatur ad peccati exsecutionem. Ratio; quia tu cum praestas actionem indifferentem sine prava intentione, si alter illa abuti voluerit ad suum peccatum exsequendum, *non teneris nisi ex caritate illud impedire,* et quia caritas non obligat cum gravi incommodo (n. 196.), ideo ponens

tuam cooperationem cum iusta causa non peccas; tunc enim peccatum illius non provenit ex cooperatione tua, sed ex malitia illius, qui tua cooperatione abutitur ».

« Nec valet dicere, quod tua actio, etsi indifferens, coniuncta tamen cum circumstantia pravae intentionis alterius evadit mala; nam revera actio tua non est per se coniuncta cum mala voluntate illius, sed ille coniungit malam suam voluntatem cum actione tua; unde tua actio non erit tunc causa per se influens in peccatum, sed tantum occasio qua ille abutitur ad peccandum ».

Tum vero s. Alph. lectorem remittit ad locum, ubi agit de cooperatione ad furtum lib. 3. n. 571., ubi hanc doctrinam in memoriam revocat et casui furti seu damnificationi applicat. Cf. inf. sub resol. 10ª responsum s. Congr.

In cooperatione ergo materialis abest intentio mali, actio quae ponitur vel est bona vel indifferens. Unde ergo malitia actionis? Non nisi ex eo, quod tenearis ex caritate peccatum proximi impedire si facile potes: ad quod tamen non teneris cum gravi damno tuo proportionato.

S. Alph. lib. 2. n. 59. memorat, quosdam videri habuisse uti illicitam quamcumque cooperationem et ex Sanchez allegat inter hos s. Antoninum cum aliis. Verum recte subdit, eos intelligendos esse, quando aut actio cooperatrix est per se mala, aut quando desit iusta causa, quae excuset a caritatis debito, nempe impediendi alterius peccatum.

Praeterea cum agitur de obligatione impediendi peccatum alterius (quae non raro adest), supponitur, illud peccatum impediri posse: si ergo constet, impediri non posse, quia ex. gr. alter vult absolute peccare, cessat obligatio aliquid faciendi aut omittendi, ut peccatum non fiat. Non enim tu peccares, nisi quatenus cum posses, non impedires.

283. Ex praemissis 1° intelligenda ratio trium conditionum, quas A. ad licitam cooperationem requirit.

2° Quomodo dimetienda sit gravitas causae *comparate* ad alia adiuncta.

3° Quam merito A. dicat, certam regulam tradi non posse, sed rem ex prudentum iudicio esse definiendam. Porro quid prudentes iudicaverint, id in quaestionibus singularibus videre licet et ex parte etiam in resolutionibus, quas A. subiicit. Cf. Lugo *de Sacram. in gen.* disp. 2. nn. 181. seqq. (a).

(a) Contra 3ᵐ regulam ab A. propositam pro dimetienda gravitate causae excusantis a cooperatione, ut scilicet *gravior causa requiratur, quo propinquior est cooperatio,* advertit quidam, id non semper valere ex. gr. in coniuge reddente debitum viro obstricto voto castitatis, qua in re cooperatio est quam fieri potest proxima. Scilicet haec regula servanda est, nisi in contrarium alia potior ratio occurrat, ut heic est ius exigentis debitum. E.

Unde resolves hos Casus.

LXXXIII. 1. Hoc modo licite materialiter cooperatur sponsa contrahens cum sponso, quem scit Sacramentum accipere in peccato mortali. Sciens vero eum habere votum castitatis, peccat contrahendo cum ipso; quia ad contractum illicitum concurrit. Laym. l. c. ex Sanch. l. 7. *de Matr.* d. 11. n. 11.

284. Discrimen inter utrumque casum est, quod in priori sponsa contrahens cum exsistente in peccato, non concurrit ad actionem per se malam nec inducit malam alterius voluntatem et iustam, ut supponitur, habet causam contrahendi.

In secundo vero casu cóntractus nempe cum ligato voto castitatis, ipsa desponsatio est Deo iniuriosa et contractus est illicitus (a); quia cum votum sit impedimentum matrimonii, ipsa actione contrahendi uterque coniux violat legem Ecclesiae, non secus ac illicite concurreret, si impedimentum esset dirimens, licet huius causa resideret in solo sponso, v. gr. quod sit impos vel infidelis etc.

Dispar est autem ratio, cum agitur de peccato aut etiam excommunicatione alterius partis; quia haec non sunt impedimentum matrimonii, atque adeo non efficiunt contractum in se vitiosum, sed solum inducunt indignitatem ex parte recipientis, qui illis vinculis tenetur, quemadmodum faciunt indignum accedendi etiam ad alia sacramenta.

Ipse ergo sibi consulat et sola caritas iubebit me impedire peccatum eius, sine gravi incommodo.

Quod autem dicitur de voto castitatis, idipsum dici debet de voto religionis aut suscipiendi sacros ordines aut mere non nubendi etc.; quia haec vota pariter inducunt impedimentum et efficiunt contractum qua contractus est, vitiosum. Vid Sanchez *de Matr.* lib. 7. disp. 11. n. 11. et Laym. lib. 2. tract. 3. cap. 13. n. 4.

LXXXIV. 2. Licite quoque post matrimonium contractum materialiter cooperatur coniux, si coniugi obstricto voto castitatis reddat debitum: imo ad id tenetur ex iustitia, si eum exigentem non possit a proposito avocare; ibidem.

285. Dicitur: *si non potest eum avocare;* quia caritas postulat, ut a peccato proximum avocemus. Doctrinam autem hanc s. Alphonsus lib. 2. n. 62. *communissimam* vocat et *probabiliorem.* Perinde est autem, ac si creditor quidam votum fecisset non exigendi pecuniam, quam alter ipsi alioquin debet. Nam si creditor exigat eam, peccat quidem contra votum suum; sed debitor non idcirco liberatur ab obligatione solvendi.

Sed nescio, cur hoc loco non advocetur neque a s. Alphonso neque ab Auctore alia doctrina, quam in eiusmodi casibus prae oculis

---

(a) Hoc in casu cooperatio est formalis. E.

habere debet confessarius. Etenim, ut suo loco videbimus, coniux potest aut irritare vota coniugis alterius; aut, si de votis agatur praecedentibus matrimonium, potest obligationem eorum suspendere. Confessarius ergo suggerere debet coniugi poenitenti, ut in hoc casu sua potestate utatur et votum alterius suspendat.

Revocari huc debet casus, quando alter coniux ita uti vult matrimonio, ut generationem impediat. Confessarius de his scitari curiosius non debet: sed si mulier interroget, confessarius uti poterit doctrina, quam heic Auctor proponit, nempe monere, ut uxor maritum, quantum fieri potest, deterreat ab eo crimine; si non potest et ex negato coniugii usu gravia incommoda pati debeat, passive se habeat; quia reipsa ipsa nihil confert ad peccatum, quod totum residet in altera parte. Imo nec tenetur a petendo abstinere etc. Cf. dicenda suo loco in tr. *de Matrimon.* quoad *onanismum.*

LXXXV. 3. Similiter Parochus Eucharistiam licite potest et debet ministrare peccatori et excommunicato et haeretico occulto, si petat publice; imo confessarius praebere debet petenti etiam privatim, si ex sola confessione eius peccatum novit. ibid.

286. Et hanc doctrinam de confessarii debito s. Alph. n. 62. *communissimam* dicit et omnino tenendam. Illicitus est sane quilibet notitiae confessionis usus, ex quo sequatur qualecumque poenitentis gravamen. Cf. propos. damnatam ab Innocentio XI. 18. Nov. 1882. in serie Chronol. V. 1. p. XXIV. Iustam ergo habet confessarius causam ita agendi: pariter et parochus, ut consulat famae hominis, prout exigit caritas et iustitia. Vid. Lugo *de Sacram. in genere* disp. 8. sect. 10.

LXXXVI. 4. Excusantur a peccato famuli si ratione sui famulatus praestent quaedam obsequia, quae sine gravi suo incommodo negare non possint: ut v. gr. vestiant dominum, sternant equum, comitentur ad lupanar, meretrici deferant munera, eidem venienti aperiant ostium; quia haec tantum remote se ad peccatum habent et sine iis peccatum fieret. Unde tamen non sequitur, alteri cuivis licere ea prestare. Bon. *de Matr.* q. 4. p. 14. n. 6. Azor, t. 2. l. 12. c. ult. q. 8. Laym. l. 2. t. 3. c. 13. Sanch. l. 1. *Mor.* c. 7. n. 2.

287. Auctor hac resolutione ea recenset, quae solum remote ad peccatum concurrere videntur.

S. Alph. quaerens n. 64., an ratione famulatus, possit famulus comitari herum ad lupanar, sternere equum (utique ad lupanar), dicit, non sufficere solam rationem famulatus; sed id non est intelligendum de vestibus porrigendis, aut parando equo; quia haec prorsus sunt indifferentia; sed de *comitando.* S. Alph. dicit probabilius non sufficere rationem famulatus, nisi timeatur damnum grave; nunquam vero licere, si dominus ex comitatu reddatur *animosior.*

Puto haec non esse admodum practica; 1° quia hic mos non viget

neque testes horum factorum quaeruntur, nisi agatur de muliere, quae eat ad domum amasii etc.: 2° quia timor iste damni vix unquam abesse potest: 3° quia famulus difficile potest nosse circumstantiam de maiori animo addito: 4° quia comitari herum est ex iis actionibus, quae ordinariae supponuntur ac propterea indifferentes maxime sunt.

Quomodo vero herus, comitante famulo, animosior reddatur, explicat Sanchez *in Decal.* lib. 1. cap. 7. n. 22. 33. « Is comitatus semper animosiorem reddit dominum aggredientem vel acceptantem duellum ».

Et n. 23.: « Maior difficultas est, quando custodiae causa famuli herum comitantur aut eum peccantem exspectant. Qua in re ita distinguendum censeo. Si eum comitentur, ut rivales illius mulieris (sc. competitores) famuli invadant cum iis pugnaturi, nulla ratione licet; quod sit intrinsece malum. Si autem ut a rivalibus aggredientibus herum tueantur vel ut admoneant herum adveniente aliquo, qui ipsum offendere possit, ut sic incolumis evadat, adhuc rarissime licitum erit et urgentissima necessitate concurrente... Cum enim proxime concurrant seu accedant peccato heri, ut sit quasi positiva ac directa cooperatio, maxima causa excusandi indigent ».

288. S. Alph. n. 64. probat sententiam eorum, qui dicunt, non licere deferre curru concubinam ad dominum ac multo minus vocare ad domum heri; quod idem s. Alph. extendit ad aurigas aut naucleros.

Intellige priora: non licere *ratione solius famulatus:* sed in praxi, contumacia huiusmodi hominum detrectantium ministerium suum, est semper periculosa nec famulus potest rationes de his instituere cum domino. Sed haec pertinent magis ad resol. seq.

Quoad aurigas autem aut naucleros, in praxi vix est, quod confessarius inquirat; quia neque sunt neque possunt esse solliciti, quis, cur, quorsum vehi petat et cum publico in loco omnibus indiscriminatim prostent, nequeunt petenti officium detrectare sine gravissimo incommodo.

289. Quoad deferenda munuscula s. Alphonsus n. 65. dicit, verius Concinam putare hoc intrinsece malum; *quia munera per se turpem amorem fovent.*

Sporer de hac re *In V. Praec.* cap. 1. n. 99. pag. 84. tom. 2.: « Excusari (ait) famulos vel ancillas, qui inter huiusmodi heros et heras deferant litteras, internuntia, munera, solius urbanitatis vel amicitiae plena praestentque similia alia officia, quae alius famulus vel ancilla aeque praestaret. Ratio est, quia ex una parte illi ex officio et conditione sua tenentur dominis servire et obsequi; ex altera vero parte cooperatio ad peccatum mere materialis est et tantum remota ». Et sane videtur Concina non bene ratiocinatus.

Neque enim spectari debet, an munus vim habeat fovendi; nam sic magis fovebit aspectus et ideo non liceret aperire ianuam: sed spectatur actio ipsa aut aperiendi ianuam aut ferendi rem, quae actio est per se indifferens. Nec s. Alph. alium allegat praeter Concinam.

Quoad *aperitionem ianuae* negat id licere Croix apud s. Alph. n. 66. et in medium profert Propositionem 51. damn. ab Innocentio XI. « Famulus, qui submissis humeris scienter adiuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem et multoties eidem subservit, deferendo scalam, *aperiendo ianuam*, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur ».

S. Alph. recte respondet, hanc propositionem nihil ad rem facere: quia verba — *aperiendo ianuam* — ex contextu significant aperitionem factam per vim, domus scil. alienae ad patrandum stuprum.

Quod non liceat aliis quidpiam, quod licet famulo, ut A. dicit, palam est: quia alii non habent rationem famulatus, qui exigit quaedam obsequia et officia, v. gr. aperiendi pulsantibus.

LXXXVII. 5. Ad ea opera, quae propinquius se ad peccatum habent aut iuvant, v. gr. subiicere humeros, admovere scalas hero per fenestram ascendenti ad concubinam, deferre litteras amatorias ad meretricem, comitari ad duellum etc. non sufficit communis ratio famulatus, sed exigunt maiorem necessitatem et causam, ut licite fiant, v. gr. periculum gravis aut saltem notabilis damni, si detrectent. ibid. *Haec doctrina iam reiicitur ob damnatam ab Innoc. XI. propos. 51.*

290. Relate ad duas priores actiones *subiicere humeros, admovere scalas,* s. Alphonsus quaerens an eae, sicut *et vi aperire ianuam et similia,* ex metu mortis vel magni damni liceant, lib. 2. n. 66. q. 4. dicit, affirmativam A. sententiam, spectata *ratione, sibi videri probabiliorem,* quam oppositam Viva, Salmanticensium et Concina dicentium, neque ob periculum mortis haec licere, quippe intrinsece mala sint.

« Ratio, inquit s. Alph., quia cum praestas actionem per se indifferentem, non teneris nisi ex caritate ab illa abstinere, ne alter ea abutatur ad peccandum. Atqui caritas non te obligat, ut peccatum alterius avertas cum gravi tuo damno; nec alterius malitia mutare potest naturam actionis tuae, ut ex indifferenti fiat intrinsece mala ». Ergo. Vid. quae habet s. Alph. lib. 3. n. 571. in fine, ubi agens de cooperatione ad furtum exprobrat incohaerentiam Milante, qui intrinsece malas eas actiones esse modo affirmavit, modo negavit.

« Nec valet dicere, ait n. 66., quod praefatae actiones sint intrinsecae malae; quia cooperantur ad peccatum stupri *idque probari ex prop. damnata* (n. 263.) ubi dicitur: *aut quid simile cooperando.* » Nam respondet concedendo quidem in prop. damnata τὸ *cooperando* non indi-

care *formalem*, sed *materialem* cooperationem et in tali sensu fuisse propositionem proscriptam. Quomodo ergo haec doctrina eximitur damnatione? S. Alph. l. c. notat, verbis *si id faciat metu notabilis detrimenti,* non comprehendi metum mortis. « Ibi enim, inquit, declaratur, qualis metus non excuset *puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur,* quae mala certe non comprehendunt malum mortis ».

Ast hoc pacto s. Alph. non defendere videtur doctrinam Auctoris, quam tamen dixerat spectata ratione probabiliorem; quippe A. non loquitur de metu mortis, sed de periculo *gravis aut notabilis* damni, quae quidem verba congruere videntur cum illis verbis damnatae propositionis: *metu notabilis detrimenti.*

Puto ergo respondendum, spectandam esse explicationem *detrimenti*, quae in ipsa propositione exprimitur. Ibi autem tria dicuntur, 1° ne male ab hero tractetur: 2° ne torvis oculis aspiciatur: 3° ne domo expellatur. Porro falso quis statueret, damnationem cadere in singula membra et propositionem damnandam aeque fuisse, si addidisset quartum membrum, *ne occidatur*. Ratio patet, quia ut damnetur propositio sufficit, ut unum membrum sit damnabile. Hinc merito damnaretur ista propositio: « licet *regulariter* interficere iniustum aggressorem ad vitandum grave damnum, puta vitae, bovis, unius aurei ». Numquid enim damnaretur interfectio aggressoris pro tuenda vita, si damnaretur, prouti damnata est propositio, si agatur de uno aureo? (prop. 31. ab Inn. XI. « Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei »). A pari ergo in casu nostro. Satis enim est, non affirmare, licite quempiam ea peragere, *ne torvis oculis a domino aspiciatur, ne male (quomodocumque) ab hero tractectur,* quod sane absurde fingitur ceu *notabile detrimentum*, ac merito damnatum est.

Ceterum, ut s. Alph. notat l. c., in prop. damnata sermo est de *stupro violento*. Cum ergo praedictae actiones concurrant ad *damnum stupri*, quamvis solum materialiter concurrant ad peccatum stupratoris, nullus reipsa alius timor excusaret, quam timor mortis. Verum hic non est casus ab Auctore positus, et ideo, hac etiam de causa, nihil huc facit damnata propositio.

291. S. Alphons. lib. 2. n. 67. addit quaestionem ab Auctore omissam, an liceat scribere aut deferre litteras amatorias concubinae domini.

S. Alph. absolute negat; quia formaliter ea concurrunt ad fovendum turpem amorem! Idque tenet, etiamsi dubium sit, an litterae contineant amatoria. Si vero contineant sola signa urbanitatis, exigit, ut iusta causa adsit praeter obsequium famulatus.

Melius, puto, solvetur quaestio distinguendo actionem scribendi ab

actione ferendi. Nam actus ferendi est prorsus indifferens et continetur in censu obsequiorum, quae quisque famulus domino praestat: et vitium est heri qui debita sibi servitute male utitur. Nec famulus tenetur divinare, quid litterae contineant.

Quoad scribendum vero, si sint turpia aut quomodocumque illicita, nihil est disputandum, quia malum in se est. Secus si de negotio quopiam indifferenti agatur aut sola signa urbanitatis scribantur. Haec enim non debent recenseri inter actiones proxime ad peccatum concurrentes.

LXXXVIII. 6. Ob simile periculum excusantur plurimum caupones et propolae in locis, ubi Catholici vivunt mixti haereticis, qui ministrant aut vendunt carnes die ieiunii comesturis, item vinum ebriosis, dum postulant, etsi sciant eos a peccato non excusari; quia plerunque peccatum aeque fieret, subministrantibus aliis, et ipsi damnum notabile paterentur, dum paulatim nemo ad eos veniret. Sanch. l. 1. c. 7. Bonac. etc. Quod si tamen hae rationes non adessent, non excusarentur. Unde non licet ea patrifamilias (uti nec coenam die ieiunii) ministrare suae familiae neque cauponi illi, praeter quem non sunt alii: nisi tamen alia gravior causa cogeret. ibid.

S. Alph. lib. 2. n. 69.: affert sententiam Concina, qui licitum cauponibus dicit vendere vinum iis, quos ebriandos praevident, solum ex metu mortis aut mutilationis. Sed *probabilius* dicit tenendum cum Busembaum aliisque *communiter*, excusari ob metum cuiuscumque gravis damni, v. gr. si notabiliter minueretur numerus emptorum. Quod idem dicendum asserit de comesturis carnes die vetito.

Nota tamen 1° quoad vinum porrigendum, id ex multis aliis circumstantiis locorum, temporum, personarum etc. decidendum esse curasque adhibendas a caupone, ne malum hoc fiat.

2° Quoad carnes comedendas, causae possunt esse comedenti, cur licite id faciat nec venditor tenetur inquirere.

292. An volenti frangere ieiunium, ubicumque inveniat cibos, liceat eos praebere, dicendo conditionate, *si vis iam comedere, coena apud me;* affirmantibus aliis, quia peccatum iam est interius patratum nec impediri potest, ut supponitur: negative respondet s. Doctor lib. 2. n. 80. propter rationem, quam ex eo attulimus n. 254. Vide ergo ibi dicta. Ceterum si agatur de sola permissione peccati et iusta causa sit permittendi, cuiusmodi est in caupone, non apparet, cur hic dicere nequeat frequentanti cauponam: si decretum est tibi carnes comedere et certe apud alium es comesturus, comede apud me. Sane, si nequit impediri peccatum, cessat motivum prohibens cooperationem materialem.

293. S. Alph. n. 69. in fin. ait, se recedere ab iis, qui licitum dicunt vendere vinum illi, qui deinceps vendet mixtum aqua et solum excusat ob metum *mortis vel infamiae*, cum alii doctores excusent, si aeque

commode aliis vendere non possit. Eadem de causa non licebit vendere lac iis, qui miscebunt aquam, nisi metu mortis aut infamiae!

Verum Doctores heic duplicem faciunt quaestionem: 1ª est quando vinum traditur aliis vendendum non eorum nomine sed nomine ipsius domini, et tunc non licet permittere, ut alii abutantur hac traditione ad simulandum bonum et permiscenda alia elementa.

2° Est quando absolute venditur alteri et hic suo nomine venditurus aquam permiscet. Qua de re Tamburini *in Decal.* lib. 1. cap. 1. §. 4. n. 37. « Si eadem vendas aliis, quos scis per fraudem v. gr. miscendo aquam vino aliis esse revendituros, tunc licite poteris, quando tu, nisi iis venderes, difficulter vel cum tuo damno aliis vendere cogereris, nam si alias sine tuo damno aeque posses, cur ex caritate non debeas? ».

Et convenire debemus obligationem ex caritate proficisci 1° cavendi peccatum mercatoris, 2° damnum ementium. Verum patet statim, 1° actionem meam remotissime se habere ad illud peccatum: 2° non ideo mercatorem cessaturum ab arte, quia statim inveniet vinum ab alio: 3° esse eiusmodi damnum, quod non ignorant ementes a mercatore; adeo ut vix reperiri possit solida ratio, cur herus non vendat mercatori, si alias incommoda pati debeat.

Verum durissima est resolutio s. Alphonsi, qui solum metum mortis et infamiae excusare dicit; quasi vero damnum, quod affertur, sit eiusmodi, quod vel omnium bonorum amissione quis cavere debeat, quod est plane exorbitans. Ad summum exigere posset, ne multo maius sit damnum aliis inferendum. At si v. gr. vendere non posset vinum aliis, pateretur is damnum multo maius, quam quod affertur ementibus a mercatore. Atqui nonne ipse s. Doctor statuit, nos non teneri, si grave nos damnum maneat (sup. n. 268.)?

LXXXIX. 7. Ea, quae ad peccatum proxime concurrunt vel inducunt vel cum iustitia pugnant, etsi ex genere suo sint indifferentia, v. gr. hero alterum occisuro gladium dare, ostendere illum, qui ad necem quaeritur, compulsare campanam (sine scandalo tamen) ad concionem haereticam, meretricem, etsi conductam ac paratam, e domo evocare et ad herum deducere, furi scalam applicare, gerenti iniustum bellum dare mutuas pecunias, pagum haeretico domino vendere, gravissimam causam requirunt, hoc est, metum tanti mali, quod secundum leges caritatis nemo teneatur subire ad evitandum malum alterius, v. gr. si alias occidendus esset. Laym. c. 13. n. 4.

294. S. Alph. n. 66. ad fin.: « TRADERE AUTEM GLADIUM occisuro nunquam licet, quia non licet occidi innocentem, ut tu mortem vites, ut bene docent *Concina* et *Tournely* idest *Collet* ».

Atqui instar prodigii foret, si quid boni nobis offerretur, quod nemo Doctorum perviderit, perviderint tamen *Concina* et *Collet*.

Reipsa s. Alphonsus alibi idest lib. 3. n. 571. prop. fin. sic scribit: « Secus dicendum (videlicet non est excusandum ob metum gravis damni) si quis cooperationes illas praestaret occisuro, tradendo gladium sive claves ad occidendum, vel humeros subiiciendo ad ascendendum, vel *scalam deferendo* etc. Id tamen RECTE Salmant. cum Soto, Lessio, Bannez, Tapia, Arragonio, Villalobos et La-Croix cum Sanchez et Bonacina dicunt iutelligi, si ille potest negare suam cooperationem *sine periculo mortis aut aequalis gravis damni;* quia aliter non tenetur impedire damnum alterius (etiamsi alter sit in extrema necessitate patiendi damni) cum *aequali* proprio detrimento ». Ita s. Alphonsus, temperans suam doctrinam (a).

Ostendere eum, qui ad necem quaeritur, vetat non quidem iustitia (nisi quis ex officio custodire alium debeat), sed caritas. Atqui caritas utique gravem obligationem imponit; quia necessitas alterius est gravissima, imo extrema. Verum non exigit, ut cum periculo certo vitae meae aut cum *gravissimo alio* incommodo prospiciam alteri. Ergo non est solus casus « *Si alias occidendus esses* », quo excuseris.

De pulsanda campana ad concionem haereticam, haec clarius Laymann *de Carit.* cap. 13. n. 4.; « Si aedituus, qui hactenus in ecclesia ab haereticis occupata servivit, ad fidem catholicam convertatur, sed gravi necessitate servitio suo statim abscedere non possit: puto cogendum non esse, sed absolvendum, si promittat, quod servitium suum deseret, cum primum, rerum statu immutato, poterit, modo absit scandalum atque falsae religionis virtualis professio, si nimirum vel ex aperta aeditui coram populo protestatione vel aliis rationibus manifestum sit, quod ab illo ministeria pulsandi campanas, ecclesiam aperiendi, claudendi, panem et vinum afferendi etc. solum fiant materialiter et ut actus sunt per se indifferentes et nequaquam fiant, quatenus ordinantur ad exercitia haeretica, quippe quae hominem detestari illum palam constet ». Ubi vides, non requiri metum mortis, sed aliud incommodum,

---

(a) In editione tamen veneta anni 1757. idem locus scil. lib. 3. n. 571. prop. fin. aliter se habet. Nam post verba *scalam deferendo* sequitur: « Ratio, quia is proxime cooperaretur ad mortem alterius, quod omnino est illicitum, etiamsi hoc faceret ad propriam mortem evadendam; in hoc enim proximus esset rationabiliter invitus nec ullus potest, ut vitam suam servet, concurrere ad alterius mortem; quia in periculo aequalis damni melior est conditio possidentis »: quae desunt in editionibus posterioribus. Correxit igitur postea s. Doctor sententiam, quam tradiderat in edit. ann. 1757. et rediit ad sententiam quam docuerat in prima editione anni 1748. ad lib. 3. tract. 5. cap. 2. *de Restitut.* dub. 2. not. D. Imo correxit et ea, quae habentur lib. 3. n. 697., quem locum allegat. l. 3. n. 571. Nam in editione anni 1757. excusabat cooperantem solum, si secus GRAVIUS ipse damnum passus fuisset; sed postea addidit, si GRAVIUS vel SALTEM AEQUALE damnum pati deberet. Cur vero non correxerit etiam locum praesentem scil. lib. 2. n. 66. qui deest in prima editione anni 1748. et est mera additio anni 1757., possumus tribuere inadvertentiae.

quod in casu facile cogitatur, v. gr. quia contractu ligatur et vexationes subiret etiam a tribunali, vel non haberet, quo victitaret etc.

De meretrice evocanda et deducenda, idem fere dicito. Neque enim requiritur metus mortis; cum actus sit natura sua indifferens etc. Timor ergo gravis damni v. g. in famulis sufficiens esset causa.

Quoad scalam furi applicandam, cum actio (licet per se indifferens) proximius concurrat et agatur de damno tertii, gravior sane et urgentior causa ad excusandum requiritur, v. gr. si fur minitetur vulnera, gravem percussionem, incendium domus, vastationem vineae aut messis aut aliud grave damnum.

De pecunia danda mutuo bellum iniquum gerenti. Casus est hodiedum frequentior, quando quaeruntur *praestita,* ut aiunt. Intellige *voluntaria;* nam quae vi extorquentur (prestiti forzati) frustra negares et solum accederet maius damnum tuum.

Quoad pagum haeretico vendendum (qui casus olim frequentior esse poterat, quando tot feuda habebantur), illicitum erat, si subditi praevidebantur ab haeretico pervertendi, praesertim cum cura spiritualis salutis subditorum dominis custodienda sit nec periculis exponenda, ob temporalem commoditatem; solum ergo gravissima necessitas poterat excusare. Hac quoque ratione usus est Papa, ob quam nefas duxit provincias ecclesiasticas hodiernis latronibus ultro cedere.

295. S. Alph. heic subiicit negandum esse, quod sine magna utilitate liceat petere sacramenta ab *abministraturo sacrilege.* In praxi id de confessione maxime intelligi debet; quia quoad Eucharistiam non esset, iuxta probabilem, *grave* ministri peccatum; quoad alia, haec sunt nedum utilia, sed necessaria. At quoad poenitentiam s. Alph. alibi gravissimam dicit causam, ne maneat quis in peccato ad diem.

Huc spectat casus, quem Laymann cap. 13. *de Carit.* n. 4. addit: « Longe gravior causa aut necessitas requiritur, ut liceat alicui... ordinare characteres ad haereticorum librorum impressionem: quia tale opus valde propinque ac per se ad haeresim ordinatur (cf. n. 72). In necessitate tamen admodum gravi, si etiam alia scandala et catholicae religionis contemptus absint, tale quidpiam ad *breve tempus* praestari posset, v. gr. si filius typographi haeretici ad fidem catholicam convertatur, qui sine gravissimo suo detrimento patrem tam cito deserere non posset. Siquidem haereticorum scriptum typis ordinare sicuti et transscribere per se malum non est, si malo fine non fiat; neque lex ecclesiastica id prohibens in tam gravi necessitate obligat ». Potest enim finis honestus actionis per se adesse, ut haeresis cognoscatur et confutetur, ut historia haereseon plene tradi possit. Actio ergo adhuc est per se indifferens.

XC. 8. **In civitatibus, in quibus id vitandi maioris mali causa permissum est, licet domum locare usurario (excipit tamen ius alienigenam) et meretricibus, maxime si alii conductores desint: nisi tamen meretrices graviter nocerent vicinis honestis, vel ob situm ansam maiorem darent peccatis.** Sanchez 1. *Mor.* c. 7. Bon. l. c.

296. Dubium haud infrequens est in praxi, num aut locari domus possit aut expelli mulier debeat, si dein res detegitur.

Auctor omnia habet, quae ad rem faciunt. Nam 1° dicit, quaestionem esse de *civitatibus;* nam, ut notat s. Alph. lib. 3. n. 434., in parvis oppidis nullo modo tolerandae sunt. Veruntamen ubi leges nihil cavent etiam de parvis oppidis et alioquin ad tollendum scandalum nihil prodest, si locationem tu neges, quia facillime alia domus prostat: tunc perinde erit dicendum ac de magnis urbibus.

2° Duas circumstantias notat A., in quibus expellere deberet. Primo, si graviter nocent vel aliis eiusdem domi inquilinis, praesertim si non desint pueri ac puellae etc. atque adolescentes in aliis familiis, quae merito aegre ferunt scandalum et iure exigunt ut removeatur, vel honestis vicinis. Secundo si locus aptior videatur ad maiorem peccandi ansam, ut si ratione situs aut alia de causa maior aptitudo esset ad ea peccata. Sanch. *Mor.* lib. l. c. 7. n. 20.

S. Alph. lib. 2. n. 70. advertit, proponi heic ab A. doctrinam reliquis DD. communem. Ceterum s. Alph. lib. 3. n. 434. mallet, ne in urbibus quidem licere permissionem meretricii. Verum 1° non negat, oppositam sententiam esse probabilem: 2° haec pro magistratibus dicuntur.

XCI. 9. **Excusantur a mortali, imo etiam veniali, si causa adsit, artifices, qui faciunt aut vendunt res indifferentes, quibus quis bene potest uti, licet plurimi abutantur, v. gr. aleas, fucos, gladios. Ratio est, quia remote tantum ordinantur ad peccatum et simpliciter impediri non possunt. Quod si tamen abusus esset contra iustitiam, non liceret, v. gr. si occisuro dares gladium ob magnum pretium, quod offert. Item, si quis sciat hunc innocentem non pervertendum, nisi per has suas merces; quia modicum lucrum certae saluti alterius est postponendum.** Sanch. l. c.

297. Doctrina Auctoris communis est et bene demonstrata: adde venditores publicos obligari non posse ut inquirant, quo pacto emptores merce per se indifferenti sint usuri, idque eis certe foret gravissimum et communi commercio molestissimum.

Ceterum regula, prorsus servanda, habetur in fine resolutionis, nempe tunc solum non licere, cum CONSTAT, emptorem esse abusurum.

Sed neque si constet, emptorem esse abusurum, quaestio finita est. Nam tunc locum habet doctrina primae partis, nempe id non licere, nisi adsit causa, nempe damni subeundi. Ratio, quia solum ex caritate quis teneretur, ad impediendum nempe alterius peccatum: caritas autem non obligat cum gravi incommodo. Praeterea cum res illae passim prostent

(et prostare necessario debent, quia habent etiam licitos usus), iam non impedirem peccatum. Ergo damnum subirem sine causa.

Proinde apposite Auctor excipit casum « nisi quis sciat, quempiam innocentem non esse pervertendum *nisi* per suas illas merces », v. gr. per librum etc.; nam tunc negando mercem vere impediret spirituale alterius damnum.

Quoad gladium vero dandum *magno pretio*, ibi non agitur de vitando proprio damno, sed de non acquirendo lucro iniquo, quod offertur tibi et tendit ad cooperationem tuam extorquendam.

Atque heic notanda specialis ratio peccati contra iustitiam. Nam tunc non solum adest ratio impediendi ex caritate peccatum abusuri re tua, sed praeterea adest ratio impediendi damnum tertii, qui ius habet, ne alter ad eius damnum concurrat. Hinc grave illorum crimen, qui praebent pharmaca volentibus per ea procurare abortum.

298. S. Alph. n. 71. Busembaum et Sanchez *Mor*. lib. 1. cap. 7. inducit quasi negantes licere, quando *verisimiliter creditur* emptor abusurus: quam deinde doctrinam ipse videtur reiicere, dum alios his Doctores opponit dicentes id licere, si iacturam patiatur quis non vendendo.

At neque Busembaum ac Sanchez habent eam doctrinam neque quaestio sic indeterminate proposita resolvi per simplicem affirmationem aut negationem potest.

Ut enim advertit Sanchez *Moral*. lib. 1. cap. 7. n. 12., solutio pendet a multarum circumstantiarum consideratione. Et praestat doctrinam eius heic subiicere: « Non eadem causa erit semper sufficiens ad horum indifferentium ministrationem excusandam. Ratio colligitur ex dictis; nam cum obligatio illam vitandi consurgat ex obligatione virtutis, cui peccatum illud proximi, cui ea occasio datur, opponitur et obligatio omnium virtutum non sit aequalis, sed quaedam magis, alia minus obliget nec occasiones sint pares; quia quaedam sunt magis indifferentes et remotius se habent ad malum abusum, quaedam autem proximius ad illum accedunt et maiorem in se malitiam continent, insuper nec praeparatio abusuri ad malum usum sit semper aequalis, sed aliquando magis, aliquando minus paratus sit, nec denique spes, fore ut desistat a pravo abusu, sit semper aequalis, me non ministrante: ideo non semper aequalis causa erit proportionata ad hanc ministrationem excusandam, sed quandoque maior, quandoque minor necessaria erit. Quare nulla certa quantitatis huius causae regula praescribi potest; sed ea prudentis arbitrio remittenda est. Quo autem id arbitrium prudens sit, debet attendere tanto maiorem causam requiri, quanto peccatum, ad quod illa ministratio occasionem dat, est gravius et quanto

proximius attingit illud seu de se est magis ad malum determinata et quanto certior est effectus peccati et quanto probabilius est, fore ut id peccatum impediatur, hoc non ministrante. Idque summopere observandum est, urgentiorem causam desiderari, quae suppeditantem haec indifferentia excuset, quando abusus est contra iustitiam et talem, quae merito praeferri possit damno alterius, et ratio est; quia maiori vinculo tenetur quis peccata alterius, quae sunt contra iustitiam, vitare, quam quae contra solam caritatem. Quippe in illis innocens invitus damnum patitur; in his autem solus peccans detrimentum spirituale patitur, idque propria voluntate... Atque ita bene Azor lib. 8. tom. 1. cap. 22. q. 6. in fin. et cap. 24. q. 14. censet, esse causam iustam vendendi indifferentia (quae non ex se proxime attingunt malum usum et quando ille non est contra iustitiam) iacturam, quam quis patitur, si res suas, quas venales habet, minime vendit ». In quibus habet reipsa determinatissimam, quae desiderari possit, regulam.

XCII. 10. Excusantur etiam, qui ob iustam causam vendunt agnum Iudaeo, vel infideli usuro ad sacrificium. Item qui Iudaeorum synagogas, haereticorum templa, legitimo Magistratu permittente, aedificant vel restaurant: praesertim si fieret aeque sine ipsis. Navar. l. 5. cens. 1. *de Iudaeis*, Laym. l. 2. t. 3. c. 13. n. 4. Venena autem vendere nisi iis, qui bene usuri putantur, v. gr. ad confectionem colorum vel medicinam, non licet. V. Sanch. 1. *Mor*. c. 7. Unde venditio veneni, quod non servit, nisi ad hominis occisionem, simpliciter est mala.

299. Quoad primam partem, adde venditionem florum, ramorum et si quid aliud quaerant Iudaei pro suis superstitionibus. Idemque dicito de iis, quae Idololatrae emant ad sua sacrificia, ornamenta templorum etc.

« Idolum (ait Bonacina *de Contract*. disp. 3. q. 2. p. 2.) non est ex se determinatum ad malum; cum etiam adhiberi possit ad ornatum domus vel delectationem. Consequenter ex malitia gentilium provenit quod eo velint uti ad malum finem ». Hinc quaerens : « Utrum vendens idolum Gentili, qui eo creditur abusurus, graviter peccet »? Respondet: « Graviter peccat, si vendat absque necessitate vel alia rationabili causa ».

Non tamen liceret fabricare ac vendere idola, ut deserviant superstitioni; hoc enim intrinsece malum est. Secus, si fiat ad meras imagines servandas, prout fiunt statuae Iovis, Martis, Minervae etc. et venduntur, absque ullo superstitionis periculo. Cf. responsa allata sub n. 70.

300. Heic referre iuvat alia responsa s. C. de P. F. 2. Iulii 1827. « Relate ad cooperationem ad ritus superstitiosos, haec tenenda regula est. Si cooperatio fuerit pars ritus superstitiosi, tunc formalis censenda erit, intrinsece mala et nunquam fieri licite poterit. E contra censenda

erit materialis, si pars non fuerit ritus superstitiosi. Grave aliquod damnum, quod oriatur cooperanti, si ab hac materiali cooperatione abstinere voluerit, licitam eam faciet, etiamsi scandalum adfuerit, quod pusillorum dicitur a theologis; quia ex lege caritatis nemo tenetur cum gravi suo damno scandalum istud removere ». Ubi habes et principia moralia de cooperatione et regulam generalem.

Quoad alteram partem, Resolutio patet. Rursus quaesitum est.

Licetne Christianis inter infideles aedificare templa idolorum, ad vitandum exilium vel bonorum privationem? s. C. P. F. consulta super hoc, voluit certior fieri an templi erectio haberetur ut *factum protestativum* (falsi cultus nempe) et accepto responso affirmativo, ipsa respondit 8. Ian. 1851. « Non licere Christianis templa idolis fabricare aut eorum fabricae cooperari, et detur decretum pro Iaponia 7. Dec. 1626. videlicet. Non possunt Iapones fideles, ut periculum mortis vel exilii evitent, altaria vel idola fabricare aut eorum fabricae cooperari ». Scilicet hoc quoque decretum supponit haberi constructionem ut factum protestativum.

At si constructio templi non contineat protestationem falsi cultus, aliter respondit eadem s. C. Cum enim « Christiani Turcarum servi adhiberentur ad Moschaeas construendas, earum muros reparandos, dealbandos, Vicarius Apost. quaesivit, an tales actus liciti sint. Porro attentis motivis, causis et circumstantiis, expositis ab eodem, qui ostenderat, miseros servos, constitutos in dura necessitate tales perficiendi labores, eorundem bonam fidem, difficultates invincibiles, periculum praeterea expulsionis Missionariorum ac prohibitionis ministris Religionis instruendi servos christianos eisque sacramenta administrandi, resolutum est in hisce conditionibus, quod, *si servi Christiani coacti non essent a Turcis ad hos labores in odium nostrae Religionis vel ob ipsius contemptum, quo casu deberent potius mortem sustinere, Vicarius Apost. debet eos relinquere in bona fide in qua sunt, dummodo intentionem non habeant superstitioni cooperandi* ». Ita s. C. P. F. respondit 31. Aug. 1780.

Cum mos esset in populis et civitatibus Sinae imponendi quasdam contributiones populis vicinis, quae expenderentur in idololatrias, convivia et communis laetitiae significationes, quaesitum est, an liceret christianis et ministris eorum, pro his rebus contribuere; nam secus, tumultus aliquis contra Christianos fieret. s. C. P. F. respondit 12. Septembris 1645. « posse Christianos Senenses pecunias contribuere, dummodo per huiusmodi contributiones non intendant ad actus idololatricos et superstitiosos concurrere, supposita causa, quae narratur in dubio, praemissa, si commode fieri potest, protestatione, quod imposita

tributa praestant in ordine tantum ad laetitiam populi et ad actus indifferentes vel saltem cultui christianae Religionis non repugnantes » (*Collectanea* s. C. P. F. n. 1698. sub 1° dubio). Apud quae confer in simili casu similem responsionem sub n. 1742. in fine. C. S. O. 21. Aprilis 1847. « Christiani praemittant protestationem, se solvere pecuniam taxative tanquam mere tributum, dummodo non adsistant ritibus superstitiosis, et si a nemine reclametur contra, non esse inquietandos ».

Cum quaesitum esset, « An licitum sit Christianis cymbis vel sellis gestatoriis, quibus omnes indiscriminatim personae de loco in locum transferri solent, etiam eos Gentiles vehere, qui secum thymiamata, idola aliaque superstitiosa obiecta afferentes, ad sepulcra Maiorum vel ad alia loca accedunt, ut ibi superstitiones exerceant »? Respondit C. S. O. « Cum actiones sint per se indifferentes, non esse inquietandos Christianos ». 12. Iul. 1854.

Quaesitum est, an famulis filiisve liceret, praeparare et coquere edulia extraordinaria, solita deputari oblationi superstitiosae. Respondit s. C. P. F. 13. Ian. 1783. « Licere coquere et praeparare cibos istos, his conditionibus: Si agatur de ordinariis servis et culinariis, qui toto anni tempore huiusmodi ministerio sunt addicti; si extraordinaria huiusmodi convivia pro laetitia familiae, pro hospitibus aliisque occasionibus minime superstitiosis primario fiant, quamvis non ignoretur aliquam eorum partem idolis offerendam fore; si dapes non distinguantur, ut aliquae fiant pro oblatione superstitiosa, aliquae pro convivarum cibo, sed destinatio ex arbitrio pendeat patrisfamilias; si nulla dapes sit specialiter directa et praeparata pro idolo; si in divisione epularum nec in earum appositione ad locum sacrificii vel ad mensam idoli cooperentur ». Cf. *Collectanea* citata.

Plures aliae sunt in hac materia sacrarum Congregationum Responsiones (cf. ibid. n. 1697. seqq.): sed facile omnes ad principia his contenta reducuntur. Perpendendum est tamen, fere omnes pro certis casuum adiunctis et circumstantiis esse datas: idcirco haec consideranda esse, ne illae secum ipsis perperam committantur.

XCIII. 11. Christiani captivi, ex gravi metu, in triremibus Turcarum vel haereticorum, licite remigant contra Catholicos, sarcinas, machinas, arma ad bellum necessaria convehunt, propugnacula aedificant etc. Ita probabiliter Less. Sanch. Suar. Laym. l. 2. t. 3. c. 13. contra Tol. et alios, qui docent peccare mortaliter. Quod si tamen eo loco res esset, ut haec negantes magno periculo classem Christianam eriperent vel victoriam conferrent, tenerentur tantum bonum vitae suae anteferre. Suar. Less. Sanch. l. c.

301. Ratio, quam Doctores adducunt, haec est, quia eiusmodi opera per se sunt indifferentia et ex sola malitia aliorum deserviunt ad damnum iniustum Christianorum. Ex alia vero parte si captivi operam

suam negarent, certam mortem subirent nec tamen ex ipsorum renitentia et morte ullum emolumentum rei christianae afferretur; quippe per alios praestarentur illa opera.

Id DD. extendunt ad convehendam praedam in naves. Nam non possunt esse inviti ii, quibus res auferuntur, cum inutiliter ad mortem torquerentur captivi sine ullo emolumento ipsorum.

Denique patet ratio postremae partis; quia si mors ipsorum tantum boni parere potest, cessant causae excusantes et caritas ordinata praecipit, ut commune ingens bonum privato praeferant. Et iisdem prope principiis innititur resolutio 13.

XCIV. 12. Incolae urbis vel provinciae, quam Tyrannus occupavit, licite manent inter iniquos possessores eosque, cogente imperio, iuvant excubiis, fossione, contributione idque ex legitimi Principis praesumpto consensu: ex quo etiam talia obsequia licite promittunt cum iuramento, ad maiora mala sua et legitimi Principis declinanda. Laym. l. c. n. 5.

302. Laymann *de Carit.* cap. 13. n. 5. clarius: « Resolves, incolas provinciae, quam tyrannus expulso legitimo principe iniuste occupavit, posse inter iniquos possessores manere eosque, cogente imperio, fossione excubiis et contributione aliqua iuvare: non quidem intentione bellandi contra legitimum magistratum (idest Principem), sed quatenus opera illa secundum se indifferentia sunt; quae si ab incolis recusentur, maiora pericula et incommoda imminent, ut videlicet bonis suis omnibus spolientur, provincia eiiciantur et alii, ad nocendum promptiores, substituantur. Quamobrem existimandum etiam est, legitimum principem consentire, ut eiusmodi obsequia a subditis interim exhibeantur vel etiam iuramento promittantur, quatenus ita opus est et ipsi etiam utile ad graviora mala cavenda. Quae autem in maius legitimi Principis et reipublicae damnum aut caholicae religionis oppressionem cessura sunt, ea subditi a tyranno adacti praestare non possunt; multo minus se iuramento obligare »: ubi clarius redditur ratio doctrinae.

XCV. 13. Nautae et aurigae Catholici in Hollandia, etiam sine gravi metu, si absit prava intentio, licite vehunt annonam ad castra haereticorum, si adsint alii, qui, illis cessantibus, facerent; quia, nisi id faciant, excludentur omni lucro tanquam osores boni publici. V. Less. l. 2. c. 19. Sanch. l. 1. c. 7. Fill. t. 22. c. 5.

Idem ac in Resol. 11ª.

* *Nota.* Auctor egit data opera de praeceptis virtutum Theologicarum: nihil vero subdit de praeceptis virtutum Cardinalium. Ratio est; quia de *Iustitia* agitur cumulatissime alio loco: de *Temperantia*, quae praecepta occurrunt, tractantur in Tr. de Peccatis ubi de *Gula* et in Tract. in 6. Praeceptum Decalogi, ubi de *Luxuria* et in Praecepto Ecclesiae de *Ieiunio* et *Abstinentia*. De *Prudentia* vero praeceptum

per se non datur, sed ratione alterius, nempe virtutis exercendae vel peccati vitandi et ad hanc prudentiam docendam, quid nempe in singulis casibus oporteat facere, universa Theologia moralis spectat. Speciatim vero quae dicta sunt in 2. Tractatu de usu opinionis probabilis, probabilioris, tutioris, eo pertinent ut generales quaedam leges prudentiae tradantur, quas in singulis casibus servare oportet ad prudenter agendum. Idem porro de *Fortitudine* dicendum, quae virtus est, quae motus animi in rebus terribilibus, praesertim periculis mortis, sustinendis vel repellendis moderatur; nam nec de hac virtute praeceptum per se datur, cum nec necesse sit opus fortitudinis, puta martyrii, ponere propter honestatem huius virtutis, sed possis ex alio motivo, puta caritatis, fidei, castitatis agere: vero quandonam necesse sit opus fortitudinis exercere, id traditur in singulis locis, ubi quaeritur, an liceat aliquid facere ad mortem vel aliud grave damnum vitandum et cum quaeritur an aliquod praeceptum semper obliget etiam cum periculo vitae. Quoties enim in his casibus asseritur necessitas servandi praecepti vel exercendae virtutis, asseritur quoque necessitas ponendi actum fortitudinis.

Itaque gradum facimus ad praecepta Decalogi. *

TRACTATUS VI.

DE PRAECEPTIS DECALOGI

SECTIO I.

DE PRIMO PRAECEPTO DECALOGI

I. Huius praecepti, prout est affirmativum, materia propria sunt actus virtutis Religionis. Est autem haec Virtus moralis, qua interior et exterior cultus Deo debitus exhibetur. Actus eius internus est animi submissio, qua infinitam Dei excellentiam veneramur. Externus est, quo internum testamur, ut oratio, sacrificium etc. de quibus vid. Schol. in 2. et 3. parte. Prout vero est negativum, prohibet vitia Religioni opposita: quae, quia opponuntur virtuti inter morales praecipuae, sunt peccata, post ea, quae contra virtutes Theologicas committuntur, gravissima et ex genere suo mortalia. Sunt autem duplicia: alia, quae opponuntur per excessum, ut superstitio cum suis speciebus: alia per defectum, ut irreligiositas cum suis.

303. Quod Religio sit virtus, ita s. Thomas 2. 2. q. 81. a. 2.: « Virtus est, quae bonum facit habentem *et opus eius bonum reddit...* Manifestum est autem, *quod reddere debitum alicui habet rationem boni...* Cum ergo ad religionem *pertineat reddere honorem debitum Deo;* manifestum est, quod religio est virtus ». Est autem *una virtus,* quia (l. c. art. 3.): « *exhibet reverentiam uni Deo secundum unam rationem, inquantum scilicet est primum principium creationis et gubernationis rerum* ». Est proinde virtus specialis; quia « *ubi est specialis ratio boni, ibi oportet esse specialem virtutem.* Bonum autem, ad quod ordinatur religio, *est exhibere Deo debitum honorem. Honor autem debetur excellentiae:* Deo autem competit singularis excellentia, inquantum omnia in infinitum transscendit secundum omnimodum excessum. *Unde ei debetur specialis honor* ». Ita idem ibid. a. 4.

Advertendum vero est quod ibid. ad 2^{m} traditur: « Omnia secundum quod in gloriam Dei fiunt, *pertinent ad religionem, non quasi ad elicientem, sed quasi ad imperantem.* Illa autem pertinent ad religionem elicientem, quae secundum rationem suae speciei pertinent ad reverentiam Dei ».

304. Quaestio fieri solet an religio sit virtus theologica. Negatur communiter cum s. Thoma ibid. a. 5.; quia etsi religio ad Deum referatur, habet quidem Deum pro fine, non tamen pro obiecto, quod requiritur ad rationem virtutis theologicae. « Religio est, ait, quae Deo debitum cultum affert. Duo ergo in religione considerantur. Unum quidem, quod religio Deo affert, scil. cultus et hoc se habet per modum *materiae* seu *obiecti* (obiectum materiale) ad religionem. Aliud autem

est id, cui affertur, scil. Deus, cui cultus exhibetur, non quod actus, quibus Deus colitur, ipsum Deum attingant, sicut cum credimus Deo, credendo Deum attingimus. Propter quod dictum est,... quod Deus est fidei obiectum, non solum inquantum credimus Deum, sed inquantum credimus Deo. Affertur autem Deo debitus cultus, inquantum actus quidam, quibus Deus colitur, in Dei reverentiam fiunt, puta sacrificiorum oblatio et alia huiusmodi. Unde manifestum est, quod *Deus non comparatur ad virtutem religionis sicut materia vel obiectum, sed sicut finis.* Et ideo religio non est virtus theologica, cuius obiectum est ultimus finis, sed est virtus *moralis,* cuius est esse circa ea, quae sunt ad finem ». Summa est: in virtutibus theologicis obiectum materiale Deum esse; religionis autem materiale obiectum non est Deus.

Si autem religio virtus est moralis, difficultas oritur, quomodo ei competat quod virtutis moralis proprium est, h. e. tenere medium inter superfluum et diminutum, quam difficultatem solvit s. Thomas ibid. ad 3m inquiens, quod « medium in ipsa accipitur, non quidem inter passiones (sicut in aliis virtutibus moralibus), sed secundum quandam *aequalitatem* inter operationes, quae sunt ad Deum. Dico autem *aequalitatem,* non absolute; quia Deo non potest tantum exhiberi, quantum ei debetur: sed secundum quandam considerationem humanae facultatis et divinae acceptationis. Superfluum autem in his, quae ad cultum divinum pertinent, esse potest, non secundum circumstantiam quanti (ratio est indicata mox), sed secundum alias circumstantias, puta quia cultus divinus exhibetur cui non debet, vel quando non debet, vel prout non debet ». Medium scilicet religionis imitatur medium iustitiae eaque ad modum virtutis moralis procedit inter excessum et defectum. Excessus est, cum cultus exhibetur vel cui non debetur vel eo modo quo non debetur (q. 92. a. 1.): defectus est, cum non exhibetur cultus debitus etiam contrarie quod contingit in actibus, qui ad contemptum et irreverentiam Dei pertinent (q. 97. Prooemio).

305. Quod religio complectatur actus internos et externos, sic explicat s. Thomas 2. 2. q. 81. art. 7.: « Deo reverentiam et honorem exhibemus non propter seipsum; quia ex se ipso est gloria plenus, cui nihil a creatura adiici potest: sed propter nos; quia videlicet per hoc quod Deum reveremur, honoramus, mens nostra ei subiicitur, et in hoc perfectio eius consistit; quaelibet enim res perficitur per hoc, quod subditur suo superiori (a). Mens autem humana indiget ad hoc

(a) Etsi tamen Deus non egeat cultu nostro, ius tamen ad illum habet, ut dictum est superius n. 1. et sic Deo propter seipsum, summam nempe ipsius excellentiam, cultus exhibetur.

quod coniungatur Deo, sensibilium manuductione... Et ideo in divino cultu necesse est aliquibus corporalibus uti, ut eis quasi signis quibusdam mens hominis excitetur ad spirituales actus, quibus Deo coniungitur ».

DD. admonent ex Augustino Enchir. c. 3. Deum maxime coli per fidem, spem et caritatem, quatenus per huiusmodi actus subiicimus nos Deo, eius excellentiam profitemur et sic ei debitum honorem exhibemus: quod quidem dupliciter fieri potest, sive formaliter h. e. honorem hunc Dei intendendo seu ex motivo religionis eos actus imperando: sive materialiter, quatenus eliciuntur actus, qui vere cedunt in Dei honorem.

Propter hanc rationem quidam DD. in explicatione 1. praecepti tractant de virtutibus theologicis, ut Thomas Sanchez, qui universam Theologiam moralem non egit. Sed id opus haud est: nam formaliter differunt religio, quae est obiectum primi praecepti, et virtus theologica: si vero de omnibus actibus virtutum agendum esset, quibus, imperante virtute religionis, formalis cultus Deo exhibetur, de aliis quoque virtutibus, praeter theologicas, heic agendum foret.

306. Per religionem Deo cultus exhibetur: distingui autem solet duplex cultus, *publicus* et *privatus*. Publicus est, ait Gury V. 1. §. 258., qui nomine Ecclesiae vel tamquam ab ea institutus peragitur: privatus, qui ex privata tantum devotione procedit, etiamsi coram aliis fiat. Ex Ferraris v. *Veneratio SS.* n. 41.

* DE ACTIBUS VIRTUTIS RELIGIONIS. *

307. Antequam consideremus species peccatorum contra religionem, videtur aliquid dicendum de eiusdem virtutis actibus: hi autem recenseri solent *devotio, adoratio, laus, oratio, sacrificium, votum, iuramentum, sanctificatio festorum, oblationes* speciatim *decimarum oblatio* cf. s. Thom. 2. 2. a q. 82. ad q. 91., qui omnes enumerat, praeter octavum. Verum de sacrificio sermo erit in tr. de Eucharistia: de voto et iuramento in 2. praecepto Dec.: de sanctificatione festorum in 3.: de oblationibus autem, de quibus Thomas egit l. c. q. 86., cum nulla lege nunc praecipiantur, opus non est, ut Theologus moralis agat: de decimis tamen, quae, licet graviter praeceptae, in desuetudinem pene, iniquitate temporum et perfidia hominum, apud nos quoque abierunt, quod opus est, suo loco inter Ecclesiae praecepta, dicemus, in protestationem saltem divini et ecclesiastici iuris. Restant modo priores quatuor actus, quorum postremus diligentiori studio dignior visus est s. Thomae.

* §. 1. *De Devotione, Adoratione et Laude.* *

308. De *devotione* haec pauca habe a s. Doctore 2. 2. q. 82. Devotio dicta est a devovendo: ideoque devoti dicuntur, qui se ipsos quodammodo Deo devovent. « Unde devotio nihil aliud esse videtur, quam voluntas quaedam prompte (alibi dicit: *voluntas prompta*, cf. citata ex a. 2.) tradendi se ad ea, quae pertinent ad Dei famulatum ». Devotio proinde « est actus appetitivae partis animae et est quidam motus voluntatis ». Cum ergo « voluntas prompte faciendi quod ad Dei servitium pertinet, sit quidam specialis actus »; sequitur « quod devotio est specialis actus voluntatis », l. c. a. 1.

Devotio est actus virtutis religionis. Sane « operari ea, quae pertinent ad divinum cultum seu famulatum, pertinet proprie ad religionem: unde etiam ad eam pertinet habere promptam voluntatem ad huiusmodi exsequenda, quod est esse devotum ». a. 2.

Quapropter « ad caritatem quidem pertinet immediate, quod homo tradat se ipsum Deo, adhaerendo ei per quandam spiritus unionem: sed quod homo tradat se ipsum Deo ad aliqua opera divini cultus, hoc immediate pertinet ad religionem, mediate autem ad caritatem, quae est religionis principium ». ad 1^{m}.

Devotio non tantum ad Deum, sed et ad sanctos Dei mortuos vel vivos haberi potest: attamen haec « non terminatur ad ipsos, sed transit in Deum, in quantum scilicet in ministris Dei Deum veneramur ». ad 3^{m}. Secus scilicet actus esset duliae, non religionis seu latriae, ut postea explicabimus.

309. Quomodo vero devotio sit concilianda, docet s. Doctor, ostendens duas esse eiusdem causas. Quarum altera *extrinseca* et *principalis,* ait, Deus est: unde est consequens quod piis precibus sit devotio impetranda. Altera causa intrinseca h. e. ex parte nostra, est meditatio seu contemplatio. « Dictum est enim, quod devotio est quidam voluntatis actus ad hoc quod homo prompte se tradat ad divinum obsequium: omnis autem actus voluntatis ex aliqua consideratione procedit ». Porro duplex est ad id conducens consideratio. « Una quidem, quae est ex parte divinae bonitatis et beneficiorum ipsius et haec consideratio excitat dilectionem, quae est proxima devotionis causa. Alia vero est ex parte hominis considerantis suos defectus, ex quibus indiget ut Deo innitatur. Et haec consideratio excludit praesumptionem, per quam aliquis impeditur ne Deo se subiiciat, dum suae virtuti innititur ». a. 3.

Monet tandem quod quamvis « ea, quae sunt divinitatis, sint secundum se maxime excitantia dilectionem et per consequens devotionem »; nihilominus, quia « ex debilitate mentis humanae est, quod,

sicut indiget manuductione ad cognitionem divinorum, ita (indigeat) ad dilectionem per aliqua sensibilia nobis nota, inter quae praecipuum est humanitas Christi; hinc « ea quae pertinent ad Christi humanitatem, per modum cuiusdam manuductionis, maxime devotionem excitant: cum tamen devotio principaliter circa ea, quae sunt divinitatis, consistat ». ad 2.

310. *Adoratio* presse accepta duplicem complectitur actum, interiorem animi ***reverentiam*** formaliter in animo exsistentem erga eum, qui adoratur, et exteriorem corporis ***humiliationem,*** quae fit propter interiorem actum, qui et adoratio dicitur, q. 84. a. 2. Adhibetur vero exterior actus interiori, tum ut totus homo se subiiciat, tum ut interior affectus excitetur et foveatur, ibid.

Ratio adorationis est excellentia eius, qui adoratur, a. 1.

Adoratio late sumpta est quilibet actus cultus alicui, propter eius excellentiam, praestiti, sive actus sit pure interior, sive simul exterior. *Cultus* enim est reverentia quaedam propter alterius excellentiam et protestatio suae subiectionis.

Hinc duplex primum distinguitur adoratio. Prior est quae Deo, propter eius supereminentem excellentiam ac supremum dominium, quod ad excellentiam pertinet, debetur: altera est, quae debetur creaturis, quibus excellentia divina communicatur, non quidem secundum aequalitatem, sed secundum quandam participationem. Ibid.

Prior est cultus *latriae* (λατρεία ministerium: sensu christiano, cultus religiosus et quidem Deo debitus): altera est cultus duliae (δουλεία servitus), quae quidem secundum quod communiter accipitur, « exhibet reverentiam cuicumque homini ratione cuiuscumque excellentiae et sic continet sub se pietatem et observantiam et quamcumque huiusmodi virtutem, quae hominibus reverentiam exhibet », q. 103. a. 4. Ita reverentiae, quae praestatur parentibus, regi, sacerdoti, Pontifici dulia quaedam est. Nunc vero apud Theologos convenit duliae nomine illum cultum significare, qui exhibetur iis, qui maxime affines Deo sunt h. e. Sanctis: qui cultus aetate Thomae videtur vocatus hyperdulia (cf. s. Th. a. cit.); quo quidem nomine is cultus modo significatur, qui deiparae Virgini debetur.

Manifestum est, latriam specie differre a dulia: « ubi enim est alia ratio debiti, ibi necesse est quod sit alia virtus, quae debitum reddat. Alia autem ratione debetur servitus et obsequium Deo et homini, sicut alia ratione dominium competit Deo et homini » et alia est excellentia Dei, quae infinita est, alia hominis, quae participata et finita. Cf. ibid. a. 3.

311. Iam vero externi actus, quibus internam reverentiam significamus, quidam sunt proprii cultus latriae, ut sacrificium et quae ad illud

pertinent, templum, altare: quidam indifferentes sunt ad latriam vel duliam, ad quarum alterutram ab intentione adorantis et certis circumstantiis determinantur, cuiusmodi sunt genuflexio, accensio luminum, suffitus quoque etc. v. q. 84. a. 1. Quemadmodum enim plures sunt conceptus mentis humanae, quam vocabula in singulis linguis; ita et plures sunt affectus animi, quam eorundem exteriora signa.

Latriae cultus debetur Deo non tantum iure naturali, sed et positivo. Deut. VI. 13. et Matth. IV. 10. *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.* Praeceptum hoc, qua affirmativum est, praecipit actus religionis seu latriae erga Deum: qua negativum est, prohibet quoslibet actus religioni contrarios.

Praeceptum affirmativum non obligat per se ad adorationem mere internam; nam sufficit adoratio mixta ex actu interiori et exteriori. Exterior vero adoratio, non quidem sola, quae fictio esset et mendacium, sed coniuncta cum interiori sponte primum fluit ab ipsa natura, quae interioribus actibus nata est exteriora signa associare: sed et cadit sub praecepto tum ipsius legis naturae, quae saltem exigit cultum quoque socialem, qui nequit non esse externus; tum iuris positivi divini, quod actus exterioris cultus exerceri voluit, ut sacrificium et diei festi sanctificationem. Cf. Suarez *de Relig.* tr. 2. l. 1. c. 2.

Disputari potest, quemadmodum in praeceptis affirmativis virtutum theologalium, quando urgeat et quoties obligatio huius praecepti. Verum in hac re minor est quoad praxim difficultas. Si enim fideles singulis diebus festis ea praestent, quae Ecclesia praecipit, satisfecisse huic obligationi dicendi sunt.

312. Ad *laudem* Dei quod spectat, manifestum est, eam esse actum virtutis religionis, cum tendat directe in Dei honorem. Deus quidem maior est omni laude: sed haec ipsa ratio est cur laudandus sit, iuxta illud. Eccli. XLIII. 33. *Benedicentes Dominum, exaltate Illum quantum potestis; maior est enim omni laude.* Praeterea laus Deo debetur, ait s. Thom. q. 91. a. 1. propter effectus ipsius Dei, qui in nostram utilitatem ordinantur.

Laus quidem Dei potest esse tantum in corde; sed ea, quae simul ore fit, pars est externi cultus. « Ea necessaria est, inquit l. c. s. Thomas, non quidem propter Deum, sed propter ipsum laudantem, cuius affectus excitatur in Deum ex laude ipsius... Prodest etiam (scilicet necessitas prius dicta est quaedam convenientia et utilitas) laus oris ad hoc; quod aliorum affectus provocatur ad Deum ». Divinas laudes nomine totius Ecclesiae celebrant quotidie eius ministri tum privatim tum publice; quibus divinis laudibus cantus merito adhiberi probat s. Thom. ibid. a. 2.

* §. 2. *De Oratione.* *

313. Quaestio prima eaque impedita occurit, cuius facultatis actus sit oratio, voluntatisne an intellectus: quam quaestionem late et subtiliter, more suo, pertractat Suarez *de Religione* tr. 4. l. 1. cc. 3.-5. Si oratio latiore quodam sensu accipitur, ut sit *ascensio mentis in Deum*, quemadmodum dicit Damascenus *de Fide* l. 3. c. 24., patet, quod utrique facultati aeque competere oratio potest. Sed heic presse oratio accipitur, prout ab eodem Damasceno ibid. definitur: *petitio decentium a Deo;* quae definitio communiter admittitur. Quaeritur itaque cuius facultatis actus sit petitio. Certum est, aliquos actus requiri tum intellectus tum voluntatis, ut petitio sit: oportet esse fidem de divina potentia, bonitate et promissione Dei, spem, desiderium rei petendae et voluntatem seu affectum orandi. At his habetur quidem dispositive sed nondum formaliter oratio. Ea est locutio quaedam hominis ad Deum, quae tum mere interior, tum simul exterior esse potest; qua locutione desiderium nostrum Deo exponimus.

Atqui locutio proprie est actus intellectus, a quo etiam exterior locutio immediate pendet: ea enim exprimit conceptus mentis.

Et sane si reflectamus ad id quod agimus cum mentaliter oramus, patebit eam in hoc differre ab oratione vocali, quod verba eius idiomatis, quibus ad alium loqui solemus, mente solum revolvimus iisque ad Deum directis desiderium nostrum significamus: atqui hic est actus intellectus et locutio quaedam. Hic autem actus physicus locutionis accipit esse morale a libero affectu voluntatis, quae vult orare.

Ita saltem communiter orare nos contingit. At negari nequit posse per se orationem esse formaliter actum solius voluntatis. Etenim, auctore s. Thoma, locutio Angelorum inter se et ad Deum non fit per aliqua signa conceptuum, sed ordinando per voluntatem conceptionem suam ad alium; ideoque Angeli cum Deo loquuntur « solum ordinando per voluntatem conceptiones suas ad Deum, non ut illi aliquid communicent, sed ut ab eo aliquid accipiant ». 1. p. q. 107. a. 3. « Tota ergo locutio Angeli (colligit Suarez l. c. c. 4.) ad Deum consistit in hac ordinatione, sub tali intentione: constat autem et intentionem esse actum voluntatis et ordinationem illam per actum voluntatis fieri; ergo locutio esse potest actus formaliter voluntatis (*formaliter* inquit; nam cum ordinetur *conceptus*, intellectus quoque *materialiter* ingreditur. At si ordinetur desiderium, in sola voluntate omnia consistent. Id porro est quod subdit). Quid autem prohibet hominem quoque ita ad Deum loqui ut nempe velit desiderium suum propositum esse Deo, ut ab eo obtineat quod desiderat? Non videtur

ergo negandum, petitionem bonorum a Deo, quae locutio quaedam est, posse solo actu voluntatis formaliter contineri. Cf. Suarez l. c. Et haec satis sint; nam huiusmodi speculativa tractatio non est propria nostri instituti: huiusmodi tamen idcirco breviter attigimus, ut studiosi rei moralis intelligant quam accurate de his rebus veteres Theologi tractarent, apud quos fons est earum aquarum, quibus Concionatores, Confessarii, Theologi mystici hortos suos irrigare possint ac debeant.

314. Quaeritur cuius virtutis actus sit oratio: communis resolutio est, esse actum religionis, quod ex sensu communi confirmatur; omnes enim homines censent magnam partem religionis ad Deum in oratione sitam esse. Huius autem sententiae rationem reddit Suarez, cuius verba exscribere licet. « Distinguenda, ait, sunt duo: primum est affectus orandi, secundum est petitio ipsa, prout a nobis intelligitur fieri per locutionem mentalem aut vocalem. Difficultas est circa ipsum affectum orandi; nam cuius virtutis actus elicitus ille fuerit, eiusdem erit ipsa petitio; quia petitio non elicitur a virtute, nisi mediante affectu nec petitio intellectus habet rationem moralis actus, nisi quatenus est a voluntate et affectu orandi, a quo tanquam a forma habet et esse morale et moralem honestatem. Igitur in affectu orandi considerandum est, ex quo motivo fieri debeat, ut recte et convenienter fiat in ordine ad Deum. Sic ergo dicimus, affectum orandi esse debere ex motivo colendi Deum et offerendi illi mentem nostram, mediante oratione, ad colendum ipsum, recognoscendo et quasi protestando, petitione ipsa, nostram subiectionem ad Deum, nostram indigentiam ac dependentiam ab ipso, et e converso potentiam eius, bonitatem ac providentiam erga nos. Hic ergo affectus sub hoc motivo manifeste est actus elicitus a religione, cuius proprium est cultum Deo reddere. Quod autem motivum hoc possibile sit, est per se evidens; quia petitio sic oblata Deo ex intrinseca ratione sua est nota subiectionis orantis ad Deum tanquam ad excellentem. Quod denique huiusmodi esse debeat proprium motivum orandi Deum, declaratur; quia non oramus Deum, ut vel ei manifestemus aliquid quod antea non noverat neque ut novam aliquam voluntatem habeat propter nostram orationem, quam ab aeterno non habuerit; ergo quod maxime intendere possumus et debemus, est ipsum colere et venerari. Dices nihil aliud nos intendere, nisi consequi quod postulamus. Sed contra: quia ut per orationem intendamus consequi quod postulamus, oportet ut in oratione ipsa apprehendamus aliquid, ratione cuius exigitur a nobis ut medium ad obtinendum postulata; hoc autem nihil aliud est, nisi quod oratio sit cultus et subiectio ad Deum et ita per illam disponimur ad impetrandum a Deo quod cupimus. Atque ita in-

telligendam existimo differentiam inter humanam et spiritualem orationem, quam Guillelmus Parisiensis tradit, quod humana petitio tendit ad disponendum, ut sic dicam, vel immutandum eum, ad quem fit: petitio autem ad Deum tendit ad disponendum ipsum petentem; nam cum se exhibet cultorem Dei, se disponit ad recipiendum quod postulat » l. c. c. 7. nn. 3. 4.

315. Oratio quantum est ex se, actus est *meritorius,* dummodo conditiones necessariae ad meritum pro ceteris actibus non desint; quia in hoc nullum habet speciale privilegium oratio. Et quidem meritoria est oratio de condigno, si fiat ab habente caritatem: de congruo, si a poenitente ex gratia actuali fiat. Quod vero meretur est id quod nostris meritis propositum est, bonum aeternum, cuius fruitionem meremur: ut idcirco fieri possit ut non obtineamus quod petimus, numquam vero ut non mereamur, si bene oramus. Cf. s. Thomam q. 83. a. 15.

Item oratio est actus *satisfactorius;* solent sane satisfactoria opera ad tria genera revocari, quorum unum est oratio. Cf. Conc. Trid. Sess. 14. c. 13. Ratio est communis ceteris operibus meritoriis, quia est opus quoddam poenale, imo specialem quandam poenalitatem oratio habet. Nam « consistit in elevatione mentis ad Deum: haec autem magnam animi applicationem requirit, quae sine pugna et resistentia corporis et sensuum non fit. Vocalis autem oratio peculiarem laborem et corporis defatigationem adiungit. », Suarez, l. c. c. 22. n. 8.

Oratio praeterea, ex hoc peculiari capite quod est petitio, habet propriam et peculiarem aptitudinem ad *impetrandum.* « Petitio enim, ut ait Suarez ibid. c. 23. n. 1., natura sua ad hoc ordinatur, ut animum alterius inducat ad dandum id quod petitur, non quia aliquid solvitur nec quia aliquis illud meretur, sed solum quia petitur et rogatur: quatenus consentaneum est bonitati et liberalitati eius, qui rogatur, moveri ad dandum, solum quia rogatur ».

316. Atque habet oratio peculiarem Dei promissionem, ratione cuius haec impetratio est suo modo certa et infallibilis. Matth. VI. 7. 8. *Petite et dabitur vobis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis: omnis enim qui petit, accipit* etc. Item Luc. XI. 11. Quia vero non raro contingit nos non impetrare quod petimus; manifestum fit, promissionem hanc Dei non esse absolutam, sed conditionatam, hoc est, si certae conditiones adsint, quod quidem ipsa rei natura postulat. Scilicet oportet ut petitio sit de re bona et honesta, unde ipsa oratio definitur *petitio decentium:* res vero indifferens, si ad bonum finem referatur, iam bona est et certe honesta. Requiritur praeterea ut quod petitur, utile sit ad salutem ut docet s. Thomas q. c. a. 15. ad 2^{m}. Quoad modum petendi requirit s. Thomas *fidem,* qua credamus nos posse a Deo obtinere quod

petimus, ***humilitatem,*** qua nostram indigentiam cognoscamus, *perseverantiam;* quaedam enim non negantur, sed ut congruo dentur tempore, differuntur. « Quia vero, subdit idem Doctor, homo non potest alii mereri vitam aeternam ex condigno, ideo per consequens nec ea, quae ad vitam aeternam pertinent, potest aliquando aliquis ex condigno alteri mereri. Et propter hoc non semper ille auditur, qui pro alio orat ». Concludit quoad infallibilitatem orationis: « et ideo ponuntur quatuor conditiones, quibus concurrentibus semper aliquis impetrat quod petit: ut scilicet per se petat necessaria ad salutem (intellige et utilia), pie et perseveranter.

Ne tamen inferas non esse pro aliis orandum aut non esse petenda temporalia bona. Nam quod spectat ad primum, docet s. Thomas ibid. a. 7. « illud debemus orando petere quod debemus desiderare. Desiderare autem debemus bona non solum nobis, sed etiam aliis. Hoc enim pertinet ad rationem dilectionis, quam proximis debemus impendere. Et ideo caritas requirit, ut pro aliis oremus ». Atque huc citat verba Iacobi v. 16. *Orate pro invicem, ut salvemini.* Nec obstat quod *pro se orare* ponitur ut conditio orationis: nam ea « ponitur conditio orationis, non quidem necessaria ad effectum merendi (seu impetrandi), sed sicut necessaria ad indeficientiam (seu infallibilitatem) impetrandi ».

Unde videtur quod infallibilis impetratio ex promissione Dei postulet orationem esse pro se non pro alio, atque ita sentit Augustinus in Ioannem XVI. Verum eximio Suarez l. c. c. 27. satis pia et probabilis videtur sententia, quae asserit conditionem hanc (pro se orare) non esse necessariam, sed promissionem Dei esse universalem, sive quis pro se, sive pro aliis oret; et allegat secum sentientes Toletum et Valentia. Ratio est quia ex una parte verba promissionis sunt universalia Ioann. XIV. 13. *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam,* et 1° Ioann. V. 14. *Haec est fiducia, quam habemus ad Deum, quia quodcumque petierimus secundum voluntatem eius, audit nos:* ex alia parte Deus vult nos orare pro aliis. Perperam vero obiicitur, quod oratio nequit esse efficax pro alio, quia hic non semper est idoneus ut accipiat quod petitur; nam id valet quoque, cum quis pro se orat: ut idcirco id tantum sit consequens, quod inter ceteras conditiones orationis, quae requiruntur, et ea sit, quod subiectum, pro quo oratur, sit capax accipiendi boni, quod petitur. Nec Thomas contradicit; nam l. c. rationem, cur deficiat impetratio pro alio, hanc solum affert, quia contingit impedimentum esse ex parte eius pro quo oratur; ergo si hoc absit, non negat s. Thomas infallibilitatem impetrationis pro aliis.

317. Bona quoque temporalia peti possunt. Ita s. Thomas l. c. a. 6. « dicendum, quod sicut Augustinus dicit, hoc licet orare, quod licet

desiderare. Temporalia autem licet desiderare, non quidem principaliter, ut in eis finem constituamus, sed sicut quaedam adminicula, quibus adiuvamur ad tendendum in beatitudinem, inquantum scilicet per ea vita corporalis sustentatur et inquantum nobis organice deserviunt ad actus virtutum ». Quocirca monet ad 4^{m} « ex quo non petimus temporalia, tanquam principaliter quaesita, sed in ordine ad aliud, eo tenore a Deo petimus ipsa, ut nobis concedantur, secundum quod expediunt ad salutem ».

Quod si utilia sint ad hunc finem et aliae conditiones adsint, non est cur dubitemus infallibilitatem impetrationis ad eorum quoque petitionem porrigi.

318. Constat ex dictis quod oratio tum pure mentalis, tum vocalis quoque esse potest. Et quidem, ut monet s. Thomas a 12., oratio communis h. e. ea quae per ministros Ecclesiae, in persona totius fidelis populi, Deo offertur, debet esse vocalis, ut innotescat toti populo, pro quo profertur. Oratio vero singularis, quae a quolibet vel pro se vel pro aliis offertur, non opus est ut sit vocalis: vox tamen addi solet triplici ex causa. Prima est, « ad excitandam interiorem devotionem »: secunda, « quasi ad redditionem debiti, ut scilicet homo serviat Deo, secundum illud totum, quod ex Deo habet, idest non solum mente, sed etiam corpore »: tertia, « ex quadam redundantia ab anima in corpus ex vehementi affectione ».

319. Quaeritur, an attentio et quae in oratione requiratur. Respondèt clarissime s. Thomas a 13. advertens primo « quod quaestio haec praecipue habet locum in oratione vocali »; ait praecipue; nam et in oratione h. e. petitione mentali, qua verba, signa conceptuum revolvimus cogitando, idem ex consequenti potest habere locum ac in oratione vocali. Sed si agatur de meditatione aut contemplatione, vix potest quaestio habere locum. Itaque pergit: « Circa quam (quaestionem) sciendum est, quod necessarium dicitur aliquid dupliciter. Uno modo, per quod melius pervenitur ad finem et sic attentio absolute orationi necessaria est. Alio modo aliquid dicitur necessarium, sine quo res non potest consequi suum effectum. Est autem triplex effectus orationis. Primus quidem communis omnibus actibus caritate informatis, quod est mereri (idem cum proportione dicendum de oratione ex gratia actuali facta ab eo, qui adhuc est in statu peccati) et ad hunc effectum non requiritur ex necessitate, quod attentio adsit orationi per totum; sed vis primae intentionis, qua aliquis ad orandum accedit, reddit totam orationem meritoriam, sicut in aliis meritoriis actibus accidit. Secundus effectus orationis est ei proprius, quod est impetrare et ad hunc etiam effectum sufficit prima intentio, quam Deus principaliter attendit. Si

autem prima intentio desit, oratio nec meritoria est nec impetrativa. Tertius effectus orationis est, quem praesentialiter efficit, scilicet quaedam spiritualis refectio mentis, et ad hoc de necessitate requiritur in oratione attentio ».

320. Expedit autem et referre quae subdit circa varias species attentionis. « Sciendum tamen, quod triplex est attentio, quae orationi vocali potest adhiberi. Una quidem, qua attenditur ad verba, ne aliquis in eis erret: secunda, qua attenditur ad sensum verborum: tertia, qua attenditur ad finem orationis, scilicet ad Deum et ad rem, pro qua oratur, quae quidem est maxime necessaria (scilicet ab initio) et hanc possunt habere etiam idiotae ». l. c.

Itaque ut vera sit oratio (vera, inquam, secundum essentiam suam, quod non perinde est ac esse perfectam), requiritur saltem ab initio intentio orandi Deum, quae virtualiter deinceps perduret.

Qualis vero attentio requiratur ex tribus, Suarez censet « quod ut vocalis oratio sit vera oratio, sufficit quaecumque attentio ex tribus: ad vitandam autem omnem culpam, non semper quaelibet sufficit. Et ait priorem partem esse communem. Ratio est, quia cum quacumque illarum attentionum actus est humanus et verum signum cultus divini ac petitionis internae Deo oblatae... Sane homo non tenetur ex vi naturalis legis orare meliore modo, quo potest; ergo nec tenetur non impedire perfectionem attentionis; ergo adhibendo attentionem sufficientem minimam, licet praescindat vel excludat alias, non peccabit... Si vero oratio sit in praecepto, sub illo non cadit modus perfectior, sed tantum substantialis ». *de Relig.* tr. 4. l. 3. c. 4. nn. 8. 11.

Quoad alteram partem ait: « Oportet considerare qualis sit illa voluntas, per quam carentia melioris attentionis voluntaria est. Nam si illa sit rationabilis et ex aliquo honesto titulo, nihil obstabit quominus etiam oratio honesta sit (ut cum quis dum se induit, orat quod certe licet). At vero si voluntas impediens meliorem attentionem, sit alias de actu turpi vel otioso, videtur profecto voluntas illa non solum in se mala, sed etiam esse prava circumstantia orationis, ita ut... unus actus deformet alium; quia non fit sine irreverentia Dei oratio cum voluntaria distractione turpi vel irrationabili... Unde est mihi verisimile, si quis dum vocaliter orat, in delectatione et cogitatione turpi morose delectetur, peccando mortaliter contra castitatem, eum etiam peccare per circumstantiam contrariam religioni vel venialiter aggravantem, quod est certum, vel etiam mortaliter, quod, licet sit incertum, timendum est; quia videtur gravis Dei irreverentia ». Ibid. n. 13.

S. Thomas haec habet l. c. ad 1^{m}: « In spiritu et veritate orat, qui

ex instinctu spiritus ad orandum accedit; etiamsi ex aliqua infirmitate mens postmodum evagetur ». Et ad 3m: « Si quis ex proposito in oratione mente evagatur, hoc peccatum est (non dicit esse mortale) et impedit orationis fructum... Evagatio vero mentis, quae fit praeter propositum, orationis fructum non tollit ». Evagatio ex proposito dicitur impedire orationis fructum, non dicitur tollere essentiam orationis. Cf. dicenda, ubi de Recitatione divini Officii.

321. Restat quaestio quoad praxim potior, nempe de obligatione orandi h. e. petendi bona a Deo. Sermo est de oratione privata singulorum. Cum oratio sit et actus cultus et petitio, duplex ratio necessitatis concipi potest: altera ex motivo religionis, quae talem actum cultus identidem exigat, altera ex motivo boni alicuius necessarii, pro quo obtinendo oratio sit medium. Sub hac altera ratione medii certe necessaria est oratio. Etenim auxilium divinum ad bene et salutariter agendum est nobis necessarium; et ad illud habendum necessaria est oratio. Sic in libro *de Ecclesiasticis dogmatibus:* « nullum credimus ad salutem, nisi Deo invitante, venire, nullum salutem suam, nisi Deo auxiliante, operari, nullum nisi orantem auxilium promereri ». Et Augustinus lib. *de Bono Persev.* c. 16. ait: « Deum alia dare non orantibus, sicut initium fidei, alia nonnisi orantibus praeparasse, sicut usque in finem perseverantiam ». Atque huc spectant tot testimonia ex N. T., quibus oratio non solum commendatur, sed necessaria indicatur. Ita sollemnia Christi verba: *Petite et accipietis* etc., quae, si ad Patrum interpretationem exigamus, non id solum dicunt: si petetis, accipietis; sed si vultis accipere, petite, nisi petatis, non accipietis. Medium scilicet ordinarium, quo assequamur bona nobis necessaria a Deo, institutum est a Christo oratio. Medium inquam ordinarium; quia Deus non sibi, ut ita dicam, ademit liberum usum suae potestatis ac misericordiae, ut identidem etiam non petentibus gratias suas conferat.

Sequitur ex dictis orationem esse nobis a Deo praeceptam.

Quaeritur an dicta necessitas sit solum necessitas praecepti, an etiam medii. Necessitas praecepti (cf. dicta in tr. *de Fide* sub n. 5.) in eo est ut aliquid sit nobis necessarium ut honesti simus, ut recte agamus: necessitas medii in eo est, ut aliquid sit nobis necessarium, sive ex rerum naturis, sive ex institutione, ut certum finem obtineamus. Si autem finis necessarius nobis sit, ut finis ultimus, illud medium necessarium erit etiam praeceptum: quia iubemur adhibere media necessaria ad beatitudinem. Character proinde proprius eius, quod est necessarium necessitate medii, ille est, ut etiamsi medium inculpabiliter omittatur, finis non obtineatur. Utrum vero tale medium sit

oratio, id relinquimus theologis speculativis definiendum. Nobis satis sit asserere: habita ratione praesentis ordinis Providentiae, orationem esse necessariam ac praeceptam: plura enim sunt bona, nobis ad salutem necessaria, quae Deus non tanquam meritis debita, sed piae impetrationi orationis ex benignitate voluit rependere: cuiusmodi sunt auxilia efficacia et perseverantia. Hinc theologi communiter docent, orandum esse, si gravis tentatio urgeat, si res magni momenti ad Dei gloriam sit aggredienda, si eximium a Deo beneficium ad salutem necessarium e. g. illuminatio in controversiis fidei, sit consequendum, si communitas in magno versetur periculo, in mortis propriae periculo etc.

Consequens est, omnes adultos orare oportere, etiam peccatores: etsi enim eorum oratio nequeat esse actus meritorius de condigno, erit tamen, si recte fiat, meritorius de congruo et impetratorius iustificationis, quae maxime necessaria est.

322. Cum bona a Deo petimus nobis vel aliis, oramus ex motivo caritatis, qua nos vel proximum diligimus. Et urgente magna calamitate populi vel proximi, cui per orationem succurrere possimus, obligari tunc nos praecepto orandi, docet s. Alphonsus heic. Item cum nos urgemur magna tentatione, quae alias vinci nequeat, ad orationem nos obligari, idem affirmat ibid. Advertendum vero est, quod cum quis tenetur orare vi alterius praecepti servandi, quod nisi oret, servare nequit, peccat quidem, si orandi necessitatem advertens, negligit orare; sed, iuxta communem doctrinam, haec omissio non habet malitiam distinctam ab eo peccato, in quod lapsus sit: idque ex generali principio de reatu omissi medii, quod necessarium fuerit ad peccatum aliquod cavendum. Cf. Suarez *de Relig.* tr. 4. l. 1. c. 29. n. 7.

Verum quia oratio est quoque actus cultus, quaeritur, an non solum ex motivo caritatis, sed etiam ex ipso motivo religionis iubeamur identidem orare. Adverte, s. Thomam q. 83. a. 3. ad 2. duo praecepta distinguere: ait enim: « desiderare (utique bonum illud, pro quo necessaria est oratio) cadit sub praecepto caritatis, petere autem sub praecepto religionis ». Unde infert Suarez l. c. n. 8.: « ponit ergo (s. Thomas) proprium et peculiare praeceptum, quod, licet non obliget nisi occurrente necessitate caritatis vel alterius similis virtutis, tunc nihilominus obligat ex propria vi religionis ». Sed si ita rem accipiamus, ut quotiescumque ex motivo caritatis vel alterius virtutis, puta ad peccatum cavendum, orare debemus, teneamur quoque orare ex praecepto religionis, tunc dicendum erit quod omissio debitae orationis sit semper quoque speciale peccatum contra religionem, quod nemo admittit. Placet ergo quod Suarez ibid. n. 10. et Laymann tr. *de*

Oratione c. 1. n. 2. docent, praeceptum divinum orandi esse praeceptum quoque religionis, quatenus voluit Deus, ut pro obtinendis ab eo bonis, adhiberent homines medium hoc humilis subiectionis et cultus. Qui cultus materialiter exercetur, quotiescumque oratur (cf. n. 19.) et formaliter exerceri potest cum etiam nulla urgemur imminente necessitate: semper enim versamur in communi necessitate auxiliorum Dei, saltem pro tempore futuro. At quando et quoties sub motivo religionis oratio facienda sit, disputant theologi. Qua in re haec habet B. in nota ad §. 260. Vol. 1. Gury.

323. « Plerique fatentur ingenue tempus frequentiae determinari satis non posse, prout etiam de praeceptis caritatis aut poenitentiae dici solet (Vid. Struggl tr. 5. q. 1. n. 23., qui hanc sententiam dicit *communem Theologorum*). Quidam, praeter tempus primi usus rationis et articuli mortis, exigunt, ut saltem semel in anno orandum sit. Ita cum aliis Salmanticenses tr. 21. cap. 9. n. 17. Quidam obligationem hanc urgere opinantur singulis mensibus, nihil tamen *de levitate aut gravitate* huius obligationis addentes. Ita Bonacina *de Hor. can.* disp. 1. q. 2. p. 1. n. 12., Suarez *de Orat.* lib. 1. cap. 30. n. 16., licet dubitanter loquatur (ait enim: *non permittenda dilatio unius anni nec fortasse unius mensis*) et Lessius *de Iust. et Iur.* lib. 2. cap. 37. n. 12., qui tamen nec firmus in eo est, dum scribit, *ad mensem unum vel alterum* et horum (Suarez et Lessii) opinionem praedictis verbis conceptam *satis rationabilem* dixit Ioannes a s. Thoma 2. 2. q. 83. art. 3. n. 6. Ulterius progressus hanc menstruam obligationem dixit *gravem* Palaus tr. 7. disp. 1. p. 8. n. 3., cui male Ioannem a s. Thoma associarunt Salmanticenses l. c. et illum opinando (*autumarem,* ait) sequutus est Roncaglia tr. 7. q. 1. cap. 1. q. 7.; quamquam Palai opinio vix huc pertineat, cum de oratione *ad vincendas tentationes necessaria* expresse disserat. Quidam alii denique hoc praeceptum urgere dixerunt singulis hebdomadis, rati scilicet, vix satisfieri praecepto audiendi Missam, nisi aliqua oratione addita, posse: quae opinio praeterquam ad rem non facit, quia de oratione, uti medio ad aliud praeceptum servandum, disserit, communiter tum quoad se tum quoad rationem allatam reiicitur ».

« Concludamus hnc revocando principium ab omnibus admissum, nempe non esse asserendam *gravem culpam aut obligationem*, nisi manifesta et evidens ratio id postulet; atqui eiusmodi rationem, quoad hebdomadarias aut menstruas obligationes graves, deesse manifeste patet, quippe quam videre nemo adhuc potuit. Adde et implexissimam deinde quaestionem, quid ad gravem culpam vitandam opus sit, sufficiatne semel dixisse: *Deus adiuva me* aut quid aliud. Igitur Confes-

sarius magis inculcandae necessitati frequenter orandi, quam determinandae omissionis gravitati insistere debet ».

Manifestum est obligationi orandi oratione privata, fieri satis per orationem pure mentalem; nam ea est vera oratio et nulla lex est praecipiens ad hunc finem orationem vocalem.

324. Praeter Deum, invocare possumus etiam Sanctos et Angelos tanquam intercessores nostros apud Deum, et Syn. Trid. Sess. 25. docet, bonum esse et utile Sanctos suppliciter invocare: quae invocatio actus est duliae. Praeterea etiam animas in Purgatorio degentes invocare licet, cum et ipsae pro nobis orent, ut fert nunc probabilissima et communis sententia.

Sed praesertim invocanda est mediatrix nostra b. Deipara, per quam Deus totum nos habere voluit et, ut cum Gury loquamur, valde salutis suae incuriosus videretur ille, qui nunquam B. V. Mariam invocaret.

Privatim invocare licet quoque animas infantium baptizatorum, qui ante usum rationis defuncti sunt; sunt enim inter amicos Dei. Sane cultu privato colere eos quoque licet, qui cum fama sanctitatis decesserunt eorumque imagines et reliquias honorare. Ita apud Ferraris v. *Veneratio SS.* nn. 44. 60. Quia lege Ecclesiae solum prohibetur quoad hos cultus publicus adeoque a sensu contrario intelligitur concessus cultus privatus. Ita ibid. Ad privatum porro cultum sufficit privata certitudo moralis de sanctitate personae. Habenda tamen prae oculis doctrina Bened. XIV. Const. *Quamvis iusto* 1749. §. 12. « Nec dubitari potest quin publici cultus rationem habeant illi quoque actus, qui privatim exercentur, ubi sint ex eorum genere, qui ab Ecclesia instituti sunt ad sollemnem Beatis et Sanctis venerationem exhibendam, cuiusmodi sunt *Collectae* et *litaniae* ».

Speciatim vero quoad imagines vetuit Urbanus VIII. Const. *Sanctissimus* 13. Mart. 1825. imagines eorum, qui nondum canonizationis aut beatificationis honore a Sede Apostolica sunt insigniti, apponi cum laureolis aut radiis aut splendoribus in oratoriis aut locis publicis seu privatis vel in ecclesiis. Imagines autem beatorum pingendae sunt cum radiis tantum: canonizatorum cum diademate (nimbo) circa caput. Ferraris l. c. n. 46.

Item imagines D. N. et B. V., Angelorum et Sanctorum pingi aut sculpi debent ea forma et habitu, qui ab antiquo tempore est in Ecclesia in usu. Urbanus VIII. Const. *Sacrosancta Tridentina* 15. Mart. 1642. Const. Leonis XIII. *Officiorum* vetantur imagines D. N. I. X. et B. V. Angelorum et Sanctorum aliorumque servorum Dei difformes ab Ecclesiae sensu et decretis. Cf. in fine huius Vol. declarationem illius. Const.

Quoad reliquias praecepit Trid. Syn. Sess. 25. *de Invocatione* etc. non esse novas recipiendas reliquias, nisi sint ab Episcopo recognitae et approbatae.

Neque ad sepulcra hominum nondum beatificatorum aut canonizatorum licet lampades aut alia quaevis lumina accendere (in venerationem scilicet et cultum) aut tabellas vel imagines appendere, absque recognitione ab Ordinario omnino facienda Sedique Apostolicae referenda ac probanda. Const. *Sanctissimus* cit.

CAPUT I.

DE SUPERSTITIONE ET SPECIEBUS EIUS.

Dub. I.

Quid et quotuplex superstitio.

II. Resp. 1. Superstitio est falsa religio seu cultus vitiosus veri, vel falsi Numinis. Less. Et convenit cum definitione communi ex s. Th., qua dicit esse vitium, quod religioni opponitur secundum excessum. Dicit *per excessum:* non quod Deus nimium coli possit aut maiore honore, quam dignus sit: sed id intelligitur secundum circumstantias, eo quod exhibeas cultum vel quem non debes, vel eo modo, quo non debes, vel illi, cui non debes.

325. Breviter s. Thomas 2. 2. q. 92. art. 1.: « Superstitio est vitium religioni oppositum secundum excessum; non quia plux exhibeat in cultum divinum quam vera religio; sed quia exhibet cultum divinum vel cui non debet, vel eo modo, quo non debet ».

Quomodo autem excessus non detur quoad circumstantiam *quanti,* supra declaratum habes n. 304. ex eodem s. Thoma.

Definitur autem superstitio *falsa religio,* quia, ut habet s. Thom. 2. 2. q. 92. praeloq., *cum religione convenit in hoc, quod exhibet cultum divinum,* licet vitiosum.

III. Resp. 2. Superstitio est duplex: Alia cultus indebiti sive incongrui, quo verus Deus, sed modo indebito colitur, tribuendo ei cultum falsum et perniciosum vel superfluum, qui nimirum sit contra vel praeter Ecclesiae consuetudinem ac praescriptum. Alia est ratione rei cultae: cum scilicet cultus Deo debitus falso Deo vel creaturae defertur. Et haec subdividitur in Idololatriam, Divinationem et Vanam observantiam, ad quam Magia vel revocatur vel potius quartam speciem constituit. Laym. l. 4. t. 10. c. 1. ex s. Th. q. 92. a. 2.

326. Sic s. Thom. 2. 2. q. 92. art. 2.: « Diversificantur superstitionis species primo quidem ex parte modi: secundo ex parte obiecti. Potest enim divinus cultus exhiberi vel cui exhibendus est sc. Deo vero, modo tamen indebito et haec est prima superstitionis species: vel cui non debet exhiberi sc. cuicumque creaturae et hoc est aliud

superstitionis *genus*, quod in multas species dividitur secundum diversos fines divini cultus. Ordinatur enim 1° divinus cultus ad reverentiam Deo exhibendam et secundum hoc prima species huius generis est *idololatria*, quae divinam reverentiam indebite exhibet creaturae. 2° Ordinatur ad hoc quod homo instruatur a Deo, quem colit et ad hoc pertinet *superstitio divinativa*, quae daemones consulit per aliqua pacta cum eis inita tacita vel expressa. 3° Ordinatur divinus cultus ad quandam directionem humanorum actuum secundum instituta Dei qui colitur et ad hoc pertinet superstitio quarundam *observationum*» .

327. Auctor loquens de *indebito modo* colendi Deum, duas innuit huius superstitionis species, quarum primam s. Thomas cultum *perniciosum* dicit, alium *superfluum*.

Et quoad *perniciosum*, sic rem explicat 2. 2. q. 93. art. 1.: « Dicendum, quod sicut Augustinus dicit, mendacium maxime perniciosum est, quod fit in his, quae ad Christianam religionem pertinent. Est autem mendacium, cum aliquis exterius significat contrarium veritati. Sicut autem significatur aliquid verbo, ita etiam significatur aliquid facto et in tali significatione facti consistit exterior religionis cultus... Et ideo si per cultum exteriorem aliquid falsum significatur, erit cultus perniciosus ».

« Hoc autem contingit dupliciter. Uno quidem modo ex parte rei significatae, a qua discordat significatio cultus. Et hoc modo tempore novae legis peractis iam Christi mysteriis, perniciosum est uti ceremoniis veteris legis, quibus Christi mysteria significabantur futura; sicut etiam perniciosum esset, si quis verbo confiteretur, Christum esse passurum ».

« Alio modo potest contingere falsitas in exteriori cultu ex parte colentis. Et hoc *praecipue in cultu communi, qui per ministros* exhibetur in persona totius Ecclesiae. Sicut enim falsarius esset, qui aliqua proponeret ex parte alicuius, quae non essent ei commissa: ita vitium falsitatis incurrit, qui *ex parte Ecclesiae* cultum exhibet Deo contra modum divina auctoritate ab Ecclesia institutum et in Ecclesia consuetum ».

328. Quoad cultum *superfluum* s. Thomas 2. 2. q. 93. art. 2. ait: « Aliquid dicitur superfluum dupliciter. Uno modo secundum absolutam quantitatem et secundum hoc non potest esse aliquid superfluum in culto divino; quia nihil potest homo facere, quod non sit minus eo, quod Deo debet ».

« Alio modo potest esse aliquid superfluum secundum quantitatem proportionis, quia scilicet non est fini proportionatum. Finis autem divini cultus est, ut homo Deo det gloriam et ei se subiiciat mente

et corpore. Et ideo quicquid homo faciat, quod pertinet ad Dei gloriam et ad hoc quod mens hominis Deo subiiciatur et etiam corpus per moderatam refraenationem concupiscentiarum, secundum Dei et Ecclesiae ordinationem et consuetudinem eorum, quibuscum vivit, non est superfluum in divino cultu. Si autem aliquid sit, quod quantum est de se, non pertinet ad Dei gloriam neque ad hoc quod mens hominis feratur in Deum aut quod carnis inordinatae concupiscentiae refraenentur aut etiam sit praeter Dei et Ecclesiae ordinationem vel contra consuetudinem communem, quae sec. Augustinum... pro lege habenda est, totum hoc reputandum est superfluum et superstitiosum; quia in exterioribus solum consistens ad interiorem Dei cultum non pertinet ».

Ex quibus resolves.

IV. 1. Superstitionem cultus falsi committit. 1. Qui Deo nunc offert cultum per ceremonias veteris legis, v. gr. circumcisionem, immolationem agni etc.; quia hae significant Christum adhuc venturum et nondum venisse. 2. Laicus, qui Deum colit, tanquam publicus Minister Ecclesiae, v. g. sacrificando, absolvendo. Quod semper esse mortale docet Suar. *de Rel.* l. 2. *de Superstit.* c. 2. 3. Is, qui sua auctoritate proponit aliqua facienda, tanquam ordinata ab Ecclesia ad Dei cultum. 4. Qui falsas reliquias proponit vel miraculum factum esse per aliquam imaginem, vel se habuisse has vel illas revelationes fingit, sive ad faciendum lucrum, sive ad devotionem augendam. 5. Qui, ut populum moveat, fingit miraculum aliquod vel historiam reperiri in Scriptura Sacra etc. Et haec superstitio, etsi sit ex genere suo mortalis, quia primae veritati iniuriam irrogat et religionem fundat in mendaciis: saepe tamen excusatur ignorantia vel simplicitate. Less. l. 2. c. 43. Sanch. 2. *Mor.* c. 37. Nav. c. 12. Laym. l. c. Bon. d. 3. q. 5. p. 1.

Res clarae sunt.

V. 2. Superstitio cultus superflui est v. gr. 1. Ceremonia audiendi Missam ante ortum solis cum certo numero, situ, ordine cereorum, vel Sacerdotis, qui dicatur Ioannes, vel qui habeat staturam Christi etc.; quia hic cultus est ex se ipso inanis et ad spiritum excitandum inutilis. 2. Ieiunare die Dominico, cum non ieiunas aliis diebus. Item in Missa contra rubricam plures formare cruces, pluries dicere *Alleluia*, dicere *Gloria* vel *Credo* contra rubricas aliasque ceremonias demere vel addere (etsi fiant ex devotione, haec enim corrigenda est); quia sunt praeter Ecclesiae consuetudinem. Haec tamen et similia, bona intentione facta, venialia tantum sunt ordinarie, ut docet Tol. Less. l. c. d. 1. Nav. et Laym.; quia est materia levis et actio ex se non mala et multa excusat simplicitas. Quod si tamen ex se mala esset, ut si rem furtivam offeras, turpia verba in Templo canas, ore vel organo notabiliter lascivam vel ad impuritatem provocantem vocem edas, est superstitio fere mortalis, ut Laym. l. c. ex comm.

329. *De ieiunio diebus festivis* exstat c. *Sacerdos* quaest. 7. Caus. 26. ubi agitur de poenitentibus: « Die autem dominico non ieiunent. Nam qui dominico die studiose ieiunat, non creditur esse catholicus »: quae verba sumpta sunt ex c. 74. Conc. Carthag. IV. et feriunt manichaeos, negantes Christi resurrectionem. Subdit s. Alph. lib. 3. n. 4.: « Qui

tamen ieiunaret causa mortificationis, ne leviter quidem peccaret ». Subiicit tamen ex mente DD., melius esse abstinere a tali ieiunio et ideo doctores communiter docere, 1° posse transferri ad sabbatum ieiunium promissum, si die dominico contingat: 2° non teneri ad ieiunandum die dominico eum, qui per mensem voverit ieiunare, nisi expresse intenderit contrarium.

Quod dicitur de *cantu* aut *sono lascivo, oblatione rei furtivae* etc. intelligendum est, si quis per ea Deum colere intenderet; non si ad vanitatem fiant etc.

Voit n. 418. heic memorat superstitionem eorum, qui ad acquirendam pecuniam recitant orationem s. Christophori ex falsa opinione, quod sit custos thesaurorum, vel orationem s. Coronae. Et superstitio patet ex eo quoque, quod istae orationes contineant ignota ac barbara Angelorum nomina et praescribant varios circulos aliasque circumstantias vanas, aut Deum rogent, ut per diabolum mittat pecuniam.

Huc spectat quod recitetur Psalmus 108., ad nocendum alteri, aut quod quis ex Psalmo 96. *Qui habitat in adiutorio* etc. *infallibiliter* sibi polliceatur defensionem ab omnimodis periculis.

Huc revocat Voit n. 420. morem faciendi vota, ut malum facinus bene succedat, quasi Deus adiuvare possit ac velit ad patrandum peccatum. Secus vero, si votum solum offeratur, ne quis post crimen incidat in poenam ac calamitates.

330. Idem Voit recte notat 1° non esse superstitiosum, sacra aut orationes certo numero offerre; quia id fieri solet in honorem alicuius mysterii v. gr. quinque vulnerum etc. et vix est munerus, qui non respondeat piae alicui considerationi alicuius mysterii ac praeterea hoc est secundum Ecclesiae communem consuetudinem. Superstitiosum tamen esset, praecise huic numero certo ac determinato adscribere effectum. Voit n. 421.

2° Bibere benedictionem s. Ioannis non est superstitiosum, quia aut significatur affectus mutuae caritatis ab Apostolo Ioanne commendatae, aut votum ne potus sit noxius, ut s. Ioannes impune bibit venenum. Secus, si quis potu intendat colere s. Ioannem. Voit n. 422. Non tamen superstitiosum est manducare panes benedictos in quibusdam festis, s. Nicolai v. gr. aut alterius Sancti..., sicut et aquas benedictas tactu reliquiarum ad opem implorandam meritis Sanctorum.

331. Superstitiosae derisiones sunt ieiunare die Paschae; quia est contra consuetudinem Ecclesiae: non comedere de capite animalis in die decollationis s. Ioannis aut assaturam in festo s. Laurentii; quia istae heteroclitae devotiones sunt contra praxim Ecclesiae et nihil conferunt ad Dei honorem aut Sanctorum. Voit n. 423.

Plerumque tamen non sunt peccaminosae; quia potius ex errore iudicii, quam ex voluntatis malitia proveniunt.

Superstitiosae sunt quaedam orationes aut s. Birgittae aut aliae, quibus promittitur, ut qui per annum eas recitet, non moriturus sit morte improvisa, aut ante mortem sit visurus B. Virginem, aut non sit damnandus infernis etc. Superstitiosas dico, si cum certa ac firma quadam spe recitentur et falsis saepius revelationibus innituntur et ad audacius peccandum provocant et retrahunt ab usu Sacramentorum ac reliquis bonis operibus.

Idipsum dicendum de precibus, crucibus, imaginibus etc., quibus putant quidam se fieri invulnerabiles aut invisibiles etc., aut de iis, qui recitant textus s. Scripturae pollice inserto manui dexterae ad reddendos canes mutos. Voit n. 424.

332. Rudes instruendi sunt, quomodo res sacrae adhibendae. 1° Ne mediis de se bonis, sacris ac licitis in Ecclesia, admisceant ceremonias vanas ac inutiles ad effectum exspectatum. 2° Ut res in Ecclesia usitatas v. gr. ceram, aquam, salem benedictum, imagines contactu Sacrarum reliquiarum sacratas applicent cum supplici et humili deprecatione et fiducia in Dei bonitate, non vero exspectent cum fiducia certa effectum ab ipsis rebus, quasi ex opere operato. Voit n. 425.

Hactenus de superstitione ea, quae est cultus Deo incongruus, quo Deus nempe modo indebito colitur.

Dub. II.

De Divinatione. Quid et quotuplex.

VI. Resp. 1. Divinatio est, cum quis opem daemonis tacite vel expresse invocat, ut noscat res contingentes et libere futuras aliterve occultas et naturaliter incognoscibiles. Quae si sint tales, quas solus Deus scire potest, involvitur tacita Idololatria, quod daemoni tribuatur cultus divinus: si vero sint tales, quas daemon naturaliter scire potest (nam ex signis aliisque modis occultissima quaeque cognoscere potest, etiam plurimas hominum cogitationes et res futuras, v. Delr. l. 4. c. 2. q. 2. Sanch. 2. *Mor.* cap. 28.); nihilominus illicita est, eo quod commercium habeatur cum Dei iurato hoste: quod importat quandam proditionem et apostasiam a Deo ac forte etiam, ut vult Suar. contra Valent., superstitionem. V. Laym. c. 3. Bon. p. 3. s. Th. 2. 2. q. 95. a. 1.

333. « Nomine divinationis, ait s. Thomas 2. 2. q. 95. art. 1., intelligitur quaedam praenuntiatio futurorum. Futura autem dupliciter praenosci possunt: uno quidem modo in suis causis, alio modo in se ipsis ». Distinctis porro causis in eas, quae *ex necessitate* suos effectus ideoque *semper* producunt, in eas, quae suos effectus *ut in pluribus* producunt et in eas, quae se habent ad utrumlibet, affirmat primos effectus posse cum certitudine praenosci in suis causis, secundos plus

minus probabiliter coniectando: postremarum autem causarum effectus non posse praenosci nisi in se ipsis. Subdit: « Homines autem in seipsis huiusmodi effectus considerare possunt solum dum sunt praesentes, sicut cum homo videt Socratem currere vel ambulare; sed considerare huiusmodi in seipsis antequam fiant, est Dei proprium, qui solus in sua aeternitate videt ea, quae futura sunt, quasi praesentia... Si quis ergo huiusmodi futura praenuntiare aut praecognoscere quocumque modo praesumpserit, nisi Deo revelante, manifeste usurpat sibi quod Dei est et ex hoc aliqui *divini* dicuntur ». Ad idem genus spectat inquisitio de internis cogitationibus aliorum praesentibus vel de effectibus absentibus aut aliter occultis, ut humano modo sciri nequeant, cum postulatur eorum cognitio atque aliis similibus.

« Divinatio ergo non dicitur, si quis praenuntiet ea, quae ex necessitate eveniunt, vel ut in pluribus, quae humana ratione praenosci possunt neque etiam si quis futura alia contingentia, Deo revelante, cognoscat; tunc enim non ipse divinans id, quod divinum est, facit, sed magis quod divinum est, suscipit. Tunc autem solum dicitur divinare, quando sibi *indebito modo* usurpat praenuntiationem futurorum eventuum. Hoc autem constat esse peccatum, unde divinatio semper est peccatum ». Sane id Deus aperte vetuit Deut. XVIII. 10. 11. *Non inveniatur in te, qui ariolos sciscitetur... nec qui pythones consulat nec divinos... omnia enim haec abominatur Dominus.*

334. Quod divinatio sit quaedam superstitio, ita s. Thom. 2. 2. q. 95. art. 2. « Ad superstitionem pertinet, non solum cum sacrificium daemonibus offertur per idololatriam; sed etiam cum aliquis assumit auxilium daemonum ad aliquid faciendum vel cognoscendum. Omnis autem divinatio ex operatione daemonum provenit, vel quia expresse daemones invocantur ad futura manifestanda, *vel quia daemones ingerunt se vanis inquisitionibus futurorum,* ut mentes hominum implicent vanitate... Vana autem inquisitio futurorum est, quando aliquis futurum noscere tentat, unde praenosci non potest. Manifestum est ergo, quod divinatio species superstitionis est ».

* In qua doctrina s. Thomae adverte duo. Primo, quod dicit universaliter, *ad superstitionem pertinere, cum quis assumit auxilium daemonis ad aliquid faciendum vel cognoscendum.* Nam difficultas statim se offert, quam proponit Suarez *de Relig.* tr. 3. l. 2. c. 8. n. 15. Scilicet cum petitur a daemone ea cognitio, quae Dei est propria, liquet statim cum daemone agi tanquam cum Deo ac idcirco daemoni tribui divinos honores; at si quis petat a daemone notitiam earum rerum, quas ipse naturaliter nosse potest, non apparet primo cur id sit illicitum, quemadmodum licet eam petere ab homine sapientiore;

multo minus patet, cur hic actus sit superstitio, cum nullus honor divinus daemoni tribuatur.

Respondetur 1° quod cum daemon sit hostis Dei et humanae naturae, perniciosum est atque illicitum quodlibet cum eo commercium, quo praesertim te illi subiicias tanquam magistro idque iniuriosum est Deo, qui ideo venit, ut diabolum foras eiiceret. Si qua est ergo notitia, quam naturali vi assequi nequimus, quaeque nobis utilis sit ac necessaria, ea est a Deo petenda, qui providentia sua paterna nos regit et illuminat omnem hominem. Cf. verba s. Thomae allata ad Resp. 3. n. 59.

Resp. 2° Cum petit quis a daemone id quod ipse naturae suae vi nosse vel facere potest; minus utique peccat, quam cum ab eo petit, quae Dei sunt propria: nihilominus adhuc superstitionis labes in eo actu reperitur. Nam, ut declarat ibid. ex Caietano Suarez, « per hoc commercium hominis cum daemone, hic intendit usurpare aliquid de excellentia Dei et de honore illi ab homine debito, in hoc saltem, quod homo, relicto Deo, ad ipsum recurrat et ipsi se subiiciat tanquam indigens auxilio eius et in eo confidens, etiam invito Deo, ut sic dicam. Ideo homo consulens daemonem praedicto modo, plane consentit et cooperatur daemoni usurpare conanti divinam excellentiam et ideo contra religionem Deo debitam superstitiose operatur ».

335. Alterum advertendum est quod ait s. Thomas, *daemonem se ingerere vanis inquisitionibus futurorum.* Cum enim quis medio naturaliter inepto quaerit aliquid nosse vel facere, indiget certe auxilio alicuius alterius agentis, qui vi superiore polleat, ut illud obtineatur. At certe neque Deus neque Angelus bonus, qui has vanas inquisitiones nequeunt probare, se immiscent illis et auxilium praestant: si ergo quid obtinetur, id daemoni debetur, qui vana omnia et a Deo aliena probat et hominibus illudere studet. Ipse, qui utpote tentator ὁ πειραστής, haec ab se quaerere hominibus suasit, interventu suo eas inquisitiones fovet et responsis suis homines sibi devincit.

Distinguit ergo s. Thomas duplicem modum divinationis, alterum per expressam invocationem daemonis seu per explicitum pactum cum ipso, alterum per implicitam invocationem, cum nempe media ei inepta adhibentur, quibus aliquid obtineri nequit, nisi quatenus diabolus se illis ingerit.

Quod spectat ad divinationem (idem dic de vana observantia et magia) quae per implicitam daemonis invocationem fieri dicitur, quaeri potest quid de illis sit dicendum, qui huiusmodi mira obtinent, qui tamen in ea opinione sibi (per errorem utique) certa versantur, diabolum nullum esse, qui idcirco haec quaecumque sint mira, censeant

deberi causis naturalibus, etsi adhuc sibi ignotis. Respondeo: haec ipsa phaenomena, quae ipsis videntibus contingunt, manifeste eos docere, opinionem illam, quod daemones nulli sint, falsam esse ideoque eorum ignorantiam, si qua est, crassissimam esse et affectatam, ortam ex odio fidei, quam reiecerunt. Haec autem ignorantia a peccato non excusat; superstitionis ergo et ipsi rei sunt: quamvis potissimum eorum peccatum sit praecedens apostasia a fide et ab Ecclesia, in cuius peccati poenam traditi sunt Satanae. *

VII. Respond. 2. Divinatio est duplex: una, in qua est invocatio vel pactum expressum cum daemone et generali nomine dicitur Necromantia: ut cum daemon occulta docet per Pythones, arreptitios, praestigias, per personas mortuorum vel vivorum apparentium aliave signa in aere, aqua, igne, speculis. Alia est, in qua tantum est invocatio vel pactum tacitum seu interpretativum: ut cum ex lineamentis corporis, vocibus, garritu avium et similibus, quibus se Daemon immiscere solet, quaeritur cognitio, ad quam ea sunt improportionata. S. Thom. q. 95. Cum vero utriusque speciei variae rursus sint species, eas hic omitto, quod secundum sententiam communiorem, in genere moris non differant nec specialem habeant malitiam ideoque in confessione non sit opus explicare, an v. g. facta sit divinatio ex speculis, aere, mortuo etc. Exprimendum tamen necessario est, utrum invocatio sive pactio expressa, an tacita intervenerit; quia, sive haec moraliter inter se specie differant, sive non, notabiliter tamen mutant iudicium Confessarii. V. Laym. l. c. Sanch. l. c. Less. l. c. d. 5. Delr. l. 4. disp. 4. c. 2. Bon. q. 5. p. 4.

336. S. Thom. melius quam Auctor rem digerit 2. 2. q. 95. art. 3. « Omnis divinatio utitur ad praecognitionem futuri eventus aliquo daemonum consilio vel auxilio: quod quidem vel expresse imploratur, vel praeter intentionem hominis se occulte daemon ingerit ad praenuntiandum futura quaedam, quae hominibus sunt ignota, ei autem cognita per modos, de quibus in Primo (I. part. q. 57. art. 3.) dictum est ».

« Daemones autem expresse invocati solent futura praenuntiare multipliciter. Quandoque quidem praestigiosis quibusdam apparitionibus se aspectui et auditui hominum ingerentes ad praenuntiandum futura, et haec species vocatur *praestigium,* ex eo quod oculi hominum praestringuntur. Quandoque autem per somnia, et haec vocatur *divinatio somniorum* (aiunt *oniromantia*). Quandoque vero per mortuorum aliquorum apparitionem vel locutionem et haec species vocatur *necromantia...* Quandoque vero futura praenuntiant per homines vivos, sicut in arreptitiis patet et haec est *divinatio per pythones...* Quandoque vero futura praenuntiant per aliquas figuras vel signa, quae in rebus inanimatis apparent: quae quidem si appareant in aliquo corpore terrestri, puta in ligno vel ferro vel lapide polito, vocatur *geomantia:* si autem in aqua *hydromantia:* si autem in aere, *aeromantia:* si autem in igne, *pyromantia:* si autem in visceribus animalium, immolatorum in aris daemonum, vocatur *haruspicium* ».

337. « Divinatio autem, quae fit absque expressa daemonis invocatione, in duo genera dividitur. Quorum primum est, quando ad praenoscendum futura aliquid consideramus in dispositionibus aliquarum rerum. Et si quidem aliquis conetur futura praedicere ex consideratione situs et motus siderum, hoc pertineret ad *astrologos,* qui et *genethliaci* dicuntur *propter natalium considerationes dierum.* Si vero per motus vel voces avium seu quorumcumque animalium, sive per sternutationes hominum vel membrorum saltus, hoc pertinet generaliter ad *augurium,* quod dicitur a garritu avium, sicut *auspicium* ab inspectione avium: quorum primum pertinet ad aures, secundum ad oculos: in avibus enim huiusmodi praecipue considerari solent. Si vero huiusmodi consideratio fiat circa verba hominum absque intentione dicta, quae quis retorquet ad futurum, quod vult praenoscere, hoc vocatur *omen...* Si autem considerentur quaedam dispositiones figurarum in aliquibus corporibus visui occurrentis, erit alia divinationis species; nam ex lineamentis manus consideratis divinatio sumpta *chiromantia* vocatur, quasi divinatio manus...; divinatio vero ex quibusdam signis in spatula (costa suilla latior) alicuius animalis apparentibus, *spatulomantia* vocatur.

« Ad secundum autem divinationis genus, quod est sine expressa daemonum invocatione, pertinet divinatio, quae fit ex consideratione eorum, quae veniunt ex quibusdam, quae ab hominibus *serio fiunt ad aliquid occultum inquirendum* sive per protractionem punctorum, quod pertinet ad *artem geomantiae,* sive per considerationem *figurarum,* quae proveniunt ex plumbo liquefacto in aqua proiecto, sive ex quibusdam *schedulis scriptis* vel *non scriptis* in occulto repositis, dum consideratur, quas quis accipiat, vel etiam ex *festucis inaequalibus* propositis quis maiorem vel minorem accipiat, vel *taxillorum proiectione,* quis plura puncta proiiciat, vel etiam cum consideratur, *quid aperienti librum* occurrat: quae omnia *sortium* nomen habent ».

« Sic ergo patet, triplex esse divinationis genus: quorum primum est per manifestam daemonum invocationem; quod pertinet ad *necromanticos:* secundum autem per solam considerationem dispositionis vel motus alterius rei, quod pertinet *ad augures:* tertium est, dum facimus aliquid, ut nobis manifestetur aliquid occultum, quod pertinet *ad sortes.* Sub quolibet autem horum multa continentur, ut patet ex dictis ».

338. Porro cum s. Alphonsus lib. 3. n. 6. sententiam Auctoris: exprimendum esse in confessione, an invocatio daemonis expressa fuerit vel implicita, dicat eam melius probari, eo quod invocatio expressa saepe adiuncta habet alia peccata, haeresim, adorationem daemonis etc.: hinc idem s. Doctor cum Salmant. tr. 21. c. 11. n. 29. seqq. probabile

censet, non esse obligationem id explicandi, quando nulla alia peccata, quae pacto expresso adiungi solent, intercesserunt; formaliter enim idem peccatum videtur.

VIII. Resp. 3. Divinatio, quae fit per actum expressum et qua Daemon expresse invocatur, excusari non potest a mortali; eam vero, quae fit per actum tantum implicitum, aliquando excusari a mortali quidam asserunt, videlicet tunc, cum vel intercedit simplicitas et ignorantia non crassa neque affectata, vel fides certa non adhibetur, sed tantum timor quidam aut suspicio concipitur eventus futuri. Laym. l. 4. tr. 10. c. 3. Sanch. Less. Suar. Caiet. Bald. t. 3. l. 4. d. 3. n. 2. etc. eo quod tunc superstitiosa vere non sit, cum intentio non sit talis. V. Suar. Less. Sanch. Laym. Caiet. Navar. Sayr. Valent. et Tanner d. 5. *de Rel.* q. 7. disp. 1. n. 21. et d. 2. n. 25.

339. Malitiam invocationis daemonum sic paucis s. Thomas 2. 2. q. 95. art. 4.: Omnis divinatio « quae fit per invocationes daemonum, est illicita duplici ratione. Quarum prima sumitur ex parte principii divinationis quod scilicet est pactum expresse cum daemone initum per ipsam daemonis invocationem. Et hoc est omnino illicitum... et adhuc gravius esset, si sacrificium vel reverentia daemoni invocato exhiberetur ».

« Secunda vero ratio sumitur ex parte futuri eventus. Daemon enim, qui intendit perditionem hominum, ex huiusmodi suis responsis, etiamsi aliquando vera dicat, intendit homines assuefacere ad hoc, quod ei credatur, et sic intendit perducere in aliquid, quod sit saluti nocivum ».

Ea divinatio, quae fit tantum per actum implicitum, est per se mala; etsi quis protestetur se a diabolo non petere, se nolle ullum cum eo commercium habere. Factum enim verbis aut huic intentioni contradicit; vult enim homo absolute aliquid nosse, sed unde naturaliter scit non posse cognosci: vult ergo auxilium alterius intelligentis, non vero Dei aut angeli boni eius ministri: Deus enim ea media non instituit nec ea vana desideria probat: ergo auxilium petit intelligentis daemonis, qui his libenter se immiscet.

Utique, ut dicemus, contingit talem divinationem excusari identidem a mortali; ab ea tamen deterrendi fideles sunt quam maxime: et hae consuetudines penitus extirpandae.

340. Discrimen gravitatis inter expressam et tacitam sic prosequitur Laymann lib. 4. tract. 10. cap. 3. n. 4.: Divinatio per implicitum pactum minus gravis et periculosa est. 1° « Quia peccatum divinationis in hoc maxime consistit, quod idololatriae rationem aliquam participet, dum homo hunc honorem daemoni tribuit, ut ab ipso divinitatis aemulatore id, quod Dei proprium est, rerum occultarum revelationem petat; haec autem deformitas gravior est si expresse daemones invocentur, quam si aliquid fiat, cui dignum sit ut daemon se ingerat, ut ait s. Thom. l. c. q. 95. art. 3. ad 1. Accedit, quod quanto maior et evidentior est societas

cum diabolo, tanto evidentior sit apostasia a Deo, ob quam desertori suo Deus gratiae auxilia detrahit et deceptori diabolo derelinquit; ut recte notaverit Caietan. in h. l. art. 4., hoc esse probabile signum reprobationis aeternae. Quae quidem magis in eos cadere, qui expressum daemone pactum ineunt, manifestum est ».

2° « Divinatio cum pacto expresso saepe alia gravissima flagitia adiuncta habet, puta abiurationem baptismi et apostasiam a Christo, idololatriam erga daemonem per genuflexionem, sacrificium etc., cum blasphema devotione ad perpetuum eius obsequium eiusdemque reciproca promissione instruendi hominem sibi devotum... Quae tamen cum divinatione per pactum implicitum non solent concurrere ».

3° « Divinatio per pactum expressum cum daemone nunquam excusatur a mortali... At divinatio per pactum implicitum *interdum* excusatur a mortali: vel propter ignorantiam non crassam *(nam crassa est per se gravis);* siquidem huius divinationis seu observationis malitia, licet secundum se gravis sit, tamen non omnibus est ita manifesta, vel propter imperfectionem superstitionis, si non certa fides, sed solum quidam timor aut suspicio concipiatur futuri eventus etc. »; ut innuetur in resolutionibus.

Et dictis resolvuntur sequentes Casus.

IX. 1. Expresse censetur invocare seu convenire et pactum facere cum daemone, qui vel verbis daemonem invocat vel saltem facto aliquid usurpat, per quod scit aut putat daemonem cooperari.

341. Ad hoc necesse non est daemonem verbis expresse invocare; sed sufficit explicitum propositum ac voluntas aliquid a diabolo addiscendi, aliquid agendo aut usurpando, in quo scis vel existimas daemonem cooperari, faciendo circulos vel alia signa, adhibendo specula, fundendo aquam, assumendo vestitum vel istrumenta, gerendo chartas etc.

Ad hoc peccatum patrandum necesse non est, ut daemon respondeat, sed satis est, si scientia imploretur atque exquiratur.

X. 2. Is vero tacite paciscitur, qui vanis et naturaliter improportionatis utitur ad aliquid cognoscendum vel efficiendum. Neque requiritur, ut daemon aliquando pactus sit, se ad talis vani medii adhibitionem concursurum; eo enim ipso, quo quis vanitatibus iis utitur, daemon se immiscet, licet praeter intentionem utentis sit eum invocare, ut docent Suar. Less. et Sanch. ll. cc.

XI. 3. Non excusatur a peccato, qui utendo talibus rebus, quas constat esse naturaliter improportionatas protestatur, se nullum cum daemone commercium intendere; quia reipsa facit contra suam protestationem. Cum enim nec Deus nec Angeli boni talibus se misceant, daemon implicite iis invocatur, ut praeter citatos docent Laym. et Bonac. ll. cc.

XII. 4. Neque is excusatur, qui talia media utilia credit propter experientias; quia has daemon procurat, ut homines paulatim illaqueet et ad similia usurpanda inducat. V. Sanch. 2. *Mor*. c. 38.

342. Principia his resolutionibus contenta et plane per se evidentia nunquam sunt oblivioni tradenda. Et quidem ex horum oblivione (ne dicamus ex supina ignorantia) factum est, ut in iudicio ferendo de phaenomenis spiritismi quidam nostris hisce diebus pueriliter desipuerint et imprudentissime et inscitissime vel haeserint incerti, vel etiam culpae cuiusvis expers pronunciaverint id, quod vel puer primis catechismi elementis imbutus diabolicae fraudi adscribendum pronunciasset.

XIII. 5. Si quis ab astris, somniis similibusve ita dependeat, ut omnes pene actiones suas et vitam iuxta ea regulare velit, eum mortaliter peccare docent Less. Suar. Sanch. l. c.

XIV. 6. Ex talium observatione, semel atque iterum aliquid omittere, ad quod alioqui sub mortali non teneris, veniale tantum esse censent Caiet. et Arm. V. *Somnium*, uti et subinde timere leviter, ne ita sit aut eveniat, quod portendunt, ut notat Suar. sup. l. c.

343. Agitur heic de iis, ubi nullum pactum est explicitum, sed daemon se immiscet ac praeterea agitur de praeiudiciis, quae ex stultis paganorum opinionibus superstites inter vulgus remanserunt.

Porro cum quis nosse debeat, Deum non regere per haec humanam vitam voluisse, nec virtutem hisce inesse portendendi aut dirigendi, palam est, eum, qui tam caeca fide iis adhaeret, excusari a gravi culpa non posse.

Quod vero quispiam vi horum praeiudiciorum vel invitus et non prorsus credens interdum abripiatur, praesertim quia homo tendit ad tutiora eligenda et stultum putat vel levissimum ac remotissimum subire periculum, ubi nihil id exigit aut urget, cum licitum appareat oppositum et illud praeiudicium superare incommodum sit et molestum, hinc excusari a gravi interdum potest.

Eiusmodi sunt qui numeratis commensalibus timent a quibusdam certis numeris.

Ita qui timore concutiuntur ob cantum noctuae.

Ita qui capiunt augurium ex occursu personae, quae primo anni die fit obviam.

Ita a mortali excusatur, qui ob aliquam praedictionem astrologi unam alteramve actionem omittit aut ponit: v. gr. melius claudit domum, quia astrologus dixit timendum illi a furibus, vel non conscendit equum, quia lapsus ipsi fatalis hac vel illa die praenunciatus est.

Peccatum mortale committit, si quis expresse desideret se per somnium a daemone doceri, aut ideo somnum capiat certo corporis situ, ut occultum quid sibi reveletur.

Non videtur graviter peccare, qui somnians numeros, ludo (del lotto)

pecunias exponit, aut qui non ascendit navem aut equum, quia aut naufragium aut lapsum somniavit. Ratio; quia agit ex quadam spe aut timore, non tamen credens certo futurum eventum. Sic qui somniant locum thesauri et terram effodiunt.

344. S. Alphonsus addit lib. 3. n. 9. de somniis, non semper esse illicitum eis credere; quia et ex s. Litteris et historiis Sanctorum novimus, haec somnia a Deo immissa subinde fuisse.

Adhibendae, ad internoscendum unde somnia sint, regulae communiter tradita de Spirituum discretione. 1° Res in se spectanda, an Deo decens ac digna sit, an vero vana, futilis, indecens etc.

2° An impellat ad bonum opus, an vero ad malum ac praesumptuosum.

3° Quos affectus excitet, an animam tranquillam et ad pietatis opera alacrem, num vero perturbatum animum relinquat et potius quam ad divina, inclinatum ad terrena. Quoad turbationem tamen aut tranquillitatem non omittenda regula de primo statu hominis peccatoris, qui interdum a Deo terrore concutitur.

Mater s. Dominici sibi visa est parere catellum cum face. Mater s. Camilli puerum cruce signatum, qui alios eodem signo notatos duceret. Et mater s. Andreae Corsini lupum, qui ad aedem Carmelitarum pergens, in ipso templi vestibulo statim in agnum conversus est. Innocentius III. per somnum vidit collabentem lateranensem basilicam a s. Francisco et sociis sustentari humeris.

XV. 7. Communiter et ut plurimum in similibus, in quibus tacitum tantum est pactum, venialiter tantum peccari docent consequenter Doctores supra citati et mox citandi; quia communiter fere aliquid istorum intervenit, quae a mortali excusare dicunt, ut verbi gratia, quod fides integra non adhibeatur, Sanch. l. c. n. 13. Caiet. in *Summa* Armil. etc. Recte tamen notat Delrio, esse semper rem valde periculosam, iuxta illa suas actiones dirigere, etiam non credendo. V. Sanch. l. c.

De his satis superius n. 60. et 63.

XVI. 8. Licita est. 1. Physiognomia, quae ex vultu, dispositione et habitudine corporis et membrorum: 2. Chiromantia, si ex lineis et partibus manuum consideret temperiem corporis, imo etiam animi propensiones et affectus probabiliter coniectet: 3. Item divinatio, quae ex somniis coniectat hominis complexionem et hinc affectiones animi diurnas: 4. item illa, qua ex avium, piscium aliorumve animalium voce, motu aliisve actionibus naturales aliqui effectus praenuntiantur futuri ut plurimum, v. g. serenitas, pluvia etc.: 5. Astrologia naturalis, quae effectus corporeos et naturales, ut ventos, eclipsin, fertilitatem, salubritatem, morbos et similia praedicit, quae ad medicinam vel agriculturam conducunt: imo etiam, cum ex puncto nativitatis sive horoscopo probabiliter praedicit complexionem corporis et affectiones animi. Quia hae divinationes omnes naturales sunt et mediis proportionatis utuntur. Less. l. 2. c. 43. d. 7.

XVII. 9. Illicitae vero sunt omnes praedictae divinationes, si ex iis aliquid nosci aut praenuntiari intendatur circa ea, ad quae proportionata non sunt, ut circa effectus contin-

gentes et liberos aut quae a Deo pendent, ut circa statum animae, dona gratiae, divitias, honores, fortunam, nuptias, statum vitae et similia, quorum electio voluntaria est et a libera hominum voluntate pendet: itemque de rebus occultis, ut furto, thesauro abscondito. V. Less. l. c. et Bon. d. 3. q. 5. p. 3. n. 11. Suar. Sanch. l. c.

345. Quae dicuntur de horoscopo seu puncto nativitatis, nunc obsoleta sunt: ideoque haec divinationis naturalis species ad inanes opiniones reiicienda. S. Alphonsus lib. 3. n. 10.

Quod vero dicitur de *astrologia,* distinguebatur *naturalis* et *iudiciaria:* quod prae oculis habendum, ut Ecclesiae decreta rite intelligantur. Naturalis astrologia dicitur, quae de tempestatibus, pluviis, ventis etc. disserit seu coniicit et melius generaliori vocabulo diceretur *meteorologia;* nam reipsa parum est, quod conferunt astra, plurimum autem *sol* et aliquid luna aliaeque causae. Et nunc per instrumenta propria huius scientiae melius et felicius noscitur de futuris aut de statu atmosphaerae. Hae observationes licitae sunt, uti patet.

Astrologia *iudiciaria* dicitur, quae ex signis in astris futura contingentia divinat, quae pendent a libera hominum voluntate. Haec illicita est et praeterea inducit quoddam fatum et saepius est damnata, etiamsi (ut habetur in Costitutione Sixti V. an. 1586., et incipit « *Moderator coeli* ») quis non audeat certo affirmare, aut protestetur se cuilibet diabolico commercio renuntiare.

346. Opinio tamen fuit Doctorum elapsi temporis, astra cooperari posse in passiones hominum. Et proinde licet illicitam dicerent divinationem relate ad personae particularis actiones, licitam tamen putabant, si fieret in generali atque adeo licitam dixerunt praenuntiationem bellorum seditionumque, ut videre est apud s. Alph. in not. ad Resol. 8. n. 10.

Imo addit haec verba s. Thomae ex 1. q. 95. art. 4. ad 3.: « Plures homines sequuntur passiones, quae sunt motus appetitus sensitivi, ad quas cooperari possunt corpora caelestia; pauci autem sunt sapientes, qui huiusmodi passionibus resistant. Et ideo astrologi ut in pluribus vera possunt praedicere et maxime in communi, non autem in speciali; quia nihil prohibet aliquem hominem per liberum arbitrium passionibus resistere ».

Haec autem ponenda inter antiquatas sententias. Dicimus, obsoletas esse hasce opiniones, quatenus nullum reipsa apparet fundamentum, quare ex positione astrorum exspectandae sint illae commotiones; nam veterum naturalistarum de his theoriae reipsa sunt plane inanes. At non neganda generatim theoria est de effectibus moralibus, qui praevideri queant in quibusdam causis physicis, aptis nempe ad passiones sensibiles proxime vel remote commovendas. Ita cum plumbeus dominatur auster, facile praevideri potest irrequietus motus puerorum in schola,

vel pigritia et acedia in aggrediendis laboribus, ita proniores ad tristitiam atque adeo ad iram vel impatientiam reperies homines quando ex aeris intemperie male se solent habere: contra praevideri possunt effectus laetitiae, vel interdum commotionis ad libidinem etc.

Bene autem addunt, quid sentiendum de impostoribus illis, qui ex astris volunt praenuntiare ea, quae vel a Deo pendent, uti sunt dona gratiae vel quae ab hominis arbitrio, uti sunt nuptiae, honores, fortunae, status vitae etc.

Sed male addunt, quae hic refert. s. Alph. n. 10. « Praedicere futura contingentia libera coniecturaliter tantum ex signis avium etc., dicunt Salmanticenses..., non esse illicitum; quia constellatio, quae homines potest commovere ad bellum, potest etiam illa signa causare in avibus ». Antiquata non secus ac priora, quae sunt horum fundamentum.

XVIII. 10. Peccant, qui Aegyptios de fortuna consulunt et quidem, si fiat cum firma fide vel scandalo etc., mortaliter: si vero causa curiositatis vel risus, ut fit communiter, venialiter tantum. Fill. et Sanch.

347. Quos A. dicit Aegyptios, quia ab Aegypto olim profecti censebantur, alii Bohemos vocant, alii aliter, nos Zingaros vocamus: gens quaedam ex Asia profecta et a pluribus seculis sine certa sede, huc illuc errans, pessimum hominum genus, nulla religione utentes ut plurimum.

Grave scandalum esse potest, si quis foveat opinionem, his reipsa inesse supernaturalem scientiam et grave potest esse peccatum, si firmiter vera ea retineat, quae audit, nisi fiat ex vano timore.

Actio ipsa consulendi venialis esse potest, si ex curiositate et videndi causa fiat. Adderem heic valere quod diximus de somniis et astrologis, levi culpa posse quempiam aliquid per se indifferens facere vel omittere ob res auditas, si ductus fuerit vel quopiam timore vel quapiam curiositate, cum alioquin ea non retineat ut certe veridica.

XIX. 11. Superstitiosa est divinatio, quae fit per sortes divinatorias, ad futurum vel occultum aliquid cognoscendum, quasi sortibus vis aliqua divina insit: ut si quis v. g. ex taxillorum proiectione et dispositione divinet, quis sit obtenturus victoriam, beneficium etc. Idem fere est de sortibus consultoriis, quibus inquiritur, quid in hac vel illa re sit agendum. Dixi fere; quia aliquando hae licitae sunt, quando causae necessitas et honestas exigit aptiorque modus dubium vincendi non apparet: dummodo fiant praemissa oratione cum debita reverentia et iudicium non expectetur, nisi a solo Deo; ut v. g. si quis haerens in bivio aliter quoad viam se determinare non possit: vel si divino instinctu aut iussu fiant, ut 1. Reg. X. in electione Saulis contigit. Fill. tr. 24. c. 3. Sanch. Bon. ll. cc.

XX. 12. Sortes divisoriae sine superstitione et plerumque licite fieri possunt, sive ad honestum ludum, sive ad hereditatis divisionem, sive ad litis compositionem, dummodo litigantes, qui aequale ius habent, consentiant; quia nihil aliud continent, quam contractum inter eos, qui ad aliquam rem ius habent, ut illius sit, cui sors obtigerit. Sic etiam, si plures mortem meriti sint, nec expediat omnes puniri, sorte definiri potest, quis ex iis sit occidendus. Dixi: plerumque; tum quia in electionibus Ecclesiasticis sunt illi-

citae, ut Laym. l. 3. t. 4. et Bonac., tum quia officia secularia non sorte, sed secundum personarum aptitudinem sunt dividenda, etsi inter plures aeque aptos et dignos sorte agi possit. V. Less. c. 43.

348. Sortes aliae dicuntur *divinatoriae*, aliae *consultoriae*, aliae *divisoriae*. De duabus prioribus A. in resol. 11. de tertia in 12. agit.

Divinatoriae diriguntur ad cognitionem rei *futurae* vel *occultae*. Habebitur pactum explicitum in iis cum diabolo, si quis mittat sortes expresse petens aut expectans a daemone, ut per eas quaesita aperiat. Tacitum vero seu implicitum, si rei manifestatio exspectetur ab ipsa sortium dispositione; quippe, cum ex natura sua sortes non habeant hanc vim, habemus casum, quo daemon se ingerit.

Porro hominum perversitas eo devenit, ut ad sortilegia huiusmodi quidam abuterentur sacrificio Missae (ad numeros aleatoriae sortitionis divinandos) ita ut Apostolica Sedes pluries animadvertere in hoc crimen debuerit et novissime sub Benedicto XIV. latum fuerit e Congregatione s. Inquisitionis decretum perpetuae inhabilitationis ad Missam celebrandam. Ita (Bullar. Benedict. XIV. tom. II. Append. pag. 46.): « SS. Dominus noster sollicite animadvertens, quam grave sit delictum illorum perditorum hominum, qui sacrosancto Missae sacrificio ac salutaris Poenitentiae sacramento, ad animarum reparationem a Christo Domino institutis, in illarum perniciem et damnationem abutuntur, decrevit, quod in posterum sacerdotes... (in confessione) ad turpia sollicitantes; vel sacrificio Missae abutentes ad sortilegia, praeter poenas a Iure et Apostolicis Constitutionibus ac signanter Sixti V. et Gregorii XV. contra eosdem inflictas, perpetuam etiam inhabilitationem incurrant ad praefati sacrificii celebrationem ». Die 21. august. 1745.

349. Quoad *consultorias*, quae adhibentur ad noscendum, quid agendum aut omittendum sit, eodem modo peccari poterit, si aut explicite a daemone consilium expectetur, aut implicite, prout superius explicatum est.

Auctor subdit, aliquando licitas esse, quando causae necessitas id postulat, nec aptior modus vincendi dubium apparet et in hoc casu iudicium a solo Deo expectatur.

Conditiones ex Salmanticensibus proponuntur apud s. Alph. n. 11., 1° Adsit urgens necessitas salutis. 2° Divina non convertantur ad terrena negotia. 3° Ne fiant in electionibus ecclesiasticis. Sed minus exacte et adaequate. Melius Auctor licitas dicit. 1° Si iussu vel istinctu Dei fiant; vel 2° si necessitas ac negotii gravitas id postulet, nec alia via appareat solvendi dubium: 3° fiant cum debita reverentia ac praemissa oratione.

Nimis coarctat Voit, cum dicit, sortes adhiberi ad explorandam Dei

voluntatem. Nam si agatur de vitando periculo, proprie non quaeritur Dei voluntas.

Extra Dei instinctum conditio ponitur necessitatis et necessitas haec non solet adesse circa quaerendam Dei voluntatem; Deus enim voluntatem suam non sortibus voluit indagari, sed doctrina Ecclesiae et consilio a prudentibus petito.

350. Quoad sortes *divisorias* satis clara sunt, quae Auctor habet.

S. Alphonsus n. 11. ecclesiasticas electiones vetari dicit per sortes, sive de *officiis* sive de *beneficiis* agatur. Reipsa caput *Ecclesia* 3. *de Sortilegiis,* quod allegatur, agit de electione Episcopi. Sed communiter intelligitur de qualibet *dignitate, praelatura, beneficioque* ecclesiastico Schmalz. lib. 5. p. 2. tit. 21. n. 38.; idque valere debet etiamsi duo electi paria vota habeant et neutra eligentium pars cedere velit. Et quidem si sors ponenda foret inter dignos simul et indignos, electio per sortes prohibita est iure naturae idque valet etiam si agatur de electione ad officia secularia: si vero sors decernat inter dignos tantum, illicita est iure tantum positivo. Schmalzgr. l. c. n. 40.

S. Alphonsus n. 11. probabilius dicit, electiones per sortem esse validas, idque cum Suar. Laym. Sanchez et Salmant. Ratio, quia nuspiam in iure haec electiones declarantur invalidae, *excepta sola electione praelati habentis iurisdictionem* ex c. *Quia propter, de Election.*

Potius notat Schmalz. l. c. n. 41., hanc irritationem non esse extendendam ultra *electiones* proprie dictas. Proinde si dubium sit, quis ex pluribus praesentari aut promoveri debeat ad beneficia *non electiva* et omnes illi sint aeque digni, poterit id sortibus committi.

Ex Schmalzgr. l. c. n. 42. valida est per sortes electio compromissariorum, quibus deinde committatur electio.

Lites vero ecclesiasticae et beneficiales committi poterunt sortibus, si accedat 1° consensus litigantium et 2° auctoritas legitimi superioris: secus si fiat propria auctoritate; quia neuter litigantium habet auctoritatem conferendi alteri legitimum titulum beneficii. Accedit, quod omne pactum, initum propria auctoritate circa beneficium ecclesiasticum litigiosum, est simoniacum. C. final. *De Pactis,* Schmalz. l. c. n. 43.

XXI. 13. Potest excusari a superstitione, qui modo illicito futura se velle divinare ostendit ioci causa. Ratio est, quia non est actus superstitiosus nec affectatio cognitionis Deo propriae, sed tantum vanitas aliqua. Suar. et Sanch. Regin. l. 17. n. 170.

351. Res clara est. Suarez *de Relig.* tr. 3. l. 2. c. 9. n. 11. ait: « Si quis aliquid huiusmodi faciat, non quia putet esse utile nec quia speret per illud medium scire veritatem, sed solum otiose quaerendo, quid casu accidat vel quid designet tale signum iuxta regulas talis artis, licet falsas et nullius momenti eas esse credat; tunc constat, non

operari ex pacto implicito daemonis nec esse ariolum aut divinum, sed materialiter facere id, quod isti solent formaliter facere. Unde in eo modo operandi hoc non est peccatum superstitionis, sed otiosae actionis; ideoque, per se loquendo et secluso scandalo vel periculo per illa iocosa perveniendi ad seria, illud non est peccatum mortale, sed veniale, ut recte notavit Caietanus; et est communis sententia ».

Dub. III.

De idololatria.

XXII. Resp. 1. Ea est, quando tribuitur honor creaturae, sicut Deo. S. Thom. q. 94. art. 1. Id vero fit, ut docet Less. l. 2. c. 43., non tantum sacrificio, sed etiam quovis signo honoris, quo quis creaturae, tanquam Deo, se submittere intendit, v. g. genuflexione, suffitu, detectione capitis ad statuam Jovis.

352. * Idololatria cultus idolorum est: idolum vero (εἴδωλον simulacrum) accipi solet de simulacro falso seu rei non exsistentis, cuiusmodi erant numinum simulacra apud paganos. Quocirca idololatria proprie tunc habetur, cum simulacris quibusdam cultus Deo debitus (latria) exhibetur. Recte autem monet s. Thomas q. 94. a. 1. ad 4um « quod ex communi consuetudine, qua creaturas quascumque colebant gentiles sub quibusdam imaginibus, impositum est hoc nomen idololatria ad significandum quemcumque cultum creaturae, etiamsi sine imaginibus fieret ». Atque hoc sensu Auctor loquitur.

Legendus est artic. citatus s. Thomae, cuius doctrina ad claram notitiam historiae idololatriae non parum conducet. Cf. etiam Suarez l. c. c. 4. ubi, inter alia, recte monet, a gentilibus non nudas statuas adoratas fuisse, sed aut ratione numinis cuiusdam vel virtutis superioris, quam illis, arte quadam, humana vel superiori, coniunctam esse putabant, aut ratione hominum, qui per ipsos repraesentabantur et ut dii colebantur, statuas seu idola a gentilibus adorata fuisse. Unde patet quam inepte hic cultus aequiparetur a Protestantibus cultui sacrarum imaginum vigenti apud Catholicos.

Notat Laymann lib. 4. tr. 10. c. 2. n. 5. quod ad omnem latriam sive exhibitionem cultus divini, requiritur affectus submissionis tanquam erga supremam excellentiam: ideoque ubi talis affectus deest, non est verus latriae cultus, sed simulatus atque idcirco idololatria tunc non est vera, sed ficta: licet interim sit gravissimum peccatum, etiam contra religionis virtutem.

Ficta scilicet dicitur idololatria, cum abest error intellectus et affectus colendi creaturam ut Deum; sed adest solum voluntas exhibendi signum externum adorationis soli Deo debitae cum exteriori signifi-

catione adorandi creaturam, sine intentione cultus. Cf. Suarez, l. c. c. 6. n. 5. *

XXIII. Resp. 2. Idololatria est duplex: alia Materialis sive simulata, ut cum quis sine interno affectu, ex metu mortis, cultum idolo exhibet. Alia Formalis ac propria vel perfecta, ut cum quis adorat idolum, quod ex infidelitate putat esse Deum: vel imperfecta, cum quis vel ex odio Dei, vel ex affectu aliquid a daemone aliave creatura obtinendi, ipsi, quasi Deo, cultum defert. Laym. l. c. ex s. Aug. et s. Th.

Res est clara.

Unde resolves.

XXIV. 1. Idololatria aliquando coniungitur cum infidelitate vel haeresi, cum scilicet creatura adorata in intellectu habetur pro Deo, aliquando non.

XXV. 2. Idololatria etiam materialis et ficta est grave et mortale peccatum; quia est saltem mendacium perniciosum et contra religionem, saepe etiam contra confessionem fidei externam. Sanch. l. 1. c. 37. n. 21. Azor, 1. p. l. 9. c. 11.

XXVI. 3. Idololatria imperfecta ob malitiam voluntatis est peccatum gravius, quam perfecta. V. Laym. l. 4. t. 10. c. 2. Sanch. l. c.

353. * Ad Resol. 1m Ita Sanchez l. c. c. 37. n. 22. Idololatria sive interior sive exterior potest contingere absque haeresi et cum illa. Contingit cum haeresi, quando idololatra putat creaturam a se adoratam esse Deum: absque haeresi, quoties non credit eam esse Deum, vult tamen vere illi honorem divinum deferre. Ita clare s. Thomas q. 94. a. 3. ad 1. Quando autem idololatria est absque haeresi, sed sola exterior, nulla censura incurritur; quia reapse nulla exstat pro hoc crimine, ut notat Suarez l. c. n. 20.

Ad Resol. 2m Quod Auctor dicit idololatriam fictam esse *saepe* contra confessionem fidei, alii dicunt simpliciter esse contra confessionem fidei, ut Suarez et Laymann ll. cc. Sed hi hoc peccatum in christianis considerant, qui tenentur praecepto confitendae fidei: Auctor universalius loquitur, complectens etiam e. gr. Philosophos gentiles, qui hoc peccatum fictae idololatriae admittebant.

Ad Resol. 3m Ratio est, ait Laymann l. c. n. 4., tum quia hoc peccatum ex mera voluntatis malitia committitur, ubi et maior Dei contemptus apparet: prior autem ob ignorantiam aliquo modo excusatur; tum quia aliquam etiam simulationem et mendacium perniciosum Deoque iniuriosum continet. *

Cf. praeterea quae dedimus *de Caritate* n. 299., quae huc quoque referri possunt.

DUB. IV.

De vana observatione.

XXVII. Resp. 1. Ea est superstitio, qua medio aliquo improportionato et a Deo non instituto procuratur aliquis effectus, v. g. sanitas, scientia etc. s. Th. 2. 2. q. 96. art. 1. Bonac. et alii. Differt autem a divinatione, quod haec tantum ordinetur ad occultorum cognitionem; illa vero ad effectum externum. Convenit cum eadem, quod utraque nitatur pacto daemonis eique tribuat perfectionem propriam Dei. Unde quae de divinatione dicta sunt, proportionaliter huic accomodari debent.

354. S. Thomas *In Rom.* XVI. Lect. 2. init.: « Observare nihil aliud est, quam diligenter considerare: quod dictum quandoque in bono sumitur, quandoque in malo. In malo quidem sumitur, quando aliquis diligenter considerat conditionem et processum alicuius ad nocendum... In bono autem accipitur uno modo, quando quis considerat praecepta Dei ad faciendum... Alio modo, quando diligenter considerat bonos ad imitandum... Tertio considerantur mali ad cavendum ».

Exemplum autem, quod in rem praesentem faciat, habet s. Thomas in Gal. IV., Lect. 4. ad ea Pauli verba « *Dies observatis et menses et tempora et annos* ». Quae verba licet ex mente s. Thomae melius explicentur de iudaizantibus, qui servabant *sabbata, neomenias* etc. (et sane ita reapse sunt accipienda); tamen ut ipse ait, possunt etiam explicari de idololatriae ritibus et iuxta hunc sensum s. Thomas hoc addit commentarium: « Observatis dies, scil. faustos et infaustos et menses et tempora et annos, idest constellationes et cursum corporum caelestium: quae omnia ortum habent ex idololatria, contra quod dicit Ieremias X. 2.: *A signis coeli nolite metuere, quae Gentes timent.* Et quod *observationes* huiusmodi malae sint et contra cultum christianae religionis, patet; quia distinctio dierum, mensium, annorum et temporum attenditur secundum cursum solis et lunae. Et ideo tales temporum distinctiones observantes, venerantur corpora caelestia *et disponunt actus suos, secundum indicium astrorum,* quae nullam directam impressionem habent in voluntate hominis et in his quae dependent a libero arbitrio. Et ex hoc imminet grave periculum; unde dicit: *timeo ne forte sine causa*, idest inutiliter, *laboraverim in vobis.* Et ideo cavendum est fidelibus talia observare; sed nulla debet esse eis suspicio harum rerum; quia prospere potest cedere quidquid sub Dei devotione simpliciter agitur ».

Et ex his deducitur, hoc esse observationum harum proprium, ut quidpiam considerent diligenter et iuxta illud indicium *disponant actus suos.* Et haec congruunt cum explicatione eiusdem s. Doctoris, ubi dixit

sup. n. 42.: « Ordinatur divinus cultus ad quandam directionem humanorum actuum secundum instituta Dei, qui colitur et ad hoc pertinet superstitio quarundam *observationum* »; quia nempe potiusquam ex regulis, quas Deus nobis tradidit agendi, actus nostros ex vanis et superstitiosis normis regimus.

355. Et hinc patet ratio discriminis, quod A. ponit inter *divinationem* et *observationes,* quod prior ordinetur tantum ad occultorum cognitionem, hae vero ad effectum externum.

Caietanus triplex superstitionis genus sic proponit in 2. 2. q. 92. art. 2. Quemadmodum in divino cultu inveniuntur tria genera divinorum 1° Sacrificia, oblationes, decimae, vota et huiusmodi, quae directe in Dei reverentiam fiunt: 2° orationes, contemplationes, lectiones et huiusmodi, quae ad instructionem nostram ordinantur: 3° sacramenta, benedictiones, sacramentalia, ieiunia, festa et huiusmodi, quae directe consistunt in ritu instituto a Deo et ordinantur ad dirigendos nostros actus, ut sunt actus regenerationis, confirmationis, ordinis, matrimonii etc.; ita in cultu superstitioso est 1° idololatria, quae divinam reverentiam exhibet creaturae: 2° est deinde divinatio, quae tot modis instructionem a daemone quaerit: 3° est denique observatio, qua tam multipliciter et operationes suas construunt, continent, laxant et aliquas creaturas quandoque assumunt ad sua opera quasi sacramentalia quaedam ».

356. Difficultas tamen aliqua circa haec fieri potest ex eo, quod s. Thomas quatuor hosce modos observantiarum in quatuor articulis q. 96. ponit, « 1° de observantiis ad scientiam acquirendam, quae traduntur in arte notoria: 2° de observantiis, quae ordinantur ad aliqua corpora immutanda: 3° de observantiis, quae ordinantur ad coniecturas sumendas fortuniorum et infortuniorum: 4° de suspensionibus sacrorum verborum ad collum ». Porro primum ex his et maxime tertium confundi videntur cum divinationibus.

Et sane s. Thom. tertium hoc sic explicat 2. 2. q. 96. art. 3.: « Dicendum, quod homines eiusmodi observationes attendunt non ut quasdam causas, sed ut signa quaedam futurorum eventuum bonorum vel malorum. Non observantur autem sicut signa a Deo tradita, cum non sint introducta ex auctoritate divina, sed magis ex vanitate humana, cooperante daemonum malitia, qui nituntur animos hominum huiusmodi vanitatibus implicare. Et ideo manifestum est, omnes huiusmodi observationes esse superstitiosas et illicitas et videntur esse quaedam reliquiae idololatriae, secundum quam observabantur auguria et quidam dies fausti vel infausti; quod *quodammodo pertinet ad divinationem,* quae fit per astra, secundum quae distinguebantur dies:

nisi *quod huiusmodi observationes sunt sine ratione et arte*; unde sunt magis vanae et superstitiosae ».

Veruntamen restat adhuc discrimen, quod divinatio mere ordinatur ad cognitionem ac veluti *ratione et arte constat* et cognitionem ordinat ad praenuntiationem. Observantia vero in his ordinatur ad directionem actuum.

Unde bene Struggl tr. 5. q. 5. art. 24. n. 27.: « Vana observantia differt a divinatione per hoc, quod divinatio directe intendat notitiam speculativam rerum occultarum; vana vero observantia praxim seu efficientiam commoditatum aut impedimentum incommoditatum. Licet igitur e. g. ars notoria indirecte intendat notitiam rerum occultarum, directe tamen intendit talis notitiae infusionem ». Quamvis postrema particula nimis constringat materiam (nisi id solum de eo exemplo intelligatur) et reipsa vox *observandi* videtur heic sumenda multiplici sensu, prout s. Thomas superius explicavit sup. n. 78.: secus nulla reddi poterit ratio, cur quaedam ad vanam observantiam revocentur, ut patebit ex Resp. 2. apud A. et ex resolutionibus.

357. * Aliter rem Suarez l. c. c. 15. n. 3. explicat: quia nimirum divinatio est de rebus, quae naturaliter sciri nequeunt; unde earum veritas et fides omnis resolvitur in auctoritatem daemonis. Ac per artem magiae seu vanae observantiae ea scientia quaeritur, quae per ordinarium studium posset comparari, ita ut per eam manifestetur veritas per propria media et principia, ex quibus naturaliter procedit. Porro qui hoc pacto edocetur a daemone, etsi evadat statim Philosophus vel Mathematicus, non dicitur divinus vel divinare. Addit, n. 7. ad hanc speciem magiae pertinere quoque, si quis artes aut scientias studio quidem addiscere velit, sed impetrato auxilio Daemonis, ut facilius, citius, melius et plenius discat. Cf. cum his dicta sub n. 334. Ostendit vero deinde c. 16. n. 12. infusionem scientiae, quae a daemone petatur, non esse nisi apparentem; cum Daemonis in potestate non sit habitus infundere. *

XXVIII. Respond. 2. Dividitur 1. sicut divinatio, in eam, quae ex pacto expresso cum daemone et in eam, quae ex implicito pacto procedit. 2. Dividitur communiter in quatuor species. Prima dicitur Ars notoria, quae inspectione certarum figurarum vel certo aliquo ieiunio, oratione etc. utitur ad scientiam repente ac sine labore acquirendam, ut faciunt Anabaptistae. Secunda dicitur Magia (quod nomen alioqui generale est), quae versatur circa corpora varie immutanda aliosque effectus miros. Tertia est observatio eventuum, qua ex consideratione alicuius eventus coniicitur, quid sit futurum: ut v. gr. si ex eo, quod casu occurrat vulpes, canis aut cadaver, certa imminere credat et inde actiones suas moderetur. Quarta dicitur observatio sanitatum, cum adhibentur quaedam signa, orationes, certus numerus crucium, sacra verba etc. velut necessaria et efficacia ad pellendos morbos. Idem est de gestatione reliquiarum cum vana circumstantia, v. gr. in tali capsa, tot diebus, cum tali herba etc. Sanch. c. 40. n. 11. Fill. t. 24. c. 6. n. 157.

358. Quia magia dicitur nomen generale, exinde Laymann v. gr. cuncta, quae de vana observantia disputantur, ad magiae titulum revocat.

Quando intercedit pactum expressum cum daemone et finis esset scientia non quidem per infusionem, sed per disciplinam acquirenda, esset quidem observantia illicita, sed non posset dici vana seu inefficax; quia, ut inquit Caiet. in 2. 2. 96. 1., « quantum est ex potestate naturali daemonis, esset efficax; quia posset facile docere aliquem melius quam quicumque philosophus vel astrologus ».

Cetera in praeced. resp. iam tacta sunt.

XXIX. Resp. 3. Vana observantia, sicut divinatio, est peccatum mortale ex genere suo. Ratio est, tum quia tribuit honorem divinum creaturae, exspectando ab ea, quod a solo Deo expectari debet: tum quia nititur pacto cum daemone. Less. Bon. q. 5. p. 4. et alii. Nec potest excusari a mortali ex parvitate materiae; quia simpliciter et in omni materia usurpatur cognitio aut virtus Dei propria. Aliunde tamen fieri posse, ut non sit mortale, docent Auctores supra cit. dub. 2. res. 3. 1. ratione ignorantiae si pactum sit implicitum tantum: 2. si non adhibeatur fides, licet timeatur ita esse vel futurum. Vide dicta de divinatione dub. 2. res. 3. casu 7. et Less. dub. 8. n. 53. et 66.

359. Quoad 2. partem notanda verba s. Thomae 2. 2. q. 96. art. 2. ad 1.: « Si simpliciter adhibeantur res naturales ad aliquos effectus producendos, ad quos putantur naturalem habere virtutem, non est superstitiosum vel illicitum ».

Ad quae Caietanus: « Nota ly. « *putantur habere naturalem virtutem* ». Quoniam hinc habes, quod quando aliqui adhibent lapides, herbas, imagines vel aliquid huiusmodi, ad sanandum vulnus vel mitigandum dolorem et huiusmodi, putando quod adhibeant naturales vel divinas causas, etiamsi errent, excusantur a superstitione, nisi ignorantia sit crassa et supina excusationisque non capax ».

Huc facit quod Caietanus habet ad art. 3. eiusd. q. 96. ad ea scilicet exempla vanae observantiae, quae s. Thomas affert ex Augustino *de Doctrin. Christ.* lib. 2. cap. 20. « Ad pacta cum daemonibus inita pertinent millia inanium superstitionum; puta si membrum aliquod salierit, si iunctim ambulantibus amicis lapis aut canis aut puer medius intervenerit: limen calcare, cum ante domum suam aliquis transit: redire ad lectum, si quis cum se calciat, sternutaverit: redire domum, si procedens offenderit: cum vestis a soricibus roditur, plus timere suspicionem mali futuri, quam praesens damnum dolere » ad haec, inquam, sic Caietanus: « Adverte, quod huiusmodi observationes, si fiant ex consuetudine patriae (ut Romae oportet proprium tangere nasum, cum proximi bona corporis valetudo laudatur et dicere *Angelus sanctus audiat* et hoc passim a mulieribus fit), quando ex quacumque levitate vel timore, simplici corde fiunt, putantes se non male facere sed vane, forsan non sunt superstitionis sed vanitatis rei, qui haec

servant. Et breviter communiter haec venialia videntur peccata, ut superius de divinationibus et auguriis et ceteris dictum est, quando superfluus est timor et irrationabilis ».

360. Item huc pertinent, quae idem Caietanus adnotat ad 4. art. eiusd. quaest. 96. « Adverte, quod multa observantur in his, quae pro Dei reverentia aguntur, quae superstitiosa apparent et tamen fiunt et dicunt se excusari, quia habent talem devotionem, v. gr. patientes contractiones nervorum accipiunt primum carlinum, oblatum Crucifixo in parasceve, cum adoratur et ex eo fit annulus, qui gestatus valet contra illam passionem. Dicunt, quod habent devotionem ad hoc, quia sic didicerunt et experiuntur. Ego nescio hos excusare a vanitate, nisi putet quis, expertus effectum ex devotione, quod Deus alicui sancto viro hoc inspiraverit. Sicut hodie, quia Gregorius triginta diebus orari fecit pro defuncto, Missae numero triginta dicuntur pro defuncto (a). Videntur ergo simplici corde similia credentes et facientes ex devotione excusandi; quia non peccant aut venialiter tantum, ex quo principale, puta quod divina assistat virtus, potest sustineri: licet nesciant aliam reddere rationem, quare has conditiones, quae vanae sunt, observent, nisi quia sic acceperunt a maioribus. Difficile est enim confutare, quod seniorum traditione et auctoritate firmatum vulgares acceperunt. Non sunt tamen haec extendenda, sed prudenter declaranda, *ubi fructus speratur,* ne deteriora eveniant. Videntur enim haec sic simplici corde ex devotione facta valde imperfecte superstitionem sapere; sicut mendacium iocosum imperfectum est in genere peccati in proximum ».

Haec autem notata sint pro praxi; quia iuvat potius instruere tempore opportuno, quando speratur fructus, quam absolute de gravi culpa damnare, non modo inutiliter sed perniciose, ob scrupulum gravis peccati, qui iniicitur.

XXX. Resp. 4. Vana observantia cognosci potest: 1. ex insufficientia causae adhibitae ad effectum, si nimirum nec habeat naturalem virtutem nec de supernaturali legitime constet: 2. ex adiunctione falsae vel vanae circumstantiae, ut verbi gratia si flagellatio fieri debeat certa hora, numero, manu flagro serico, si nomina adhibeantur ignota vel characteres peregrini, verba falsa vel apocrypha, v. g. Christum habuisse febres vel spasmum etc. Item si ponatur vis in modo scribendi, v. g. Evangelium s. Ioannis a virgine, oriente sole etc. 3. si effectus statim evanescat etc. Delrio l. 2. q. 5. Sanch. c. 40. n. 43.

Nihil addendum.

(a) De hac re cf. quae dicemus vol. V. *de Indulgentiis* in fine. E.

Ex dictis resolves.

XXXI. 1. Superstitiosum est: 1. Sumere aliquam potionem vel bolum vel quidvis aliud usurpare ad scientiam aliquam subito acquirendam. 2. Gestare amuleta, ligaturas, involucra falsis characteribus consignata contra vulnera vel subitam mortem, ne possint laedi vel ne sanguis effluat vel ad conciliandam invisibilitatem, impenetrabilitatem, amorem, fortunam, nocumenta et maleficia. 3. Ex casu fortuito coniicere de eventu, v. g. sibi aliquid boni vel mali eventurum, ut si mane egrediens pedem offendat ideoque domum regrediatur, timens aliquid infausti. 4. Dies aliquos habere, tanquam faustos, alios vero infaustos ideoque negotium omittere, v. g. die Veneris nolle ungues praescindere. 5. Feminarum carminatricum benedictiones et preces ad morbum depellendum adhibere. 6. Proiicere statuam alicuius Sancti in flumine, ut pluat. 7. Si putentur Missae non prodesse defunctis, nisi legantur septem cum septem certi coloris candelis et septem eleemosynis. 8. Si unguento armario, quo gladius iniungitur, absens curetur. 9. Si certo festo, v. g. s. Ioannis, certae adhibeantur orationes, vel festo s. Matthiae hederae follia aquis imponantur, ut cognoscatur, cui debeant nubere. 10. Si quibusdam precibus, imaginibus aut characteribus aut crucibus tribuatur certa et infallibilis vis, v. gr. evadendi ab hoste, expellendi morbos, non moriendi sine praevia confessione, non incidendi in infortunium etc. Aliud tamen est ea per orationes petere ac sperare. Delr. l. 3. p. 2. q. 4. s. 7. Suar. c. 15. Less. c. 44. d. 3. Sanch. n. 34. et 37. Fill. n. 150.

Res clara est.

XXXII. 2. Superstitiosum non est: 1. Observare lunam aut tempora aptiora colligendis herbis (v. gr. die s. Ioannis Baptistae), purgandis corporibus, caedendis arboribus etc. 2. Verba sacrae Scripturae vel reliquias gestare ad Dei tantum honorem et sine dictis vanitatibus. 3. Circa templum alicuius certi Sancti ter iumentum circumducere, die alicuius certi Sancti equis venam secare etc. si scilicet haec fiant, ut maior devotio excitetur et effectus Sanctorum meritis adscribatur. Aliud tamen esset, si putarentur tales circumstantiae infallibiles aut plane necessariae aut per se efficaces, vide Navar. *in Man.* c. 11. Addit Laym. ex Caiet., si homines rudes bona fide et ex devotione aliquem ritum ab Ecclesia non receptum observent, aliquando in sua simplicitate reliquendos; cum difficulter abducantur ab eo, quod bona fide a suis maioribus acceperunt. 4. Nec damnandae quaedam devotiones, quas vocant novendiales, v. g. novem, vel ad exemplum s. Gregorii triginta, vel alium certum numerum Sacrorum celebrare, cum certo numero et magnitudine candelarum et similia, si fiant in memoriam alicuius mysterii, v. g. novem mensium, quibus Christus fuit in utero vel quinque vulnerum etc. Esset tamen superstitiosum, credere eas preces non prodesse in maiore vel minore numero. 5. Multi excusant etiam eos, qui sanant morsus a rabido cane, quod putent illos ad hoc habere gratiam gratis datam et sic tenet Navar. *in Man.* c. 11. V. Sanch. Laym. Bon. ll. cc.

361. Ad n. 5. Quod quis possit habere gratiam gratis datam sanandi morsos a cane rabido, non negatur. Erit tamen res examinanda. Aliud exemplum gratiae curandi dolores ischiadicos (la sciatica) habemus in rusticorum familia prope Fulginium, quae gratia collata dicitur a s. Petro olim in hospitium recepto ab avis.

S. Alphonsus n. 18. tangit quaestionem, an licita sit virtus (vocata magia naturalis) in aliquibus, qui medentur quibusdam morbis signo crucis aut verbis sacris aut inhiationibus (h. e. inhalatibus) et vulgo

vocantur *salvatores* (puto *hispanice*, nam inter nos non viget haec quorundam appellatio: Sanchez tamen *Moral*. l. 2. c. 40. n. 45. seqq. vocat *salutatores*).

Alii, inquit, affirmant et dicunt naturalem virtutem; alii negant hanc virtutem dari sive naturalem sive gratis datam. Alii putant dari hanc virtutem et allegant historiam regum Francorum, qui tactu sanabant strumas (scrofole) et volunt addere etiam reges hispanos, qui sanabant strophias (quis morbus sit, nescio, nisi sit qui latinis dicebatur *strophus*, morbus nempe ventris cum circa umbilicum intestina torquentur: sed s. Alph. scribit *scrophias* et forte intellexit *scrofole* strumas, quae a latinis et scrofulae dictae) et liberabant etiam obsessos a daemone, utpote defensores fidei: sed hi putant, hanc esse gratiam gratis datam, licet putent probabilem eorum sententiam, qui dicunt priorem esse virtutem naturalem.

Verum opinio illa de naturali quorundam virtute ad medendum per tactum etc. debet haberi ut antiquata. Ratio eorum fuit, quod si lapidi aut herbae virtus est curandi morbum, possit haec corpori humano inesse. Etsi haec consequentia detur; nihilominus: 1° si virtus est corpori humano, uti herbae, generalis deberet esse omnium eiusdem speciei corporum, sicut et omnibus eiusdem speciei herbis inest: 2° modus causandi deberet esse proportionatus effectui, nec constringi signo crucis aut inhalatui aut verbis quibusdam. 3° Cur quaeso hanc virtutem attribuunt septimo filio masculo, qui septimus non interrupta serie masculus nascatur, in quo etiam Viva, apud s. Alph. n. 19., admittit eiusmodi naturalem virtutem? 4° ad constellationes provocabant: quibus quis modo aliquid tribuat?

S. Alph. n. 19. recte advertit, ad vanos observatores reduci oportere eos, qui halitu furnum tepefaciunt, qui contrectant carbones, halitu occidunt, sanant madidi vino et virtutem amittunt praesente alio *salvatore*.

Sed forte non facile admittenda generatim regula, quam subdit n. 20., in dubio effectum potius tribuendum causae naturali. Quam in rem affert verba s. Thomae aientis 2. 2. q. 60. art. 4.: « Ubi non apparent manifesta indicia de malitia alicuius, debemus eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando quod dubium est. ». Sed non faciunt ad rem; heic enim agitur de animo aliorum iudicando, non autem de rebus in se spectatis. Prudenter res potius consideranda.

XXXIII. 3. Non est illicitum uti virtute rei naturalis, quae per superstitionem cognita est: modo eius observatio aut operatio non pendeat ab ope daemonis. Ratio est, quia licet illa cognitio male parta sit, peccatum tamen transiit neque virtus naturalis ex eo quidquam mali contraxit. Vid. Sanch. 2. *Mor*. c. 38. Bon. q. 5. p. 4. Laym. l. 4. t. 10. c. 4.

Clara res est.

Dub. V.

De Maleficio.

XXXIV. Respond. 1. Maleficium est vis nocendi aliis, ex pacto et cooperatione daemonis. Differt a Magia, quod haec intendat facere mira: illud autem dirigatur ad nocendum. Tol. l. 4. c. 10. Fill. t. 24. c. 8. q. 1.

XXXV. Respond. 2. Maleficium aliud dicitur amatorium seu philtrum, cuius usus est ad carnalem amorem vel odium excitandum, daemone hominis phantasiam commovente, nihil tamen agente in voluntatem. Unde patet, si maleficio sic infecti labantur, eos vere peccare; quia libertas non aufertur. Aliud dicitur Veneficium, quo alicui personae vel eius bonis damnum infertur. Fill. l. c. n. 183. Azor, t. 1. l. 9. c. 26.

XXXVI. Respond. 3. Contra maleficia uti licet. 1. Remediis petitis ex medicina. 2. Exorcismis et Sacramentis Ecclesiae, peregrinationibus, invocationibus Sanctorum etc. 3. Destructione signorum, per quae daemon nocet, absque tamen alio maleficio Navar. et communiter alii. 4. Si maleficus licito modo potest maleficium tollere, licet eum ad id accersere, rogare, imo etiam pecunia inducere vel verberibus aut tormentis cogere (non tamen interficere, si nolit) Lugo, Dian. p. 8. t. 7. r. 53. idque, etiamsi constet, eum id facturum per novum maleficium, sicuti ex causa licet ab usurario petere mutuum ad usuram. Ratio est, quia cum habeam ius petendi, quod ab illo recte praestari potest et est indifferens, imputabitur illius malitiae, si id male faciat. V. Sanch. l. 7. *de Matr.* d. 95. n. 12. Fill. n. 192. Less. l. 2. c. 44. d. 6. contra Delrium. 5. Licet etiam contrarium signum positivum apponere, ex se tamen honestum: v. gr. si daemon esset pactus cum malefico, se tandiu nociturum, quandiu meleficiatus se cruce non signaret aut lavaret corpus (nam plerumque fit cum tali aliqua conditione, v. gr. ut tandiu duret, quandiu manet aliqua ligatura aut res aliqua certo loco defossa) licebit illi se signare, lavare etc. Suar. Less. l. 2. c. 44. n. 45. Ratio est, quia non est intentio positiva recuperandi sanitatem eo medio, sed tantum tollendi signum et dissolvendi pactum cum daemone. Unde ulterius patet, licere repercutere sagam, quae te tetigit; ea enim repercussa, solet noxa cessare, ut habet Less. loc. cit. et Sanch. lib. 7. *de Matr.* d. 95. et 96. 6. Si maleficus non potest tollere maleficium, nisi per novum, non licet eum ad id inducere; quia id esset inducere ad peccatum et actui intrinsece malo cooperari. Suar. Sanch. Less. etc. ll. cc. 7. Si dubitetur, an possit sine maleficio novo tollere, non licet ab eo petere, ut habet Laym. l. 4. tr. 10. c. 4. n. 9. Sanchez et Suarez; quia est periculum peccandi. Facilius autem praesumi potest, eum, qui signa posuit, posse ea sine novo maleficio destruere, quam eum, qui non posuit. Unde, si hic suam operam offerat, prius erit examinandus de modo solvendi. Vide Laym. hic. Bon. d. 3. q. 5. p. 5.

362. * Ad resp. 1. et 2. nihil addendum: maleficium species est magiae et quod de hac dictum est, de eo dicendum.

In Resp. 3. n. 3. adverte cum Suarez l. c. c. 17. n. 10. seqq. quod per ablationem signi nihil postulatur a daemone, sed solum tollitur id, unde solet daemon moveri ad faciendum malum; neque intentio auferentis signum est intentio obligandi daemonem ad aliquid faciendum; in hoc enim misceretur superstitio, sed est tantum intentio destruendi incentivum daemonis ad tale maleficium committendum vel conservandum. Nec enim dubitari potest, quin daemones his signis excitentur et inducantur ad nocendum et quod cessare soleant, his destructis; nam

hoc experientia notum est. Quapropter destructor signi non innititur pacto inito a daemone sive secum sive cum alio, ut certo credat maleficium interiturum; nam nec opus est ut de hac re sit certus; cur autem id credat eventurum, est ipsa notitia, quae per experientiam habetur, regulariter et frequentius ita contingere, ut cesset maleficium, ablato signo. Quocirca honestum est haec signa destruere; et sane nonne superstitiosa amuleta sunt signa foederis cum diabolo? quae tamen optimum est destruere neque est ullus confessarius pius et doctus, qui poenitentem absolvat prius quam haec destruat. Unde concluditur, quod talis destructio non solum licita est, sed per se loquendo est etiam praecepta mago quidem ex iustitia, aliis ex caritate. Cetera clara. * Sed illud: *coutra Delrium* sub numero, 4° debet esse mendum nam Delrius *disquis. magic.* l. 6. c. 2. 9. 3. idem docet quod alii, quos praevertit et qui ipsum citant.

XXXVII. Quaeres: Quomodo Confessario agendum cum Divinatoribus, Magis etc.

Respond. 1. Examinandi sunt, praeterquam de variis superstitionibus, 1. Quo fine tali superstitioni se addixerint, v. g. an ratione vehementis passionis, tristitiae, vindictae, avaritiae aut sanctitatis nomen conciliandi, quae esset sacrilega hypocrisis. 2. De apostasia, idololatria et haeresi; abnegant enim Christum et Deum, renunciant Sacramentis: habent daemonem pro Deo vel sancto nec damnatum putant aut miserum et consequenter illius asseclas non esse damnandos. 3. De blasphemiis in Deum et Sanctos, de sacrilegiis; abutuntur enim rebus sacris, ut aqua benedicta, Eucharistia etc. 4. De luxuria et commixtione cum daemone. 5. De damnis proximo illatis. Suar. Sanch. Fill. Bon. ll. cc.

XXXVIII. Resp. 2. Monendi sunt, eos teneri. 1. Pactum expressum, si quod habent, cum daemone aut commercium abiurare et dissolvere. 2. Libros suos, schedas, ligaturas aliaque instrumenta artis comburere. 3. Comburere chirographum, si habent: si vero solus daemon id habeat, non necessario cogendus est, ut reddat; quia pactum sufficienter dissolvitur per poenitentiam. 4. Damna illata resarcire, ad quod proinde etiam tenetur Fiscus (ubi veneficorum bona confiscantur) uti et heredes, si ad eos bona deveniant. Laym. l. c. Suar. t. 1. *de Rel.* l. 2. c. 17. Sanch. l. c. c. 40. Fill. etc.

XXXIX. Respond. 3. A parochis moneri et a confessariis examinari circa hoc praeceptum potissimum debent 1. Opiliones, qui variis dediti esse solent observationibus, ut gregem suum a lupis vel scabie vel aliis incommodis tueantur: 2. Fabri ferrarii, qui circa equos sanandos utuntur verbis vel ex psalmis vel ex oratione Dominica desumptis: 3. Rustici, qui ad sananda pecora inanibus et superstitiosis observationibus utuntur vel recurrunt ad peritos talium artium: 4. Vetulae, quae circa mulieres laborantes in partu vel ex matrice vanas et superstitiosas adhibent orationes, 5. Milites, qui deferunt secum sacra nomina vel orationes ad certitudinem, quod in bello, vel duello non sint vulnerandi, nunquam aqua, igne vel subita morte perituri.

363. * Nota. De his criminibus superstitionis, divinatione, vana observantia seu magia et maleficio agitur in decreto c. XXVI. a. q. 1. ad 5.

Constat olim divinatores, magos, sortilegos atque ad eos recurrentes subiacuisse excommunicationi ferendae sententiae; latae vero si haeresis admisceretur. Illa prior excommunicatio non est dicenda abrogata

per Constitutionem *Apostolicae Sedis,* quae solum de censuris latae sententiae loquitur. Cf. Ferraris v. *Superstitio* n. 40.

364. Atque haec quidem secundum doctrinam et methodum veterum Theologg. prosecuti sumus, non tantum ut morem eis gereremus, sed quia haec maxime congrua sunt et necessaria aetati nostrae. Nam vere hodie versamur inter magos et maleficos eosque plurimos, quibus undique premimur et constringimur. Certa quaedam sane magiae species hodie est potissimum in usu, cui pene omnis hominum classis est familiaris, nempe Spiritismus; honestius quidem nomen, at ad turpitudinem tegendam, non minuendam.

Spiritismus enim non est nisi quae hactenus vocata fuit *Magia,* qua effectus praeter naturae leges eduntur, et speciatim *Necromantia;* quae est evocatio mortuorum, non quod reapse defunctorum animae evocentur et veniant, sed quod haec sit intentio evocantis: re autem vera daemones evocantur et respondent.

Constat enim fide, Deum nolle animas defunctorum ab hominibus evocari, nec velle ut arte aliqua vel hominum nutu aut voluntate commercium ab his cum illis instituatur atque ita haec nolle ut non solum illicita, sed inefficax prorsus sit huiusmodi evocatio. Haec est Ecclesiae certa doctrina. Cum ergo tales evocationes fiunt, non animae vocatae respondent neque Angelus bonus, qui nequit Dei contradicere decreto, et tamen spiritus aliquis respondet: restat ergo ut hic ille sit, qui est princeps huius mundi, qui est tentator, qui contra Deum agentes decipere permittitur, h. e. Satanas aut aliquis angelus eius. Est ergo Spiritismus commercium cum diabolo, a quo mira, quae naturales vires superant, homines petunt et consequuntur, et cui se tradunt docendos et regendos et a quo, ut rerum eventus testantur, a vera Ecclesia abducuntur et in haereses ac infidelitatem abripiuntur.

Discrimen quidem est inter hodiernos et crastinos necromantas. Illi enim diabolum esse credebant et cum eo paciscebantur, isti non credunt vel simulant se non credere: illi in abominatione erant apud omnes, isti sunt in honore: illi clam artem suam exercebant, isti publice.

365. * De *Hypnotismo* artificiali qui est a spiritismo prorsus secernendus, si suis propriis limitibus continetur, qui sunt lethargus, catalepsis, sonnambulismus, quin admisceantur aliena ex spiritismo vel magia, naturae vires non excedit, cum vel iidem effectus in hypnotismo spontaneo contingant, vel non difficulter explicentur ex causis naturalibus. Conditio eius est affecta plus minus corporis valetudo, speciatim quoad nerveum systema; dubitatio tamen restat non levis circa phaenomenon, quod dicitur, *suggestionis:* verum docti quidam et religiosi viri

censent, illud naturaliter explicari posse. Praeterea neque interventu daemonis satis perspicue explicatur, et tandem, si huic phaenomeno se immiscet daemon, id non hypnotismo tribuendum erit, sed spiritismo qui superadditur hypntismo et eo abutitur. Cf. opus Doctoris Iosephi Lapponi *Ipnotismo e Spiritismo* Roma 1897.

Qui olim *Magnetismus animalis* vocabatur, utrumque genus phaenomenorum complectebatur, Hypnotismi et Spiritismi et ut ex citandis decretis apparet, propter effectus alterius generis reprobatus fuit.

Profecto hypnotismo abuti homines possunt, cum praesertim *suggestio* immiscetur, quae, quamvis ad bonum finem adhibeatur (nam et bonae actiones suggeri possunt), laedit humanam dignitatem, impeditque exercitium libertatis hominemque alterius hominis subiicit dominio. *

366. Sequuntur responsa a S. Sede per Romanas Congregationes data.

De hac re consulta fuit Congregatio s. Officii iam inde ab an. 1840. et facta generali quaestione « *Utrum magnetismus generatim acceptus et in se* censeri debeat licitus an illicitus, s. Congregatio die 23. iunii 1840. fer. III. respondit: « Consulat probatos Auctores, cum hac advertentia, quod remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita daemonis invocatione, merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus; dummodo non tendat ad finem illicitum aut quomodocumque pravum. Applicatio autem principiorum et mediorum pure physicorum ad res aut effectus vere supernaturales ut physice explicentur, non est nisi deceptio illicita et haereticalis ».

Quae postrema verba ad eos spectant, qui iam conclamatum dicebant de miraculis, exstasibus prodigiosis etc., quasi haec omnia per magnetismum explicari possent.

In prima autem parte continentur communia principia, quibus adhibitis pronum est naturales operationes a superstitiosis discernere.

Anno autem insequenti 1841. quaesitum fuit a s. Congregatione Inquisitionis non iam de magnetismo generatim, sed cum circumstantiis quae non raro adesse solent, cuiusmodi sunt, ut habet Scavini tom. 2. pag. 119. not., quod magnetizatus evidenter indoctus illico cernitur doctissimus: legendi imperitus scripta arabica etiam clausa legit absque oculorum usu: obtemperat magnetizanti, etsi pluribus leucis ab ipso distet aliaque id genus agit, quae naturales effectus simpliciter haberi non possunt. Item quod magnetismus plerumque habeat locum cum personis diversi sexus non sine maximo morum honestatis periculo ».

Et s. Congregatio, probante Gregorio XVI. die 21. aprilis an. 1841.,

breviter sed clare respondit « Usum magnetismi, prout exponitur, non licere ». Apud Scavini l. c. pag. 119. et Monticelli tom. 2. pag. 130.

367. Eadem de causa Episcopus Lausanensis (di Losanna) ad s. Poenitentiariam recurrit hac epistola.

POSTULATUM

EPISCOPI LAUSANENSIS CIRCA MAGNETISMUM

« Cum hactenus responsa circa magnetismum animalem minime sufficere videantur sitque magnopere optandum, ut tutius magisque uniformiter solvi queant casus non raro incidentes; infra signatus Eminentiae vestrae humiliter sequentia exponit.

« Persona magnetizata, quae plerumque sexus est feminei, in eum statum soporis ingreditur, dictum *somnambulismum magneticum*, tam alte, ut nec maximus fragor ad eius aures nec ferri ignisve vehementia illam suscitare valeant. Ab solo magnetizatore, cui consensum suum dedit (consensus enim est necessarius) ad illud exstasis genus adducitur, sive variis palpationibus gesticulationibusve, quando ille adest, sive simplici mandato eodemque interno, cum vel pluribus leucis distat.

« Tunc viva voce seu mentaliter de suo absentiumque penitus ignotorum sibi morbo interrogata, haec persona evidenter indocta illico medicos scientia longe superat: morborum internorum in humano corpore, qui cognitu definituque peritis difficillimi sunt, causam, sedem, naturam indigitat eorumque progressus, variationes et complicationem evolvit idque propriis terminis; saepe etiam dictorum morborum diuturnitatem exacte praenuntiat, remedia simplicissima et efficacissima praecipit.

« Si adest persona, de qua magnetizata mulier consulitur, relationem inter utrumque per conctactum instituit magnetizator; cum vero abest, cincinnus ex eius caesarie eam supplet ac sufficit. Hoc enim cincinno tantum ad palmam magnetizatae admoto, confestim haec declarat, quid sit (quin adspiciat oculis), cuius sint capilli, ubinam versetur nunc persona, ad quam pertinent, quid rerum agat circaque eius morbum omnia supradicta documenta ministrat, haud aliter atque si medicorum more corpus ipsa introspiceret.

« Postremo magnetizata non oculis cernit, ipsis velatis: quidquid erit, illud leget legendi nescia seu librum seu manuscriptum vel apertum vel clausum seu capiti seu ventri impositum. Etiam ex hac regione eius verba egredi videntur. Hoc autem statu educta vel ad iussum etiam internum magnetizantis vel quasi sponte sua ipso temporis puncto a se

praenuntiato, nihil omnino de rebus in paroxismo peractis sibi conscire videtur, quantumvis ille duraverit, quaenam ab ipsa petita fuerint, quae vero responderit, quae pertulerit, haec omnia nullam in eius intellectu ideam nec minimum in memoria vestigium relinquunt.

« Itaque orator infrascriptus tam validas cernens rationes dubitandi, an simpliciter naturales sint tales effectus, quorum occasionalis causa tam parum cum eis proportionata demonstratur, enixe vehementissimeque V. Eminentiam rogat, ut ipsa pro sua sapientia ad maiorem Omnipotentis gloriam nec non ad maius animarum bonum, quae a Domino redemptae tanti constiterunt, decernere velit, an posita praefatorum veritate, confessarius parochusve tuto possit poenitentibus aut parochianis suis permittere.

« 1° ut magnetismum animalem, illis characteribus similibusve praeditum exerceant, tamquam artem medicinae auxiliatricem atque suppletoriam:

« 2° ut sese illum in statum somnambulismi magnetici dimittendos consentiant:

« 3° ut vel de se vel de aliis personas consulant illo modo magnetizatas:

« 4° ut unum de tribus praedictis suscipiant, habita prius cautela formaliter ex animo renuntiandi cuilibet diabolico pacto explicito, omni etiam satanicae interventioni; quoniam, hac non obstante cautione, a nonnullis ex magnetismo huiusmodi vel iidem vel aliquot effectus obtenti iam fuerunt.

« Eminentissimi DD. eminentiae vestrae,

« De mandato rmi Episcopi Lausanensis et Genevensis, humillimus obsequentissimusque servus Sac. Xaverius Fontana, Canon. Cancell. Episc.

« Friburgi Helvetiae ex aedibus Episc. die 19. maii 1841. ».

RESPONSIO

« Sacra Poenitentiaria, mature perpensis expositis, respondendum censet, prout respondet: usum magnetismi, prout exponitur, non licere.

« Datum Romae in s. Poenitentiaria die 1. Iul. an. 1841.

« CARD. CASTRACANE M. P.
« PHIL. POMELLA S. P. Secretarius ».

SUPREMAE S. ROMANAE UNIVERSALIS INQUISITIONIS

ENCYCLICA

AD OMNES EPISCOPOS ADVERSUS MAGNETISMI ABUSUS.

Fer. IV. die 30. Iulii 1856.

368. I. « In Congregatione Generali S. R. et Universalis Inquisitionis habita in Conventu S. M. supra Minervam, Rmi ac Emi DD. Cardinales iu tota republica Christiana adversus haereticam gravitatem Generales Inquisitores, mature iis, quae circa magnetismi experimenta a viris fide dignis undequaque relata sunt, decreverunt edi praesentes litteras encyclicas ad omnes Episcopos ad magnetismi abusus compescendos.

II. « Etenim compertum est, novum quoddam superstitionis genus invehi ex phaenomenis magneticis, quibus haud scientiis physicis enucleandis, ut par esset, sed decipiendis ac seducendis hominibus student neoterici plures, rati, posse occulta, remota ac futura detegi magnetismi arte vel praestigio, praesertim ope muliercularum, quae unice a magnetizatoris nutu pendent.

III. « Nonnullae iam hac de re a S. Sede datae sunt responsiones ad peculiares casus, quibus reprobantur tanquam illicita illa experimenta, quae ad finem non naturalem, non honestum, non debitis mediis adhibitis assequendum, ordinantur; unde in similibus casibus decretum est Fer. IV. 21. april. 1841., *Usum magnetismi, prout exponitur, non licere.* Similiter quosdam libros eiusmodi errores pervicaciter disseminantes, prohibendos censuit S. Congregatio. Verum quia praeter particulares casus de usu magnetismi generatim agendum erat, hinc per modum regulae sic statutum fuit Fer. IV. 28. Iulii 1847. = Remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita daemonis invocatione, usus magnetismi, nempe merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus, dummodo non tendat ad finem illicitum aut quomodolibet pravum. Applicatio autem principiorum et mediorum pure physicorum ad res et effectus vere supernaturales, ut physice explicentur, non est nisi deceptio omnino illicita et haereticalis =.

IV. « Quamquam generali hoc decreto satis explicetur licitudo aut illicitudo in usu aut abusu magnetismi, tamen adeo crevit hominum malitia, ut neglecto licito studio scientiae, potius curiosa sectantes, magna cum animarum iactura ipsiusque civilis societatis detrimento, ariolandi divinandique principium quoddam se nactos glorientur. Hinc *somnambulismi* et *clarae intuitionis*, uti vocant, praestigiis mulierculae

illae gesticulationibus non semper verecundis abreptae, se invisibilia quaeque conspicere effutiunt ac de ipsa religione sermones, animas mortuorum evocare, responsa accipere, ignota et longinqua detegere aliaque id genus superstitiosa excercere ausu temerario praesumunt, magnum quaestum sibi ac dominis suis divinando certo consecuturae. In hisce omnibus, quacumque demum utantur arte vel illusione, cum ordinentur media physica ad effectus non naturales, reperitur deceptio omnino illicita et haereticalis et scandalum contra honestatem morum.

V. « Igitur ad tantum nefas et religioni et civili societati infensissimum efficaciter cohibendum, excitari quam maxime debet pastoralis sollicitudo, vigilantia ac zelus episcoporum omnium. Quapropter quantum divina adiutrice gratia poterunt locorum Ordinarii, qua paternae charitatis monitis, qua severis obiurgationibus, qua demum iuris remediis adhibitis, prout attentis locorum, personarum temporumque adiunctis expedire in Domino iudicaverint, omnem impendant operam ad huiusmodi magnetismi abusus reprimendos et avellendos, ut dominicus grex defendatur ab inimico homine, depositum fidei sartum tectumque custodiatur, et fideles sibi crediti a morum corruptione praeserventur.

« Datum Romae in Cancelleria s. Officii apud Vaticanum die 4. Augusti 1856.

« V. Card. Macchi ».

Atque haec satis sint in re adeo nota.

CAPUT II.

DE IRRELIGIOSITATE EIUSQUE SPECIEBUS

XL. Irreligio, quae religioni opponitur per defectum, vel tendit directe ad irreverentiam Dei, et est tentatio Dei aut periurium: vel tantum tendit ad irreverentiam rerum sacrarum, et est sacrilegium aut simonia. De periurio in secundo praecepto; de reliquis hîc.

369. * « Deinde, ait s. Thomas q. 97., considerandum est de vitiis religioni oppositis per defectum religionis, quae manifestam habent contrarietatem ad religionem: unde sub *irreligiositate* continentur (inde patet irreligiositatem a s. Thoma specifice sumi, non generice: nam generice quodlibet vitium contra religionem complectitur. Cf. Suarez lib. et cap. infra mox citando). Huiusmodi autem sunt ea, quae pertinent ad contemptum sive irreverentiam Dei et rerum sacrarum ». Itaque in superstitione defertur cultus divinus, sed vel eo modo, quo non debetur vel cui non debetur: in irreligiositate agitur contra cultum Deo vel rebus sacris debitum. Porro quae pertinent

ad primum genus h. e. irreverentiam Dei dicit s. Doctor esse *tentationem Dei* et *periurium:* ad secundum vero genus h. e. irreverentiam rerum sacrarum pertinent *sacrilegium* et *simonia* q. 99.

Cur vero in his actibus peccari dicitur contra religionem per defectum? Nempe, quia in ipsomet actu, qui deberet esse cultus et in obsequium Dei, defectus aliquis committitur, propter quem cedit potius in irreverentiam Dei. Videtur autem huc spectare quoque blasphemia, ut Suarez disserit *de Relig.* tr. 3. l. 1. c. 1. n. 8.: quamvis s. Thomas de ea agat prout est opposita confessioni fidei q. 13. et 14.: Auctor vero de ea agit sub seq. praecepto. *

Dub. I.

De tentatione Dei.

XLI. Resp. Tentatio Dei est dictum vel factum, quo quis explorat, num Deus sit potens, sapiens, misericors aut aliquam aliam perfectionem habeat. s. Thom. 2. 2. q. 92. a. 1. Sanch. etc. Ea est duplex, scilicet vel formalis, quando quis expresse dubitans de aliqua Dei perfectione, eam experiri cupit: ut si quis petat miraculum, quo patefiat fidem Catholicam esse veram, vel det se praecipitem ex turri, ut experiatur, an Deus sit misericors, eum eripiendo a laesione. Vel est implicita et interpretativa, quando quis, etsi expresse non intendat Deum tentare, id tamen petit vel agit, quod suapte natura eo referri videtur: ut si quis se committat periculo, a quo vel nullo modo vel vix possit eripi, nisi miraculose, vel si media naturalia omittat, sperans a solo Deo effectum, v. gr. in morbo periculoso respuens medicinam petensque ac sperans a Deo temere sanitatem. Nav. c. 11. Less. n. 4. Item si sine necessitate et causa rudis absque praeparatione velit concionari, sperans a Deo sibi suggerendos conceptus. Suar. Sanch. Less. Laym. l. 4. t. 10. c. 5.

370. Tentare in ss. Litteris dicitur de iis, qui provocant iram Dei. Vid. Suar. *de Relig.* tom. I. lib. I. *de Vitiis contr. Relig.* cap. 2. n. 2. Apud Theologos tentatio alia est *probationis,* alia *seductionis.* Tentare autem ait s. Thom. 2. 2. q. 97. art. 1. est *proprie* experimentum sumere de eo qui tentatur. Et hoc sensu nunc usurpamus.

S. Thom. ibid.: « Sumimus autem experimentum de aliquo et verbis et factis. Verbis quidem, ut experiamur, an sciat quod quaerimus vel an possit aut velit illud implere; factis autem, cum per ea, quae facimus, exploramus eius prudentiam vel voluntatem vel potestatem ».

Exempla sunt obvia quoad utrumque modum et quotidie haec et passim fiunt.

Sic dubitationem quis proponit circa vim vocis, circa historiam alicui eum in finem ut detegat quanta sit eius scientia. Sic herus pecuniam in mensa relinquit, ut experiatur fidem famuli etc.

S. Thomas l. c. praeterea distinguit tentationem in *apertam,* sicut Samson Iud. XIV. proposuit Philistaeis problema ad eos tentandum;

et in *occultam* seu insidiosam, sicut Pharisaei et Scribae plus semel Christum Dominum tentarunt et verbis et factis: v. gr. interrogando, quod mandatum esset maximum in lege = vel = an liceret tributa dare Caesari = vel = cum adduxerunt adulteram.

371. Communior et ad usum conferens est alia distinctio, ut alia sit tentatio *formalis seu expressa,* alia autem *virtualis seu interpretativa,* de quibus A.

Prior ex s. Thoma 2. 2. q. 97. art. 1. duo includit, 1° dubitationem de eo, quod quis per experimentum vult explorare; 2° dictum vel factum, quod eo animo ponatur, ut sumatur dictum experimentum.

Altera sic a s. Thoma exponitur l. c.: « Quasi interpretative Deum tentat, qui etsi non intendit experimentum de Deo sumere, aliquid tamen petit vel facit, quod ad nihil aliud utile est, nisi ad probandam Dei potestatem vel bonitatem vel cognitionem ».

Verum haec indigent ulteriori explicatione.

Et quoad *expressam,* exploratio fieri potest dupliciter: 1° ad cognoscendas perfectiones, quae intrinsecae Deo sunt ac necessariae, cuiusmodi sunt, quas Auctor memorat: 2° ad cognoscendas quasdam Dei operationes aut affectus aut locutiones ad extra, quae pendeant a libera Dei voluntate. Prior simpliciter appellatur *tentatio Dei;* alteram placet Suarezio appellare *tentationem voluntatis seu actionum Dei:* quod quidem discrimen videbimus non esse levis momenti (Ex Suar. *De vitiis contr. Relig.* lib. 1. c. 2. n. 3.). Exempla autem ab Auctore allata pertinent, primum quidem illius, qui dubitans de fide petit miraculum ad confirmationem, v. gr. an vera sit Ecclesia catholica, ad primum modum: secundum autem illius, qui praecipitem se dat a turri, ut experiatur an Deus sit misericors, est ambiguum, cum referri aeque possit vel ad perfectionem Dei in se spectatam, vel potius ad affectum Deo liberum erga talem hominem. Exemplum autem primi modi habes in verbis Psalmi LXXVII. 19. 20.: *Numquid poterit Deus parare mensam in deserto? Quoniam percussit petram et fluxerunt aquae et torrentes inundaverunt, nunquid et panem poterit dare aut parare mensam populo suo?*

Praeterea non semper *expressa* tentatio procedere videtur ex dubitatione. Nam licet aliquis certus sit, potest velle fieri certior sive ad expellendas facilius tentationes, sive ex vana ratione seu curiositate. Sane Abraham Gen. XV. 8.: dixit de terra a Deo sibi promissa: « *Unde scire possum, quod possessurus sim eam?* » Et Gedeon Iudic. VI. 39. licet Deo revelanti credidisset, petivit tamen signum velleris, quod, arescente circumcirca terra, madidum foret neque hoc prodigio contentus petivit aliud prodigium, ut nempe madescente terra vellus siccum esset.

Posset pari modo quispiam petere miraculum ad confirmationem alicuius veritatis, vel propter se vel propter alios, idque sine ulla necessitate aut utilitate petere v. gr. ex vana curiositate, ut videre possit angelos circumstantes altare tempore Missae.

372. Quoad tentationem *virtualem seu interpretativam* bene sic notat Sanchez *in Decal.* lib. 2. cap. 34. n. 2.: « Ut tamen sit tentatio Dei, etiam in interpretativa oportet operantem habere respectum ad Deum, exspectato medio extraordinario ab ipso et tunc opponitur Religioni; est enim Dei irreverentia expectare imprudenter id auxilium ». Consentit Bonacina *de* 1. *Praecept.* disp. 3. q. 9. p. unic. n. 3. allegans etiam Lessium lib. 2. cap. 45. n. 2.

Id ipsum notaverat Suarez *de Vitiis Relig. oppositis de Relig.* tr. 3. lib. I. cap. 3. n. 4.: « In hoc puncto in primis dicendum est, ad hanc tentationem Dei interpretativam necessarium esse, ut opus fiat cum aliquo respectu ad Deum ». Quod dein sic explicat n. 5.: « Quod autem in illo modo agendi intercedat imploratio divini auxilii, manifestum est; quia eius intuitu homo aggreditur tale opus, etiam saepe cum periculo vitae. Unde ordinarie adiungi solet etiam expressa imploratio divini auxilii, ut constat ex multis historiis, quas erudite colligit Martinus Delrio *Disq. Mag.* lib. 4. c. 4. q. 4. seqq. Et moraliter vix poterit homo aliter tale opus aggredi. Nam licet voce forte non oret, corde tamen implorabit Deum, in quo ita confidit. Vel certe quamvis nec interius loquatur orando, ipso *desiderio et intentione obtinendi a Deo talem protectionem vel cooperationem,* virtualiter implorat extraordinarium auxilium ad talem effectum necessarium ».

Quod autem dicit *desiderio et intentione implorari* etc. iis innititur quae praemiserat n. 4.: « Ad tentationem interpretativam Dei non satis est respuere causas secundas: nemo autem est ita stolidus, ut possit velle effectum sine ulla causa tam secunda quam prima. Ergo qui tentat Deum etiam interpretative, vult effectum a causa prima sine secunda. Ergo tentatio Dei fit semper saltem cum hoc respectu ad Deum ».

373. Hinc patet, nullam esse Dei tentationem, quando quis a Deo nihil expectat. Id autem duplici modo fieri potest.

Nam 1° potest quis se committere discrimini, quia periculum illud vult. Sic qui modo duellum ineunt; olim enim exspectabatur Dei iudicium. Ita si quis ingrediatur ignem, non volens evadere ustionem, sed ut comburatur, non censetur tentare Deum, sed se occidere vel ex desperatione, vel per specialem Dei instinctum, ut s. Apollonia. Ita si quis aut cibum respuit aut medicinas, quia aut vult mori aut pati morbum, hic non tentat Deum, sed aut morbo carnem suam affligere vult ex virtute, aut peccabit contra salutem suam agendo.

2° Ex imprudentia seu stoliditate poterit velle quis effectum, non quidem hunc ab auxilio Dei exspectans, sed stulta quadam fiducia credens casu quopiam evasionem sibi possibilem. Sic quidam aegroti nec medicos vocant nec medicinas adhibent et de hoc se iactant. Ita non pauci ex adolescentibus ad examen accedunt non rite parati, non tamen abiecta spe laureae aut gradus academici consequendi.

Unde resolves.

XLII. 1. Tentatio Dei formalis est peccatum ex genere suo mortale, in quacumque etiam materia. Ratio est, quia includit dubitationem de perfectionibus Dei, quae in gravem Dei contemptum redundat, vel magnam irreverentiam, curiosius agendo cum Deo, quasi cum ludione. Less. l. 2. c. 45. d. 1. Sanch. l. 2. c. 34. Suar. et ceteri commun.

374. Quod dicit A. esse peccatum grave in *quacumque etiam materia,* significat non dari levem culpam ob materiae levitatem.

Id autem praesertim ac primario dicitur de tentatione, quae procedit ex dubitatione de perfectionibus divinis. Ratio, quia procedit ex infidelitate, prouti est dubium in materia fidei. Dubium autem in materia fidei non potest esse ex parvitate materiae peccatum veniale.

Sed dices: hoc est peccatum potius contra fidem, quam contra virtutem religionis.

Respondet s. Thomas 2. 2. q. 97. art. 3. ad 1.: « Ad religionem pertinet protestari fidem (heic posset esse peccatum contra fidem) per aliqua signa ad divinam reverentiam (haec est virtus religionis) pertinentia. Et ideo ad irreligiositatem pertinet, quod ex incertitudine fidei homo aliqua faciat, quae ad divinam irreverentiam pertinent; cuiusmodi est tentare Deum. Et ideo est irreligiositatis species »: nempe praeter peccatum infidelitatis accedit magna irreverentia Dei, quae in eo est, quod quis ab ipso Deo petat probationem suae excellentiae, potentiae, sapientiae: quod est contra reverentiam Deo debitam. Huc etiam spectat, quod dicit A., agi scil. cum Deo curiosius veluti cum ludione (giocoliere, saltimbanco).

Et sane distinguenda est quaedam irreverentia, quae in quolibet peccato residet et consideratur veluti materialiter se habens, cum actus formaliter contrarius sit alii virtuti, v. gr. fidei, spei, caritati etc.; alia vero est irreverentia, qua quis Deum tentat, ut exploret eius attributa. Et sane quod attinet ad fidem, potest quis non solum interne, sed etiam externe tum credere, tum dubitare. Si nihil aliud addat, erit actus fidei, vel infidelitatis, nec actus ille, in suo genere consummatus, est tentatio Dei. Si autem ulterius procedat et a Deo petat novum et extraordinarium modum ostendendae seu probandae veritatis, ut illam exploret, novum genus peccati committit, quod non spectat ad

speciem infidelitatis ex parte sui obiecti, sed ex hoc habet novam inordinationem, in hoc residentem, quod aliquid a Deo in materia indebita postulet, quod est contra reverentiam Dei et idcirco contra virtutem Religionis, cuius est Deo debitam reverentiam exhibere.

375. Licet autem non detur in *formali* Dei tentatione levitas materiae, plura tamen occurrunt notanda.

Et primo cum dixerimus superius n. 371. dubitari posse vel de perfectionibus Dei intrinsecis vel de decretis voluntatis suae, notat Suarez *de Relig.* tom. I. tr. 3. lib. 1. cap. 2. n. 5., dubitare de hisce posterioribus non esse ita per se malum; quia non tenetur homo nec potest in omnibus scire voluntatem Dei liberam nec de omni effectu potest statim cognoscere, quomodo a Deo sit. Ideo in explorandis his actibus non statim apparet malitia, sed spectandae sunt circumstantiae.

Dicimus, spectandas esse circumstantias, quibus fieri potest, ut non solum haec posterior dubitatio, sed quae attingit etiam attributa divina ac inde procedens tentatio aut venialis sit aut etiam penitus a peccato excusetur.

Suarez l. c. ait n. 9.: « Contingere potest, ut aliquis non peccet dubitando de aliqua perfectione vel proprietate Dei. Nam si sit supernaturalis veritas, fieri potest, ut non sit illi satis proposita eius revelatio; vel etiamsi sit veritas naturaliter cognoscibilis, potest homo simplex et qui philosophari non novit, sine peccato de illa dubitare, quandiu in ordine ad fidem non sufficienter proponitur. Ergo tunc non erit malum ex tali dubitatione petere a Deo signum aliquod vel opus miraculosum ad explorandam illam veritatem; ergo non semper tentatio Dei ad probationem veritatis illicita est. Unde de Gedeone legimus etc. ».

376. Verum praescindendo nunc ab hisce circumstantiis (cf. n. 379.), posterior tentatio minus certe per se peccatum habet, quam prior.

Ratio est, quia per se loquendo non procedit ex dubitatione in fide, neque ex ignorantia culpabili circa rem, quam homo scire teneatur. Non enim tenetur homo scire, quid Deus facturus sit aut velit in iis, quae non revelavit. Suar. l. c. cap. 2. n. 14.

Nihilominus et hoc dicendum grave peccatum ex genere suo. Ratio, quia notabilis est Dei irreverentia, si audeas petere, ut Deus foveat et cooperetur ad vanam curiositatem et ad hunc vanum finem mirabile quid et extraordinarium operetur, quod alienum est a Dei sapientia. Ergo qui id petit, petit quod dedecet divinam maiestatem; vult enim Deum habere ministrum inutilium, idque, quod est indecentissimum, per ostensionem omnipotentiae suae.

Quod autem recte, etiamsi desit dubitatio, appelletur *tentatio Dei,*

patet ex Evangelio, ubi diabolo suadenti ut se deiiceret e templi vertice Christus respondit = *Non tentabis Dominum ecc.* Suar. l. c. n. 16.

XLIII. 2. Interpretativa tentatio, cui dubitatio illa deest, plerumque est tantum peccatum veniale ob imperfectionem actus, ignorantiam, inconsiderationem vel parvitatem periculi. Imo saepe nullum est peccatum, quando scilicet iusta causa subest, v. gr. Dei instinctus, necessitas vel pia utilitas. Sayr. Tolet. Caiet. s. Thom. 2. 2. q. 92.

377. Quid requiratur ad tentationem Dei interpretativam et per quid distinguatur a modo agendi imprudenti et temerario, superius nn. 372. 373. dictum est.

Ad intelligendam autem doctrinam A., adverte, quaedam esse, in quibus nullum locum habent imperfectio actus aut inconsideratio aut ignorantia. Eiusmodi sunt exempla, quae passim proponuntur, ut si quis ad imitandos quosdam Sanctos vellet vivere ex sola Eucharistia, aut ad exemplum Christi vellet 40. dies transigere sine cibo et potu, aut fretum transigere super extenso pallio, ut s. Franciscus de Paula.

Alia vero sunt, in quibus plurimum sibi vindicant et ignorantia et inconsideratio, idque saepissime fit in iis, quae ad profectum spiritus pertinent; quippe vix est, qui non dicat, se *cum Dei auxilio* sperare aut profectum in virtutibus aut emendationem vitae aut salutem aut peccati fugam; media tamen ad id paria non adhibet et simul interdum dicit, se a Deo non exauditum.

A. addit aliam rationem levitatis culpae *parvitatem periculi.* Et s. Alph. n. 30. facit heic quaestionem, an in *tentatione Dei interpretativa* detur parvitas materiae, ac Busembaum ponit, cum Valentia, Caietano etc. inter eos, qui levem culpam dicunt tentare Deum *ex sola curiositate spectandi aliquod opus supernaturale.*

Verum A. hoc non dicit et sensus eius est, quem Valentia his verbis effert in 2. 2. Disp. 6. q. 14. punct. 2.: « Ex genere quidem certum est, tentationem Dei esse peccatum mortale... Contingit tamen ex duplici capite esse veniale. Primo si sit tantum *tentatio materialis* et interpretativa... Tunc enim, ut recte ait Caietanus..., propter imperfectionem actus communiter tantum esset veniale, nisi forte gravitas materiae sit tanta, ut redeat actus in naturam suae formae quantum ad hoc quod est esse mortale, ut v. gr. si exponeret se quis *maximo periculo.* Sicut in purgatione ferri candentis ». Porro quae dicitur *materialis* tentatio, non ea est, quae putet agendum cum Deo sicut cum ludione; sed reducitur ad imprudentiam seu inconsiderationem, quae tamen posset esse grave peccatum, si gravi discrimini obnoxia esset et idcirco ob leve periculum erit leve peccatum. Idcirco A. non dixit *ob parvitatem materiae,* sed *ob levitatem periculi.* Haec clariora fient ex Suarez doctrina.

378. S. Alph. l. c. opponit Suarez quasi contrarium doctrinae Auctoris et allegat *de Relig.* tr. 3. lib. 1. n. 16. cap. 2. Sed animadvertendum fuit, Suarez ibi agere de tentatione expressa et formali, non autem de interpretativa, de qua tractat seq. capite 3. nec 16. paragraphi in tertio hoc capite habentur, sed solum 10. Hoc autem certum est, Suarez in toto hoc tertio capite nunquam contendere, leve esse non posse ob materiae parvitatem: sed quaestionem hanc movet in capite praecedenti de *formali,* ubi pro se citat Caietanum ac Toletum, quos modo s. Alph. veluti Suarez contrarios exhibet.

Dixi his lumen affundi ex doctrina Suarez. Nam 1° modus peccati in tentatione interpretativa longe diversus est a formali et expressa Dei tentatione; nam formalis tentatio procedit ex dubitatione de Dei attributis; interpretativa e contra ex nimia fiducia. 2° Illa est exploratio divinae perfectionis aut voluntatis; haec nullo modo est exploratio, sed (saltem reductive et implicite) potius *quaedam imploratio imprudens et praesumptuosa divini auxilii.* Quocirca concludit Suarez, sibi videri malitia *specifica* duo haec distingui.

379. Semel statuto, quod peccatum resideat in nimia quadam fiducia divinae providentiae, addenda sunt ea, quae traduntur non modo de hac interpretativa, sed etiam de formali Dei tentatione.

Docent nimirum Doctores (vid. Suar. l. c. cap. 2. n. 7.-13.), non pertinere ad hoc peccatum, quod quis, cum res nondum est sufficienter proposita, dubitans non modo de divina voluntate, sed de aliqua veritate revelata, etiam de divina quapiam perfectione, signum petat, quo de ea instruatur, v. gr. de veritate Ecclesiae catholicae aut de quopiam mysterio, seu Trinitatis seu Praesentiae realis etc.: dummodo adsint debitae circumstantiae sive quoad se sive quoad alios, qui instruendi sint (vid. sup. n. 121.).

Circumstantiae porro necessariae sunt 1° ut occurrat necessitas tum ex parte finis, tum etiam ex parte medii. Ex parte finis, ut nempe talis veritas sit necessaria ad salutem vel propriam vel aliorum, vel ad voluntatem Dei implendam vel saltem sit valde conveniens ad aliquod commune bonum. Ex parte vero medii, ut non omittantur ordinaria media a Deo praestituta ad veritatem agnoscendam 2° Ut posita eiusmodi necessitate, divinum signum expectetur cum animi submissione, ut nec velit determinare signum neque ita postulet, ut nisi illud concedatur, non crediturus sit etc. Quod Caiet. paucis expressit dicens *Sum.* V. *Tent.:* « Licitum est humiliter petere signum pro opportuna instructione ».

Et huc faciunt verba s. Thomae 2. 2. q. 97. art. 1.: « Quando ergo propter aliquam necessitatem seu utilitatem committit se aliquis divino

auxilio in suis petitionibus vel factis, hoc non est tentare Deum ». Et subdit illa verba glossae: « Deum tentat, qui habens quod faciat, *sine ratione* committit se periculo, experiens utrum possit liberari a Deo ».

Quo spectant et illa ibid. art. 2.: « Si quis autem experimentum sumat eorum, quae ad divinam perfectionem pertinent, non ut ipse cognoscat, sed ut aliis demonstret, hoc non est tentare Deum; cum subsit iusta necessitas seu pia utilitas et alia quae ad hoc concurrere debent ».

380. Ut ergo paucis concludamus, si rationabilis causa excusat a culpa tentationis divinae, etiam cum agitur de experimento sumendo, a fortiori excusari quis debet ab culpa gravi, qui non experimentum quaerit, sed solum reus haberi poterit nimiae fiduciae. Et cum 1° melius sit sentire de Domino in bonitate, 2° diffidendum sit ad Dei gloriam de mediis, quae nostra prudentia suggerit resque divino auxilio commendanda, et 3° mos et praxis Ecclesiae sit, ut in omni necessitate ad supernum auxilium confugiamus: profecto nimia quaedam fiducia, quae a Deo sibi propitio expectat auxilium in re, in qua, si non exaudiatur, nullum grave discrimen occurrit, non est cur gravis culpae damnetur.

Hinc s. Alph. n. 30. licet probabiliorem ab initio dixerit doctrinam, quam putavit tradi a Suarez, quasi oppositam doctrinae Auctoris, tamen in fine reiicit doctrinam Salmanticensium, qui gravem culpam reperiebant in eo, qui in levi morbo, reiectis medicinis, speraret sanitatem, quamvis non peteret miraculum: adeo ut per id recidat in doctrinam, quam respuere videbatur.

XLIV. 2. Si quis in puteum se coniiciat, ad declarandam Dei erga se providentiam aut supra prunas ambulet, ad innocentiam ostendendam, est interpretativa tentatio Dei: uti etiam sunt eae probationes, quae fiunt per ferrum candens, aquam ferventem vel frigidam etc. de quibus v. Binsfeld. et Delrium, l. 4. Disq. Licet enim Deus aliquando tales purgationes miraculose probarit, id contigit, vel quia Deo inspirante factae sunt, vel quia innocentes ad eas compulsi sunt liberati. Bonac. d. 3. q. 9. p. 1.

381. Huc faciunt resolutiones a s. Alph. additae.

1ª Non licet offerre miracula ad conversionem haereticorum; quia sufficiunt testimonia seu signa credibilitatis n. 31. Attamen huc revoca in memoriam doctrinam s. Thomae, quam sup. n. 379. innuimus: quam doctrinam repetit s. Thomas, ubi agitur de divino beneplacito noscendo 2. 2. q. 97. art. 2. in fin.: « Sciendum quod dupliciter aliquis signum petit a Deo. Uno modo ad explorandam divinam potestatem aut veritatem dicti eius et hoc *de se* pertinet ad Dei tentationem. Alio modo ad hoc, quod instruatur, quid circa aliquod factum sit placitum Deo, et hoc nullo modo pertinet ad Dei tentationem ».

2a Peccat qui se obiicit sine iusta causa periculo mortis aut mutilationis ad perferendum martyrium. Ubi tamen iusta est causa, uti salus aliorum, honor fidei etc., licet. n. 32.

3a Peccat qui respuit medicinas, nisi faciat ad se mortificandum: modo absit periculum mortis. Ibid. cf. n. 128.

* Quaerit heic s. Alphonsus, an tentatio Dei expressa differat specie ab interpretativa. Probabiliorem habet opinionem Salmanticensium negantium: sed, re philosophice spectata, magis nobis placet opinio affirmans Suarez, de qua dictum est n. 378. *

Dub. II.

De Sacrilegio.

XLV. Resp. Sacrilegium est violatio rei sacrae hoc est dicatae cultui divino et peccatum mortale ex genere suo, si opus specialiter repugnet cum rei sanctitate; non vero, si generaliter tantum repugnet, quomodo omnia peccata mortalia generaliter repugnant sanctitati, v. gr. templi, ita ut ibi cum veniali peccato committantur. Est autem Sacrilegium triplex: Personale, quo persona: Locale, quo locus: et Reale, quo res aliae violantur. s. Thom. 2. 2. q. 99. a. 3. et ceteri Theologi.

382. Quod dicit A. sacrilegium esse violationem *rei sacrae* hoc est *divino cultui dicatae,* rem intellige, *quae publica institutione, auctoritate et ritu ad Dei cultum deputata est.* Voit, n. 465. vel ut ait Struggl pag. 149. n. 9.: « Res sacra proprie solum censetur illa, quae *publico ritu* et *institutione divina* vel *ecclesiastica* ad Dei cultum deputata est ». Et ut Suarez habet *de Relig.* tr. 3. lib. 3. cap. 1. n. 1.: « Rei sacrae nomine intelligi quamlibet rem creatam, quae ex *peculiari dedicatione* ad cultum Dei sancta vel sacra effecta est; violatio autem talis rei dicitur quaelibet irreverentia aut indigna eius tractatio ». Ita et Laymann lib. 4. tr. 16. cap. 7. n. 1.

Et s. Thom. 2. 2. q. 99. art. 1.: « Sacrum dicitur aliquid ex eo, quod ad divinum cultum ordinatur... et ex hoc quod aliquid deputatur ad cultum Dei, efficitur quoddam divinum et sic ei quaedam reverentia debetur. Et ideo omne illud, quod ad irreverentiam rerum sacrarum pertinet, ad iniuriam Dei pertinet et habet sacrilegii rationem ». Et ibid. art. 2.: « In sacrilegio invenitur specialis ratio deformitatis, quo scilicet violatur res sacra per aliquam irreverentiam. Et ideo est speciale peccatum et opponitur religioni. Sicut enim dicit Damascenus. « Purpura legale indumentum facta honoratur et glorificatur et si quis hanc perforaverit, morte damnatur, quasi contra regem agens. Ita etiam si quis violat rem sacram, ex hoc ipso contra Dei reverentiam agit et sic per irreligiositatem peccat ».

383. Quoad triplex sacrilegii genus, advertit Suarez *de Relig.* tr. 3. l. 3. c. 1. n. 6.-8. nullam rationem afferri huius partitionis iuxta materiam. Sane, si res per se spectetur, viderentur, cum sacrilegium consistat in irreverentia rei sacrae, potius species distinguendae ex parte sanctitatis, qua res constituitur in esse sacrae, quam ex parte rerum, quae sunt materia. Eo vel magis quod in eadem re potest esse alia et alia sanctitas, ut e. g. idem calix Ecclesiae res sacra est et quatenus consecratus est et quatenus sub bonis Ecclesiae est. Denique quia ex modo violationis quam ex ipsa re violata, magis pendet malitia sacrilegii: longe enim diversum sacrilegium esse videtur conculcare imaginem et illam furari. Nihilominus, ait, trimembris haec divisio ex parte materiae, multum recepta est eique canones favent; ratio vero et sufficientia huius divisionis non est speculativo rigore exigenda. Solum enim ea traditur tanquam magistralis divisio accommodata ad omnia sacrilegia explicanda et sub quibusdam capitulis comprehendenda et ad excludendum quidquid ad sacrilegium non pertineat. Tum cap. 5. communi sententiae adhaeret, quae in triplici hac partitione triplicem sacrilegii speciem distinctam cognoscit, atque adeo in confessione explicandam. Hoc modo, ait n. 7., potest aliqua moralis ratio illius divisionis dari; nam persona sacra, ut sic, et locus sacer, ut sic (prout habitatio quaedam Dei est aut aliquid ei annexum) habent specialem modum sanctitatis et immunitatis, praesertim iuxta ecclesiastica iura, et ideo illa duo specialiter numerata sunt: alia vero sub ratione magis generali; quia vitia eis contraria fere non habent in iure diversam considerationem. Monet idcirco ibidem quod locus sacer e. g. quatenus habet convenientiam cum alis rebus sacris, non constituit sacrilegium specie diversum, ut proinde sacrilegium idem sit destruere templum et vasa sacra infringere.

Verum vix est, cur solliciti de hoc simus, quia quisquis facinus sacrilegum confitetur, eo ipso speciem indigitat. Erit proinde facinus distincte aperiendum.

384. « Dubitari potest, ait Lugo *De Poenit.* d. 16. sect. 11. n. 471., an qui furatur in loco sacro rem sacram, debeat explicare in confessione utramque circumstantiam et rei et loci, an vero sufficiat confiteri *furtum sacrilegum.* Fagundez dicit, sufficere quod in praedicto casu dicat: furatus sum rem sacram; quia utraque illa circumstantia ad eandem rationem formalem virtutis religionis spectat. Contra hoc tamen videtur esse communis Theologg. doctrina, qui cum s. Thoma dicunt tres esse species vel potius genera sacrilegii, nempe circa personam sacram, locum sacrum, rem sacram. Quare peccatum sacrilegii circa personam sacram differt ad minus specie a sacrilegio circa locum, et similiter sa-

crilegium circa locum sacrum differt ad minus specie a sacrilegio circa res sacras. Cum ergo in praedicto casu furtum sit sacrilegium contra locum sacrum et contra rem sacram, fatendum est contrahere malitiam specie diversam ab ea, quae solum esset contra rem sacram. Unde utraque malitia explicanda est in confessione ».

Memorat heic s. Alph. lib. 3. n. 34: quaestionem, an tres istae sint species infimae, an subalternae. Si sunt infimae, quaelibet e. g. violatio personae erit eiusdem speciei, ut ferire clericum vel fornicari cum ipso, idem dicatur de aliis duabus violationibus rei sacrae: si vero sunt species subalternae, habentes nempe alias species sub se, poterunt differre specie violenta iniectio manuum in clericum et fornicatio cum ipso et sic de aliis duabus speciebus. Suarez certum habet, species esse subalternas l. sup. cit. c. 5. nn. 2-6. cum aliis apud s. Alphonsum l. c. (a).

Auctor hac in re, iuxta s. Alph., secutus est sententiam Suarez, putantis esse species subalternas. Nam in resol. 5. dicit in confessione aperiendam esse speciem sacrilegii, quia *saepe* diversam habet malitiam, v. gr. percussio sacerdotis et fornicatio. « Haec tamen verba sunt obscura nec si teneret hanc sententiam, dixisset *saepe:* videtur voluisse innuere, quod adiuncta sit alia species peccati vel luxuriae vel iniustitiae, non autem diversa species sacrilegii.

S. Alphonsus autem cit. n. 34. probabiliorem habet sententiam contrariam, pro qua habentur haec verba s. Thomae 2. 2. q. 99. art. 3. ad 2.: « Et sic similiter possibile est, aliqua duo peccata differre specie secundum materiales actus, convenire autem in specie ***secundum unam rationem formalem sacrilegii;*** puta si quis sanctimonialem violaverit verberando vel concumbendo ».

In praxi nihil est quod turbare queat; nam aperiri debet diversa species, ob rationem discriminis peccati materialis, scil. verberandi et fornicandi.

Unde resolves.

XLVI. 1. Personale sacrilegium est percussio Clerici, pertractio eiusdem ad iudicium seculare, item luxuriosa violatio personae Deo per votum castitatis sacratae, de qua v. infra t. 4. c. 2. (heic sect. 6.) dub. 2. n. 6.

385. Sacrilegium personale est violatio personae sacrae, seu actus quo irreverenter tractatur sacra persona, per iniuriam aut contaminationem violando honorem ipsi ut sacrae personae debitum.

Auctor triplicem modum sacrilegii personalis memorat. Alii autem, ut Laymann lib. 4. tract. 10. cap. 7. n. 3., quatuor.

(a) Confer crimen sacrilegae communionis, quo quis fit reus corporis et sanguinis Domini, cum profanatione vasis sacri: an tibi videtur idem specie sacrilegium? E.

1° Inferendo in personam sacram manus violentas adversus *privilegium Canonis* quod cap. *Si quis suadente* 17. q. 4. ex motivo religionis Ecclesiasticis ac Deo sacratis personis concessum est.

2° Subiiciendo personas Ecclesiasticas iudicio fori secularis adversus privilegium exemptionis illarum, quod dicitur *privilegium fori*.

3° Exigendo ab ipsis tributum adversus ecclesiasticam immunitatem ab his oneribus. Hoc tamen de capite, sicuti et de praecedenti, quid quovis in loco agendum sit, iudicio Apostolicae Sedis et Episcopi definiendum erit.

4° Luxuriose violando corpus personae Deo sacratae per votum continentiae perpetuae. Quod intelligendum est tam de persona, quae adversus proprium votum fornicatur aut quomodolibet peccat, quam de alia, quae illam violat seu complex est turpitudinis. Hinc si ambae sint personae sacrae, duplex utrinque erit sacrilegium.

Quoad luxuriosam violationem, quaeritur an violatio voti simplicis castitatis sit sacrilegium.

386. Praemittendum in primis, est, *sacrilegii* nomen tuum *presso* sensu usurpari tum *lato:* posteriori autem hoc sensu *sacrilegium* dici consuevisse *quodlibet peccatum contra virtutem Religionis.* Vid. Azor p. 1. lib. 9. cap. 27. q. 1., Filiucc. tr. 24. cap. 9. n. 229., Palao tr. 17. d. 1. q. 2. cap. 1. init., Tamburini *Dec.* lib. 2. cap. 6. §. 3. n. 1., Catalani part. 2. q. 7. cap. 1. n. 1., Mazzotta tr. 2. d. 1. q. 2. cap. 1. init. etc. Hoc ergo sensu et *periurium* et *blasphemia* et *idololatria* etc. sacrilegium dici possunt. — *Presso* autem sensu et prout est *speciale* peccatum, sacrilegium dicitur *violatio rei sacrae.* Ita Palaus l. c.: *Propria erga acceptio sacrilegii est, quae ex rei sacrae, a Deo distinctae, laesione seu violatione sumitur: sic s. Thomas ab omnibus receptus* 2. 2. q. 99. a. 1. et 3.

Succedit summi momenti quaestio: Quid venit *nomine rei sacrae?* Respondet Laymann lib. 4. tr. 10. cap. 7. n. 2., *rem sacram proprie eam tantum censeri, quae publico ritu aut institutione ad Dei cultum deputata est, sicut docet Iurecons. l. In tantum, et l. Sacra* Dig. *de divisione rerum.* Idipsum habent Palaus l. c. §. 1. n. 1., Voit tom. 1. n. 465., Suarez *de Rel.* tr. 3. lib. 3. cap. 1., Struggl tr. 5. q. 6. art. 2. n. 9., Filiucc. l. c., Azor l. c. etc. Et consonant reipsa textus a Laymann allegati. Quippe *l. Summa* 1. Dig. *de divis. rer. Aliae* (res) *sunt divini iuris..., veluti res sacrae:* unde illud s. Thomae 2. 2. q. 99. a. 1.: *Ex hoc quod aliquod deputatur ad cultum Dei, efficitur quoddam divinum.* Et *l. Sacra* 9. Dig. *de divis. rer.* sic habet: *Sacra loca ea sunt, quae publice sunt dedicata.* Et §. 1.: 1.: *Sciendum est, locum... sacrum fieri posse, cum Princeps eum dedicavit vel dedicandi dedit*

potestatem. Et *l. In tantum* §. 3. Dig. *tit. eod.: Sacrae autem res sunt hae, quae publice consecratae sunt, non private: si quis ergo privatim sibi sacrum constituerit, sacrum non est, sed profanum.*

Et ex his patet, cur Laymann l. c. addiderit: *Non quolibet privato proposito aut voto rem aut personam sacram effici, sed necesse esse, ut publicam ex iure consecrationem vel deputationem ad Dei cultum habeat.* Et Suarez l. c. cap. 2. n. 1.: *Non quaelibet privata devotio aut propositum se totum dicandi ad cultum divinum constituit personam sacram, sed necesse est, ut ex iure fiat talis consecratio personae.* Et Filliucc. l. c. n. 224.: *Non quaelibet privata devotio aut propositum dicandi se Deo constituit personam sacram, sed requiritur, ut fiat iuxta usum Ecclesiae et iuridicum.*

Hinc autem consectarium, quod votum *privatum* per se nec rem votam, nec personam voventem efficit *sacram;* quia heic nulla intercedit *publica et iuridica* sive rei sive personae deputatio aut dedicatio aut consecratio ad Dei cultum. Quocirca eiusmodi voti violatio utique peccatum est contra virtutem Religionis, quia magnam in Deum irreverentiam, frangendo fidem ei datam, importat et quatenus est peccatum contra virtutem Religionis, etiam sacrilegium dici poterit lato illo sensu, quo diximus *sacrilegium* appellari periurium, idololatriam, divinationem, vanam observantiam, blasphemiam etc., sed *sacrilegium presso* illo sensu, quo denotatur *violatio rei sacrae,* nullo modo dici potest.

387. Quandonam igitur ob violatum votum castitatis (de quo est quaestio) *proprie* dictum aderit sacrilegium? Resp. quando iuridica dedicatione ad Dei cultum persona consecrata fuerit *non utcumque*, sed in ordine ad castitatem perpetuo servandam (a), Dixi: *non utcumque;* quia v. gr. clerici, in minoribus constituti, sunt personae *sacrae:* sed quia nondum consecrati sunt ad castitatem servandam, quemadmodum nec sacerdotes ritus graeci, hinc violando castitatem reatum proprie dicti sacrilegii non incurrunt. Requiritur igitur consecratio in ordine ad servandam continentiam, quae locum habet 1º *in sacra ordinatione* et 2º *in professione religiosa.*

Quinimo si inquiratur, potiusne a ratione voti etiam sollemnis, an a constitutione Ecclesiae, continentiam ordinantis ad Dei cultum, repetenda sit ratio sacrilegii in castitatis laesione, concludamus oportet, ab hac Ecclesiae ordinatione sacrilegii reatum proficisci. Nam missum nunc fiat, quod sacrilegii reatus incurritur ab iis quoque, qui cum vere

(a) Hoc esset demonstrandum, ut nempe persona sacra dicatur, requiri consecrationem *ad castitatem servandam* cur scilicet non sufficiat consecratio ad ministerium sacerdotale. Cf. quae in vol. 6. agentes de Matrim. afferemus sub Imped. *Ordinis.*

sint Religiosi, solum simplicibus tamen votis perpetuis adhuc adstringuntur: qua de re videsis Suarez et Filliucc. ll. cc. Verum luculentius id patet ex Theologorum doctrina, quam et S. Alphonsus lib. 6. n. 808. et 809. tuetur, nempe non minus *sacrilegii* reum dicendum esse sacerdotem ob castitatis violationem, etiamsi ad castitatem servandam non vi ullius voti, sed ecclesiastica tantum lege adstrictus putetur.

388. Concludatur itaque, si quaestio ad principia eiusdem propria exigatur, nullam suppetere rationem, cur laesionis *voti simplici ac privati sacrilegii proprie sumpti* reatus competat.

Ad sententiam autem ferendam de pondere auctoritatis tot Scriptorum, quae contra hac conclusionem obiicitur, praestat inquirere, quo sensu *sacrilegii* vocem auctores adhibeant, imo an constet, eos ad diversum, quo usurpatur, sensum advertisse, insuper an ullam, an genuinam *rei sacrae* notionem praeferant: tum vero an perpenderint, undenam *personae efficiantur sacrae.* Denique an, licet notiones istas recte praemiserint, cohaerenter deinde de singulis decreverint, an vero rapi se aliorum auctoritate, re nullatenus perpensa, permiserint.

S. Alphonsus quidem oppositam opinionem praetulisse videtur lib. 3. n. 47. innixus doctrinae, quam Salmanticenses tr. 21. cap. 12. n. 22. tribuerunt s. Thomae, quasi nempe *cuiuslibet voti violatio sit vere et proprie sacrilegium.* Sed reipsa sicut falso hanc opinionem iidem ibid. n. 21. adscribunt tum Azorio et Bonacinae, qui nihil eiusmodi tradunt, tum Lessio, qui contra lib. 2. cap. 45. n. 11. expresse scribit, *parum proprie id sacrilegium dici;* ita perperam pro ipsa s. Thomam invocant et gratis sibi confingunt, s. Doctorem, dum 2. 2. q. 99. a. 3. ad 3. nominat *virginem Deo dicatam*, id de virgine voto simplici obstricta intellexisse. Patet enim oppositum non solum ex loco parallelo 2. 2. q. 154. a. 10. ad 2. et 3. ubi clarius nominat *personam specialiter consecratam,* praesertim vero collatione facta cum 4. Dist. 38. q. 1. art. 3. q. 2. et 3., et 2. 2. q. 154. art. 1. ad 3.; sed etiam ac multo evidentius ex generali eiusdem doctrina, quae voti violationem 2. 2. q. 88. a. 3. non ad speciem *sacrilegii* revocat, sed ad vitium *fidelitati* oppositum. Porro 2. 2. q. 97. Prooem. *infidelitatem in promissis* non secus ac *periurium* peccatis accenset, quae *directe pertinent ad irreverentiam Dei,* eaque prorsus distinguit a peccatis, quae pertinent *ad irreverentiam rerum sacrarum*, cuiusmodi suapte natura et definitione est sacrilegium. Corruit ergo ratio, auctoritas scilicet s. Thomae, propter quam s. Alphonsus in eam opinionem inclinavit. Cf. Suarez *de Sacril.* lib. 3. cap. 3. et *de Voto* lib. 5. cap. 3. n. 4. et 5., qui etiam ex doctrina s. Thomae palam facit, quantopere hallucinatus fuerit Caietanus, qui Comm. ad 2. 2. q. 99. a. 3. primus anomalam

opinionem ad sacrilegia revocantem quaslibet voti cuiusvis infractiones invexit, quam propterea etiam Billuart *de Relig.* Dissert. 10. fatetur *a communi sententia alienam esse,* utcumque ipse excipere votum castitatis maluerit, minus advertens, cuiuslibet privati voti conditionem, *quoad rem efficiendam sacram,* omnino parem exsistere. Et hoc quidem inde quoque elucet, quod ex omnium consensu sacrilegium circa personas *vere sacras* committitur non solum per actus castitati oppositos, sed etiam per violentam in ipsas manuum iniectionem. Nemo autem illum ceu sacrilegii reum habuit, qui in personam privato castitatis voto obligatam manus iniecerit.

389. Quandoquidem vero de Suarez doctrina sermo incidit, illud iuverit obiter innuere, nequaquam opus esse illam quoque Eximii doctoris amplecti sententiam, qua statuit, naturam seu essentiam *sollemnitatis* votorum consistere *in virtute irritandi quosdam actus votis contrarios* seu, ut ipse loquitur *de Stat. Relig.* lib. 2. cap. 14. n. 10., *in vi inhabilitandi personam ad effectus quosdam morales,* nempe efficiendi, ut sollemniter professi sint incapaces contrahendi matrimonium aut acquirendi dominium aut firmiter contractus ineundi; quasi scilicet sollemne votum esse nequeat, nisi hosce effectus pariat. Quae quidem opinio cum solidae cupiam rationi non innititur, tum multis difficultatibus et incommodis iisque non levibus laborat.

Secus itaque gravissimis aliis Theologis, cuiusmodi sunt Mich. Medina Trid. Syn. theologus, Card. Bellarminus, Gabr. Vasquez, Ioann. Azor, Card. De Lugo, Io. Malderus, etc., visum est de hac re decernendum. Cumque ex Constitutionibus Apostolicis inhabiles ad matrimonium reperiamus Scholasticos Soc. Iesu, insuper vero Coadiutores Formati eiusdem Societatis non matrimonii solum, sed cuiusvis quoque dominii ac proprietatis incapaces declarentur, licet simplicibus dumtaxat votis eidem Societati constricti utrique sint; ex adverso autem quamplura exempla evincant, alias vota sollemnia in Ecclesia hosce effectus sortita non fuisse; pronum est concludere, vim illam quosdam actus irritandi non ipsi sollemnitati votorum necessario insitam et quodammodo essentialem inesse, sed extrinsecus ipsi advenire ex positivo decreto Ecclesiae, cuius ius est et potestas, ut ait Bellarminus *de Matr.* lib. 1. cap. 21., *eiusmodi contractus legitimos vel illegitimos decreto suo reddere, prorsus habiles vel inhabiles efficiendo.* Ac ne forte concludas, nihil igitur superesse discriminis inter votum sollemne ac simplex, fac ea conferas, quae laudatus Bellarminus ad finem allegati Capitis sapienter pro more suo disserit et quae paulo post tradentur, ubi de Voto.

Ex his concluditur, violationem sollemnis voti sive in eo, qui sacros

ordines suscepit, sive in eo, qui professionem religiosam emisit, habere malitiam sacrilegii, superadditam malitiae infidelitatis, quae sola inest violationi voti simplicis.

Neque tamen necesse est in confessione ambas malitias expresse enumerare: satis enim est, si quis dicat, se in sacris esse aut religiosum: cum eadem malitia specifica sit sacrilegii et fractionis voti in utroque. Vid. infr. n. 145.

390. Contra qui simplex votum solum emisit, id exprimere debet. Et in hac re non admittemus doctrinam Auctoris, quae habetur in tr. 4. cap. 2. (heic de 6º Praec.) dub. 2. n. 6., ubi dicit probabile esse, non opus esse exprimere, num votum sit simplex, an sollemne; nam in simplici non admittimus malitiam sacrilegii et ideo sollemnitas voti est exprimenda ubi accedit ratio sacrilegii.

Minus coaherenter Tamburini *Meth. Exp. Confess.* lib. 2. cap. 7. §. 5. n. 30... ad quaestionem, an votum simplex et sollemne (quod habent tum Professi tum Sacerdotes) differant specie, respondet: « Dico, esse probabilissimum tutumque in praxi, non differre specie atque adeo sollemnitatem voti non esse necessario declarandam ».

Debilis autem est ratio Tamburini, quia utrumque votum respicit virtutem religionis; nam non omnia peccata contra virtutem religionis sunt eiusdem speciei.

Nec valet ratio allata a Sanchez *de Matrim.* lib. 7. disp. 27. n. 27. et ll. ibi citatis, sollemne votum a simplici differre solum ex Ecclesiae institutione: id evincet non differre specie peccatum *infidelitatis erga Deum* in utriusque voti violatione; at non probat, non accedere speciem *sacrilegii,* dum sollemne votum frangitur.

391. Ut iniuria inducat rationem sacrilegii, opus est ut personam afficiat quatenus sacra est. Hinc qui fraude extorquet in ludo pecunias presbytero, peccat peccato iniustitiae, sed non sacrilegii; secus si castitatem violet, qui *sacra* persona fit Deo per castitatis votum: ita qui irascitur aut odio habet personam sacram, non est reus sacrilegii.

Duo coniuges si voveant castitatem mutuo consensu et deinde matrimonio utantur, non peccant contra castitatem; quia nulla alia lege usus matrimonii ipsis interdicitur: peccant tamen peccato contra votum, quod peccatum *perfidiae* dicimus, non autem sacrilegii. Videlicet votum quoad ipsos aequivalet voto mortificationis. Hinc eodem loco se habent ac si quis voveat ieiunium die ad ieiunandum ab Ecclesia non designato. Hi enim peccarent solum contra votum, non contra legem ieiunii. Vid. Ligor. lib. 3. n. 236.

Si sacerdos graecus aut diaconus, uxoratus, adulterium committat aut quomodolibet contra castitatem peccet, praeter adulterium aut

aliud illud peccatum, non contrahit malitiam sacrilegii. Ratio, quia ideo sacrilegium sacerdos contrahit, quia per continentiae votum Deo consecratur. At sacerdos graecus nullum eiusmodi votum emittit, ut supponimus, neque hoc modo consecratur ad Dei cultum. Sed nonne hoc ipso, quod consecratur ad ministerium altaris et sacramenta conficienda, consecratur ad Dei cultum fitque persona Deo sacra, praecisione etiam facta a voto castitatis? Profecto: sed non propterea peccatum contra castitatem erit in ipso sacrilegium proprie dictum, nisi velis ebrietatem quoque et cetera peccata, quae sanctitati Sacerdotii repugnant, esse in ipso totidem sacrilegia.

Peccatum contra castitatem in sacerdote aut diacono graeco, passim utique habetur uti sacrilegium; quia speciali modo commaculat statum sacerdotalem; sed est improprie dictum sacrilegium: id enim verum est etiam de peccato huiusmodi hominis christiani, quod commaculat statum hominis baptizati et participantis sacramenta. Verum cum non adsit in hoc peccato specialis laesio virtutis religionis propter consecrationem ad Dei cultum per votum continentiae, erit haec circumstantia mere aggravans, quae non necessario in confessione est exprimenda. Tamburini *in Decal.* lib. 2. cap. 6. §. 3. n. 3.-5. pag. 69.

Titius, si habens votum castitatis contrahit matrimonium, 1° sacrilegium committit, quia indigne sumit sacramentum: 2° peccat contra votum peccato perfidiae.

Si vero contrahat cum impedimento dirimente, sacrilegus est; quia sacramentum invalidat.

392. S. Alphonsus n. 455. facta quaestione, an Sacerdos, qui sit etiam Religiosus, duo sacrilegia committat, si peccet contra castitatem, *veriorem* dicit sententiam negantem, contra alios affirmantes.

Sane quoad Sacerdotes, Ecclesia vult ut castitatem servent eamque ex voto profiteantur. Lex vero Ecclesiae exigens votum, exigit illud (ut bene advertit ibid. s. Alphonsus) ex virtute religionis praestandum; cuius legis proinde violatio contrahit malitiam sacrilegii, quae non est distincta a malitia violationis voti sollemnis, quo violatur persona Deo sacra. Unum ergo committitur a tali homine peccatum sacrilegii contra virtutem religionis, superadditum peccato perfidiae in voti fractione.

Clericus vero licet a prima tonsura dedicatus ad divinum cultum reputetur, atque adeo reus sacrilegii sit ille, qui vel suadente diabolo iniiciat violantes manus etc., tamen ante sacros ordines susceptos non reus est sacrilegii ob castitatem violatam, sicuti nec novitius religiosus, qui tamen privilegiis religiosorum fruitur. Ratio est, quia nec novitius ante professionem nec clericus ante susceptum sacrum aliquem ordinem consecratur ad Dei cultum per votum observandi continentiam.

XLVII. 2. Locale sacrilegium est omnis actus, quo Ecclesia polluitur, ut est v. gr. occisio hominis, effusio humani sanguinis, vel seminis illicita et notoria: sepultura excommunicati, vel non baptizati; item si actus quidam profani fiant in Ecclesia et repugnantes eius immunitati, ut negotiationes, illiciti concubitus et spurcities, seditiones, concilia secularia, stipulationes equorum, incendia, effractiones, spoliationes. Item si materia rei sacrae, vel Ecclesiae directe ad profanos usus convertatur; si reus ex Ecclesia, velut asylo, extrahatur; nisi tamen sit latro publicus, vel nocturnus populator agrorum, vel enorme maleficium fiducia asyli istic commiserit. Denique si furto auferantur res Ecclesiae, aut ibi depositae. Laym. c. 7. Bon. q. 6. Si vero res ablata fuerit per accidens tantum in Ecclesia, v. gr. crumena viri divitis, probabiliter non committi sacrilegium docet Dian. p. 4. t. 3. r. 27. ex Fagund. et sex aliis, contra Suarez, Laym. etc.

393. Definitur sacrilegium locale *violatio loci sacri.*

Locus sacer *primario* dicitur locus, qui ab Episcopo consecratus aut publica auctoritate Episcopi deputatus est ad publica officia divina, ad Missas celebrandas et ad sacramentorum usus. Laymann lib. 4. tr. 10. cap. 7. n. 5.

Dicitur 1° *consecratus* aut *deputatus;* quia sufficit deputatio, quae fiat crucis erectione aut per quamvis benedictionem; quia per huiusmodi benedictionem, publica Episcopi auctoritate factam, locus fit *sacer* et ab humanis usibus secretus. Ita Laymann l. c. n. 6., ubi ex iure canonico manifeste probat, non esse necessariam consecrationem.

Dicitur 2° *publica auctoritate Episcopi;* nam oratoria privata non consecrata nec benedicta, aut eremitoria non debent numerari inter loca sacra; licet enim Episcopus licentiam dederit celebrandi missam in ipsis, tamen cum ad nutum fundatoris converti possint in usus profanos, non gaudent privilegio loci sacri, eademque de causa non subsunt Episcopi potestati aut iuri visitandi, cum tamen omnia religiosa loca ac sacra eidem subdantur. Quod idem dicendum est de xenodochio privata auctoritate erecto, cuius insuper administratio nullatenus ad Episcopum spectat. Laym. l. c. n. 5., sed ad solum patronum seu fundatorem.

394. Loci sacri nomine *primario* veniunt *ecclesiae, coemeteria*, tum *oratoria publica:* de quibus cf. dicenda in Tr. *de Eucharistia* vol. 4°.

Exinde sequitur, si quis interdictus sit ab ingressu Ecclesiae, irregularem fieri si celebret in oratorio quovis publico licet non consecrato; secus si in oratorio omnino privato. Laym. l. c. n. 6. in fin.

Diximus *loci sacri* nomine PRIMARIO venire ecclesias; namque in ordine ad quosdam effectus et maxime *ad immunitatem* locus sacer latius patet, quam ecclesia et comprehendit quemcumque locum ad usum pium ac religiosum publica auctoritate destinatum, cuiusmodi sunt monasteria aut xenodochia Episcopi publica auctoritate erecta.

Quinimo si distinguantur diversi effectus, etiam ipsum nomen ecclesiae modo latius modo strictius sumitur. Nam quod spectat ad pol-

lutionem loci sacri, nomine ecclesiae venit solum ambitus loci benedicti ac deputati ad divina officia aut ad mortuos sepeliendos a tecto usque ad pavimentum. Non comprehenduntur autem cellae, claustrum, sacristia, dormitorium, tectum supra ecclesiam, aut spelunca subtus ecclesiam, turris campanaria, atrium aut ianua extra ecclesiam. Ligor. lib. 3. n. 460.

Quae autem loca censeantur sacra quoad *immunitatem*, mox dicemus, ubi de asyli violatione.

395. Auctor breviter et confuse congerit casus quosdam, quibus violatio loci sacri contingit. Doctores autem actiones eiusmodi ad triplex genus revocando, statuunt loca sacra violari 1° polluendo ecclesiam vel coemeterium: 2° exercendo actiones profanas, quae vel ex natura sua vel ex iuris Canonici prohibitione repugnant loci sanctitati: 3° violando immunitatem ecclesiae aut alterius loci sacri. De singulis agendum seiunctim. Quod sacrilegio locali accenset Auctor, si materia ecclesiae vel rei sacrae ad usus profanos convertatur, id melius ad sacrilegium reale revocatur iuxta notata sup. n. 132.

Pollui seu violari censetur ecclesia, non quasi quibusdam actibus suam amittat sanctitatem ecclesia, sed quia morali hominum aestimatione indecens reputatur, ut hostia immaculata et divinum officium offeratur in loco sceleribus contaminato, antequam eius loci purgatio fiat. Igitur pollui in genere tunc ecclesia dicitur, quando manente integra eius forma et consecratione, si eam habuit, in ea accidit aliquid, quod a loci sanctitate maxime est alienum et in fidelium animis horrorem generat, ut in illius detestationem divina celebrari in ipsa ecclesia ss. Canones prohibuerint, donec sacris ritibus reconciliata fuerit. Et hi Canones quidem huiusmodi actiones directe non prohibent, sed supponentes eas esse loco sacro indecentissimas statuunt per eas loca sacra pollui et ideo non posse in iis divina celebrari, donec reconcilientur. Quod certe valet in primis tribus modis mox referendis, quibus ecclesia violatur. Cf. Suarez *de Relig.* tract. 2. l. 3. c. 2. n. 6. seqq.

Ex quo sequitur, praecipuum pollutionis effectum esse, quod in ecclesia polluta, donec reconcilietur, non possint celebrari divina. Qui tamen contrarium ageret, temerarie quidem ageret et mortaliter peccaret: nullam tamen irregularitatem vel censuram incurreret; quia irregularitas non incurritur sine textu: textus autem, qui insinuare videntur irregularitatem incurri, loquuntur de ecclesia *interdicta*, non etiam de polluta. Schmalzgr. In lib. 3. tit. 40. n. 63.-64.

396. Nota: aliud esse pollui ecclesiam, aliud in ea admitti sacrilegium, quod adesse poterit, etiamsi ecclesia non polluatur, uti v. gr.

si res maneat occulta, ut paulo post dicemus. Pollutio itaque ecclesiae aut coemeterii (nam ambo eodem pacto violantur et reconciliantur) fieri potest variis modis h. e. quinque (Suarez *de Relig.* vol. 1. tr. 2. l. 3. c. 2.).

I. *Per iniuriosam ac notoriam sanguinis effusionem.* Dicitur 1° *iniuriosa;* quia si aut casu vulneres au ad iustam defensionem, non fit pollutio. Dicitur 2° *notoria;* quia opus est, ut factum notorium sit aut iuris aut facti notorietate. Ratio patet ex definitione pollutionis: nec fere expedit, ut nota res fiat, ratione nempe scandali. Dicitur 3° *effusio:* quocirca non satis est, si aliquae tantum guttulae v. gr. percussis naribus eliciantur; effusio enim quidpiam plus significat. Non sufficit ergo sola percussio, licet gravis, sed necesse est ut sanguis sequatur; quia de sanguinis effusione textus Canonici loquuntur, qui in materia poenali ultra propriam verborum significationem extendendi non sunt. Schmalz. in lib. 3. tit. 40. n. 68. Monet Laymann *de Sacrif. Missae,* c. 5. n. 7. opus non esse ut sanguis intra ecclesiam fundatur, satis esse, si foris. Dicitur 4° In *ecclesia vel coemeterio;* quia necesse est, ut vulnus infligatur in ipsa ecclesia vel coemeterio, licet vulnerans forte sit extra ecclesiam. Hinc si vulnus infligatur extra et vulneratus confugiat ad templum vel coemeterium, non censetur pollutio accidisse.

II. Per *iniustum* et *notorium* homicidium in ecclesia vel coemeterio perpetratum etiam sine sanguinis effusione. Dicitur 1° *notorium* et *iniustum* eadem causa ac sup. de sanguinis effusione dictum est. Dicitur 2° *etiam sine sangiunis effusione,* v. gr. si quis stranguletur vel opprimatur, suffocetur, suspendatur, veneno interimatur, percutiatur etc.

Homicidium in ecclesia perpetratum, quod vere accidit, etsi mors extra ecclesiam sequatur, dummodo eius causa in ecclesia fuerit patrata. Laymann *de Sacrif. Missae* c. 5. n. 8.

Homicidium vero iustum, quatenus legitima auctoritate publica factum adversus quempiam per carnefices, violaret ratione actionis profanae, ut infra dicetur.

III. Per *illicitam humani seminis intra ecclesiam vel coemeterium effusionem.* Dicitur generatim *illicita effusio* etc. quo comprehenditur effusio tum per voluntariam pollutionem, tum per carnalem copulam.

Et quidem sub carnali copula intelligitur etiam *coniugalis,* quando haec ratione loci sacri evadat illicita. Illicita autem evadit, nisi ea excusetur a mortali culpa ob necessitatem. Necessitas autem adesse censetur, ubi foret probabile periculum incontinentiae, propter diuturnitatem temporis, quo coniuges in ecclesia morari necessario contin-

geret. Quamquam melius dicunt illi DD., qui incontinentiae periculum non alligant temporis diuturnitati, cum possit adesse etiam breviori temporis intervallo. De hac re s. Alphonsus lib. 3. n. 458. in fin.: « Opinantur autem isti doctores, tunc coniuges in morali necessitate esse, quando sunt in periculo incontinentiae, vel quando diu in ecclesia manere deberent, nempe per 10. dies, ut aliqui censent, alii per 20., alii vero per mensem. Et casu, quo coniuges iudicarent, per mensem in ecclesia se esse mansuros, etiam ab initio mensis copulari possent ». Quam doctrinam tacite s. Alph. approbat Diana tom. 1. tract. 7. resol. 85. n. 2.: « Sed ego, attenta humana fragilitate, puto cum Suarez et Petro Ledesma, longum tempus esse quatuor aut quinque dies ». Certe non *absoluta*, sed *relativa mensura* videtur utendum, siquidem temporis mensura utendum sit.

IV. *Per sepulturam hominis excommunicati.*

V. *Per sepulturam infidelis et non baptizati hominis.*

Nota discrimen inter priores tres modos violandi et duos posteriores; nam illae violationes contrahuntur per actionem culpabilem, ad has vero non requiritur culpa. Nunc quaedam dicenda de singulis. Sed quoad primum et alterum satis esse videntur quae dicta sunt. Addit tamen Laymann l. c. oportere ut iniuria pertingat ad culpam mortalem, sicut notavit Suarez in 3m p. *de Sacram. in gen.* etc. d. 81. sect. 4. n. 2.

Et quae mox dicturi sumus in quaestione de sacrilegio, quando res non sit notoria, ad ea quoque pertinere manifestum est.

397. Quaeritur, an SACRILEGIUM sit *occulta* seminis effusio illicita. Eadem quaestio est de illicita sanguinis effusione.

Quaeritur an sit *sacrilegium*, non autem an per occultam eiusmodi illicitam effusionem sacer locus polluatur. Nam si *occulta* sit, valet eadem ratio ac pro homicidio seu effusione sanguinis (153. I.), nempe ut vitentur scandala. Adde 1° quod ita expedit, ne prohibeatur celebrare sacerdos aut parochus, qui secreto scit, v. gr. ex confessione, in ecclesia ea contigisse: 2° tum etiam ne sacerdotes haerere incerti semper debeant, polluta necne sit ecclesia.

S. Alphonsus hanc quaestionem tractat lib. 3. n. 458., ubi de VI. Praecepto; sed dum coniungit quaestionem de *sacrilegio* cum quaestione de pollutione ecclesiae, obscuritatem inducit.

Praemittit, in cap. unic. *de Consecr.* in 6., et can. *Ecclesiis*, 20. *de Consecr.* dist. 2. (addere poterat cap. *Ecclesia* fin. *de Consecratione*) prohiberi sanguinis aut seminis effusionem; quod alius posset negare, quia hisce in locis hoc unum innuitur, ecclesiam *seminis effusione pollutam* indigere reconciliatione. Sed quomodo polluatur aut quando, nihil dicit. Ergo aliunde id desumendum.

Addit tres sententias adesse, OMNES SATIS PROBABILES « *Prima* (inquit) tenet, praeciso scandalo, nunquam esse sacrilegium copulam *maritalem* aut sanguinis effusionem ad propriam defensionem; quia prohibetur sola effusio *illicita* ». Labes huius sententiae est, quod non restringat ad meram necessitatem licitum usum coniugii, ut patet ex rationibus Dicastilli infr. n. 165. 166. Auctores autem allegati loquuntur de necessitate et sic excusant. Quod dicit de sanguinis effusione, quando erit scandalum si fiat ad defensionem? « *Secunda* (inquit) distinguit et dicit, committi quidem sacrilegium et ecclesiam pollui per sanguinis aut seminis *publicam* effusionem; non vero per occultam etiam illicitam... Ratio, quia... talis effusio non est sacrilegium de iure divino, sed tantum de iure Ecclesiastico, quo sola publica effusio prohiberi videtur, dum tantum per istam aufertur in opinione hominum reverentia loco sacro debita et saltem ob tantorum DD. auctoritatem hanc sententiam bene putant probabilem Salmanticenses. Notant tamen, quod ut effusio dicatur iam publica, sufficit, si manifestetur verbis aut si vir et femina in eodem toro cubare cernantur tr. 9. c. 15. n. 65. ». Verum id est contra communem sententiam, ut Ecclesia censeatur polluta, deficiente notorietate, quae in tali hypothesi non haberetur.

Et dein subdit *tertiam* sententiam sic: « *Tertia* sententia probabilior dicit, adhuc per copulam maritalem occultam committi sacrilegium et ecclesiam pollui, nisi fiat ex morali necessitate ». Quae sententia quoad secundam partem, nempe ecclesiae pollutionem, est falsa; quia ad hanc requiritur notorietas iuris vel facti.

398. Oportet rem penitius investigare, cuius obscuritatis crimen reiiciendum est in Salmanticenses, qui tract. 11. *de Matr.* c. 15. n. 62. non minimam confusionem huic quaestioni intulerunt. Praecipua autem haec labes est, quod falsatae ut plurimum referantur aliorum doctrinae et ex falsatis hisce doctrinis creatae sint sententiae et probabilitates absurdissimae.

Et quoad primam sententiam nihil solidi est, quod ei suffragetur, sive ex parte auctoritatis sive ex parte rationis.

Et quoad auctoritates, allegatur in primis Glossa ad c. *Ecclesiis* 20. *de Consecr.* Dist. I., ubi allegantur Ugo, Laurentius, Gandulphus. His additur Archidiaconus et Henricus apud Sanchez *de Matrim.* lib. 9. disp. 15. n. 7.; qui addit, Hostiensem in cap. fin. *de Consecr.* n. 3. indecisam controversiam reliquisse, dicendo consulendum Romanum Pontificem ac pariter rem non decisam fuisse a Ioanne Andrea in cap. unic. *de Consecr.* in 6. n. 3. et 4. et Ancharanum in eund. loc. n. 2.

Atqui Hostiensis nequaquam agit de casu, quo sine ulla necessitate, ut dicit Sanchez l. c. n. 7., coniugio utantur in ecclesia. Sic enim de

uxore loquens, ait: « Licet enim peccet exigens, non tamen peccat debitum reddens »: quia scilicet *reddit viro opus habenti* (nam secus inepta esset ratiocinatio), atque adeo fit ex necessitate contra hypothesim Sanchez et Salmanticensium etc. Hic autem est casus, de quo subdit Hostiensis: « Si occultum sit, satis videtur, quod non egeat reconciliatione » et tamen subdit, consulendum esse Pontificem.

Item Ioannes Andreas (quod et Ancharanus pari modo habet) dicit; quod « *si uxor petit et opus habet, non est fornicatio neque adulterium* ». Unde 1° supponit *necessitatem* ad incontinentiam vitandam: 2° praeterea indicat, nomine adulterii aut fornicationis apud eos Doctores ius Canonicum explicantes venisse etiam maritalem copulam in ecclesia habitam sine necessitate: quo subvertitur prava intelligentia recentiorum, quasi sola copula illicita ex obiecto (sc. adulterium et fornicatio) damnarentur.

Quod vero caput est et summi momenti, Ioannes Andreas subdit hunc omnino esse casum, de quo et Archidiaconus et Gandulphus *in Glossa* disputant negantque necessariam esse reconciliationem Ecclesiae.

Ergo argumentum, quod desumitur ex Glossa et veteribus Canonistis, nullum prorsus est et innititur falsationibus doctrinae illorum.

Allegant deinde *Summam,* quae *Rosella* dici solet ad V. *Consecratio* §. 1. n. 9.; ita quidem Sanchez l. c. Salmanticenses l. c.

Verum doctrina huius est consentanea prorsus relatae ex Glossa etc. nempe maritalem copulam in templo non esse peccatum, si *quando necessitas urgeat* nec possint coniuges exire ab ecclesia et tunc ecclesiam non indigere reconciliatione.

399. Addunt Salmanticenses Alexandrum Halensem *Summ.* Part. 2. quaest. 147. membr. 2. Agitur ibi de circumstantiis, quibus illicita sit copula maritalis et sic in rem nostram dicitur: « Ad illud vero, quod ibi obiicitur de loco sacro, dicendum est, quod si locus consecratus est, propter contemptum sacramenti peccat mortaliter: *neque tanta est necessitas,* quin possit cognoscere in alio loco ». Ubi neque excusationem necessitatis admittere videtur. Ergo non recte adducitur.

Addit vero: « Ad illud vero, quod obiicitur *de Ecclesiis consecratis* (obiiciebatur autem decretum Nicaeni = Ecclesiis Deo consecratis non esse iterum consecrationem adhibendam, nisi igne exustae aut sanguinis effusione aut cuiusdam semine pollutae fuerint =; ex quo concludebatur, peccatum esse mortale maritalem in ecclesiis concubitum), *si sint pollutae* etc., dicendum, quod proprie dicitur pollutio illo modo, quo polluitur per adulterium vel fornicationem, non autem cum polluitur per coitum cum uxore, propter quod fieri debeat reconsecratio, sicut quidam dicunt. Secundum alios autem in quibusdam

causis debet fieri iterata consecratio. Si vero fuerit adulterium, debet fieri reconciliatio... ».

Porro manifestum est, secundam hanc conclusionem non contradicere priori, sed eandem esse controversiam ac supra vidimus agitari ab Hostiensi, Io. Andrea, Ancharano etc. de necessitate reconciliationis et solum hoc intercedit discrimen, quod illi *excusent a peccato ob necessitatem*, Halensis vero ne hoc quidem admittat.

Salmanticenses addunt Emmanuelem Sà V. *Ecclesia* n. 14. sic aientem: « (Polluitur ecclesia) secundo effusione voluntaria seminis viri vel feminae, si fiat cum peccato mortali ». Ipsi autem addunt minorem: atqui copula maritalis in ecclesia non est peccatum mortale. Ergo. Sed illa *minor* non est Sà, sed Salmanticensium, qui idcirco supponunt quod est in quaestione.

Contra Emmanuel Sà ad V. *Debitum coniugale* n. 12. oppositum dicit: « Copulam in loco sacro mortale esse peccatum, etiam reddentis, quidam aiunt (sicut Halensis): ego etiam petitionem puto aliquando posse a mortali excusari, ut si *fiat ad vitandum peccati periculum* aut alia iusta causa ». Ergo Emmanuel Sà requirit necessitatem.

400. Diana tom. I. trac. 7. resol. 85. n. 4. de hac doctrina loquens, dicit Lessium lib. 4. cap. 3. n. 86. eam referre et *non improbare*. Sed falsum est, eam Lessium non improbasse; nam mox oppositam tuetur et aliam confutat.

Est tamen, quod et in Lessio non placeat. Nam l. c. dicit, illam doctrinam insinuari a Dominico Soto in 4. dist. 32. art. 3. col. penult. et ab Angles *Flores de Matrimon.* pag. 313., scil. in 4. Sent. part. I. pag. 313. 314.

Et Soto quidem apertissime contrarium statuit inquiens: « Ad haec vero et consideratio loci sacri accedit, in qua maior difficultas consistit. Ob idque subnectitur tertia conclusio. In loco sacro sive *exigere* (debitum sive matrimoniale) *reddere, utrumque ex genere suo peccatum mortale* est. Probaturque, quia per turpem effusionem spontaneamque seminis violatur locus fitque celebrandis sacris ineptus, quousque reconcilietur. Quapropter eiusmodi effusio sacrilegium est, quod genere suo est mortale.

« Hanc autem conclusionem Richardus.., sic moderatur, quod sit intelligenda, *quando coniuges diuturnam moram non trahunt* in ecclesia; nam *si diu ibidem commorentur violenter reclusi, videtur,* inquit, *tunc licitum esse eis in illo loco exigere et reddere; quia non est ponendus, ait, laqueus animabus propter immunditiem loci.* Attamen profecto si propter debitum coniugale violatur Ecclesia, ut fatendum est, nescio quomodo ratione diuturnae habitationis excusetur talis concubitus a

peccato mortali. Alia ergo fortasse erit aptior moderatio quod quando talis concubitus est sic occultus, ut in publicum venire non possit, tunc forte non est coniugibus peccatum mortale... ».

Haec sunt verba, quae (contra mentem apertam Auctoris) ansam dederunt allegandi Soto pro ea falsa sententia. At ipse loquitur de *tali* concubitu, scil. de reddito in casu diuturnae habitationis ad vitandum peccatum, non vero de quolibet alio.

Quod vero attinet ad Angles, ipse solum dicit, maritalem copulam *a mortali excusari;* sed non dicit, hoc valere, quando fiat absque necessitate: haec ergo est mera glossa aliorum. Ceterum de istis *floribus* obscuri hominis non est, cur simus solliciti.

401. Addunt denique etiam Ioannem Gersonem Compend. seu *Summ. Theolog.* in fin. ubi *de Coniugii Sacramento,* ut videre est, apud Sanchez l. c.

Sed pariter sine causa. Etenim ad quaestionem « an tempore et loco sacro debeat reddi debitum », postquam dixit, reddendum etiam quibusdam sacris temporibus, de loco suddit: « Sed secus est de loco, ut volunt aliqui, quod scilicet *non tenentur* in loco sacro reddere debitum, si aliquis alius locus haberi possit. Si autem alius locus non possit haberi, ut contingit in tempore guerrae, ubi multis noctibus in locis sacris iacent viri cum uxoribus suis, tunc si alter coniugum solvat *exactus,* habens de hoc dolorem cordis, peccat tantum venialiter; imo si exigat cum planctu et pigentia, quod sine usu coniugii esse non potest (en necessitas petentis), non credunt multi, quod peccat mortaliter ». Ergo perperam omnino adducitur.

Verum abutuntur sequentibus: « Nec credas, quod *tunc* (haec est vox, quam non considerant, dum ea est, quae ostendit sermonem esse de casu necessitatis), quod *tunc* contaminetur locus sacer, ita quod reconciliatione indigeat; quia contaminatio sacri loci distinguitur dupliciter. Una quae procedit ex incongruitate operis, quod fit in ipso, respectu dicti operis in se, et alia, quae procedit ex incongruitate operis, non quoad se, sed quoad consecrationem seu actum ipsius loci in quo fit. Nam illa, quae procedit ex incongruitate loci tantum et non operis in se, non contaminat locum in tantum, quod indigeat reconciliatione; sed illa vero, quae procedit ex incongruitate ad sanctificationem loci respectu operis in se, ut est in magnis facinoribus, sicut in stupro, adulterio, homicidio et huiusmodi. Et haec locum contaminat in tantum quod reconciliatione indiget, maxime respectu aliquorum facinorum, ubi sunt manifesta ».

Et aequitas quidem postulat, ut haec discrete ita intelligantur, ut ad absurda non deducantur: sed quidquid sit, stultissimum foret ita

intelligere, ut contradicant tum superioribus, tum iis, quae ibidem asseruntur, scilicet quaedam *esse incongrua ob sanctificationem loci*, licet in se mala non sint.

402. Constat ergo auctoritates, quibus ea doctrina promovetur, nullas esse. Nunc de argumentis intrinsecis.

Ea desumemus ex Dicastillo tract. 10. *de Matrim.* disp. 9. dub. 5. n. 57.: licet enim hic auctor contrariam et communem sententiam vocet *probabilissimam* et in praxi servandam, tamen etiam alteram novo quodam in logica prodigio vocat probabilem ac multis probabilem videri addit.

Postquam ergo et ipsae auctoritates, quas meminimus, agglomeravit (a), has egregias rationes promit.

Prima est: Actus coniugalis in loco sacro in primis non est iure naturali prohibitus nec divino, *ut patet*.

Illud, *ut patet*, evincit, interdum quosdam subtilitatibus eo adduci, ut sensum communem abiecisse videantur. Interrogemus, an iure naturali vel divino interdictum sit in ecclesiis vendere vinum, cibos porrigere et a bene potis choreas institui et ludere alea aut pila, lavare pannos aut scutellas, habere lectulos et dormire etc.

Porro si ipsa natura duce homines rudes et impoliti ab his abhorrent et templo, quod est Dei domus et ubi tam tremenda mysteria celebrantur, norunt hanc reverentiam deferendam, ut non nisi compositis vestibus, incessu etc. illud adeundum putent et in ipso vel spuere vereantur, nedum alia ratione foedare et profanare: erunt theologi, qui quaerant, an iure naturae indecens haberi debeat id, quod ex omnium sensu et sententia indecentissimum est ac tenebris ac secreto solum committendum? Et sin minus ut turpis actio haberi deberet, nonne saltem ut profana censeri debet repugnans reverentiae sacris locis debitae? Haec autem nonne lex ipsa naturae proclamat, plane vel paganos idolorum cultores hoc idem docuit?

Paucis: ratum est id, quod solum sensus humani expertes negabunt,

---

(a) Auctor hic e suo penu in tract. *de Sacrif.* disp. 4. dub. 7. n. 121. allegat Angelum. scil. de Clavasio, cuius *Summa* dicitur *Angelica*, ad V. *Debitum Coniugale* numero ultimo. En itaque verba Angeli de Clavasio l. c. n. 35.: « Sexta dicitur convenientia loci, quia *non debet fieri in loco sacro*. Unde si est consecratus locus, *peccat mortaliter tam exigens, quam reddens*, *propter contemptum Sacramenti* secundum Alexandr..., *si non sit necessitas*, propter quam non possit cognoscere in alio loco, ut puta quia violenter sunt reclusi per longum tempus; quia tunc esset de bono consilio abstinere, non de praecepto. Concordat Riccardus in 4. dist. 32. art. 3. q. 1., sed Petrus de Palude... tenet indistincte quod est mortale; sed non credas ei. Nec valet eius ratio, sc. quod nulla sit necessitas sicut in urina; imo maior, quam quis stet iuxta ignem longo tempore et non calefiat. Nec etiam alia ratio, sc. quia locus polluitur; quia pollutio nocturna etiam in somnis polluit, tamen non est peccatum; ideo tene cum Alex. et Riccardo ». Ergo et hic fallaciter adducitur.

quasdam esse actiones per se malas et quae novam accipiunt malitiam si fiant in loco sacro, utpote reverentiae loco illi debitae contraria: rursus quasdam esse actiones non in se malas: sed quae malitiam contrahunt solum ob irreverentiam adversus sacra loca. Porro siqua actio nimis profana est et minus decens sactitatem loci sacri, profecto maxime talis dicendus est actus coniugalis.

403. Alia ratio Dicastilli haec est, quod neque iuri ecclesiastico id repugnare videatur. Quemadmodum enim, inquit, eodem iure ecclesiastico prohibetur effusio sanguinis in ecclesia et tamen id intelligitur de *illicita:* idipsum intelligi potest et de effusione seminis.

Mittamus nunc, quam incongrue dicatur, ab Ecclesia prohiberi effusionem sanguinis etc. Iam enim alias notavimus, Ecclesiastica decreta non prohibere, sed indecentissimas loco sacro supponere eiusmodi actiones eaque de causa hoc unum decrevisse, ne liceret sacra mysteria celebrare, si quando iis actibus ecclesia contaminata fuisset.

Sed hoc praetermisso, argumentum allatum retorqueri debet in auctorem. Quaenam enim sanguinis effusio licita est, nisi quae necessaria sit, ad sui scil. defensionem? Atqui quoad seminis effusionem ipse non quidem necessariam, ut alii Theol., propugnat, sed quamlibet; si ergo valet comparatio, allata ratio contra ipsum faciet.

Sed aliunde est absurda ea argumentatio, quia falsum est suppositum, quod Ecclesia interdicat (si tamen habetur proprie dicta interdictio) solum illicitam sanguinis effusionem. Nam in hoc casu, neque irreverens esset nec pollutionem ecclesiae induceret occisio malefactoris per iudicis sententiam in ecclesia facta. Quod tamen nemo certe admittit.

Itaque probabilitates istas explodamus, quae fictis auctoritatibus fictisque rationibus gratis adstruuntur magno cum scientiae discrimine. Si enim huc revocemus ea, quae alias disputavimus de requisitis necessariis ad probabilitatem alicui opinioni conciliandam, plane apparebit, nihil eorum heic haberi. Sed et illud emolumentum hinc percipiendum, quod aliud sit disputare etiam severe de opinionibus probabilibus, aliud se immunem ab incommodis servare. Ecce s. Alph., qui alias videtur, voluisse exagitare probabilismum et Tamburinum carpebat de facilitate habendi ut probabiles quasdam opiniones, ipse in eodem casu versatur.

404. Veniamus ad secundam sententiam, quae statuit, sacrilegium haberi ac pollui ecclesiam, si effusio sanguinis aut seminis sit publica, non vero si sit occulta.

S. Alphonsus n. 458. subdit: « Ita Glossa in cap. unic. *de Consecr.* in 6°, item Pontius (vocans communem), Toletus, Navarrus, Azor, Sà, Vasquez, Coninch, Rodriguez etc. *apud Salmanticenses* ».

Et verissimum est, haec haberi apud Salmanticenses tr. 9. cap. 15.

n. 64., excepto *et cet.* et Glossae citatione; ipsi tamen addunt *de Graffis*, qui s. Alph. oculos effugit et subiiciunt, propter tantorum DD. auctoritatem sententiam esse probabilem, ut refert idem s. Alphonsus.

Verum Glossae verba non dicunt, non committi sacrilegium, sed solum ecclesiam non debere reconciliari, si pollutio sit occulta. Ita enim habet: « Si pollutio fuerit occulta, ecclesia non debet reconciliari; dicunt enim theologi, quod ideo reconciliatur ecclesia, ut videntes ecclesiam lavari, cogitent quantum pro lavatione peccatorum sit laborandum ».

Ita Glossa, quod vero non committatur *sacrilegium*, est consectarium quod facile negatur. Ceterum Theologi alias rationes, cur ecclesia reconcilianda non censeatur, assignant: inter quas est 1° ut vitentur scandala: 2° ne sacerdos, qui scit pollutam secreto, impediatur a celebrando, dum tamen causam dicere non potest: 3° ne parochus et sacerdotes semper haerere incerti de ecclesia iam polluta debeant.

405. Quod vero attinet ad auctoritates, istae non exsistunt nisi in cerebro Salmanticensium seu eorum a quibus mutuati ipsi sunt, et facile donandum est, s. Alphonso, si non suspicatus est, errare Salmanticenses potuisse atque adeo bona fide ab iis catalogum illum Scriptorum transscripsit.

Et de Emmanuele Sà iam vidimus sup. n. 161. falso eum allegatum. Nunc addamus, quae habet Sà in loco citato a Salmantic. V. *Ecclesia* n. 19.: « Nota tamen, quod in praedictis (causis pollutionis ecclesiae), oportet factum esse notorium per rei evidentiam publicam aut confessionem iuridicam rei. Itaque si pauci sciunt nec rem divulgant, non est opus reconciliatione ».

Ita Sà, et malae Salmanticenses confuderunt necessitatem reconciliationis cum crimine sacrilegii: quae labes habetur in reliquis allegationibus.

Ceterum ad V. *Luxuriae* n. 2. et 4. non requirit pro sacrilegio hanc conditionem; « Cum religiosis vero professis aut ordinatis in Sacris aut in loco sacro potius est sacrilegium, etsi quidam incestum putent »: et n. 4.: « Sacrilegium non est, ubi non est proprie locus sacer, etiamsi ibi altare forte sit », v. gr. ut in carceribus.

406. Sententia Card. Toleti *de Sacrilegio* lib. 5. cap. 12. nn. 3. 4. haec est: « Sexta species (luxuriae) est sacrilegium, cum copula fit cum persona Deo dicata per votum castitatis aut religionis aut copula fit in loco sacro... *Unum* tamen dubium est apud Doctores, an si maritus et uxor tenerentur conclusi in aliquo loco sacro, ut inde non possent exire, licite possent habere copulam. Quidam dicunt licitum esse, si multo tempore illic detineantur. Hoc habent Richardus, Summa Angelica et Rosella. Quidam negant et dicunt esse mortale. At mihi

videtur dicendum cum Silvestro copulam coniugalem dupliciter *fieri posse. Uno modo ad vitandam incontinentiam et peccatum carnis, quo vexatur coniux. Altero modo* ad alium finem, vel delectationem vel filiorum procreationem, *sine necessitate tamen vel periculo incontinentiae. In priori casu licitum est* nec polluitur ecclesia: *in secundo non licet, sed est mortale* ». A fortiori ergo de copula illicita id intelligendum.

Male autem Salmanticenses arripuerunt verba Toleti, ubi dicit, non pollui ecclesiam, si crimen sit occultum. Ita lib. 5. cap. 8. n. 8.: « Secunda causa, ob quam polluitur ecclesia, est humani seminis pollutio voluntaria: non enim per nocturnas polluitur, quae in somnis fiunt; sed debet esse voluntaria, sive fiat secundum naturam, sive contra, sive illicito concubitu, sive licito, qualis est coniugum; hic enim etiam polluit. Notandum tamen, ut pollutio haec sit causa (non dicit, ut sit sacrilega), debet esse publica et notoria apud multos; si enim secreta est, cuius notitia apud paucissimos est, non est polluta ecclesia ».

407. Aegidius de Coninch *de Sacr.* quaest. 83. n. 23.: « Notant DD. tam hoc (effusione seminis illicita) quam praecedentibus (effusione sanguinis), casibus debere de iis publice constare vel evidentia facti vel confessione eius, qui fecit aut simili ratione. Quare *quandiu* res manet ita occulta, ut pauci aliqui eam sciant, ecclesia non est polluta. Polluetur autem, si postea res ex eorum propalatione fiat publica »

Sed audiatur, quod ipse dicit de copula maritali ibid. n. 231.: « Dubium est inter DD., utrum polluatur per actum coniugalem inter coniuges habitum. Navarrus cum quibusdam aliis absolute affirmat. Alii contra absolute negant... Tertia sententia tenet, *eam pollui, quando coniuges sine necessitate in ea utuntur coniugio,* quia talis actus est iniuriosus loco sacro et SACRILEGUS: *secus quando est gravis necessitas,* ut si ratione obsidionis aut ob similem causam coniuges debeant diu in ecclesia morari, ita ut nec die nec nocte possint egredi. Tunc enim videtur nimis grave et periculosum ob humanam fragilitatem eos cogere, perpetuo toto illo tempore coniugii usu abstinere». Ergo perperam et hic adducitur.

Eadem est Navarri doctrina. Nam cap. 27. n. 256. utique de ecclesiae pollutione dixerat, causam debere esse publicam: « Respondeo, quod nec ista (ob sanguinis effusionem) neque alia pollutio occulta impedit celebrationem in ecclesia secundum glossam..., ex qua, cum eam Salmanticae perlegerem, intuli fieri posse, ut effusio sanguinis vel seminis facta ab hinc octo diebus, hodie incipiat impedire et non ante; nam facta tum videntibus duobus et usque nunc tacentibus, nunc autem publicantibus, ita ut fama gignatur, non impedit *ex tunc,* sed *ex nunc* ».

Sed hic sermo erat de publico effectu. Quoad crimen sacrilegii, ecce eius doctrina cap. 16. n. 3.: « *Sacrilega quoque dici potest omnis* copula, etiam ipsorum coniugum, quando RATIONE LOCI *est illicita* »: quae brevissime totam doctrinam exhibent.

408. Emmanuel Rodriguez utique in *Summa* part. 2. cap. 243. n. 19. ad pollutionem loci sacri vult notorietatem: « Petere aut solvere debitum in loco sacro (ex sua natura) est peccatum mortale, quod copula est publica; quia tunc polluitur locus sacer ».

Sed de sacrilegio ita cap. 207. n. 3.: « Non obstat, quod actus carnalis, qui committitur in coemeteriis ecclesiarum *sit sacrilegium*, quia coemeterium et ecclesia sunt res sacrae tertiae speciei ».

Azor et ipse tom. 1. lib. 10. cap. 26. q. 13. col. 1285. statuit: « Porro ecclesia occulte polluta (ergo est *polluta*) non indiget reconciliatione, quandiu latet... At quando incipit publica et manifesta esse *violatio*, opus est, ut ecclesia reconcilietur ».

Ceterum lib. 9. cap. 27. q. 4. de sacrilegio sic breviter et clare: « Sacrilegium committit quis in locum sacrum peccando..., cum aliquid facit, quo loci sanctitas polluitur ». Et paulo post enumerans hasce actiones: « Tertium, *voluntarie humanum semen emittere* ». Male ergo et hic adducitur.

409. Iacobus de Graffiis Monachus Cassinensis *Decis. Cass. Consc.* part. 1. lib. 1. cap. 20. n. 25.: « Utrumque horum (non furtum facies, non fornicaberis) factum in loco sacro, dicitur sacrilegium... Circumstantia, si in eodem loco *fornicetur*, procedit etiam si dicta circumstantia addatur actui bono, *repugnante tamen ratione, ut si vir uxori reddat debitum* in ecclesia »... Et haec intelligo non solum, si perveniatur ad actum, sed etiansi mentaliter *desiderat aliquis in loco sacro aliquid horum perpetrare* ».

Et part. 1. lib. 2. cap. 48. n. 26.: « Ratione loci polluitur ecclesia propter semen voluntarium etiam uxorium, sive extra sive intra vas, vel contra naturam... Sed an reconcilianda quando pollutio esset sine peccato, sed cum irreverentia, resp. quod sic. *Hinc violatur per licitum coitum matrimonialem secundum commun. Doctorum*; quia *aliqua sunt illicita ratione loci*, quae ex sui natura sunt licita... Verum, quando ecclesia per seminis effusionem esset reconcilianda, oportet ut effusio sit publica: nam si sit occulta, non est opus Missas et sacrificia suspendere atque ecclesiam reconciliare... Sed si aliqua sanguinis aut seminis effusio: quae ante octo dies v. gr. facta fuerit videntibus duobus, non autem tunc publicantibus illam, sed nunc, incipiat impedire ab hodie..., respondet Navarrus, quod ex *nunc* et non ex *tunc* ». Ergo et hic male allegatus fuit.

Denique allegant et Alphonsum Vega *Summa* part. 1. cap. 77.: qui tamen aperte contrarium docet. Ita enim cap. 1.: « Secondo dico, che se li congiunti in matrimonio *senza legittima cagione... hanno la copula* dentro la chiesa, per siffatta copula rimane la Chiesa violata... e la copula è illecita e sacrilega contra la riverenza dovuta al luogo santo » (versio est ex hispanico).

Sed abusi sunt verbis illis praecedentibus: « Per lo spargimento di sangue, che si fa per la propria difesa, non rimane la chiesa violata; adunque nè parimente per *la copula lecita, per la quale si difende la vita spirituale dal peccato dell' incontinenza* ». Postrema verba, quibus innuitur *casus necessitatis*, obtruncant, et volunt verbis = *copula lecita* = intelligi generatim maritalem etiam in loco sacro. Stulte et fraudulenter.

410. Huc usque Auctores a Salmanticensibus pro hac opinione allegati: bini excipiendi, qui reipsa haec tradiderunt, et sunt Gabriel Vasquez et Basilius Pontius. Hinc Diana tom. I. tract. 7. res. 89. n. 2., hos duos tantum enumerare potuit, qui eam docuerint et propter verendam eorum auctoritatem ait, se non audere nota improbabilitatis notare eam doctrinam. Addit praeterea idem Diana alios, qui postea uti probabilem habuere, scilicet Oviedo, in 1. 2. tract. 6. Contrav. 5. punct. 3. n. 64., Trullench *in Decal.* tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 7. n. 11., Caramuel *in leg. s. Benedicti* disp. 66. concl. 12. n. 1017. et Bassaeum *Flor. Theol. Moral.* V *Sacrilegium* II, n. 3.

Notandum tamen ad haec. 1° Quod falso adducatur Trullench, qui oppositum expressissime tradit et inculcat, etiam post relatam Pontii doctrinam.

Bassaeus vero ad ineptias eas descendit, ut id probet, quia Ecclesia non iudicat de actibus internis: deinde postquam allegavit falso, uti Salmanticenses, plures et addidit, ita docere omnes auctores boni nominis; tamen (quae cohaerentia!) dicit, oppositam (sc. nostram) esse communiorem et probabiliorem.

Adde heic, Vasquez non eam docere absolute, sed tantum affirmare, *id videri probabile*. Pontius igitur fuit, qui confundens hanc quaestionem cum alia disparatissima, an polluatur ecclesia, si causa pollutionis sit occulta, ex negata necessitate reconciliationis male concludit non adesse malitiam sacrilegii. Quod vero Basilius Pontius dicat communem *de Matrim.* lib. 10. cap. 10. n. 15. doctorum sententiam, neque ecclesiam pollui nec speciem sacrilegii adesse, nisi delictum sit publicum, est, *quoad sacrilegium*, aperte falsum.

411. Pontius huius absurdae sententiae rationes dicit quaerendas esse apud Aegidium Coninch. Plane incredibile! Nam Coninch docet oppositam sententiam, ut sup. n. 407. vidimus.

Reipsa affert ex Coninch hanc rationem: « Quia cum humana effusione seminis pollui censeatur ecclesia; quia irreverentiam infert et reverentia consistat in hominum aestimatione, sicut et fama hominum: necessarium est, ut notoria sit haec quasi ecclesiae diffamatio ».

Hisce Pontius duo confundit: nam aliud est consulere famae, aliud est non laedere honorem debitum, per irreverentiam. Si istos audias, nihil laedis hominis honorem cui alapam impingas nemine vidente; quia si manet occultum factum, eius fama non laeditur. Atqui honor et reverentia rebus Dei debetur, non solum ne minuatur existimatio earum apud alios, sed in se; imo quia reverentia ipsis in se spectatis debetur, idcirco illicite detrahitur earum existimationi apud alios. Ergo aliud est peccatum inhonorandi res sacras in se, aliud minuere existimationem apud alios; prima est laesio honoris et reverentiae, alia est laesio famae, sicut aliud est solius praesentis contumelia, aliud est detractio coram aliis.

Dum igitur doctores statuunt, ecclesiam non esse reconciliandam seu expiandam, si factum pollutionis sit occultum, respiciunt aliorum existimationem: sed non addunt illationem a Pontio deductam, nihil in reverentiam loco debitam peccatum fuisse ab inhonorante.

Subdit Pontius l. c.: « Qui sentiunt non esse sacrilegium in his peccatis, nisi ex Ecclesiae constitutione, quos retuli supra isto capite, difficile defendent, per pollutionem occultam ecclesiam pollui aut violari vel habere speciem sacrilegii ».

Inepta omnia et falsa. Nam 1° solum distorquendo in alium sensum paucorum quorundam (qui alioquin contrarii sunt absurdis hisce doctrinis) verba, hos auctores n. 9. confingit. 2° Quia confundit habere speciem sacrilegii *gravem* adeo ut necesse sit eam in confessione exprimere cum *generali specie peccati sacrilegii*, quae tantum aggravans circumstantia censetur in ordine ad confessionem faciendam. 3° Quia facillime defenditur, non pollui ecclesiam per crimen occultum, cum pollutio seu interdictum celebrandi mysteria divina seu necessitas reconciliationis locum habeat ob aliorum respectum, qui exhorrerent. 4° Quia male supponit, leges Ecclesiae non respicere nisi facta publica, quasi vero haeresis occulta aut violatio ieiunii occulta non essent peccatum. 5° Denique quia aliud est crimen sacrilegii, quod in irreverentia consistit, aliud pollutio seu inhabilitas loci ad celebranda mysteria, quam crimini publico ecclesia inussit.

Demum falsitas huius doctrinae in eo maxime apparet, quod ipse Pontius ibidem subdit: Unde si duo vel tres aut pauci homines « scirent pollutionem in loco sacro admissam, adhuc neque egeret reconciliatione, neque esset speciale peccatum sacrilegii ».

Atqui si pauci illi aliis revelent aut reus fateatur, ecclesia certe polluta censetur et erit sacrilegium! At enim numquid ita ineptire potuit homo ut putaret, sacrilegii reatum postea advenire, quando alii revelant?

Dimittantur itaque haec et concludamus nec rationum pondus ullum pro hisce militare et auctoritates vane confingi. Et idcirco non inter opiniones probabiles censeri has doctrinas posse, sed prorsus esse reiiciendas.

412. Breviter ex Lugo *de Poenit.* disp. 16. a. n. 461.:

1° Communis et verior sententia affirmat, contrahi malitiam *sacrilegii* in confessione explicandam per ea facta, quae per se sunt pollutionis ecclesiae sufficiens causa, etiamsi ista facta maneant occulta, n. 461.

2° Ipsa copula coniugalis eandem malitiam contrahit, nisi fiat ex humana necessitate, quando propter diuturnam mansionem in ecclesia sit periculum incontinentiae (n. 463.).

3° Quoad alios actus impudicos, alii volunt CUNCTOS habere malitiam sacrilegii, alii NULLOS hanc malitiam contrahere. Tertia sententia concedit de tactibus magis impudicis, negat de aliis actibus: et verior videtur ista sententia quoad actus, qui habent pollutionis periculum (n. 464.). In praxi fideles solent sponte haec aperire et ea in re melius ex communi sensu humano iudicare videntur, quam quidam Doctores qui nimiis subtilitatibus dementati videntur.

4° Non omnia peccata in ecclesia commissa inducunt circumstantiam sacrilegii in *confessione explicandam:* neque ipsa desideria actuum, quibus polluitur ecclesia, si non intra sed extra ecclesiam patranda cogitentur (n. 465.).

5° Seclusa ignorantia et inadvertentia, omnia peccata in ecclesia commissa, licet non contrahant malitiam sacrilegii *gravem* et in confessione necessario explicandam ratione loci, videntur tamen contrahere aliquam irreverentiam specialem: imo haec, licet levis sit, pertinet ad malitiam sacrilegii; non enim apparet, cui virtuti opponatur, nisi religioni ob specialem reverentiam, quae debetur loco sacro (n. 466.).

Hinc infertur, non esse universaliter veram regulam illam, quod ea sola contrahant malitiam specialem sacrilegii *gravem,* quae specialiter prohibentur ab Ecclesia ob eius reverentiam. Nam potest contingere, aliqua ita graviter opponi reverentiae debitae loco sacro, ut seclusa etiam Ecclesiae prohibitione, malitiam gravem sacrilegii contineant, ut si ibi publice copulam quis habeat cum meretrice, et iumenta inducat sicut in stabulum, aut in ipso sacro altari offerat sacrificia idolis.

Et hoc sensu intelligi debet, quod comoediae lascivae, negotiationes nimis profanae, nundinae, mercatus publicus et similia non possunt in ecclesia agi sine mortali peccato sacrilegii (n. 467.).

413. Omittendum non est, aliquos esse auctores, qui negant peccata externa luxuriae gravia quidem, quae tamen non sint pollutio, fornicatio etc. in ecclesia admissa esse sacrilegia.

Principium, cui negans opinio innititur, habes penes Sanchez *(de Matrim.* lib. 9. disp. 15. n. 4.), quod nempe *malitia haec et specialis deformitas non consurgit ex iure naturae, sed ex solo Ecclesiae statuto; at non invenitur ius ecclesiasticum haec prohibens in loco sacro fieri praeter textus... qui statuunt, ecclesiam sanguinis aut seminis effusione violari.* Atqui hoc principium a communi hominum sensu prorsus abhorret. Quaedam enim actiones adeo per se turpes esse aut saltem profanas, ut etiam seclusa Ecclesiae prohibitione, locorum sacrorum sanctitatem dedeceant et huic ita opponantur, ut si in ipsis patrentur, honori ac reverentiae illis debitae derogare censeantur, hoc enimvero non christiana modo plebs, sed vel ipsi ethnici naturali rationis lumine agnoverunt ac semper professi. *Indecens enim* per se *est, ut locus orationi et cultui divino deputatus convertatur in locum peccandi et offendendi eundem Deum,* ut ait Lugo *de Poenit.* disp. 16. n. 466. Porro huius irreverentiae malitia, ut scite idem Lugo advertit l. c., *non apparet, cui virtuti opponatur, nisi religioni propter specialem reverentiam, quae debetur loco sacro*, atque ideo ad quam peccati speciem, praeter sacrilegium, pertineat.

Accedit oppositae sententiae incommodum, ius enim ecclesiasticum, e quo sacrilegii rationem isti theologi desumunt, mere loquitur de ecclesiae reconciliandae necessitate; unde primi huius doctrinae auctores, Caietanus (Opusc. tom. 1. resp. 12.) et Navarrus (in c. *Consideret* caus. 33. q. 3.) inferunt, sacrilegium tantummodo haberi in actu, quo locus ineptus ad divinum cultum efficitur. Exinde vero profluit consectarium, quod Pontius (*de Matr.* lib. 10. cap. 19. n. 15.) cum aliis deduxit, nullum vel nefandissimum luxuriae crimen in ecclesia patratum posse haberi et dici *sacrilegum*, si occulta maneat effusio seminis; quippe si haec lateat penitus, aut paucis quibusdam tantum innotescat, ecclesia reconciliatione non indiget. Hinc autem duo absurda sponte effluunt. Primo quod nulla actio per se, dum occulta manet, sacrilega erit. Deinde quod actio sacrilega non erit, quousque manet occulta, fiet vero deinceps sacrilega, si forte crimen, quod occultum diu mansit, in plurium notitiam deveniat.

Hinc verior doctrina censenda est, quam tradidit Lugo l. c., nempe quod seclusa ignorantia et inadvertentia, omnia peccata in ecclesiis

commissa aliquam specialem irreverentiam includat; quae licet non semper gravis sit, sed levis esse possit atque ideo non necessario explicanda in confessione, ad malitiam tamen sacrilegii pertinet.

414. De sepultura excommunicati. Sepultura, utique ecclesiastica, duplici modo vetatur. Nam aliquando ita interdicitur sepultura, ut insuper locus maneat pollutus; alias sepultura quidem ecclesiastica interdicitur non tamen ita ut locus polluatur, licet obligatio adsit exhumandi cadaver, aut saltem, si casus id patitur, impertiendae absolutionis a censura, ob quam sepultura ecclesiastica interdicitur. Haec ergo in seqq. sedulo distinguenda. Diximus pollui ecclesiam aut coemeterium per sepulturam excommunicati. Intellige excommunicatum nominatim, et notorium percussorem clerici. Nam quoad excommunicatos toleratos locum habet Bulla Martini V. Regula est: *Cum quibus non communicamus vivis, etiam mortuis communicare non debemus et contra.* Atqui cum vitandis vivis non communicamus, sed utique cum non vitandis. Ergo. Hinc potest in coemeterio catholico sepeliri haereticus non denunciatus, nisi id petatur aut fiat in contemptum fidei catholicae. Schmalz. in l. 3. tit. 40. nn. 75.-76.

Quando autem sepultus fuerit excommunicatus vitandus in loco sacro, ut catholicus ibidem sepeliri aut officia divina celebrari possint, necesse est ut prius exhumetur talis excommunicati cadaver, si fieri queat, et postea ecclesia vel coemeterium reconcilietur. Schmalz. l. c. n. 77.

Ceterum quod nuper diximus de excommunicato non vitando, id intelligitur quoad effectum pollutionis ecclesiae. Quod vero attinet ad licitam sepulturam, utique docent communiter (vid. Schmalz. in lib. 3. tit. 28. n. 57.), sepeliri in loco sacro posse excommunicatum toleratum sed occultum; cum enim privatio sepulturae sit evitatio publica, etiam requirit causam publicam, ne alias poena excedat delictum et is, qui praesumitur bonus, hac ratione infametur. Si vero sit toleratus, sed publicus, sepeliri in loco sacro poterit, si dederit signa poenitentiae; quamvis expediat, ut prius ab excommunicatione absolvatur, Schmalz. ibid. nn. 58.-60.; secus si haec signa poenitentiae non dederit.

Interdicti quoque notorii et denunciati privantur ecclesiastica sepultura; quia per omne interdictum sive locale sive personale prohibetur usus ecclesiasticae sepulturae: quod idem dicendum de suspensis ab ingressu ecclesiae. Barbosa l. c. n. 41. Bene tamen advertit Laymann *de Sacrificio Missae* cap. 5. n. 8. §. 4. per hos omnes non violari ecclesiam neque egere reconciliatione; quia nullibi hoc definitum est. Deberet nihilominus corpus exhumari aut absolvi a censura. Hoc intellige tum de excommunicato tolerato, tum de interdicto aut suspenso. Ergo pollutio solum inducitur ob *vitandum.*

415. Iis, quibus sepultura ecclesiastica interdicitur, adnumerandi ex iure sunt publici et manifesti usurarii, nisi alienum restituerint, vel idoneas dederint de restitutione cautionem. Quocirca eos potest Episcopus exhumandos praecipere, etiamsi sepulti fuerint in ecclesiis regularium exemptis. Barbosa l. c. n. 42.

Hoc quoque tamen cum praecipiatur in poenam potius criminis, quam in loci sacri reverentiam, neque inducitur ecclesiae pollutio neque malitia sacrilegii, nisi nominatim fuerint excommunicati.

Quae locum habent pariter quoad manifestos raptores et incendiarios, nisi ablata fuerint restituta aut alius pro ipsis restituere velit. Barbosa l. c. n. 44.

Clarius Schmalzgr. in lib. 5. tit. 17. n. 71.: « Si ante obitum raptor non satisfecerit vel in ipsa depraedatione moriatur, tanquam mortuus in peccato mortali privatur sepultura ecclesiastica et Ecclesiae suffragiis et orationibus publicis fidelium ». Contra si satisfecit; tunc enim in vita ad poenitentiam et in morte ad sepulturam admittitur.

Quod si in vita, cum posset, praestare noluit et in morte, cum vellet, non potest, poenitentia quidem conceditur, sed iuxta quosdam ad detestationem criminis ecclesiastica sepultura negatur; iuxta alios negatur tantum sepulturae solemnitas et clericorum praesentia funeri.

Nota: Rapina proprie accepta et prout distinguitur a raptu (scil. mulieris), furto et latrocinio (sc. cum homicidio) est depraedatio violenta sine occisione.

416. Privantur sepultura ecclesiastica morientes in duello ex decret. 19. *de Reform.* sess. 25. Tridentini Concilii, quibus iungendi, qui in torneamentis et hastiludiis moriuntur, quando eiusmodi sint ut ex illis probabile periculum mortis immineat. Barbos. l. c. n. 45.

Et quoad morientes in duello verba Tridentini haec sunt: « Si in ipso conflictu decesserint, perpetuo careant ecclesiastica sepultura ». Quorum declarationem hanc habemus ex Constitutione Benedicti XIV. *Detestabilem* 10 Nov. 1752. §. 9.: « Praeterea simili motu et auctoritate decernimus et declaramus, sepulturae sacrae privationem a sacrosancta Tridentina Synodo inflictam morientibus in loco duelli et conflictus, incurrendam perpetuo fore, etiam ante sententiam iudicis, a decedente quoque extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto, sive duellum publice sive privatim indictum fuerit ac etiamsi vulneratus ante mortem non incerta poenitentiae signa dederit atque a peccatis et censuris absolutionem obtinuerit; sublata Episcopis et Ordinariis locorum super hac poena interpetrandi ac dispensandi facultate, quo ceteris documentum praebeatur fugiendi sceleris ac debitam Ecclesiae legibus obedientiam praestandi ».

Et uno verbo quicumque peccatores publici, sive fures sint sive latrones, concubinarii, maledici, blasphemi, religiosi proprietarii etc. sine poenitentia notorie decedentes.

Quibus adiungendi illi, qui ferro, veneno, laqueo, praecipitio in puteum vel flumen etc. mortem sibi ipsi sponte intulerunt. De quibus tamen regula temperata est ex sententia Benedicti XIV., docentis, posse in loco sacro sepeliri, cum fere sui compotes non sint habendi, nisi contrarium constet.

Si aliquem horum in ecclesia sepeliri contigit, si ossa ita sepulti ab aliorum fidelium corporibus secerni possunt, exhumanda sunt et proiicienda procul ab ecclesiastica sepultura. Schmalzgr. in lib. 3. tit. 28. nn. 49. 50. Secus, si discerni non possint.

Hic casus maxime quoad haereticos poterit evenire. Nam si haeresis solum post mortem detegatur, tunc exsecutioni haec sententia demandatur. Sed de his omnibus valet, quod n. 415. diximus, scil. eos in detestationem criminis privari sacra sepultura, sed non pollui ecclesiam.

417. *Quoad non baptizatos.* Intelliguntur primario pagani, iudaei aliique infideles. Quorum sepultura in loco sacro pollutionem loci ipsius inducit.

Sed his addendi sunt infantes, fidelium filii, qui decesserint absque baptismo. Excipe nisi moriatur simul cum matre eum in utero gerente; tunc enim censetur matris pars. « Non improbabiliter, inquit Schmalz. in lib. 3. tit. 40. n. 74., Ugolinus, Engel, Iordan., Wiestner... negant, per sepulturam infantis progeniti ex parentibus fidelibus, sed ante baptismum mortui extra uterum matris, pollui ecclesiam vel coemeterium. Ratio, quia infideles eorumque infantes privantur sepultura ecclesiastica, *eorumque corporibus polluitur ecclesia et coemeterium* ex speciali ratione, quia scil. fidem christianam vel in se vel in parentibus detestati sunt: non ita eam detestati sunt infantes fidelium..., imo parentum suorum voluntate iam ad baptismum destinabantur ».

Quidam catechumenos ad sepulturam ecclesiasticam admitti posse censuere. Ex communi DD. contradicit Laymann, ait Schmalzgr. l. 3. tit. 28. n. 49. Veruntamen, ut idem Schmalzgr. lib. 3. tit. 40. n. 72. inquit, communior sententia negat, hac sepultura ecclesiam pollui; quia, ut ait Sayrus *de Censuris* lib. 5. cap. 16. n. 24., catechumenus non reputatur quoad hoc infidelis, sed creditur habuisse baptismum flaminis. Imo Barbosa post alios quosdam *de Offic. Episc.* part. 2. alleg. 28. n. 53. censet etiam licite sepeliri in ecclesia posse, quia non debent separari a nobis sepultura ii, qui vi caritatis nobis sunt coniuncti. Non bene tamen Schmalzgr. l. c. confundit rem et allegationes ita, ut *communior* stare videatur etiam pro *sepultura licita;* quam sententiam prius dixerat esse *contra communem.*

418. Reliquae actiones ab A. commemoratae reatum habent sacrilegii sine loci pollutione.

1° Cognitio causae, sententia iudicis etc. praesertim in causa criminali. Non tamen si pertractentur causae ecclesiasticae, quae dici non debent causae profanae et reipsa causae agitabantur in Synodis in ipsa ecclesia celebratis. Fieri tamen id non solet, vel ad summum sententia excommunicationis promulgatur.

S. Alph. notat heic n. 37. licite in ecclesia fieri civiles conventus, si cogat necessitas aut pluviae aut defectus alterius loci.

2° Negotiatio et mercatura sollemnis. Dicitur *sollemnis;* quia non haberetur gravis culpa, si qui in ecclesia sine strepitu et scandalo colloquentes in aliquod pactum convenirent.

3° Tripudia et ludi profani. Neque cessaret reatus, si haec fierent iubente vel permittente Episcopo, non secus ac non cessat sacrilegium, si quis clericus consentiat in percussionem sui. Neque enim haec sunt iura Episcopi aut clerici, sed statuta in reverentiam religionis et dignitatis sacerdotalis. Permitti tamen solent comoediae honestae ad excitandam ac fovendam pietatem idoneae, sicut et exercitia litteraria ac scientifica.

4° Publicae comessationes, conclamationes, cursitationes etc. Monet tamen s. Alphonsus, culpae gravis non esse reum, qui in ecclesia moderate deambulet, aut private comedat etiam sine necessitate, dummodo absit scandalum, clamor etc.

5° Quoad illicitos concubitus notandum, quod ut absit ecclesiae pollutio, supponitur non adesse effusionem humani seminis etc.

Refert s. Alphonsus n. 37. decretum S. C. C. 30. Aug. 1701. « non licere cuicumque etc. (personis regalibus tantum exceptis) ad ecclesias strata sibi deferri facere: secus cessandum immediate a divinis; quod nisi servetur, rectores ceterosque ministros ipso facto excommunicationem incurrere eamque ecclesiam esse pro interdicta habendam ». Quod decretum a ss. P. Clemente XI. probatum fuit. Istud tamen decretum pro Urbe tantum latum est.

419. Alia ratio sacrilegii localis oritur ex violatione immunitatis ecclesiarum, seu generalius locorum sacrorum, quaecumque hoc privilegio gaudent.

Nam latius extenditur locus sacer, quando agitur de sola immunitate. Et quod attinet ad beneficium asyli, hoc privilegio utuntur 1° ecclesiae, seu loca ad divina officia celebranda, dummodo auctoritate Episcopi erecta sint et ad publicum divinum cultum destinata. Neque opus est ut iam sint consecratae aut benedictae nec ut iam celebrata in illis sint divina officia, nec refert utrum ibi servetur ss. Eucharistia, neque

utrum sint pollutae aut interdictae aut etiam dirutae (modo destructae non sint Episcopi auctoritate), modo spes sit seu intentio reaedificationis; imo satis est, si nunc coeptae sint aedificari, cum primum lapis approbante Episcopo iactus est: in quo casu area designata fit locus asyli.

Praeterea asylum praebent non solum interiores partes ecclesiae, sed etiam exteriores, v. gr. porticus, cappellae, parietes, sacristia, turris, tectum, cryptae subterraneae, campanile, scalae ad templum, porta apprehensa, exterior basis.

Deinde 2° coemeteria, non modo ecclesiis coniuncta, sed etiam ab iis separata, modo sint destinata sepulturae fidelium.

3° Palatium Episcopi in reverentiam et decus dignitatis Episcopalis. Et refertur decretum Congregationis 10. Dec. 1658. quod eodem privilegio gaudeat domus parochi, saltem si coniuncta sit ecclesiae. Schmalz. lib. 3. tit. 49. n. 110.

4° Domus aut Conventus Religiosorum et quidem quoad omnia aedificia, stabula, horrea, hortos etc. intra eundem ambitum et murum conclusa.

5° Hospitalia auctoritate Episcopi erecta et sacellum ad celebrandum habentia; nam haec quoad privilegia aequiparantur ecclesiis. Oratoria erecta in seminariis auctoritate Episcopi.

6° Imo et persona sacerdotis, qui deferat Eucharistiam, eodem privilegio quodammodo locali gaudet, quatenus confugiens ad eum est veluti in asylo nec capi potest. Excipitur tamen sacerdos in carcere etc.; nam communis sensus et aequitas id postulant. Cf. Laymann *de Eccl. Immunitate* c. 3.

420. Asylum definitur ius seu privilegium, vi cuius malefactoribus ad ecclesias seu loca sacra ac religiosa confugientibus securitas praestatur, ne inde vi extrahi possint, praesertim ad poenam in vita aut membris irrogandam. Id autem in favorem Religionis statutum est et ad honorem sacrorum locorum, iure ecclesiastico, non divino neque naturali, nisi late sumpto, quatenus consentaneum est dignitati eorum locorum, ut hoc eis privilegium concedatur: cf. Suarez *de Relig.* Tr. 2. l. 3. c. 8.

Asylo gaudent 1° omnes baptizati cuiuscumque conditionis ac status.

Atque adeo 2° etiam excommunicati, interdicti ab ingressu ecclesiae, suspensi.

3° Etiam exules, banniti et condemnati, etiam fugientes e carcere aut e manibus satellitum dum ducuntur ad supplicium.

4° Iuxta probabilem plurium sententiam etiam omnes non baptizati, quia non est privilegium personae sed loci.

5° Praesertim vero in iure recensentur Iudaei aut pagani, qui serio converti ad fidem velint. Laymann l. c. et Suarez l. c. c. 10. Schmalz. l. c. n. 154. seqq.

Gregorius XIV. excepit (in Const. *Cum aliis*) e laicis, si qui fuerint 1° publici latrones.

2° Viarum grassatores, qui itinera frequentata vel publicas stratas obsident et viatores aggrediuntur ex insidiis.

3° Depopulatores agrorum.

4° Qui homicidia vel mutilationes membrorum in ipsis ecclesiis earumque coemeteriis committere non verentur.

5° Qui proditione proximum suum occiderunt, scil. qui per insidias et sub specie amicitiae occidit incautum et impotentem sibi cavere. Quidam revocare huc voluerunt matrem, quae occidit infantem aut foetum animatum: at casus non est similis et deinde in poenis non fit extensio huiusmodi ob similitudinem.

6° Assassini, qui nempe pacto vel pretio interveniente conducunt aliquem ad occidendum, vel qui pretio conductus occidit proximum incautum etiam infidelem.

7° Qui sunt rei haereseos.

8° Aut rei sunt laesae maiestatis in persona Principis.

421. Benedictus XIII. Constitutione *Ex quo Divina* edita 6. Id. Iunii an. 1725., in Concil. Romano excludit ab asyli beneficio hosce:

1° Qui confugientibus ad locum immunem vim inferunt aut ipsos violenter extrahunt et abducunt.

2° Qui assassinium mandant aut mercedem aliquam tradunt aut promittunt, etiam nondum secuta traditione, modo assassinium reipsa patratum fuerit.

5° Qui proximum praemeditato et deliberato animo interficiunt.

4° Qui falsant litteras Apostolicas.

5° Ministri montis pietatis aut alterius publici telonii seu banci pro depositis Principum aut privatorum destinati, si furtum aut falsitatem in iis committant, cuius ratione arca pecuniaria ita minuatur, ut poenae ordinariae locus sit.

6° Qui conflant, adulterant, tondent monetas aureas vel argenteas etiam principum exterorum, si in loco criminis istae monetae liberum cursum habeant.

7° Qui tales pecunias scienter ita expendere praesumunt, ut participes fraudis censeri possint.

8° Qui sub nomine curiae sese in alienas domos introducunt, rapinas reipsa committentes cum homicidio vel mutilatione sive domesticorum sive aliorum ibi commorantium.

9° Interficienti ex animo deliberato et praemeditato aequiparat Benedictus XIV. In Constit. *Detestabilem* illum, qui alterum occidit in duello aut ita graviter vulnerat, ut propterea mori censeatur, iuxta iuris regulas. Vid. Voit, tom. 2. n. 1429.

Adverte tamen, hos non posse violenter extrahi: sed extrahuntur semper praevio decreto Episcopi et cum assistentia personae ecclesiasticae ab eodem Episcopo deputatae, et lege iudicibus indicta, ut reum restituere debeant, si utcumque detegatur, crimen non esse exceptum, v. gr., si vulneratus in duello diuturniori tempore vivat, quam a legibus pro imputando homicidio constitutum sit, ut cavet in cit. Constit. Benedictus XIV.

Qui iniuste ab asylo extrahunt, ex iure antiquo Romano rei sunt mortis. Ex iure canonico praeter alias poenas incurrunt excommunicationem, quae iure novo Constitutionis *Apostolicae Sedis* ad eos solum spectat, qui immunitatem asyli ecclesiastici violare iubent aut ausu temerario violant. Ea est excommunicatio latae sententiae R. P. reservata. Rei praeterea sunt sacrilegii, ut iam diximus (cf. 2. 2. q. 99. a. 2. ad 3.) atque iniustitiae contra sic extractum, qui ex lege Ecclesiae ius habet asyli. Suarez l. c. c. 13. n. 9. seqq.

422. Quoad rei extraditionem.

1° Cognitio causae, an reus gaudeat asylo, pertinet ad forum ecclesiasticum.

2° Reus, si tradi debet, traditur etiam invitus ac renitens.

3° Iudex non potest extrahere sine licentia Episcopi: qua ostensa, rector ecclesiae non quidem ipse tradet, sed non impediet modumque indagandi reum et extrahendi iudici seculari relinquet, praesente, ut diximus, ecclesiastica persona ab Episcopo deputata.

4° In casu extractionis iniustae reus ante omnia ecclesiae est restituendus, quae laesa est atque adeo ius acquisivit, ut sibi satisfiat. Et insuper actus iudiciales ante restitutionem suscepti in reum nulli sunt ipso iure et iudex iniuste extrahens ad omnia damna tenetur.

Quoad reum ipsum.

1° Peccat graviter quisquis reum impedit, ne confugiat ad locum immunem.

2° Item qui ab hoc expellit; quia qui dat immunitatem loco, ius reo ad confugiendum tribuit.

3° Expelli hic poterit, si indecenter se gerat, disciplinam v. g. monasterii aut quietem ecclesiae turbet nec monitus emendetur.

4° Reo confugae praebenda sunt alimenta ex bonis loci immunis; licet repeti possint factae expensae.

5° Permittenda est fuga: imo licet fugam reo suadere, praesertim is rector ecclesiae securam fugam praestet.

6º Iudici seculari licet constituere custodias extra locum asyli ad reos capiendos, si forte fugiant.

423. Ad loci immunitatem violatam pertinet, si vis loco sacro inferatur, quando innocentes ad templum confugerint, etiamsi ad se defendendos templum ceu arcem muniverint.

Si tamen ecclesia munita sit velut arx ad vim inferendam hostibus, licet sine reatu sacrilegii eam expugnare, incendere, diruere.

Atque adeo licet ab ecclesia munita auferre tormenta bellica, arma etc., ne hostis iis utatur.

424. Quoad locale sacrilegium ratione furti haec habentur in iure Canonico quaest. 4. Causa 17. c. 21. §. 1. « Sacrilegium committunt, si quis infregerit ecclesiam vel triginta ecclesiasticos passus, qui in circuitu ecclesiae fuerint vel domos, quae iuxta praedictos passus fuerint, aliquid inde diripiendo vel auferendo seu qui iniuriam vel ablationem rerum intulerit clericis arma non ferentibus vel monachis sive Deo devotis omnibusque ecclesiasticis personis ».

Ibid. §. 2. « Similiter sacrilegium committunt auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro ».

Merito porro advertunt plures DD. cum Lugo *de Poenit.* disp. 16. n. 470. non dici sacrum *in sacro*, sed *de sacro*, adeo ut pertinere res debeat aliquo modo ad locum sacrum, sive propria illius sit sive ibidem in depositum et custodiam recepta, sive etiam ecclesiae commodata et in custodiam ab ea recepta. Exempla vid. apud Lugo ibid., cuius haec est doctrina: « Contraria sententia probabilior videtur, quod scil. fur in ecclesia furatus crumenam divitis, non debeat illam loci circumstantiam explicare ». Cf. sub. n. 132. verba eiusdem Lugo.

S. Alph. lib. 3. n. 39. memorat, hanc sententiam a Salmanticensibus dici probabilem, licet ipsi oppositam teneant.

Adverte tamen, quod heic quaestio est de circumstantia sacrilegii necessario aperienda necne in confessione; nam alias Lugo docuit, ut vidimus sup. n. 412., semper peccata aggravari ex circumstantia sacri loci, licet, utpote levis, non sit necessario aperienda.

425. Certum est autem non esse locale sacrilegium furtum in monasteriis, claustris nec in oratorio domus privatae. Et generatim quoad alia (excepta violatione immunitatis) sacrilegium *loci sacri* violati restringitur ad violationem ecclesiae et coemeterii ecclesiastici; nomine autem ecclesiae veniunt et oratoria Xenodochiorum, si erecta auctoritate Episcopi sint: Ligor. n. 39. Lugo *de Poenit.* disp. 16. n. 474.

XLVIII. 3. Reale sacrilegium est indigna tractatio et administratio Sacramentorum, ut si ministrentur vel suscipiantur cum peccato mortali. Item profanatio vasorum et instrumentorum sacrorum: v. gr. si quis calice utatur in convivio, ornamenta altarium vel

Sacerdotum ad usus profanos applicet: intellige de iis, quae consecrari vel saltem benedici solent; nam ad nuptias vel communem usum adhibere tapetes, candelabra, pelvim, imo et manutergium et cetera, quae mediate serviunt ministerio sacro, non esse peccatum docet Tambur. *de Sacrif. exped. celebr.* l. 1. c. 2. nisi fiat ex aliquo contemptu saltem implicito, ut si semper et indifferenter sic utaris supradictis. Atque idem affirmat de candelis, ramis, aqua, incenso et similibus benedictis, quod in modicis istis benedictionibus non agatur cum tanto rigore ab Ecclesia, ut patet in pane, ligno, carbonibus etc. benedictis. Vide loc. cit. §. 3. Item violatio vel indigna tractatio sacrarum imaginum et reliquiarum. Item abusus Scripturae sacrae, v. gr. ad stabiliendas haereses vel res turpes. Item raptura bonorum Ecclesiae, suppressio piorum legatorum, vel iurium Ecclesiae defraudatio etc. Vid. Fill. tr. 24. c. 9. Regin. l. 19. n. 57. Suar.

426. A. solum ad particularia descendit. Generatim definiri potest: violatio rerum sacrarum, seu rerum publica auctoritate ad cultum divinum consecratarum et ordinatarum.

Iuxta s.Thom. 2.2.q.99.art.3.res sacrae sunt in quadruplici genere: « Tertia species sacrilegii, quae circa alias res sacras committitur, diversos habet gradus, secundum differentiam rerum sacrarum. Inter quas summum locum obtinent ipsa sacramenta, quibus homo sanctificatur; quorum praecipuum est Eucharistia, quod continet ipsum Christum. Et ideo sacrilegium, quod contra hoc sacramentum committitur, gravissimum est inter omnia. Post sacramenta autem secundum locum tenent vasa consecrata ad sacramentorum susceptionem et ipsae imagines sacrae et reliquiae sanctorum, in quibus quodammodo ipsae personae sanctorum venerantur et dehonorantur. Deinde ea, quae sunt deputata ad sustentationem ministrorum, sive sint mobilia sive immobilia. Quicumque autem contra quodcumque praedictorum peccat, crimen sacrilegii committit ».

Et quoad I. videlicet sacramenta, tripliciter sacrilegium committitur:

1° Invalide ministrando seu conficiendo, sive invalida efficiendo, v. gr. non integre confitendo.

2° Indigne ministrando vel suscipiendo.

3° Tangendo irreverenter ss. Eucharistiam; quod postremum gravissimum erit, si impie quapiam iniuria afficiatur, v. gr. conculcando, ac multo gravissimum, si quis ea abutatur ad sortilegia vel superstitionem. Quo in casu, ut notatur in 5. resolutione, accedit peccatum contra latriam, sc. actum reverentiae non modo rei sacrae, sed ipsi Deo immediate et directe debitae.

Quoad vasa sacra II. grave erit peccatum, si gravis est profanatio vasorum seu instrumentorum sacrorum, v. gr. calicis in convivio, aut pixidis etc.

Id autem non valet de ampullis, pelvi, campanula; non enim immediate deserviunt sacro ministerio.

Quod vero pertinet ad reliquias, sacras imagines, oleum sacrum, quaelibet profanatio censetur gravis.

Non item (ubi contemptum absit) dici debet de candelis, aqua benedicta, incenso, pane, carbone etc.; quia minor ratio habetur harum benedictionum et circa haec non agitur in Ecclesia cum tanto rigore, uti Auctor inquit Resol. 3.

Quoad tangenda ista omnia, satis sunt, quae habet Auctor Resol 5. Addendum tamen 1° quod monialibus ex privilegio conceditur, quod circa sacra vasa Auctor dicit de clericis.

2° Quod publice liceat laicis gestare reliquias in processionibus non est intelligendum, quando sunt obiectum speciale cultus et commode ferri a viro ecclesiastico seu sacerdote possunt.

Quod ad III. attinet, ad ornatus nempe ministrorum sacrorum et altarium, in primis grave esset sacrilegium, si indigne tractarentur ob contemptum.

Quoad applicationem vero eorum ad usus profanos, res accipienda est maxime de iis ornatibus, qui consecrari aut saltem benedici solent, cuiusmodi sunt vestes sacerdotales.

Quoad reliqua valeat regula ab A. proposita Resol. 3., non censeri irreverentiam, quod quaedam (citra contemptum) in communem usum adhibeantur.

427. Alia est quaestio, quae complectitur non modo vestes et ornatus, sed etiam vasa sacra, an scilicet converti possint in usum profanum.

S. Thomas 3. q. 83. art. 3. ad 3. affert in hanc rem can. 38. et 39. Dist. I. *de Consecratione*. Primum est decretum inscriptum Hygino Papae et sic habet: « Ligna ecclesiae dedicatae non debent ad aliud opus iungi, nisi ad aliam ecclesiam, vel igni sunt comburenda, vel ad profectum in monasterio fratribus: in laicorum autem opera non debent admitti ».

Alterum est decretum tributum Clementi I. Romano Pontifici et sic habet. « Altaris palla, cathedra, candelabrum et velum, si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur: cineres quoque eorum in baptisterium inferantur aut in pariete aut in fossa pavimentorum iactentur ne introeuntium pedibus inquinentur ».

S. Alph. heic n. 41.: « Melius Suarez (cum aliis) distinguunt et dicunt, quod si res totaliter immutetur, ut ad communem materiam redeat, sicut si calix vel igne vel ferro ad communem massam argenti reducatur, tunc licet in usum profanum convertere: secus si totaliter non deformetur. Hinc non licet ex veteri casula vestes profanas resarcire. Ideo alii dicunt, non licere huiusmodi vestes vendere ad usus profanos aut oppignorare (nam pignora vendi possunt) ».

Solent sacrae vestes adhiberi ad devota quaedam involucra conficienda et appendi deinde collo aut gestari devotionis causa (vulgo brevetti).

428. Quoad bona mobilia vel immobilia deputata ad sustentandos ministros qua tales aut quae deserviunt ornandae ecclesiae vel ad fabricam, sacrilegium est ea usurpare. Non sane laesio quorumcumque bonorum ecclesiasticorum, ait s. Alphonsus heic n. 42., est sacrilegium; sed tantum eorum, quae pertinent ad ornatum ecclesiae aut sunt deputata ad sustentationem ministrorum, qua tales sunt.

Retinere tamen iniuste legata Ecclesiae relicta non putatur sacrilegium, quia nondum sunt in possessione Ecclesiae, sed remote sunt ad Ecclesiam destinata.

Item non censetur sacrilegium non solvere decimas, sed potius irreligiositas, qua detrahitur per omissionem recognitioni divini dominii. Praeterea cum sustentari iis debeat parochus atque adeo intercedat quidam contractus, laeditur etiam iustitia.

Tempus sacrum non censetur addere speciem sacrilegii peccato, nisi notabilis accedat irreverentia v. gr. agere comoedias aut publicos ludos sexta feria maioris hebdomadae. Accederet tamen sacrilegii species, si quid tunc ageretur in temporis sacri contemptum.

XLIX. 4. Peccatur etiam sacrilegio peccato omissionis, v. gr. si quae ad sacrificium spectant, ut corporalia et similia, sint valde immunda. Bon. *de Euch.*

429. Sacrilegium interdum potest haberi in sola omissione, si quae spectant ad sacrificium aut ad sacramentum valde immunda sint, disrupta etc. Ita si quis Missam celebret sine sacris vestibus aut consecret vinum v. gr. in ampulla.

Ratione sacrilegii habebatur excommunicatio *latae sententiae.*

1° In percussores clericorum, qui si notorii sint, sunt vitandi.

2° In violantes immunitatem ecclesiasticam.

3° In imponentes tributa ecclesiis etc.

4° In effringentes et expoliantes loca sacra.

In incendiarios lata est excommunicationis poena, sed potest haberi ceu ferendae sententiae.

Nunc vero 3ª et 4ª antiquatae sunt, priores duae reservatae sunt Romano Pontifici: sed confer de his tr. *de Censuris.*

L. 5. In confessione exprimenda est species et materia sacrilegii. Ratio prioris est, quia saepe diversam malitiam habet v. gr. percussio Sacerdotis et fornicatio cum eodem. Ratio posterioris est, quia etiam materia aliquando auget et addit malitiam : v. gr. si sit contra Eucharistiam, addit, secundum Gordonum, communi violationi rei sacrae aliud peccatum contra latriam. Attingere autem nuda manu calices, patenas, aras, agnos, cereos etc. chrismate delibuta non licet feminis et laicis. Citra contemptum tamen non est

mortale, si vacua sint et si causa subsit, nec veniale Suar. Tamb. l. c. §. 1.: sine causa autem veniale esse, docet Suar. Con. et alii commun. licet Tamb. l. c. ex Sà etc. contrarium censeat probabile: uti et si corporalia vel purificatoria laventur ab iisdem. V. Tamb. §. 2. Cetera autem, quae Eucharistiam immediate non contingunt nec chrismate unguntur, ut mappas, vestes sacerdotales, immediate contingere omnibus licet. Suar. Laym. Tambur. l. c. ubi ex Palao etc. idem concedit de reliquiis: sicut etiam, ut easdem thecis inclusas penes se habeant vel laici in publicis processionibus gestent. Idem docet cum Laym. de pyxide sive ciborio et lunula benedictis, quando sacram Eucharistiam nondum continuerunt. Item de corporalibus, pallis et purificatoriis, quando post sacrum usum lota sunt, ex Laym. et Bonac.: imo etiam ante lotionem. Laym. Tamb. l. c.

Post ea, quae hactenus dicta sunt, sufficiunt quae habet Auctor. Cf. r. 10. *de Euchar.* C. III. D. 5.

Dub. III.

De Simonia.

Articulus I.

LI. Resp. Simonia est studiosa voluntas emendi aut vendendi pretio temporali *aliquid* spirituale vel spirituali annexum. S. Th. 2. 2. q. 100. a. 1. Laym. l. 4. tract. 10. c. 8. etc. Dicitur 1. *voluntas emendi* etc., quibus verbis intelligitur quivis contractus onerosus, sive venditionis sive locationis sive permutationis aut renuntiationis; quia simonia non consistit sine pactione aliqua tacita vel expressa et obligatione ex pacto. Quod addo, quia obligatio naturalis quaecumque, ut gratitudinis sive antidoralis non sufficit, v. gr. quando quis sperat vel intendit tantum, non tamen obligat. Sà, v. *Simonia.* Ratio est, quia non facit contractum. V. Bon. *de Simon.* d. 1. q. 6. p. 1. Less. l. 2. c. 35. d. 20. *Hac de re vide Propos. 45. inter proscriptas a Sum. Pont. Innoc. XI. Dicitur 2. *pretio temporali:* sive illud sit muneris, sive linguae, ut est laus, vituperium, patrocinium, sive obsequii et famulatus. Dicitur. 3. *spirituale:* quo nomine intelligitur res supernaturalis ad salutem ordinata, sive sit formaliter talis, ut gratia et dona Spiritus sancti: sive causaliter, ut sunt Sacramenta, concio, preces et Sacramentalia: sive sit effectus et usus potestatis supernaturalis, ut consecratio, absolutio, dispensatio, benedictio, excommunicatio, electio, praesentatio, confirmatio, collatio beneficii aliique actus iurisdictionis Ecclesiasticae. Dicitur 4. *spirituali annexum*, ad comprehendendum ea, quae non sunt per se spiritualia, sed ad ea ordinantur iisque sunt annexa, sive antecedenter, ut ius patronatus respectu beneficii, vasa et vestes sacrae respectu Sacramentorum: sive concomitanter, ut labor in administratione Sacramentorum, iuxta sensum infra dicendum: sive consequenter, ut reditus beneficiorum, qui dantur propter officium spirituale. Unde patet, malitiam simoniae consistere in irreverentia, quae committitur, dum res spirituales instar temporalium pretio aestimantur et contractibus subiiciuntur atque esse peccatum mortale ex genere suo nec veniale fieri posse ex materiae levitate; quia nullum donum gratiae, licet parvum, potest vendi sine gravi irreverentia tum ipsiusmet doni, tum etiam Dei. Potest tamen esse veniale ob actus imperfectionem et ignorantiam. Suar. t. 3. *de Rel.* l. 4. cap. 36. Azor, Fill. Laym. l. c. Less. l. 2. c. 35. d. 1.

430. Tenenda est communis contra paucos doctrina, simoniam esse speciem sacrilegii, sacrilegii nempe *realis,* quo irreverenter res sacra pertractatur. Vid. Suar. *de Simon.* cap. 1. n. 7. et Schmalzgr. lib. 5. tit. 3. n. 12. Ratio est, quia definitio sacrilegii est *violatio rei sacrae;*

atqui simonia revera est quaedam profanatio et iniuriosa tractatio rei sacrae, dum per eam haec pretio temporali aequiparatur et sic iniuriose abiicitur infra dignitatem suam, qua omne pretium superat. Seorsim vero de ea agitur, ait Suarez *de Sacrilegio*, (*de Relig.* tr. 3. l. 3. c. 1. n. 4.) propter specialem rationem simoniae et amplissimam eius materiam.

Definitur « *studiosa voluntas* »: qua de re sic Laymann *de Simonia* lib. 4. tract. 10. cap. ult. n. 12.: « Dicitur *studiosa voluntas*; tum quia simonia, sicut et omnia alia peccata, voluntatis *deliberationem exigit:* tum quia ad essentialem malitiam huius peccati haud requiritur, ut pactum vel mutuo consensu vel reipsa perficiatur, sed sufficit affectio unius simoniaca cum opere subsecuto... ». Nam debet intercedere aliquis expressus aut tacitus contractus *onerosus*, obligationem inducens.

Qui ergo sperat vel intendit id tantum, quod naturalis obligatio gratitudinis pollicetur, non dicitur esse simoniacus; quia hic nec paciscitur nec obligat alium, neque id intendit. Hinc Suarez l. c. definit Simoniam: Est *sacrilegium, quod committitur emptione aut venditione vel quovis alio contractu, quo spirituale ut tale est, commutatur pro temporali.*

431. De hac re imprimis cavenda est illusio proscripta ab Alexandro VII., in prop. 22.: « Non est contra iustitiam beneficia ecclesiastica non conferre gratis; quia Collator conferens illa beneficia ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur».

Sed magis ad rem faciunt duae propositiones damnatae ab Innoc. XI. scil. 45. et 46.

Prior sic habet: « Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali aut e contra ».

Altera sic: « Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; imo etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris aestimetur, quam res spiritualis ».

De hac re s. Alph. lib. 3. n. 54. « Merito hoc damnatum est; nam quamvis ibi dicatur *ob motivum*, non *ob pretium* et certum sit simoniam non committi, nisi interveniat venditio rei spiritualis; attamen ibi *motivum* idem revera est ac pretium ». Sane, ut ait Schmalzg. l. 5. tit. *de Simonia* n. 73., « ad simoniam non requiritur venditio expressa et formalis, sed sufficit virtualis et voluntas etiam interna emendi aut vendendi spirituale pro temporali. Talem habet qui temporale pro spirituali dat ut motivum et non aliter; non enim dat illud omnino

gratis, cum ita sit constitutus, ut non daret, si alterum non speraret movendum ad dationem spiritualis et si ipse spe sua frustretur, queratur sibi fuisse illusum: ergo. Praeterea si modo dicto permitteretur dare temporale ad obtinendum spirituale et vicissim, cessaret omnis simonia in foro externo et eluderentur omnes canones eam damnantes eorumque poenae in simoniacos statutae; quia quivis diceret, se temporale non dare ut pretium, sed solum ut motivum ».

Et Viva in Synopsi Trutinae harum proposit.: « In his thesibus supponitur, quod temporale pro spirituali detur cum aliquo pacto saltem implicito aut interpretativo. Etiamsi pactum obliget tantum ex benevolentia, gratitudine et fidelitate, non ex iustitia, adhuc continet simoniam; superaddit enim novum gravamen pretio aestimabile ».

Quod vero dicitur in Prop. 45. *de compensatione,* advertendum primum, quod DD. docent: nempe si in pactum gratuita compensatio seu naturalis obligatio gratitudinis deducatur, simonia admittitur; quia hoc pactum addit gravamen novum pretio aestimabile et datio non est amplius gratuita, sed debita. Cf. Schmalz. l. c. n. 62., qui affirmat id certum esse ex cit. prop. 45. Innoc. XI. Idem affirmat Viva in ipsam prop. n. 2. inquiens postremis eiusdem verbis huiusmodi pacta damnari.

432. Quod vero spectat ad spem gratuitae compensationis, licet ea simoniam non inducat, adverte tamen doctrinam s. Thom. *de Malo* q. 13. art. 4. ad 13. nempe: « aliam esse rationem de simoniaco, aliam de usurario; quia simoniacus non dat id, quod est suum, sed id quod est Christi et ideo non debet sperare aliquam recompensationem sibi fiendam, sed solum honorem Christi et utilitatem Ecclesiae; sed usurarius non praestat alteri nisi quod suum est: unde potest aliquam amicabilem recompensationem sperare per modum praedictum » nempe « potest munus sperare non quasi debitum ex quadam obligatione tacita vel expressa... sed quasi gratuitum et absque obligatione praestandum et sic licite potest ille, qui mutuat, sperare aliquod munus ab eo, cui mutuat, sicut qui facit servitium alicui, confidit de eo, ut amicabiliter suo tempore servitium faciat ».

Haec vera sunt: veruntamen adverte 1° non excludi rationem gratitudinis in eo, qui accepit beneficia temporalia, qua permoveatur ad spiritualia retribuenda, neque rursus excludi gratitudinem ob spiritualia accepta, qua quis moveatur ad temporale quidpiam offerendum. Nam tributio sive spiritualium sive temporalium *benevolentiam* parit et ea bona ex benevolentia tribui possunt: benevolentia autem nectitur cum gratitudine.

Huc faciunt quae tradit Suarez *de Simonia* c. 45. nn. 4.-6. Scilicet dare quodcumque donum vel obsequium, cum spe gratitudinis et

intuitu remunerationis per spirituale donum ex pura gratitudine obtinendum, non est simoniacum. Haec est trita, ait, et communis sententia omnium. Ratio vero est, quia per illam intentionem non fit venalis res sacra; quia remunerare beneficium ex gratitudine non est vendere id, quod ex gratitudine confers. Neque illa intentio obtinendi spirituale donum ex gratitudine est intentio pretii nec est intentio emendi aliquid. Eodem pacto, dare beneficium ecclesiasticum seu spirituale donum benefactori temporali ex gratitudine et ad satisfaciendum obligationi antidorali seu gratitudinis inde ortae, non est simonia. Haec etiam est communis et ratio sumitur ex praeced.

433. *Dicitur temporale.* Pretium temporale vocari solet *munus:* quanquam communius *munus* in hac re non est species, prout adhibere videtur Auctor, distinguens pretium *muneris,* pretium *linguae* et pretium *obsequii:* sed communius accipitur uti genus, quod triplicem illam speciem amplectatur, unde distingui solet in *munus a manu, munus a lingua, munus ab obsequio.*

Quae partitio sumpta est ex can. *Sunt nonnulli* 114. caus. 1. q. 1., qui canon constat ex verbis s. Gregorii: « Sunt nonnulli, qui quidem nummorum praemia ex ordinatione non accipiunt et tamen sacros ordines pro humana gratia largiuntur atque de largitate eadem laudis solummodo retributionem quaerunt. Hi nimirum quod gratis receptum est, gratis non tribuunt; quia de impenso officio sanctitatis nummum expetunt favoris. Unde bene cum iustum virum describeret propheta Isai. XXXIII. 15. ait: *Qui excutit manus suas ab omni munere.* Neque enim dicit, *qui excutit manus suas a munere*, sed adiunxit *ab omni;* quia aliud est munus ab obsequio, aliud munus a manu, illud munus a lingua. Munus quippe ab obsequio est subiectio indebite impensa. Munus a manu, pecunia est. Munus a lingua, favor. Qui ergo sacros ordines tribuit, tum ab omni munere manus excutit, quando in divinis rebus non solum nullam pecuniam, sed etiam humanam gratiam non requirit ».

Munus ergo heic intelligitur non donum aliquod liberale ac mere gratuitum, sed pretium seu debitum iustitiae commutativae seu debitum, quod inducit onus et gravamen.

Munus a manu, intelligitur non tantum pecunia, aurum, argentum, vestes et alia huiusmodi, quae communiter emi aut vendi solent, sive sint mobilia sive immobilia, sed quaelibet res temporalis, quae pretio sit aestimabilis.

Ita remissio debiti (quae aequivalet pecuniarum largitioni) aut promissio remittendi. Qua de re exstat casus in cap. *Veniens* 10. *de Te-*

stibus et attestationibus ex Alexandro III.: « Veniens ad nos Q. Presbyter, sua relatione monstravit, quod ei obiectum fuit, quod in ecclesia de Oven. canonicum non habuisset ingressum; quia promisisset unicuique paroecianorum quinque barillos vini remittere, qui sacerdoti ibi pro tempore servienti consueverant pro beneficio dari... ».

Huc spectat dilatio solutionis vel anticipata solutio et *mutui datio.*

434. Speciatim de mutuo s. Alph. n. 57. quaerit, an sit simonia dare mutuum, ut *eodem tempore,* beneficium aut alia res spiritualis tribuatur, vel contra ».

Et respondet: « Videtur, quod non, pariter ac si mutues cum pacto ut alter se obliget ad remutuandum in futurum, esset quidem usura; non vero si cum pacto, ut eodem tempore alter aliud tibi remutuet, sicuti quoad mutuum approbant Salmanticenses cum s. Thoma 2. 2. q. 78., art. 2. ad 4. Ratio: « qui nihil tunc pretio aestimabile percipitur ultra sortem. Sed in casu nostro omnino tale pactum tenendum est ut simoniacum; quia hic simonia est tradere quicquid temporale pro spirituali ».

Nos retinere debemus, non licere et simoniacum esse pacisci de mutuatione ob rem spiritualem conferendam, sed addere oportet, non hoc pacto reddendam esse rationem. Nam vera ratio haec esse debet, quod alteri dare pecuniam seu aliud quidpiam, ut iis libere utatur, est quidpiam pretio aestimabile, uti concedere debent et concedunt reipsa etiam ii Doctores, qui lucrum inde perceptum dicunt intrinsece malum: licet hi contendant ideo esse intrinsece malum; quia per sortis restitutionem compensationem adaequatam fieri dicunt; nos vero potius malum intrinsece dicamus, quia contractus mutui est ex natura sua gratuitus non secus ac contractus commodati.

Ceterum ratio allata a s. Alph. ex Salmanticensibus, cur liceat mutuare cum pacto, ut alter *de praesenti* remutuet, non est solida neque intelligi potest, cur liceat in uno casu, non in alio; quando pactum impositum *de praesenti* est onus, non secus ac si ponatur de mutuando *in futurum* et aeque facit contractum onerosum non vero gratuitum. Neque verum est, quod nihil accipiatur *praeter sortem;* nam accipio sortem et accipio beneficium mutui. Heic errat etiam Suarez *de Relig.* lib. 4. *de Simonia* cap. 37. n. 16. in fin. Neque s. Thomas dicit, mutuantem posse imponere pactum hoc mutuandi in praesens mutuatario, sed solum dicit 2. 2. q. 78. art. 2. ad 4.: « Nec ibi (in mutuo) aliquid est exigendum aut exspectandum, nisi *benevolentia affectus,* qui sub aestimationem pecuniae non cadit, ex quo potest procedere *spontanea mutuatio.* Repugnat autem ei *obligatio* ad mutuum faciendum in posterum: quia etiam talis obligatio pecunia aestimari posset. Et ideo

licet simul mutuanti unum aliquid mutuum *(datum scil. ex benevolentia et spontanee)* recipere: non autem licet eum obligare ad mutuum in posterum faciendum ». Male ergo Salmanticenses tribuunt s. Thomae *permissionem* imponendi pactum *mutuandi de praesenti;* nam s. Thomas de mutuatione *spontanea* loquitur, non de mutuatione *ex pacto praesenti.*

Laymann lib. 4. tract. 10. cap. ultim. §. 3. n. 25., ut conciliet gratuitatem mutui cum simonia in exigendo mutuo, scribit: « Neque refert, quod officium mutuandi pretio aestimabile non sit: cum alioquin pro mutuandi officio aliquid supra sortem accipere licitum esset. Constat enim ex §. praecedenti n. 25. nomen pretii in materia simoniae late accipiendum esse, ut non solum comprehendat proprie dictum pretium, quod est pecunia et quidquid pecunia aestimabile est, sed etiam omnem aliam commoditatem temporalem, quae alicui ex pacto datur pro re spirituali; nam in hoc ipso essentialis malitia simoniae consistit, quod in ea spirituale cum temporali exaequatur ac commutatur ».

Verum haec reipsa sunt pugnantia: nam commoditas temporalis, quae pretio non sit aestimabilis, est mera chimaera. Hinc s. Thom. 2. 2. q. 100. art. 5.: « Quod aliquis satisfaciat precibus alicuius ad temporalem gratiam quaerendam, ordinatur ad aliquam utilitatem, quae potest *pecuniae* pretio aestimari.

Sed mirum non est Auctores implicari, quando aliquid *minus verum* intercedit, prout heic est falsa notio actionis dandi pecuniam ad utendum quam negant pretio aestimabilem.

Etiam Salmanticenses *de Simonia,* cap. 1. nn. 35. 36. solvendam sumunt hanc difficultatem. Nam, ut inquiunt, omnes consentiunt cum s. Thoma 2. 2. 100. art. 5. ad simoniam *requiri pretium aut aliquid pretio aestimabile.* Sed mutuatio non est quid pretio aestimabile: secus licet accipere aliquid ultra sortem.

435. Sed misere nodum solvunt. Respondent enim 1° in mutuo non esse necessariam tantam puritatem, quanta exigitur in spiritualibus. At verba vana sunt; puritas enim, quae utrinque exigitur, haec est, ut removeat spiritualium mutationem cum re temporali pretio aestimabili.

2° Dicunt, ceu simoniam damnari; quia communiter pretio aestimari solet. Atqui hoc vere aut false dicitur. Si vere, ergo mutuatio est pretio aestimabilis, quod ipsi negant. Si falso, profecto falsa opinio aliorum non mutat rei naturam atque adeo erit simonia solum ex falsa opinione.

3° Quia eadem irreverentia imo maior adest, ubi quid spirituale datur pro re temporali, quae nullo pretio aestimabili confertur; quia

in hoc magis vilipenditur res spiritualis, quae datur pro mutuo, quod est quid temporale, commodum et utilitatem ferens, sed nullo pretio aestimabile etc. Heic sunt pugnantia; nam res ferens commodum et utilitatem, non tamen pretio aestimabilis, est chimaera et contradictio. Quidquid sit, si irreverentia est dare spirituale pro mutuo, quia datur pro re nullum pretium habente, a fortiori erit irreverentia dare pro nihilo, quia exaequatur nihilo. Si dicas autem, gratis dari, cum nihil recipitur, respondebo, ex omnium sententia gratis aeque dari, cum nullum pretium exigitur, prout ipsi contendunt esse pactum remutuandi in praesens. Imo simonia foret, si exigerem, ut simul cum re spirituali alius accipiat etiam temporalem ac veluti hanc offerrem, ut illam accipere induceret animum; nam sic adhuc vilius sentirem de re spirituali, quasi praemium dandum sit illam accipienti, ut fieri solet de re noxia.

436. Huc pertinet resolutio plurium casuum.

1° Non est simonia, si Episcopus det alicui beneficium, ut possit ab eo consequi debitum sibi, ut scil. potens alter fiat ad solvendum: dummodo tamen id non deducat (inquiunt) in pactum: quo sensu intelligendum dicunt s. Thomam, ubi dicit 4. dist. 25. q. 3. art. 3. ad 2.: « Non est autem dubium, quod simoniam committeret, si quis aliquid spirituale debitori suo daret, ut quod suum est, recuperaret ». Si enim non sic intelligeretur s. Thomas, nempe cum deductione rei in pactum, habenda esset haec opinio inter illas, in quibus simonia latius accipitur, quam accipienda sit, ut inferius patebit. Ratio, quod absente pacto id liceat, ea est, quia, ut ait Suarez *de Simonia* c. 37. n. 18., « talis Episcopus non intendit lucrum, sed quod suum est ideoque illa intentio non obstat, quominus gratis det et alioquin non imponit novam obligationem ». Et sane, ait idem, non esset simonia, si daret Episcopus beneficium, ut levet alterius paupertatem et hic solvat debita, quae habet cum aliis: porro si licet ob debita solvenda cum aliis, cur non propter debita sibi? Si vero adderetur pactum, dicit Laymann n. 29. esse simoniam et ratio esse potest; quia sic nova obligatio imponitur etsi ad eandem rem, ad quam iam eras obligatus; quae nova obligatio utilis est danti et Suarez dicit l. c. esse simoniam, si nova aliqua obligatio vel securitas in futurum additur; nam illud est onus aestimabile pretio.

Certe simonia foret, si deducas in pactum, ut accipiens beneficium adiuvet ad solvendum tibi debitum, quod tecum habet frater illius; nam haec reipsa est nova obligatio.

2° Non est simonia dare beneficium propter consanguinitatem vel amicitiam et generatim propter eiusmodi causam temporalem; quia

non intercedit ulla pactio aut reciproca obligatio, neque pretii collatio ab altero. Laymann l. c. n. 27.

3° Non est simonia dare alicui beneficium, ut ipse possit sustentari; quia temporale non conferenti cedit, sed simul cum spirituali cedit accipienti. Id etiam valet, si des beneficium, ne alias ei elemosynam tribuas.

4° Non est simonia dare beneficium aut praesentare etc. propter gravem metum damni emergentis, sive ut alter cesset ab vexatione manifeste iniusta. Ratio, quia non quaevis conditio inducit simoniam (quae fundatur in contractu reciproco) sed solum illa, quae affert novum onus seu novam obligationem iustitiae per modum commutationis.

Ergo non est simonia, si latroni minitanti promittas praesentationem ad beneficium aut aliquod huiusmodi; quia donas gratis nec accipis nisi quod tibi debetur. Adde, quod ius ecclesiasticum, quando urget metus gravis mali, non obligat; quia non obligat cum gravi incommodo. Posset tamen in his intercedere aliud peccatum, si v. gr. episcopus conferret *indigno*. Suarez *de Relig.* lib. 4. l. c. cap. 37. n. 15.

437. 5° Item non est simonia, si quis v. gr. dotem puellae promittat, si adolescentula religionem profiteri velit; nam is non censetur onerosum contractum facere, sed gratis promittere, relicta puellae optione, atque bonum spirituale non ipse accipit, sed puella.

Ita s. Alph. n. 59.: « Non est simonia dare aliquid temporale, ut alter praestet rem spiritualem in commodum sui ipsius, ut si promittas dotem puellae, si ingrediatur monasterium, aut munera adolescenti, si frequentet Sacramenta. Ratio, quia haec est simplex donatio, licet sub conditione, quae tamen non addit onus ». Subdit: « Secus, si imponeretur simpliciter obligatio, v. gr. ingrediendi religionem, vel si conditio esset de praestando aliquid in utilitatem dantis, v. gr. si ingressus in religionem cederet in dantis commodum; tunc enim esset quaedam commutatio temporalis cum spirituali ».

* Ita profecto et Suarez censet *de Simonia* c. 16. nn. 17.-20. inquiens: « Dare vel promittere temporale sub pacto et conditione ut alter obligatus maneat determinate ad fidem, vel religionem, vel sacramentum aliquod suscipiendum vel quidquam simile, licitum non est et simoniae vitio non caret ». Probat autem Suarez: « quia ad emptionem non est necessarium ut emens aliquid recipiat ab alio quasi materialiter, sed satis est quod ab alio voluntatem eius (ut sic dicam) et illius effectum, idest ut vendens faciat quod emens vult, sive illud maneat in agente, sive transeat in alium et sive sit utile ementi sive alteri... Et licet verum sit eum, qui sic obligat alterum ad spirituale aliquid faciendum soli operanti utile, quoad hoc ultimum intendere bonum alterius spirituale et ex hac parte facere opus liberalitatis et purae benevolentiae spiri-

tualis; nihilominus quatenus dat temporale praemium illum cogendo et obligando ad tale opus, revera non facit donationem temporalem liberalem, sed onerosam et ideo id non obstat quominus illa sit vera simonia ». Adducitur et auctoritas s. Thomae 2. 2. q. 100. a. 3. ad 4. qui et citat. c. *Quam pio* c. 1. q. 2.

Verum res non est evidens et contrariam opinionem sequuntur alii citati a Suarez ibidem n. 10., inter quos Sanchez lib. 1. *de Sponsalibus* d. 39. et Lessius l. 2. c. 23. * Cf. D'Annibale, v. 3. sub n. 94. not. 7.

Suarez rursus l. c. c. 37. n. 16. et Laymann l. c. n. 28. non admittunt, abesse simoniam, si vexationem redimere velis etiam pro tempore futuro, v. gr. ne latro noceat nunc et in posterum; ratio (inquiunt), quia latro contrahit ex pacto novam obligationem non nocendi tibi, quam si violet, fidei ac foederis violator exsistet.

At ista videntur sophistica. Sic episcopus dans beneficium non posset exigere, ne in posterum alius retineat concubinam. Pactiones igitur excludi utique debent, sed pactiones de re, quae vendi pretio censeatur. Venditio autem non adest, ubi vitam meam redimo, neque adest emptio, si Episcopus exigit, ne retineatur concubina.

Deinde si non licet quoad obligationem in posterum, neque licebit redimere pro heic et nunc. Nam reipsa et nunc pactum intercedit et dum tribuo pecuniam latroni, obligo eum ne nunc noceat. Et quod Suarez auxilium petit a casu mutui cum pacto remutuandi, non est solidum, ut superius vidimus ac perperam allegat et ipse s. Thomam. *Vid. sup.* n. 434.

438. *Munus a lingua* intelligitur laus, favor, commendatio, intercessio, preces etc., quae omnino pretio sunt aestimabilia, sicut et patrocinium, defensio, excusatio etc.

Pactum igitur simoniacum intercedet, si ideo rem spiritualem conferas, ut aliquid horum ex vi pacti expressi vel taciti quispiam tibi praestet: v. gr. dabo tibi beneficium eccles., si me commendabis principi, si precibus obtineas officium civile vel militare, si mihi patrocineris in causa aliqua, si me laudes apud eum, a quo spero etc.

Suarez *de Simonia* cap. 40. nn. 1.-11. indicat, quomodo quidam nimis protenderint hoc munus a lingua et simoniacum dixerint non quidem aut certe non solum, quod quis det spirituale, ut favorem linguae alterius sibi comparet, sed etiam quod quis det aliquid spirituale motus precibus, uti et s. Thom. 2. 2. q. 100. art. 5. ad 3. videtur quibusdam tenere. Ita enim s. Thomas: « Munus a lingua dicitur vel ipsa laus pertinens ad favorem humanum, qui sub pretio cadit: vel etiam preces, ex quibus acquiritur favor humanus vel contrarium evitatur: et ideo si aliquis principaliter ad hoc intendit, simoniam committit. Videtur

autem ad hoc principaliter intendere, qui preces pro indigno porrectas exaudit; unde ipsum factum est simoniacum. Si autem preces pro digno porrigantur, ipsum factum non est simoniacum; quia subest causa debita, ex qua illi, pro quo preces porriguntur, spirituale aliquid conferatur: tamen potest esse simonia in intentione, si non attendatur ad dignitatem personae, sed ad favorem humanum ».

Ex quibus patet, falso adscribi eam opinionem s. Thomae; nam s. Thomas agit de eo, qui ad captandum favorem humanum dat spirituale.

Contra statuit Suarez l. c. n. 2., negandum « preces sufficere ad simoniam, etiamsi propter illas detur beneficium. Hanc sententiam tenent Canonistae communiter ». Et advertit (n. c.) discrimen inter orationes, quas ad Deum fundimus et preces homini exhibitas: nam eae ad obsequium Dei eiusque cultum spectant: sed petitio ad hominem non fit ad honorandum illum, sed solum ad eum movendum in favorem petentis vel eius, pro quo orat.

Et ibid. n. 3.: « Postulare ab aliquo Prelato, ut conferat alicui beneficium sine promissione alia vel pacto, nunquam est sufficiens ad simoniam nec illae preces habent rationem pretii nec Praelatus propter illas principaliter conferens beneficium, simoniam committit, licet alias peccare possit. Haec est communis et recepta sententia ». Peccare autem poterit sive petens, si petat sibi, motus ambitione, vel impar muneri suscipiendo, vel petat pro alio indigno et peccabit conferens, si det v. gr. indigno: sed hoc non est peccatum simoniae.

Et ibid. n. 9.: « Colligitur ex dictis, non esse simoniam precibus inducere potentem virum aut familiarem Papae vel Episcopi, ut ab illo aut mihi aut alteri impetret beneficium ».

Denique n. 12. sic vere Simoniam describit: « Si per collationem beneficii vel alterius rei spiritualis collator intendat obligare alium ad preces pro se fundendas, tunc proprie recipit munus a lingua; unde si recipiat sub pacto expresso vel tacito, simoniam committit idemque est, quoties preces et intercessiones praecesserunt sub pacto vel promissione beneficii, si fierent ». Ita Suarez.

439. Diximus non esse simoniam, si quis precibus inducat alium, v. gr. virum potentem aut familiarem Papae aut Episcopi aut eius, qui habeat ius nominandi, praesentandi, eligendi, confirmandi etc., ut pro me apud eos intercedat. Sed ulterius quaeritur, an simoniacum sit obtinere has preces vi munerum; sive pecunia sit, sive quid aliud.

S. Alphonsus lib. n. 64. sic distinguit: « Si des non pro mediatione sed pro labore suscipiendo vel pro damno subeundo (v. gr. terendi tempus, itinerandi etc.) aut lucro amittendo ab eo et pecunia sit hisce proportionata (vel intra taxam statutam), non est simonia. Item si des

pecuniam famulo Episcopi, ut facilem tribuat aditum, vel si des ei gratis, ut factus benevolus obstacula removeat: sed hoc est valde periculosum. Item si des cuipiam, ut tibi notitiam tribuat de beneficiis vacantibus. Ratio est, quia haec valde remote se habent ad consecutionem rei spiritualis. Nec etiam simonia videtur (licet sit periculosum), si des pecuniam, ut alter tua merita simpliciter episcopo proponat; quia ad simoniam *requiritur, ut obtentio rei spiritualis sit immediatus finis praestationis pecuniae:* non autem sufficit, quod sit consequens ex alio immediato, nullam habens connexionem cum illo... sed valde timendum ne alter transiliat officium informantis et officium sumat intercedentis ».

Huc usque s. Alph.: quae quidem ex communi sententia dicta sunt; licet quaedam ad limam videantur exigenda, v. gr. *quod requiratur ad simoniam,* ut obtentio rei spiritualis *sit immediatus finis praestationis pecuniae:* si enim hoc valet, tunc licebit, pecunia emere intercessionem quoque, quia haec non est obtentio rei spiritualis, quod tamen s. Alph. negat.

Ceterum licet Suarez *de Simonia* cap. 53. n. 17. idem in officio informandi periculum fateatur, ac s. Alph., tamen id licitum esse evincit ex comparatione advocati. Nam advocato licet vendere operam suam etiam in causis spiritualibus ac patrocinium suum; quia officium suum est illuminare et informare, vel factum aperiendo, vel ius ostendendo et informando intellectum iudicis: quod totum etiam in materia spirituali vendibile est. Ita Suarez ibid. n. 9. Par autem est officium illius. qui exponat merita, facta aperiat, diluat suspiciones etc., ubi agitur de obtinendo beneficio aut ordinatione, electione etc.

Pergit autem s. Alph. n. 64.; « E contrario vera est simonia (etiam de iure divino, ut tenent Salmantic. cap. 1. n. 53. cum Suarez etc.), si des pecuniam mediatori, non gratis ad conciliandam eius amicitiam, ex qua motus te adiuvet, sed cum pacto, ut intercedat ad rem spiritualem obtinendam ».

Ita s. Alphonsus: Suarez autem *de Simon.* cap. 53. n. 14. addit, ita communiter sentire Doctores. Et consentit Schmalzgrueb. lib. 5. tit. 3. n. 102., ut simonia habeatur saltem iuris ecclesiastici.

440. De hac re illud primo notabimus, textus e iure canonico allegari solitos, non esse omnino efficaces.

S. Alph. l. c. post Salmanticenses *de Simon.* cap. 1. n. 52. citat *Extravag. Cum detestabile* 2. *de Simonia,* quasi affirmetur ibi = *Simoniam committi, cum pecunia datur pro collatione... favore aut mediatione* =. Sed haec est Salmanticensium hallucinatio. Verba Pauli II., cuius est illa Constitutio, sunt ista: « Statuentes praeterea, quod

universi et singuli..., qui quomodolibet dando vel recipiendo simoniam commiserint, *aut quod illa fiat, mediatores exstiterint seu procuraverint*, sententiam excommunicationis incurrant... In virtute sanctae obedientiae iniungimus, ut eos omnes, quos simoniam huiusmodi commisisse *vel procurasse aut in ea mediatores esse sciverint...*, per se vel per alios revelare quantocius non omittant ». Atqui in casu nostro recipientes pecuniam non sunt mediatores simoniae, quasi scilicet operam suam interponant, ut contractus simoniacus ab aliis fiat, sed ipsi, ut volunt Salmanticenses, facerent contractum simoniacum. Ergo non est ad rem.

Salmanticenses dein allegant cap. *Praesentium* 3. Caus. I. q. 5. (quem tamen textum ex Urbani II. epistola ad Albertum Ep. Metensem s. Alph. non allegat); sed neque iste canon rem conficit. Ita enim habet: « Praesentium portitorem, quem parentum incuria, per pecuniam non episcopo sed cuidam principum eius datam, invitum Sacerdotii dignitatem obtinuisse significasti, licet sancti canones deponendum esse testentur, tamen quia culpam istam nesciens et coactus commisit, et quia ab eodem ordine ut deponeretur, supplicavit ultroneus etc. ».

Porro quid sibi haec velint, non liquet clare. Nam 1° accusatur *incuria* parentum: sed crimen simoniae comparari debet potius studiositati quam incuriae. 2° Heic non dicitur, datam fuisse pecuniam, ut preces adhiberentur penes Episcopum. Cum ergo non constet, quomodo et cuiusmodi crimen intercesserit (nam potuere parentes ex incuria, scilicet ex ignorantia dedisse pecuniam, putantes id prodesse, licet nullus accesserit contractus aut preces etc.), heic supponitur, quod est in quaestione et gratis fingitur causa, de qua non constat. Adde quod dicitur ordinatus *invitus*.

Denique Salmanticenses et alii afferunt canonem Nicolai II. *Statuimus*, 107. caus. 1. q. 1. hanc distinctionem statuentis inter simoniacos, ut 1° alii ordinentur simoniace a simoniacis: 2° alii simoniace a non simoniacis: alii 3° non simoniace a simoniacis. Et subdunt ordinatos simoniace a non simoniacis non alios esse videri, quam qui ad impetrandos ordines dant pecuniam non quidem episcopo ordinanti, sed cuidam tertio, qui ab episcopo ipsi impetret ordines; nam, inquit Schmalzgr. *de Simonia* n. 102., si episcopo darent pecuniam, iam essent in prima classe simoniacorum, qui *simoniace a simoniacis* ordinantur.

Verum haec ratiocinatio in eo manifeste deficit, quod perperam verba Nicolai restringantur ad simoniam, quae committatur mere in collatione ordinum nec advertant, tunc explicari non posse tertium casum, in quo quis *non simoniace* ordinatur a simoniaco; quia impossibile est simoniacum in hac hypothesi esse *ordinatorem*, non simoniacam

autem *ordinationem.* Latius igitur se portendunt ea verba et simoniacus quidem dicitur ordinator, qui simoniace obtinuerit sedem episcopalem: de quo casu agunt mox cann. 108. et 109., quando scilicet quis suscipit ordines a simoniaco, quem simoniacum esse ignorat, aut quem novit simoniacum esse. Hinc alii modi se produnt explicandi secundum casum, v. gr. si Episcopus non simoniace quidem obtinuerit Episcopatum, simoniace tamen conferat ordinationem; aut alio modo faciliori, si ordinandus simoniam commisit non quidem data pecunia episcopo aut intercessoribus, sed empto pecuniis titulo ordinationis.

Haec autem ideo notanda erant, quia cum deinde agendum sit de poenis adversus simoniacos latas *in iure*, non proni esse debemus ad poenas extendendas ad casus, de quibus incertum est an iura decreverint.

441. Et heic addendum, quod in hoc facto reipsa non elucet malitia illa, quae essentialis est vitio simoniae, videlicet ut comparatio quaedam fiat inter rem spiritualem et pretium temporale. Nam istae preces, quae ex hypothesi emuntur, non sunt aliquid spirituale. Abest ergo illa irreverentia. Exinde haud facile admittes, quod post Suarez aliosque nunnullos dicit s. Alph. n. 64. hanc esse simoniam de *iure divino.*

Dicunt Schmalz. l. c. et Suarez cit. cap. 53. n. 15. preces ipsas esse causam moralem collationis; ergo *praesumi* emptam collationem ab eo qui emit preces.

Sed reponi posset, tunc reatum esse in causa morali, quando inducat ad crimen, quod cavendum est in casu, videlicet ut collatio non sit gratuita, in quo proprie residet simonia. Atqui collatio in casu gratuita est. Ergo. Et sane causa moralis sunt et qui dant consilium et exponunt merita, informant etc.; quae tamen licite pecunia emi concedunt DD.

Praeterea illa ratiocinatio ad absurda deducet. Utique s. Alphonsus mox ibid. n. 65. proponit quaestionem, an simoniacum sit dare pecuniam intercessori mediato, qui scilicet intercedat apud alium, qui deinde intercedat apud collatorem. Et ecce iam affert doctores, qui *possibile dicunt,* non adesse simoniam: licet addat Dianam dubitare, an id sit probabile. Sed rursus iam *eadem omnino ratione* fiet quaestio de pecunia data mediatori *remotiori* (quod quidem non raro contingit) adeo ut quinto vel sexto gradu venditor distet ab Episcopo vel collatore aut praesentatore etc. Num simoniam adesse dicent? Et tamen par foret ratio. Obiectionem ex quibusdam verbis s. Pii V. in Constit. contra simoniam confidentialem vid. infr. ubi de hac simonia.

Addunt auctoritatem s. Thomae, cuius verba truncata afferunt Salmanticenses l. c. S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 2. ad 5. scribit: « An-

tequam alicui acquiratur ius in Episcopatu vel quacumque dignitate vel praebenda, per electionem, provisionem, seu collactionem, simoniacum esset adversantium obstacula pecunia redimere; *sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam.* Sed postquam ius alicui iam acquisitum est, licet per pecuniam iniusta impedimenta removere ».

Sed 1° s. Thomas non exprimit casum nostrum et recte eius sententia explicatur de eo, qui dat pecunias, ne alter concurrat. Male autem Salmant. accipiunt verba illa (*sic enim* etc.) et faciunt ea generalissima. Sane 2° ipsam hanc doctrinam s. Thomae multipliciter distinguunt Doctores pro variis casibus, adeo ut indefinita illa sententia modo ab iis admittatur, modo non admittatur. Vide infra n. 469. seqq. 3° Advertendum, quod s. Thomas nomine simoniae videtur latius denotasse quidquid minus congruit accuratissimae sacrorum dispensationi: quocirca simoniacum dicit, ut vidimus, dare beneficium precibus alterius.

Videlicet duplex incommodum cavendum fuit: 1° ne pretio res spiritualis compararetur indigne: 2° ne ob avaritiam perturbaretur ordo in sacris conferendis et maxime beneficiis. Porro posteriora sola incommoda latiori quodam sensu ad simoniam revocantur, ut patet: et sic quaestio est soluta.

442. *Munus ab obsequio.* Per hoc intelligitur quidquid ad quandam servitutem pertinet, ut famulari, docere, curare etc.

Huc puto pertinere casum, quem s. Alph. n. 63. ponit inter *munera a lingua:* videlicet si dicas: *Non conferam tibi beneficium, nisi talis persona me roget.* Nam heic quaeritur non favor penes alios, sed obsequium erga se; huc pertinet etiam laus et adulatio, qua quis pabulum vanitati suae quaerit.

Ex hac definitione concludit s. Alph. cum DD. n. 61., simoniam adesse, si *conferatur aut promittatur famulo* beneficium, ut gratis seu nulla alia accepta mercede serviat: vel si famulus inserviat, ut loco salarii pro se aut pro alio v. gr. filio beneficium accipiat. Hinc concludunt DD., simoniacos esse episcopos, qui volunt sibi deserviri sola aut fere sola spe benefici obtinendi.

Addit heic s. Alph. n. 61. non incurri tamen poenas nec obligationem restitutionis, nisi pactum expresse intercedat, *ex cap. Mandatum* (lege *Mandato*) *de Simonia,* ubi declaratur, non teneri ad resignationes spiritualium et temporalium eos, qui *nullo pacto,* sed affectu animi praecedente locum obtinuerunt in monasteriis, *dato aliquo.*

Casus perpendemus in Resol. 5ª.

443. Quid sit res spiritualis, quidve rei spirituali ita adnexum, ut ea cum temporali permutare sit reatus simoniae, breviter A. exponit.

* Scilicet *res Spiritualis* est heic quidquid supernaturale est et ad ordinem spectat sanctitatis, gratia, sacramenta, iurisdictio ecclesiastica eiusque usus, reliquiae SS., sacramentalia etc.

Annexum vero *spirituali* est aliquid temporale cum spirituali coniunctum. Triplex distinguitur annexionis modus; nam temporale annectitur spirituali vel *antecedenter* vel *concomitanter* vel *consequenter*. Annectitur *antecedenter,* cum res temporalis iam per se exsistit suumque proprium obtinet valorem eique spirituale superadditur, sine quo ipsa esse potest: ita *calix* consecratus, *templum* consecratum vel benedictum, *altare* etc. Annectitur temporale spirituali *concomitanter,* quod cum eo intrinsece ita coniunctum est, ut et simul sint et sine temporali spirituale esse nequeat: huiusmodi unum est, nempe labor corporis, qui suscipitur in celebratione Missae, administratione Sacramentorum, aliisque divinis officiis peragendis. Intrinsecus inquam labor, qui nempe necessarius est, ut ea opera peragantur, distinguendus ab eo labore, qui extrinsecus dicitur, eo quod ex causa extrinseca provenit, ut iter peragendum pro celebranda Missa, item longa dilatio temporis pro eius sera celebratione etc.

Annectitur temporale spirituali *consequenter,* quod spirituale supponit ab eoque profluit, ut ius percipiendi reditus ecclesiasticos, quod supponit Officium seu ministerium spirituale, propter quod obtinetur illud ius.

Nomine vero *emptionis* et *venditionis* venit quilibet contractus, onerosus et reciprocus seu quaelibet huiusmodi conventio tum expressa tum tacita, vi cuius spirituale pro temporali detur et vicissim. Est communis.

Rationem vitii Simoniae expressit Petrus inquiens Simoni: *Donum Dei existimasti pecunia possidere.* Act. VIII. 20. Christus vero Matth. X. 8. iubens gratis dari quod gratis acceptum est, tum principium generale statuit quoad omnia bona supernaturalia, tum speciatim dari gratis iussit notitiam fidei, usum potestatis sanctificandi et gratiarum, quae dicuntur gratis datae, miraculorum etc. *

444. Auctor dicit, non posse simoniam esse peccatum veniale ex parvitate materiae, sed solum ex imperfectione actus; quia in quavis materiae quantitate etiam levi tota adest malitia simoniae.

Verum bene advertit post alios s. Alphonsus n. 40., id valere de simonia, quae iure naturali seu divino prohibetur. In simonia autem de iure mere ecclesiastico, probabile est dari parvitatem materiae. Ratio est, quia haec non prohibetur, quasi accipiatur reipsa temporale pre-

tium pro re spirituali; sed solum prohibetur ab ecclesia ad cavendam et removendam simoniae et avaritiae speciem aliaque incommoda; unde non fit iniuria rei sacrae, sed tantum peccatur contra Ecclesiae praeceptum: in hoc autem parvitas materiae dari potest.

Imo parvitas oblati muneris excusare etiam a simonia iuris divini potest, quatenus res est levis momenti (v. gr. nonnullae aviculae, aut rari flores, aut fructuum primitiae); cum enim apta non sit ad ullam inducendam obligationem, v. gr. praesentandi ad Canonicatum atque adeo rationem pretii habere nequeat, eo ipso cessat quaelibet contractus sive expressi sive taciti suspicio. Pirhing lib. 5. tit. 3. n. 133.

Haec tamen non videntur valere quod examinantes in concursu ad paroeciam. His enim sub poenis simoniae propriis interdicitur, *ne quidquam prorsus* recipiant sive a candidato (qui dando incurreret easdem poenas, etsi alioqui sufficientia relaturus esset suffragia) sive ab aliis. Et quamvis aliqui a poenis excusare eos velint ob materiae levitatem, veluti si modica esculenta vel poculenta quis examinatori largitus sit, obstant tamen tum verba decreti, *ne quidquam prorsus,* tum s. Congr. declaratio. Vid. Thesaur. *de Poenis Eccl.* V. *Simonia,* cap. 4.

LII. Resp. 2. Simonia 1° est triplex: Prima dicitur Mentalis, cum exterius vel nihil datur temporale (et dicitur pure mentalis) vel aliquid datur (et dicitur mixte mentalis) cum intentione obligandi ad reddendum spirituale, sine ullo pacto externo. Secunda dicitur Conventionalis, quae ad ipsum pactum exterius procedit sine reali exsecutione: diciturque pura, si sistat in mutua conventione; mixta autem, si de reali, et conventionali aliquid participet, ut v. gr. si ex altera tantum parte realiter compleatur. Atque huc reducitur Simonia Confidentiae, cum quis alteri dat beneficium, ut illud sibi, vel alteri resignet, vel cum onere dandi certam partem fructuum. Tertia dicitur Realis, quae scilicet utrinque realiter completur. V. Less. l. c. d. 6.

2° Simonia dividitur in eam, quae est iuris divini estque prohibita propter malitiam suam, v. gr. hostiam consecratam vendere et eam, quae est iuris humani estque mala tantum propter prohibitionem. Et sic ab Ecclesia prohibetur 1. Venditio beneficiorum, secundum id, quod in ipsis temporale est, scilicet quoad ius praecisum percipiendi fructus: 2. Venditio officiorum extrinsece tantum ordinatorum ad res sacras, v. gr. Sacristae, Oeconomi, Advocati Ecclesiae, Thesaurarii. 3. Obligatio pecuniae alicui facta, ut suadeat alteri, ut det beneficium. 4. Pactio de resignando beneficio, vel solvenda pensione, si alter beneficium tibi impetret. 5. Permutatio et resignatio beneficiorum, item reservatio pensionis ex beneficio resignato et in casu permutationis beneficiorum aequatio fructuum etc., si absque superioris auctoritate fiant: quae si accedat, licita erunt. 6. Acceptio muneris, etiam sponte oblati, pro examine ad Parochiam ex Trid. sess. 24. c. 18., pro collatione ordinum, pro tonsura, literis dimissoriis ex Trid. sess. 21. c. 10. Excipitur tamen decima pars aurei pro Notario, si salarium non habeat et consuetudo permittat. 7. Exactio pecuniae pro admissione ad Religionem, non pro statu tantum (is enim spiritualis est ideoque iure divino invendibilis), sed etiam pro onere sustentationis: nisi Monasterii tenuitas vel consuetudo contraria excusent. Vide Laym. c. ult. Bonac. d. 1. q. 1. et 2. Less. Azor, 3. p. l. 12. c. 14.

445. Haec divisio, ut inquit Suarez cap. 41. *de Simonia* n. 2. potissimum ordinatur ad explicanda iura, praesertim poenalia, quae de simonia loquuntur.

Quidam diviserunt per duo membra, in *mentalem* et *conventionalem*, scil. in interiorem et exteriorem. Quae divisio eatenus rationabilis est, quatenus summopere interest, utrum in actum externum prodeat nec ne: conventionalis autem cum possit esse magis minusve completa, quia vel nulla ex parte vel tantum ex una parte vel ex utraque completa est rei traditio: hinc divisio fit trimembris, prout habet Auctor et communiter Doctores retinuerunt. Suarez, l. c. n. 2.

Attamen quidam quadrimembrem divisionem adoptarunt, addentes simoniam confidentialem, quam alii reducebant ad conventionalem mixtam.

Ita trimembris divisio habet 1° *mentalem*, 2° *conventionalem*, 3° *realem*.

Quadrimembris habet 1° *mentalem*, 2° *conventionalem*, 3° *realem*, 4° *confidentialem*.

De mentali. Duobus modis simonia mentalis accipi potest. 1° Pro nudo proposito seu desiderio interno committendi simoniam, etiamsi in nullum actum exteriorem haec intentio prodeat, quemadmodum in omni genere vitiorum, eorum quoque quae exterius consummantur, datur peccatum meri interni desiderii. Haec est simonia illa *pure mentalis*, quam auctor memorat, sed simonia hoc modo mentalis nihil facit ad rem praesentem. Quia, ut dicimus, haec divisio traditur ad explicandum iura et poenas simoniae; haec autem iura in actum mere mentalem cadere non possunt; quia Ecclesia de hoc actu non iudicat. Idcirco divisio Auctoris in simoniam *pure mentalem* et *mixte mentalem* nihil ad rem facit et omissa tali distinctione, unicam *mentalem* considerabimus, quae ab A. *mixte mentalis* dicitur. Suarez, l. c. n. 3.

Mentalem itaque simoniam hoc loco dicimus non quidem internum propositum, quo quis vult simoniam committere, sed propositum internum, quo quis, dum confert alteri spirituale, intendit illum obligare ad reddendum temporale vel contra dum alteri confert temporale, intendit illum obligare ad spirituale rependendum, sine tamen ullo externo pacto: v. gr. si quis serviat Episcopo hac intentione, ut in mercedem sibi conferatur beneficium et tandem beneficium conferatur, nulla tamen exterius facta dictis aut nutibus conventione. Iste erit simoniacus *mentalis*. Less. lib. 2. cap. 3. dub. 6.

In hac itaque simonia actus est talis, ut nec in illo nec in circumstantiis malitia appareat aut probari possit. Et dicitur *mentalis;* quia licet externum actum seu effectum habeat, malitia tamen eius non prodit exterius, sed interius manet: sicut tactus externus de se indifferens,

factus impudica intentione, dici potest *mentalis impudicitia,* quamvis revera externum actum habeat.

446. Unde fit, ut haec simonia mentalis contingere possit modo ex una tantum parte, modo ex parte utriusque; quod cum accidit, veluti casu et contingenter accidit, non autem ex conventione contrahentium. Cum enim haec simonia non prodeat in externum actum conventionis sive expressae sive tacitae, nulla adest inductio ad arguendam pravam intentionem seu voluntatem emendi aut vendendi rem spiritualem, sed sola exterius adest traditio, gratuitum animum ex utraque parte ostendens; intentio enim prava animo retinetur ideoque potest prava haec voluntas esse in uno tantum aut alio, aut in utroque; quia contingit utrumque esse pravum, vel mentem alterius divinare aut suspicari et cum illa conformari. Suarez cap. 41. n. 3.

Alio modo committitur simonia mentalis, quando quis rem spiritualem alteri confert, tanquam compensationem ex iustitia debitam pro re temporali accepta... seu vice versa quando quis alteri confert rem temporalem tanquam ex iustitia debitam pro re spirituali. Schmalzgr. lib. 5. tit. 3. *de Simon.* n. 28.

Modus alius haud rarus aut fictus committendi eiusmodi simoniam occurrit in illo, qui cum vacat beneficium, quod ipse desiderat, ad collatorem vel patronum accedit eique se commendat (vel per se vel per alios) pro collatione vel praesentatione ad beneficium et simul per se vel per alium ipsi offert certam aliquam quantitatem pecuniae aut vas argenteum vel aureum, absque ullo quidem pacto externo, conditione aut obligatione externe apposita ut pro tali munere eidem conferat beneficium, hac tamen interna intentione, fine et animo, ut illius intuitu collatorem obliget vel patronum moveat et obliget ad conferendum sibi prae aliis beneficium. Schmalzgr. ibid. n. 29.

Et huc omnino facit prop. 45. damnata ab Innocentio XI.: Dare temporale pro spirituali non est simonia, si temporale non datur tanquam pretium sed tanquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale. Et patet: quoniam qui ita inservit episcopo (vid. sup. n. 248.) vel rem temporalem dat collatori aut patrono, censetur hac re temporali vel servitio aequivalenter emere voluisse collationem vel praesentationem ad beneficium; neque enim inservit aut dat omnino gratis. Quod inde colligitur; quod si per eiusmodi servitia et munera tales non obtineant quod desiderant, statim prorumpunt in murmura et conqueruntur, se nihil per ea effecisse atque iniuste secum actum fuisse; quae quidem murmura nullum locum haberent, si illi obsequia sua ac munera obtulissent omnino gratis. Schmalz. ibid. n. 30.

447. *De conventionali. Conventionalis* dicitur simonia, quando non solum adest internum propositum obligandi alium ad tribuendum spirituale pro temporali aut viceversa, sed id in externum pactum aut conventionem deducitur. Quae quidem conventio non modo fit verbis expressis et directis, sed etiam obliquis et obscuris atque interdum solis nutibus aut sola muneris oblatione in speciem donationis, ita tamen ut ex circumstantiis adverti pactum possit. Less. l. c.

Advertendum tamen, non sufficere solam promissionem, sed ea promissio etiam debet esse a promissario acceptata; nam si acceptata non sit, non erit simonia conventionalis, sed mentalis tantum, ut bene cum aliis advertunt Reiffenstuel et Farinaccius; quia scilicet deesset vera conventio, quae ex iure Romano (l. *Huius* §. 2. et 3. Dig. *de Pact.*) *est duorum pluriumve in idem placitum consensus* tacitus vel expressus. Schmalz. ibid. n. 32.

Qui triplicem ponunt simoniam, nempe 1° mentalem, 2° conventionalem et 3° realem, hi duplicem distinguunt conventionalem; nempe alia erit *pura,* alia *mixta.* Pura dicitur, cum ex neutra parte sequuta est traditio rei, de qua pactio facta est. Mixta, cum ex alterutra parte traditio sequuta est nondum vero ab utraque.

Illi vero, qui primo quidem bimembrem solum faciunt divisionem in mentalem et conventionalem, trimembrem hanc ipsam conventionalem dividunt, ut sit vel *pura* vel *mixta* vel *realis* seu *completa. Pura* dicitur, cum neutra pars paciscentium traditionem fecit vel rei spiritualis vel pretii simoniaci: *mixta,* quando alterutra tantum pars fecit traditionem, sive id fecerit qui dat spiritualia, sive qui temporalia: *realis* denique, cum utrinque facta est traditio, quae etiam dicitur completa et perfecta.

Et in hanc quidem definitionem simoniae realis conveniunt DD., utut diversimode dividentes, sive eam membrum faciant conventionalis, vel non.

448. Quoad *realem* hoc advertendum, quod non requiritur ad eam, ut totum pretium simoniacum promissum, iam traditum fuerit, sed sufficit, si inchoate seu ex parte datum sit. Et si quis v. gr. alicui pro beneficio promisit 300. scutata et beneficio accepto interea det 100. vel 50. aut etiam minus, iam completa est simonia *realis,* poenas iuris inducens. Idem est, si quis plura promisit obsequia temporalia et beneficio accepto, unum tantummodo illudque exiguum praestitit. Schmalz. ib. n. 317.

Rursus ad simoniam realem non requiritur, ut res temporalis pro spirituali aut vicissim statim mutuo tradatur: sed sufficit, si tradatur deinde, etiam post longum tempus, v. gr. annum. Hinc licet maneat

simonia conventionalis tandiu, donec ex utraque parte fiat saltem inchoate traditio: tamen ab illo momento, quo postea fit etiam alterius traditio, simonia realis completur et quoad poenas iuris retrotrahitur ad tempus pactionis praeteritae. Schmalz. ib. n. 35. ex Reiffenst. n. 23.

Quoad realem simoniam gravis reperitur apud Theol. et Canonistas paulo antiquiores controversia, an dicenda sit *realis* simonia, quando alterutra pars tantum traditionem fecit. Nam dum conveniunt, non essse dicendam *realem*, quando facta sit solum traditio pretii (vid. Suarez, cap. 41. *de Simon.* n. 6.), attamen plures contendunt, *realem* dicendam esse quando tradita sit res spiritualis, licet nondum facta sit traditio pretii; quandoquidem sacrilega rei spiritualis contrectatio iam facta sit. Rationes videri possunt apud Suarez l. c. n. 7.-9., qui animadvertit, posse quidem ex una parte hanc controversiam considerari, quasi solum sit de nomine: at aliter res est, si respiciantur poenae ipso iure inflictae adversus simoniam; tunc enim quaestio evadit de re gravi: ibid. n. 10.

At ratio dissensionis videtur profecta partim ex quibusdam textibus iuris Canonici qui poenas videntur infligere etiam soli promissioni pretii simoniaci, quos textus innuit Schmalzgr. lib. 5. tit. 3. n. 247.: partim ex simonia, quam dicimus *confidentiae* seu *confidentialem;* quae quidem ad *conventionalem* mixtam revocari potest et solet (uti videre est apud Auctorem), et aliunde non est eximenda a poenis, cum tamen poenae solum simoniae reali iure infligantur.

Melius igitur egisse illi dicendi sunt, qui seiunctim de hoc simoniae genere disceptant. Quid vero dicendum sit de illis textibus, inferius dicetur, ubi de poenis simoniae agetur.

449. *De confidentiali.* Brevissime eam innuit Auctor, dicens, eam adesse, « cum quis alteri dat beneficium, ut illud sibi vel alteri resignet, vel cum onere dandi certam partem fructuum ». At nimis breviter et ieiune.

Definiri itaque potest confidentialis simonia, qua quis alicui beneficium ecclesiasticum quocumque modo v. gr. eligendo, praesentando, conferendo, vel in eius favorem resignando aut postulando aut in commendam dando aut instituendo... procurat, cum expresso vel tacito pacto, ut is, cui id procurat, post aliquod tempus beneficium idem vel ipsi procuranti vel alteri resignet, aut pensionem vel fructus ex eo praestet.

Exinde patet, quod materia huius simoniae sunt sola *beneficia ecclesiastica.* Quocirca si eiusmodi resignatio aut procuratio cum supra-

dictis pactis fieret circa *pensionem* aut circa quodlibet aliud ius, quod proprie non comprehenditur sub nomine beneficii, committeretur tunc solum simonia communis non autem specialis haec simonia *confidentialis*, nec incurrerentur poenae adversus hanc constitutae Schmalz. n. 37.

Haec introducta est per Constitutionem Pii IV., quae incipit *Romanum* 16. Kal. Nov. 1569. et per aliam s. Pii V., quae incipit *Intollerabilis* 1. Iun. 1564.: videlicet prius erat crimen simoniae, sed non habebantur speciales de ipsa leges et poenae.

Multiplex species simoniae *confidentialis*, seu multiplex modus est eam committendi. Ad precipuam speciem referuntur tres modi, quando scilicet collationes et resignationes beneficiorun fiunt cum reservatione aut 1° accessus aut 2° ingressus aut 3° regressus.

Dicitur reservatio *accessus,* quando quis vult beneficium obvenire Titio; sed quia Titius modo ob defectum aetatis vel qualibet alia de causa ad illud inhabilis est, illud interim confert (vel eligendo, vel praesentando, vel nominando, aut confirmando etc.) Caio, ea conditione et pacto, ut cum Titius legitimam aetatem adeptus fuerit aut ab alio impedimento fuerit expeditus, beneficium dimittat, propria auctoritate a Titio apprehendendum. Idem dicendum, si is, qui aliquo ex dictis modis ad providendum alteri beneficium concurrit, reservaret accessum *sibi,* nempe procuraret Caio cum hoc pacto, ut Caius sibi deinde resignet. Schmalzgr. lib. 5. tit. 3. n. 39.

Minus exacte s. Alph. n. 49. et n. 85.: « Dicitur per accessum, cum *renuntias* beneficium alteri, cum pacto, ut illud dein ipse resignet et alteri conferatur ». Haec definitio congruit *regressui.*

Dicitur fieri reservatio *ingressus,* quando aliquis beneficium sibi iam collatum, sed nondum possessum, alteri resignat, ea conditione seu pacto, ut ubi hic beneficium dimiserit (v. gr. si mortuus fuerit, vel factus sit Episcopus, aut aliud incompossibile beneficium obtinuerit), ipse resignans ius habeat ingrediendi possessionem illius. Quod quidem in fraudem a quopiam fieri posset, qui ad beneficium retinendum inhabilis, illud alioquin dimittere deberet. Schmalzgr. n. 39. et Laymann lib. 4. tract. 10. cap. ultim. n. 75.

Denique dicitur haberi reservatio *regressus,* quando quis beneficium sibi collatum et iam possessum resignat alteri eo pacto seu conditione, ut tempore conveniente, v. gr. cum beneficium hoc vacaverit per mortem, professionem religiosam aut alio modo, beneficium ad ipsum resignantem vel aliam personam v. gr. consanguineam eius, regressurum sit. Schmalzgr. et Laym. l. c.

450. Causa prohibendi huiusmodi resignationes et collationes duplex fuit; tum nempe quod speciem quandam hereditariae successionis,

quam ss. Canones oderunt, praebeant; tum etiam quod ansam dent optandae et captandae mortis alienae.

Qua de re Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 7. *de Reform.:* « Cum in beneficiis ecclesiasticis, ea, quae hereditariae successionis imaginem referunt, sacris Constitutionibus sint odiosa et Patrum decretis contraria: nemini in posterum accessus aut regressus, etiam de consensu, ad beneficium ecclesiasticum cuiuscumque qualitatis concedatur: nec hactenus concessi suspendantur, extendantur aut transferantur. Hocque decretum in quibuscumque beneficiis ecclesiasticis ac in quibuscumque personis, etiam cardinalatus honore fulgentibus, locum habeat. In coadiutoriis quoque cum futura successione idem postea observetur, ut nemini in quibuscumque beneficiis ecclesiasticis permittantur. Quod si quando ecclesiae cathedralis aut monasterii urgens necessitas aut evidens utilitas postulet praelato dari coadiutorem; is non alias cum futura successione detur, quam hac causa prius diligenter a ss. Romano Pontifice sit cognita et qualitates omnes in illo concurrere certum sit, quae a iure et decretis huius s. Synodi in Episcopis et praelatis requiruntur: alias concessiones super his factae subreptitiae esse censeantur ».

Ex quo patet etiam, hanc simoniam extendi ad ecclesiastica beneficia omnia, quaecumque sint sive simplicia sive curata sive maiora sive minora, sive beneficium sit regulare (v. gr. abbatia), sive seculare. Schmalzgr. et Laym. l. c.

451. Alii vero modi simoniae confidentialis locum habent tum in conferente, tum in resignante beneficium sive solum collatum sive etiam possessum, quando isti illud alicui obvenire faciant cum pacto, ut pensio ex beneficio seu pars fructuum ipsi renuntianti aut conferenti aut alteri personae rependatur.

Circa hoc Navarrus, apud Laymann, lib. 4. tr. 10. cap. ultim. n. 75. cum Ugolino censuit, non esse confidentialem, sed communem simoniam, si pensio aut pars fructuum tribuenda sit ipsi conferenti aut resignanti; solum autem esse confidentialem, si pensio danda sit alteri personae. Verum Suarez *de Simon.* cap. 43. n. 7.-8. sententiam ipsam probat solum oriri ex minus recta intelligentia Constitutionis Pii V. nec solida ulla ratione inniti atque adeo reos esse eiusdem simoniae confidentialis, sive conferens aut resignans pensionem reservet sibi, sive reservet aliis; quod quidem Suarez confirmat tum aliis rationibus, tum etiam ex ipsa Pii V. Constitutione.

Resignatio cum reservatione pensionis licet quidem, consentiente Papa, in cuius manibus fit: sed si clanculum addatur pactum cassandae vel abolendae pensionis per anticipatam solutionem intra certum tem-

pus, simonia est; cum aequivaleat venditioni beneficii. Const. Benedicti XIV. *In Sublimi,* 29. Aug. 1741.

452. Si in superius recensitis casibus non interveniat expressum pactum, sed sola intentio, eritne simonia confidentialis?

Schmalzgr. lib. 5. tit. 3. n. 40.-42. distinguit: Vel enim, inquit, resignans seu utcumque conferens ad collationem habuit animum *obligandi* alium ad dandum sibi vel alii, cui vult, accessum, ingressum aut regressum aut pensionem etc.: vel sine animo obligandi solam spem habuit, quod is, cui beneficium procuravit, esset resignaturus sibi aut amico seu consanguineo.

Si hoc posterius, non committitur simonia; quia sic non intercedit voluntas emendi et vendendi. Neque obstat, quod in Bulla Pii V. n. 36. damnetur ut simoniaca etiam *sola intentio* dimittentis beneficium; per *intentionem* enim ibi non intelligitur sola spes, sed voluntas obligandi alterum, prout communiter DD. explicant. Neque obstat, quod in eadem Constit. dicitur: « Si quid... etiam simplicis donationis titulo perceperit ». Nam ibi solum vult, ut *praesumatur* simonia, si donatio facta fuerit; ibi enim Pontifex enumerat signa, ex quibus praesumptio simoniae desumatur a iudice.

Si autem prius, tunc dispiciendum est, an intentio illa obligandi expressa sit aliquo externo signo, vel non. Si non est expressa, committitur simonia tantum *mentalis,* quae proprie dici *confidentialis* non potest; cum nec in Bulla Pii IV. nec in altera Pii V. specialiter damnetur vel puniatur. Si vero intentio obligandi signo externo expressa fuerit, vere ista committitur simonia, licet alter nihil paciscatur vel repromittat idque tenent communiter DD. et suadetur ex Bulla Pii V., in qua dicitur, *confidentiam,* seu simoniam confidentialem censendam esse, si quis beneficium receperit ex resignatione vel cessione cuiuscumque personae simpliciter aut cum circuitu retrocessionis, cum regressu vel accessu, etiam *sola dimittentis intentione.*

S. Alph. n. 87. ad postremum hunc casum haec notat: « Esse simoniam confidentialem affirmant Palaus et Diana apud Croix n. 65. Sed probabilius negant Nav. Azor, Less., Suarez et alii apud Croix ibid., quia deest tunc pactum ex utraque parte obligatorium ». Verum heic habetur hallucinatio, quam passus est Croix, qui haec a Palao nimis fidenter transscripsit. Nam nec Suarez cap. 43. n. 12. nec Lessius lib. 2. cap. 35. n. 86., nec Azor, p. 2. lib. 7. cap. 27. q. 6. faciunt hunc casum: sed solum dicunt 1° non esse confidentialem, si intentio occulta sit: esse confidentialem, si intercedat pactum. Navarrus vero negat haberi confidentiam; quia, ut ipse inquit, Pius V. non damnat uti simoniam hunc casum, sed solum dicit esse signum, ex quo simonia

praesumi possit. At hoc est falsum et dicemus esse lapsum memoriae. Nam hic casus ponitur in §. 3. Constitutionis, ubi declarantur casus simoniae; signa vero, ex quibus praesumantur, habentur §. 4. et inter ista casus noster non recensetur. Imo disserte in fine §. 3. habentur haec verba: « *Licet ipsum confidentiae crimen alterius tantum partis conscientia sit admissum* »: adeo falsum est, ex mente Pii V. requiri pactum ex utraque parte! Ergo haec maior probabilitas, asserta a s. Alphonso, est expungenda.

Addit ibid. s. Alphonsus: « Secus dicendum (scil. erit simonia) advertit Croix n. 66. cum communi, si ille resignet, declarans velle, ut solvatur alicui pensio ex fructibus; quia hoc est signanter expressum in Bulla ». Sed haec non spectant ad hunc locum; quia Croix hoc loco non disputat, an requiratur *utrinque pactum,* sed tangit quaestionem a nobis heic propositam sup. n. 451. de pacto scil. pensionis solvendae.

453. Quaeritur, an confidentialis simonia eiusque poenae locum habeant etiam in permutatione beneficiorum. Nam haec quoque permutatio fieri potest cum certa fiducia sive pacto de permutatione suo tempore dissolvenda et concedendo regressu ad sic dimissa, vel de iis in favorem nepotum aliorumve resignandis, vel de pensione sibi aut aliis solvenda.

Sed probabilius est, sic permutantes non committere simoniam confidentialem, sed solum simoniam iuris communis, uti communiter tenent DD. Ratio est, quia Constitutiones Pii IV. et Pii V. sunt poenales atque adeo odiosae. Non igitur sunt extendendae, nisi ad *cessionem* et *resignationes* beneficiorum. Atqui nomine cessionis aut resignationis ex communi usu iurium et Doctorum, non veniunt in odiosis ea, quae fiunt causa permutationis. Ergo. Praeterea, ut advertit Pirhing n. 113. illae resignationes absque permutatione magis odiosae sunt et graviora incommoda inferunt. Et ideo poenae pro his statutae non sunt extendendae ad alia.

Secus tamen statuendum de Episcopo vel quovis alio beneficii collatore. Nam si Episcopus cum alterutro vel utroque permutantium paciscatur de fructibus vel pensione sibi vel alteri solvendis propter admissam permutationem vel collationem factam, committeret simoniam confidentialem, prout cum aliis advertit etiam Reiffenstuel lib. 5. tit. 3. n. 40. et satis clare expressum id est in Bulla Pii V. aientis: « Si Ordinarius vel alius collator contulerit vel conferat beneficium QUOVIS MODO *(ac proinde etiam ex causa permutationis)* vacans, ea conditione tacita vel expressa etc. ». Schmalzgr. lib. 5. tit. 3. nn. 43. 44.

454. Cum Pontificiae Constitutiones de simonia confidentiali loquantur solum de Beneficiis; proinde haec simonia non habet locum

in meris pensionibus, si hae cum pacto aliquo illicito ex supradictis dentur, resignentur etc. Ratio est, quia pensiones generali nomine beneficiorum, praesertim in materia odiosa, non comprehenduntur neque per canonicam institutionem aut collationem conferuntur, nec resignantur in favorem alterius. Multo vero minus haec simonia locum habet in aliis rebus vel actibus spiritualibus, etiamsi cum illicita et simoniaca confidentia fiant. Ratio eadem est, quia Bullae solum loquuntur de beneficiis. Pirhing lib. 5. tit. 3. n. 113.

Pretium, vel id, quo loco pretii in simonia confidentiali potest intervenire, est hoc, ut nempe ipsum beneficium, quod alteri confertur vel resignatur, eidem renuntianti aut conferenti aut alteri reddendum sit, aut certe ut fructus eiusdem beneficii aut pars eorum aut pensio renuncianti seu conferenti vel alteri praestanda sint.

Exinde consequitur, quod si cum conferente aut resignante conventio fiat cum certa confidentia aut pacto de aliis rebus, etiam mere temporalibus vel spiritualibus cedendis vel reddendis, non committetur simonia confidentialis, sed incurretur simonia communis; quia in praedictis Bullis speciales hae poenae non infliguntur, nisi speciali illi simoniae *confidentiae*.

Quare si pactum interveniat, ut non quidem idem beneficium, quod Caius contulit aut resignavit Titio, sed aliud quodpiam beneficium vel Caio ipsi vel potius Caii consanguineo aut amico resignetur; erit simonia communis, non autem confidentialis.

Idemque statuendum est, si quis a collatore vel praesentatore impetravit beneficium alteri, cum eo pacto, ut ab hoc aliud vel idem beneficium resignetur ipsi impetranti. Quocirca is, qui per *communem* hanc simoniam beneficium acquisivit, iubendus erit, ut pactionem non impleat. Ita sane poenas evitabit; quandoquidem manebit simonia mere *conventionalis:* si autem pactum impleret, evaderet *realis* et poenas incurreret non quidem *confidentiali,* sed *reali* simoniae inflictas. Pirhing, n. 113. Laym. n. 75. Suarez cap. 43. n. 15.

455. Veruntamen Thesauro *de Poenis,* part. 2. V. *Simonia* cap. 3. n. 2. *Confidentiam* censet: « si mediator exstiterit vel intercessor in negotio concessionis beneficii alicui factae et pro ea re fructus aliquos dicti beneficii receperit, vel pactum intervenerit de percipiendo vel solvendo eidem ». Et reipsa in Constitutione Pii V. n. 5. apud Giraldi pag. 571. haec leguntur: « Denique si quis pro concessione alicui facta, quacumque auctoritate, de beneficio ecclesiastico, per se vel per alium seu alios intercesserit, vel alias in negotio concessionis sese immiscuerit quoquo modo, deinde aliquid de fructibus talis beneficii de facto, etiam per manus possessoris ac etiam simplicis donationis titulo perceperit,

seu de illo postmodum ad voluntatem intercessoris fuerit dispositum quandocumque... ». Tamen, cum haec ponantur inter coniecturas seu probationes *confidentiae*, nullatenus vero recenseantur inter crimen confidentiae, sensus videtur esse, haec tantum esse indicia, quod concedens beneficium conditionem apposuerit, ut intercessori concedatur aliquid ex beneficii fructibus. In quo sane haec simonia haberetur. Neque hic casus confundendus cum eo, de quo Navarrus *Man.* cap. 23. n. 110. « Adde nove undecimo, quod mediator confidentiae vetitae a praefatis Piis ipso facto est excommunicatus ». Nam subdit: « Quia per praefata omnis confidentia, de qua ipsi agunt, est simonia beneficialis et omnis mediator simoniae in beneficio vel ordine est excommunicatus ipso facto per Extrav. 2. *de Simonia* ». Est ergo peccatum simoniae communis, non autem confidentialis. Unde merito Suarez *de Simon.* cap. 43. n. 16. advertit, hanc excommunicationem a mediatore non incurri, nisi pactum simoniacum sit *utrinque impletum.* Et reipsa hic est casus, de quo heic paulo ante dictum est.

Et eodem loco habenda sunt alia, quae idem Thesauro ibid. sic addit: « Item si convenerit, ut resignans ipse faciat expensas provisionis beneficii; ex hoc enim praesumitur confidentia...: item si resignagnatarius ex pacto faceret expensas pro litteris pensionis resignantis... ». Qui secundus casus cum veram simoniam contineat, quia ex pacto onus resignatario imponitur, iam indicat, male Thesaurum heic permiscuisse ea, quae mere sunt praesumptiones et coniecturae, cum vero simoniae confidentalis crimine.

456. De Simonia *iuris divini et iuris humani.* Quod dicitur simonia quaedam *iure divino* interdicta, id intelligendum de iure *divino naturali,* non autem de *divino positivo;* nam quod ex Evangelio promi potest (Matth. X. 8.), *gratis accepistis, gratis date,* est praeceptum non positivum tantum, sed ex natura rei et materiae necessarium: cf. Suarez *de Simon.* cap. 2. n. 15. Schmalzgr. n. 20.: « Nomine iuris divini intelligitur ius mentibus nostris a Deo insitum seu naturale ». Rationes autem sunt ex s. Thoma, quod 1° venditio sit contra dignitatem rei sacrae et 2° contra finem, propter quem Deus dedit eas, in communem nempe utilitatem et 3° quod vendatur id, cuius quisque non est dominus etc. Vid. Suar. l. c.

Quod detur simonia iuris mere humani, est doctrina communis inter theologos, uno, ut inquit Suarez cap. 2. n. 7., aut alio excepto. Rationem innuit etiam s. Alph. lib. 3. n. 69.; quia Ecclesia potest quidpiam praecipere ant prohibere in ordine ad quampiam virtutem et sic efficere, ut sit materia illius virtutis aut vitii; sic v. gr. potest ieiunium, quod per se pertinet ad abstinentiam, ordinare ad Dei honorem et sic

efficere, ut sit actus religionis. Sic ex Ecclesiae praecepto fit, ut sacrilegium sit accedere ad Eucaristiam non ieiunum, cum neque id olim, neque etiam nunc quoad infirmos sacrilegium sit. Et ita in casu, dum quaedam prohibet in sacrorum reverentiam, a quibus tamen abest per se inordinatio permutationis inter rem spiritualem et temporalem.

Io. Baptista Gonet, apud s. Alph. l. c., sese communi theologorum sententiae in hoc opposuit; quia homines, inquit, nequeunt rerum naturas mutare. De quo Schmalzgrueber *de Simonia* lib. 5. tit. 3. n. 19.: « Unde Gonetus, dum... dixit, hanc distinctionem ineptam et chimericam videri et a recentioribus casuistis excogitatam, valde peregrinum in Doctoribus antiquis, de simonia tractantibus, se esse ostendit: imo iniurium ipsis sacris canonibus, qui cap. *Quaesitum* 5. et cap. *Cum olim* 7. *de Rer. permutat.* definiunt, permutationem factam sine auctoritate superioris labem semper continere simoniae, quae tamen certe non est iuris naturalis; alias, etiam interposita auctoritate superioris, licita evadere non posset ».

Auctor non definit, quaenam simonia sit iuris divini aut ecclesiastici, nisi per exempla.

At dici generaliter potest, quod simonia iuris naturalis aut divini committitur, quando pro re temporali datur res de se vere spiritualis, aut huic adnexa, uti gratia sanctificans, gratiae gratis datae, benedictio, consecratio, ecclesiastica iurisdictio etc.

Simonia vero iuris ecclesiastici, quando res spiritualis aut huic adnexa datur pro alia itidem spirituali aut ipsi adnexa, qualis committitur in permutatione beneficiorum ecclesiasticorum facta sine superioris auctoritate. Vel etiam quando res in se temporalis datur pro pretio temporali, uti contingit, quum emuntur officia oeconomi, thesaurarii, sacristae etc.

Ratio, quia cum ex natura rei non sit malum dari spirituale pro spirituali, aut temporale pro temporali, tota malitia in hisce casibus provenit ex praecepto Ecclesiae, quae ex motivo religionis et reverentiae erga res sacras, eiusmodi rerum aut iurium aut officiorum permutationes prohibet. Schmalz. n. 22. 23.

457. Heic nota: plures negarunt, simoniam iuris ecclesiastici esse proprie dictam simoniam; quia nempe non intervenit ibi pretium temporale et merx spiritualis. Communius tamen et probabilius habetur uti proprie dicta simonia. Quia sane officia illa ecclesiastica relationem habent ad spirituale, quippe quae ad rerum Ecclesiae temporalium administrationem, custodiam defensionemque ordinantur: beneficia vero simul cum spirituali habent adnexum temporale, nempe reditus, quorum praecipue intuitu fiunt permutationes. Schmalzgr. n. 24. 25. Cf. supra n. 268.

Heic s. Alph. n. 69. refert quaestionem, an venditio beneficii sit simonia iuris divini, an ecclesiastici. Et relata sententia Doctorum, qui iuris ecclesiastici esse eam dicunt n. 69., dein n. 70. probabiliorem dicit sententiam affirmantium, eam esse iuris divini, ob inseparabilem connexionem inter temporales reditus et ius ad officia ecclesiastica. Veruntamen concedit id, quod facit pro priori sententia, posse nempe Rom. Pontificem separare ius ad reditus a iure ad sacra, et iubere ut super beneficia imponantur pensiones, separando hanc partem fructuum.

Separatio iuris ad sacra a iure ad reditus percipiendos, qui vendi possint, contingit, quando quis locat fundum beneficii. Locatio enim nihil est aliud, quam pretio aliquo cedere alteri ius ad percipiendos fructus fundi. Porro huiusmodi locatio est utique illicita, si ultra triennium fiat sine licentia ecclesiastica; nam per triennium licet ex Ecclesiae concessione hanc locationem facere. Atqui quod fieri potest ex Ecclesiae concessione evidenter pertinet ad materiam iuris ecclesiastici; neque enim posset Ecclesia dispensare aut licentiam dare, ubi de simonia iuris divini agitur.

458. Heic proinde generatim instituitur quaestio, an liceat vendere et emere temporale annexum spirituali. Si annexum sit temporale spirituali antecedenter (n. 243.), dummodo ratione spiritualis annexi, puta consecrationis, benedictionis etc., non plus exigatur quam res temporalis independenter a spirituali valet, id per se licet. Ratio est, quia res materialis per accedentem consecrationem etc. non amittit valorem suum, cui soli respondet pretium temporale quod datur. Si vero propter spirituale annexum, augeretur pretium, iam illud pretii augmentum daretur pro spirituali et esset simonia. Dictum est *per se;* quia fieri potest, ut ecclesiastica lege prohibeatur aliqua huiusmodi venditio. Ita c. *Ea quae, de Simonia*, prohibetur venditio sacri Crismatis (Reiffenst. l. 5. tit. 3. nn. 321.-325. Schmalzgr. eod. tit. n. 152). Suarez de Simonia c. 14.

Per se ergo vendi possunt templa, calices etc.: advertunt tamen DD. quod calix, vestis sacra integra vendi possunt alteri Ecclesiae (s. Thom. in 4. D. 25. q. 3. c. 2. ql. 3.): si vero vendantur ad usus profanos, prius confringi, dissui debent ita, ut consecrationem amittant (Authentica *Praeterea* C. *de ss. Ecclesiis*), manente re materiali cum suo valore. Quod cum in templis fieri nequeat; sic enim non venderes nisi congeriem lapidum, hinc plures negant, templa vendi posse (Benedictus XIV. *qq. Can.* q. 142.) innixi verbis c. *Querelam, de Simonia: quod sicut emi non potuit, ita nec redimi ecclesia.* Sed cf., Schmalzg. l. c. n. 164. Certe vendere non licebit ad usus profanos, sed si ad sacrum usum vendatur, cur non licebit in templo, quod licet in calice? Ceterum re-

colendum est, res ecclesiasticas alienari non posse absque debita solemnitate. Qua de re in tr. *de Censuris* ex Const. *Apostolicae Sedis.*

Similis est quaestio; an liceat vendere ius patronatus, quod A. dicit annexum *antecedenter* beneficio, cuius collationem praevertit: supponit tamen beneficium constitutum, sed ei non adhaeret. Quaestio est non de honore aut subventione, quae patronis debentur ac vendi possunt (s. Alph. n. 71.), sed de iure praesentandi ad beneficium.

Itaque 1° si hoc ius vendatur aut quomodolibet pro re temporali in alium transferatur, tum transferens tum recipiens rei sunt simoniae et uterque iure illo privatur ac beneficium liberum evadit, ut dein liberam collationem ille habeat, qui habebat institutionem. Thes. part. II. V. *Simonia*, cap. 8. n. 1. Verba Tridentini, quae directe afficiunt solum transferentem, sess. 25. cap. 9. *de Reform.:* « Nec dictum ius patronatus, venditionis aut alio quocumque titulo, in alios contra canonicas sanctiones transferre praesumant: si secus fecerint, excommunicationis et interdicti poenis subiiciantur (ferendae sententiae) et dicto iure patronatus ipso iure privati exsistant ».

2° Si ius est affixum rei, simonia erit altius pretium exigere ratione iuris patronatus adnexi.

3° Et si iustum rei pretium dumtaxat exigit, non tamen debet dicere se rem vendere et ius patronatus; sed se cum re transferre ius patronatus, vel se vendere rem cum adnexo illo iure.

4° Non potest gratis ius transferri in laicum sine licentia Episcopi, sed bene in locum ecclesiasticum.

Nota. Si patronus promittat praesentationem, antequam vacet beneficium, promissio est nullius momenti et ipso iure irrita. Thesaur. ib. n. II.

459. Porro si temporale annexum est spirituali *concomitanter* et *intrinsece*, nequit illud vendi absque vitio simoniae: nullus est enim eius valor nisi ex re spirituali, quae proinde venderetur. Qua de re in resol. 1. seq.

Si autem annexa est res temporalis spirituali *consequenter*, ea vendi absque simonia nequit, manente hac connexione: quia sic et spirituale venderetur. *Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit,* ait canon *Si quis obiecerit* caus. 1. q. 3.; ius sane ad reditus ecclesiasticos non est sine iure ad sacra. Diximus, manente hac connexione; quia, ut n. 457. animadversum est, auctoritate Papae separatio fieri potest.

460. Prosequamur res ab A. enumeratas. 1° *Venditio officiorum* etc. S. Alph. n. 68. ad h. locum notat, advocatum ecclesiae dici, qui specialiter constituitur advocatus ab ecclesia pro suis iuribus tuendis. Addit munus *Vice-Domini* et *Castaldi* seu *Maiordomi* etc.

2° *Obligatio pecuniae* alteri facta, ut alteri suadeat, ut tibi det beneficium. » At nos superius suo loco innuimus, non probari, heic haberi crimen simoniae.

3° *Pactio* de resignando beneficio..., si alter tibi beneficium impetret. Sup. n. 456. diximus, esse simoniam communem.

4° *Permutatio* et *resignatio* beneficiorum aut pensionis etc. sine auctoritate legitima. « De his agitur in tract. de Statibus particularibus, ubi de *Beneficiis*.

5° *Quoad examinatores*, nota (vid. s. Alph. n. 112. q. III.) quod in poenam privantur ipso facto beneficiis antea obtentis ex decreto Concilii Tridentini sess. 24. *de Reform.* cap. 18. Ad quod tamen, ut subdit s. Alph., requiri videtur sententia declaratoria, licet s. Alph. idem ibidem subdat: « At si examinatores illi vellent absolvi a labe simoniae, nescio quomodo absolvi possent, nisi beneficia dimittant, dum dicitur a Tridentin. l. c.: « *a qua nequeant absolvi, nisi dimissis beneficiis* ». De hoc sermo redibit infra n. 348. n. 4°.

Sed addit Thesauro V. *Simonia,* cap. 4. n. I. 1° communiter DD. censere, eiusmodi examinatores parochorum incurrere excommunicationem contra simoniacos super beneficiis latam: 2° Nullam esse provisionem aut consecutionem parochiae. Limitant tamen praedictas poenas, ut non incurrantur, nisi simonia utrinque realiter sit completa.

Notant DD. 1° examinandum, qui det pecuniam uni examinatorum, incurrere poenas simoniae, licet alioquin suffragia habiturus esset sufficientia; secus, si pecunia detur ab altero et alias ipse sufficientia suffragia habiturus esset.

2° Neque a sponte dantibus recipi aut dari aliquid posse, etiamsi mere liberaliter ad captandam benevolentiam examinatoris. Ratio, quia id prohibitum est ob speciem simoniae.

3° Aliqui excusant a poenis ob levitatem materiae, ut si modica esculenta vel poculenta quis examinatoribus largitus sit. Sed verior est contraria sententia, ob decretum inquiens « *ne quidquam prorsus* » et Garcias refert in hanc rem declarationem s. Congregationis. Ita Thesaur. l. c. cap. 4.

4° *Munera pro admissione ad religionem:* de qua re dicemus in resp. 1. art. seq.

Ex dictis resolves.

LIII. 1. Simonia est concionari, catechizare, Missas facere pro pretio, nisi excusetur ratione laboris, non intrinseci (is enim sacer est et inaestimabilis; scilicet vel ipsa actio sacra vel in ea intrinsece inclusus) sed extrinseci, non annexi rei spirituali, ut pro labore itineris vel cantus in Missa vel ratione alterius incommodi pretio aesti-

mabilis. Ratio est, quia illae actiones ex natura sua ordinantur ad aliquid supernaturale et ad salutem, non autem ad aliquid temporale; sicut doctio quaecumque etiam Theologiae, quae pretio aestimabilis est. Bon. l. c. Suar. Fill. tr. 45. c. 2. etc. v. infra, l. 6. t. 3. c. 4. d. 1. Laym. l. c. §. 4.

461. Generalis regula est, 1° non licere pro sacro ministerio quidpiam accipere quasi pretium sacri operis: 2° licere pro sacro ministerio quidpiam accipere per modum stipendii ad congruam sustentationem.

Paucis totam doctrinam sic proponit s. Thomas 2. 2. q. 100. art. 3.: « Vendere quod spirituale est in eiusmodi actibus aut emere, simoniacum est. Sed accipere aut dare aliquid pro sustentatione ministrantium spiritualia, secundum ordinationem Ecclesiae et consuetudinem approbatam, licitum est: ita tamen quod desit intentio emptionis et venditionis et quod ab invitis non exigatur per spiritualium subtractionem, quae sunt exhibenda; hoc enim haberet quandam venditionis speciem. Gratis tamen spiritualibus prius exhibitis, licite possunt statutae et consuetae oblationes et quicumque alii proventus exigi a nolentibus et valentibus solvere, auctoritate superioris interveniente ».

Exinde simonia erit si quid exigitur *tanquam pretium* pro administratione sacramentorum, pro sepultura ecclesiastica, pro confirmatione electionis, pro installatione in beneficiis ecclesiasticis et pro aliis sacris functionibus. Secus vero, quando pro hisce quidpiam exigitur et accipitur tanquam stipendium congruae sustentationis.

Et quidem iuxta verba Christi Luc. X. 7.: *Dignus est operarius mercede sua* et in iure canon. cap. fin. caus. 1. q. 2. dicitur: « *Clerici omnes, qui ecclesiae fideliter vigilanterque deserviunt, stipendia sanctis laboribus* DEBITA *secundum servitii sui meritum per ordinationem canonum a sacerdotibus consequantur* ». Unde concludunt et tenent Doctores omnes, stipendium deberi *ex iustitia.*

Exinde sequitur, quod stipendium, quod fideles ex statuto et consuetudine tenentur solvere ratione sacrorum ministeriorum, debetur ministranti, etsi non indigeat. Ratio, quia id non datur illi uti mera eleemosyna ex misericordia, sed ceu debitum ex iustitia. Si enim omni servienti sive operanti competit sustentatio et debetur stipendium, cur non etiam ministris ecclesiae? Hinc illud Pauli I. Cor. IX. 13. 14.: *Nescitis quoniam qui in sacrario* (veteris nempe foederis) *operantur, quae de secrario sunt, edunt et qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita et Dominus ordinavit iis, qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere. Ego autem nullo horum usus sum.* Saltem debetur iis stipendium, si ex officii sui ratione ad haec ministeria non sint obligati. Ratio etiam est, quia quod aliunde necessariam ac sufficientem sustentationem habeant, est per accidens, neque impedit, quominus stipendium ex iustitia debeatur.

Inde etiam sequitur, quod liceat de stipendio pacisci. Nam quod ex iustitia debetur et quoad quantitatem lege vel consuetudine non est determinatum, deduci potest in pactum, ut quoad hoc determinetur.

Quod si stipendii quantitas determinata sit lege et consuetudine, « *secundum ordinationem Ecclesiae et consuetudinem approbatam* », inquit s. Thom. sup., haec servanda est.

Si autem paciscendum sit, cavenda est turpis exactio, ut omnis species avaritiae (ut infr. n. 465.) et simoniae absit ac ne videatur exigi ceu pretium rei sacrae potius, quam ut stipendium. Sic turpe esset prius exigere numeratam pecuniam aut cautionem et secus negare spiritualia.

Praeterea nomen mercedis non debet accipi hic pro mercede proportionata *spirituali operi*, sed pro mercede commensurata conditioni personae operantis, quae ob labores suos spirituales sustentatione et stipendio digna est. Schmalzgr. lib. 5. tit. 3. nn. 89.-93. Hinc diversum stipendium pro diverso gradu tribuitur clericis sive assistentibus in choro, sive deducentibus funus, sive sollemni Missae deservientibus.

462. Quando tamen aut parochus aut beneficiatus quisvis vi officii sui est obligatus ad ministranda spiritualia, hic pro iis ministeriis non potest licite exigere stipendium. Quocirca non potest parochus pro explanatione evangelii per annum consueta exigere stipendium, quod tamen alii concionatori tribuitur.

Ratio est, quia hi si sufficientem habent sustentationem aliunde, v. gr. ex decimis aut aliis proventibus ecclesiasticis, peccant contra iustitiam, si aliud stipendium exigant vel de eo pactum ineant. Ita communis DD. cum s. Thoma 2. 2. q. 100. art. 3. ad 3. Quod exinde patet, quod universim contra iustitiam est exigere temporale stipendium pro opere aliunde ex iustitia debito, cum eo casu desit titulus illud exigendi. Titulus quippe habebitur aut ex pacto gratuito, aut ex oneroso: atqui non ex pacto gratuito; quia dans non vult donare, sed tantum mercedem dare: non ex oneroso, quia huius pacti natura est, ut utrinque pariat obligationem. Porro nulla nova obligatio imponitur ei, qui iam ante ex iustitia obligatus est facere vel intermittere aliquid. Ergo cum quis paciscitur cum altero de novo stipendio pro eo, quod alias ex iustitia debet, iniuriam ei facit. Quinimo talis exactio speciem quoque simoniae habet et est simonia saltem praesumpta ideoque iure positivo uti simonia interdum prohibetur. Schmalzgr. lib. 5. tit. 3. n. 95.

Excipe tamen, nisi legitima adsit consuetudo, quae 1° vel a fidelibus ipsis, temporis diuturnitate et tacito Praelatorum consensus, veluti quadam pia lege statuitur; tunc enim retineri debet, modo ad eius observationem a parochis vi non cogantur subditi.

Vel 2° etiam ubi consuetudo v. gr. recipiendi aliquid pro admittendo inter canonicos aut in monasterium, aut pro administratione sacramentorum v. gr. baptismi, rationabili causa subnixa videtur saltem in sua origine, ex. gr. quia tenues erant reditus parochiales etc. Nam etiam cessante causa, si praestatio horum per longum tempus v. gr. per decennium, veluti debita, servata sit cum bona fide recipientium, ius videtur inductum per praescriptionem: modo tamen non per exactionem, vim aut alio modo speciem simoniae aut avaritiae praeferente, id fiet.

463. Et quaestio sic proposita, de stipendio scilicet, quod operanti debeatur, satis plana est et expers difficultatis.

At implexa fit, si alio modo proponatur, uti videre est apud nostrum Auctorem, videlicet utrum *ratione laboris* liceat aliquid accipere.

De hac re Laymann *de Simonia* lib. 4. tr. 10. cap. ult. n. 41.: Unum certum est, licere aliquid ceu pretium accipere pro labore et obligatione, quae sacro ministerio per accidens accedat et coniuncta sit: v. gr. si sacerdos ad Missam celebrandam subire debeat incommodum longae aut praeruptae viae aut saevae tempestatis, si manere ieiunus debeat usque ad meridiem, si se obliget cooperari Ecclesiasticis officiis per totum annum, etiam tempore pestis. Ratio, quia pretium non accipitur pro opere spirituali, sed pro onere corporali, quod accidentaliter advenit et coniungitur, sc. obligatione itineris, tanto tempore permanendi, laboris in diu cantando, tolerandi foetores, subeundi vitae discrimen etc.

Sed non ita est manifestum ac certum, an id liceat pro labore, seu defatigatione corporis, quae necessario coniuncta sit cum opere spirituali, v. gr. concionandi, consecrandi ecclesiam.

Quidam affirmarunt, aientes, quod omnis labor corporalis locari queat, atque adeo etiam ille, qui subeundus est in functionibus spiritualibus, iuxta verba Christi Luc. X. *dignus est operarius mercede sua.* Confirm. quia ubi est meritum operationis, secundum iustitiam ibi merces debetur; quia merces et meritum correlativa sunt iuxta illud Matth. XX. 8.: *voca operarios et redde illis mercedem:* atqui in clerico ministrante spiritualia est meritum operationis secundum iustitiam, ut patet ex textu Canon. superius n. 461. allato. Ergo. Laym. ibid.

Alii tamen communiter id negant. Ratio, quia operatio et labor corporis non est pretio aestimabilis, nisi in ordine ad opus, propter quod suscipitur; unde laboris, cuius nullus sit fructus, nulla est merces. Ergo cum opus sit spirituale et ideo per se invendibile, idcirco et labor ad id necessario requisitus, nec pretio aestimari nec vendi potest:

neque enim hic labor quidpiam proficit absque fructu spiritualis operis. Quo spectat illud iuris Canonici can. *Si quis obiecerit*, 7. caus. 1. quaest. 3.: « Quisquis horum aliorum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit ». Laym. ibid.

464. Solvit quaestionem Laymann redeundo ad ea, quae praemisimus et sic conciliando diversas sententias.

Existimo, inquit n. 42., Doctores in re ipsa, sacris Canonibus satis definita, non dissentire ac facile conciliari posse, si dicatur, quod operatio et labor corporis in spiritualibus ministeriis ad alterius gratiam voluntatemque susceptus, duobus modis potest considerari: vel 1° in ordine ad opus spirituale, vel 2° secundum genericam rationem operis aut servitii in alterius gratiam praestiti.

Secundum priorem considerationem, cum s. Thoma et communi DD. sententia tenendum est, pro labore corporali, per se coniuncto cum spirituali ministerio, pretium non posse accipi; quia aestimanda esset ipsa dignitas atque utilitas functionis spiritualis.

Secundum autem alteram considerationem dicendum est, quod ecclesiasticis ministris, propterea quod in spiritualibus occupati sunt in gratiam fidelium, ex iustitia debeantur temporalia, non ut pretium operis spiritualis, sed ad sustentationem vitae. Cum enim omnibus aliis operantibus ad alterius voluntatem debita sit iure naturali necessaria sustentatio, cur non etiam illis, qui occupantur in ministeriis spiritualibus?

Quia tamen sustentatio ista non commensuratur valori dignitatis et utilitati operis secundum propriam specificam rationem suam, ideo non potest appellari *pretium* sive aestimatio operis nisi improprie et abusive; pretium igitur improprie dicetur, ut significetur hoc idem quod est merces seu praemium debitum operanti licet non secundum commensurationem operis, non secus ac vita aeterna dicitur merces operum, licet illa haec infinito intervallo excedat, uti notavit etiam s. Thom. 2. 2. q. 100. art.. 2. ad. 3.

Et hoc sensu (Numer. XVIII. 31.) decimae dicuntur assignatae Levitis, ceu *pretium pro ministerio* et apud Luc. X. dicitur *operarius dignus mercede sua*. Laym. ibid.

Sin vero mercedis nomen stricte accipiatur, ut idem sit ac aestimatio operis seu pretium, negandum est, pro ministerio spirituali eam exigi posse. Sed rectissime dicitur, ecclesiastico ministro dari stipendium sustentationis; quia datur *cum habitudine ad personam operantem,* quatenus digna est ea, aut ea indiget, consideratis qualitatibus v. g. generis nobilitate, doctrina, studio, dignitate, laboribus assiduis etc. Nam sicuti si quis constituatur, qui ad voluntatem alterius laboret

sine ullo fructu, v. gr. aedificando et mox aedificata destruendo, licet huic homini non debeatur merces seu pretium operis, cum illud nullius aestimationis sit ac valoris, debetur tamen merces sustentationis, spectata qualitate personae laborantis in alterius gratiam; ita ministranti spiritualia non debetur pretium aut merces operis, quod utut dignissimum et homini utilissimum, propter tamen nobilitatem suam spiritualem inaestimabile est; sed nihilominus debetur stipendium sustentationis personae.

Huc refert Laymann l. c. sententiam s. Augustini.

465. Quod vero addit Auctor, licere stipendium pacisci et exigere pro labore, qui extrinsecus censetur operi spirituali, id in confesso est apud Doctores communiter. Vid. Laym. *de Simon.* n. 41. et Schmalzgr. n. 98.

Ratio, quia pretium non accipitur pro ipso opere spirituali, sed pro onere corporali, quod illi accidentaliter coniungitur.

Ita qui celebraturus Missam debeat exspectare certam horam aut ieiunus permanere ad meridiem aut exspectare alienum nutum, aut iter facere vel adire certum locum, vel negligere sua commoda aut sua negotia, aut si se obliget ad permanendum aliquo tempore, ad extraordinarios labores subeundos, etiam ad inserviendum tempore pestis, aut ferendos graves foetores, aut subeundum vitae periculum, aut ad longi cantus defatigationem etc.

Duo tamen circa hoc servanda cum Schmalzgrueber n. 99. 1ª Ut enim rite fiat haec exactio pro labore extrinseco, oportet, ut hic labor non sit aliunde debitus v. gr. ex officio, fundatione beneficii, contractu etc. Id enim si fiat et congruum stipendium seu salarium pro labore huiusmodi iam quis habeat, non potest pro eodem quidpiam ulterius exigere sine peccato simoniae. Ratio, quia cum absit iustus alius titulus hoc exigendi, censetur exigere pro ipsa re spirituali, ut notat etiam Reiffenstuel n. 307.

Non potest ergo parochus aut cappellanus quidpiam exigere, aut certe plus, quam pia et laudabilis consuetudo statuerit, pro itinere et incommoditate, dum ss. Viaticum aut Oleum Sanctum defert ad parochianum infirmum una aut duabus tribusve horis distantem. Ita qui tenetur celebrare Missam in aliquo oratorio diebus dominicis, non potest plus exigere pro incommodo se illuc conferendi.

2° Si quis autem non tenetur ad hoc incommodum, cavendum erit, ne plus exigat, quam talis labor aut incommodum aut damnum extrinsecum valeat a parte rei secundum prudentum aestimationem. Secus excessus censetur exactus pro re spirituali *atque adeo simoniam involvit.* Sic qui die festo praeter vehiculum, alimenta et eleemosynam

Missae congruam incommodo, exigit magnam eleemosynam a nobilibus, qui praedio rustico morantur per aestatem.

Id ipsum dicendum est, quando stipendium lege aut consuetudine taxatum pro sustentatione non servetur, sed plus exigatur sine ulla externa ratione. Ratio est, quia quod plus exigitur, non debetur ut stipendium sustentationis, quo solo titulo quidpiam recipi potest; recipitur ergo ut pretium quodammodo ministerii.

Non excusatur igitur a simoniae peccato parochus aut alius curatus, qui augeret per se reditus stolae ac plus exigeret, quam hactenus alii perceperint. Idem dicito de clerico non beneficiato, qui pro Missis, concionibus habendis, funeribus deducendis etc. excederet stipendia ex praxi Dioecesis ac Superiorum approbatione pendi solita. Schmalzgr. l. 5. tit. 3. n. 100. Reiffenst. eod. titulo n. 200.

Non tamen est simonia intendere stipendium, quod pro opere spirituali confertur. Non ergo est simoniacus, qui choro diligenter assistit, tum ne solvat taxam absentiae, tum ut percipiat distributiones. Item qui celebrat Missam, aut se confert ad funera deducenda propter stipendia.

Ratio, quia quod licite accipitur, licite intenditur; quamvis alioquin inordinatus possit esse affectus.

466. Quoad docendam Theologiam valere debet generalis sententia s. Thomae 2. 2. q. 100. art. 3. ad 3.: « Ille qui habet scientiam et non suscepit cum hoc officium, ex quo obligetur aliis usum scientiae impendere, licite potest pretium suae doctrinae vel consilii accipere, non quasi veritatem aut scientiam vendens, sed quasi operas suas locans ».

Ita s. Alph. n. 94. inquiens: « si instructio tendit ad bonum tantum spirituale aliorum, est simonia: quia tunc res spiritualis venditur, pro qua nullum pretium accipi potest... Secus vero si instructio tendit etiam ad aliquod bonum temporale alterius, honorem, oblectationem etc. prout est instructio ad interpretandas ss. Scripturas, ad theologicas conclusiones, ad expugnandas haereses ». Idem dicatur de tradenda pueris doctrina christiana, si haec in scholis pueris tradatur non secus ac elementa reliquarum artium; quia tunc accipitur ut generatim quaedam instructio ac memoriae exercitatio, non ut quiddam spirituale. Vid. Laym. *de Simon.* n. 32. Adde rationem generalem operis et laboris suscepti in gratiam alterius ab eo, qui hoc non debeat praestare ex officio.

Hinc immunis est a labe simoniae mos accipiendi aliquid pro conferendis gradibus Academicis seu licentia docendi.

Quoad consilia vero distingue 1° quando mere et directe tendunt ad bonum tantum spirituale illius, cui traduntur, puta, ait s. Alph. l. c.,

ut moveatur ad poenitentiam et 2° quando rationem habent tantum temporalis instructionis, licet conducant ad tranquillitatem conscientiae aut eius, cui traduntur, aut aliorum. Vid. Laym. n. 30.-32.

LIV. 2. Item Simonia est dare, vel accipere pretium pro absolutione a peccatis, censuris, pro dispensatione in voto, iuramento, impedimento matrimonii, irregularitate etc. Potest tamen in his aliquid exigi per modum mulctae ad causam piam applicandae. Laym. l. c. n. 10.

467. S. Alph. n. 96.: « Accipiuntur solutiones in dispensationibus, in matrimoniis etc. non solum per modum mulctae applicandae ad piam causam, sed etiam per modum sustentationis onerum Pontificatus. Item per modum commutationis, sicut vota commutantur in eleemosynas. Et conceditur etiam Episcopis in talibus dispensationibus accipere aliquid eleemosynis distribuendum (modo ipsis vel suis nihil proveniat) per modum poenae vel commutationis, non autem per modum *sustentationis;* hoc enim vetitum est illis ». Ita s. Doctor et conferre licet *Taxam Innocentianam.* Sed textus allati a s. Doctore non videntur satis demonstrare. Nam cap. 6. sess. 24. Concil. Tridentini solum dicit, Episcopos debere *gratis* absolvere a reservatis et ab irregularitatibus occultis etc. Et cap. *Iacobus* 44. *de Simonia* solum vetat Canonicis, ne negent Canonico recepto partem proventuum vel praebendam, eo quod ille noluerit prandium dare Canonicis iuxta consuetudinem. Salmanticenses tract. 19. cap. 2. n. 37., in eandem rem afferunt can. *Ex multis* 9. caus. 1. quest. 3., in quo nihil est ad rem, sed agitur de collatione beneficiorum.

Addit heic s. Alphonsus, n. 97. simoniam esse dare aliquid, ut alius omittat rem spiritualem, quae *praestatur ex iurisdictione spirituali,* v. gr. ne absolvat a peccatis vel censuris. Nam simoniacum dicitur in cap. *Nemo Presbyteror.* 14. *de Simonia* removere *ob pecuniam* vel *favorem* poenitentem ab reconciliatione. Ratio est, quia etiam ligatum retinere poenitentem vel reum est exercitium spiritualis potestatis, quod exercitium proinde vendis.

Secus autem, si facere actum spiritualem pendeat a libertate: v. gr. omittere orationem, eleemosynam, celebrationem Missae etc. ad quam ex iustitia non tenearis. De hac re vide adnotata a Giraldi ad cap. 14. h. tituli, pag. 574.-575.

LV. 3. Non est simonia dare aliquid ad redimendam vexationem a negante sacramenta in necessitate. Suar. Less. Laym. vel ab inique impediente electionem vel possessionem beneficii, ad quod ius in re habes. Quod addo; quia si nondum habes ius in re, etsi possis redimere vexationem ab eo qui tantum potest obesse, non tamen ab eo qui et prodesse et obesse potest. Ratio est, quia non datur tanquam pretium aequivalens rei spirituali, sed ut alter ad officium rite praestandum inducatur. Nec similiter simonia est, dare stipendium ad sustentationem Clerici etiam divitis pro Missis, concionibus aut de eo etiam

pacisci. Ratio est, quia non datur tanquam pretium spiritualis officii, sed personae in alterius gratiam occupatae nec pro operatione spirituali, ut spiritualis est, sed ut in alterius gratiam suscepta: proindeque non est eleemosyna, sed debitum iustitiae. Suarez, Laym. l. 4. tr. 10. cap. ult. etc. contra Rich, Sylv. etc.

468. De hac re nonnulla superius 436. dicta sunt. Quoad Sacramenta s. Alph. n. 103. q. 5. dicit, ex s. Thoma non licere, *etiam urgente necessitate,* dare pecuniam Sacerdoti nolenti alioquin illa administrare.

Verum non videtur absolute id s. Thomas docuisse. Nam ita habet 2. 2. q. 100. art. 2. ad 1.: « Dicendum, quod in casu necessitatis quilibet potest baptizare. Et quia nullo modo est peccandum, pro eodem est habendum, si sacerdos absque pretio baptizare non velit, ac si non esset qui baptizaret. Unde ille qui gerit curam pueri, in tali casu licite potest eum baptizare vel a quocumque alio facere baptizari. Posset tamen licite aquam a sacerdote emere, quae est purum elementum corporale. Si autem esset adultus, qui baptismum desideraret et immineret mortis periculum nec sacerdos vellet eum sine pretio baptizare, deberet, si posset, per alium baptizari: quod si non posset ad alium habere recursum, nullo modo deberet pretium pro baptismo dare, sed potius absque baptismo decedere: *suppleretur enim ei* baptismo flaminis, quod ei ex sacramento deesset ». Ex quibus patet, s. Thomam eatenus dicere illicitum, quatenus aliud suppetit salutis medium. Atqui ubi suppetit eiusmodi medium, iam tunc non adest absoluta necessitas, cuiusmodi foret v. gr. si instaret mors filii et parentes nescirent modum baptizandi; vel si in mortis periculo quispiam se solum attritum putaret et indigeret absolutione sacramentali.

Ergo s. Thomas non videtur contrarius, saltem quando agitur de extrema necessitate.

Ceterum communis est DD. sententia, quam et s. Alph. ibid. rectam dicit, id licere. Ratio, quia qui dat pecuniam non vult sacramentum emere, sed redimere vexationem, ut inquit s. Alph., permittens ex iusta causa peccatum alterius.

Subdit s. Alph.: « Hinc Diana et Hurtadus dicunt, hoc licere quoad sacramenta baptismi et poenitentiae, ut plures DD. volunt, sed etiam in aliis sacramentis, ut consentit Lessius et non modo in casu *gravissimae* necessitatis,... sed etiam necessitatis gravis,... v. gr. si debes implere praeceptum annuae confessionis et communionis, aut si peteres Viaticum aut Extremam Unctionem, vel esses in peccato mortali, vel etiam carere deberes frequenti usu sacramentorum, denique quoties non posses sine gravi incommodo carere aliquo sacramento ».

Quae, subdit s. Alph., videntur sane cohaerere cum doctrina alias

tradita de scandalo, ubi ex s. Thoma et Augustino et communi statutum est, licere cuique ob rationem notabilis boni sui permittere peccatum alterius, quod ex mera huius malitia provenit.

469. Auctor heic praetermittit alios casus, quibus licet dare spirituale ut obtineam temporale, quod iam debetur mihi titulo iustitiae, sed solum per iniustitiam mihi denegatur: v. gr.

1° Ne amittam proprium creditum seu debitum.

2° Ut servem vitam.

3° Si debitor inique differat debiti solutionem.

4° Ne me quis occidat.

5° Ne quis me infamet.

6° Si impedire velim aliud malum iniuste mihi inferendum Cf. numeros 436. seq.

Convertit autem A. totam controversiam ad casum impediendi, ne quis obstet consecutioni beneficii.

470. Ne autem perperam accipiantur verba Auctoris, qui dicit, posse redimi vexationem ab inique *impediente electionem* vel *possessionem* beneficii, bene advertenda sunt verba = *ad quod ius in re habes* = et rite considerandum est, quomodo hoc principium applicetur diversimode ad *electionem* et ad *possessionem.*

Quae consideratio adhibenda est etiam circa illam sententiam s. Thomae, quam alioquin ceu regulam in hac re Doctores solent proferre et est huiusmodi ex 2. 2. q. 100. art. 2. ad 5.: « Dicendum, quod antequam alicui acquiratur ius in Episcopatu vel quacumque dignitate vel praebenda, per electionem vel provisionem seu collationem, simoniacum esset adversantium obstacula pecunia redimere: *sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam.* Sed postquam ius alicui iam acquisitum est, licet per pecuniam iniusta impedimenta removere ».

S. Thomas memorat tum *electionem* tum *collationem* seu *provisionem.* Et tamen per electionem, *per se loquendo,* non acquiritur *ius in re* quoad beneficium. Idem dicito de textu nostri Auctoris.

Ergo ut sanus et certus sit sensus huius regulae, tenendum est, nomen *iuris acquisiti* seu *in re*, usurpari posse respectu vel beneficii, vel circa quidvis aliud, adeo ut *ius in re* dicatur relate ad illud omne, quod quisque potest iure *suum* dicere. Sic patronus potest *suum* dicere ius nominandi seu praesentandi: Episcopus *suum* dicit ius *confirmandi* seu instituendi et ita electus *suum* et *acquisitum* potest dicere *ius petendi* confirmationem. Generalis ergo regula erit, posse me redimere vexationem ab impediente id, quod *iam obtinui* ac *meum* est, quidquid illud sit, non posse autem circa id, quod nondum obtinui nec *meum* possum dicere: prius dicetur ius quaesitum, aliud ius acquirendum.

Posita hac regula et applicata ad beneficium, Doctores duo statuunt.

1° Si agatur de redimendis molestiis et vexationibus, quae fiunt post ius in beneficio iam quaesitum, huiusmodi vexationem redimens nullam committit simoniam. Ita Theoll. et Canonistae communiter. Ratio est, quia pecunia in hoc casu non datur pro aliquo spirituali (nam hoc iam supponitur esse plane obtentum), sed solum pro cessatione ab iniuria et molestiis, et huc DD. revocant can. *Quaesitum* 4. caus. 1. quaest. 3., et cap. *Dilectus* 28. *de Simonia.*

2° Si vero agatur de redimendis molestiis et vexationibus (Theoll. et Cann. dicunt *vexas*), quae opponuntur ante ius plene acquisitum, v. gr. ad impediendam confirmationem electi, aut institutionem praesentati; tunc DD. aliam adhibent distinctionem, quam et Auctor usurpat, nempe an vexatio et molestiae opponantur ab eo, qui ad beneficii consecutionem *prodesse potest,* an vero ab alio, qui tantum *potest obesse.*

Si prius, redemptio vexae est simoniaca. Ratio est, quia qui non habet ius spirituale, quod acquirere intendit, licet redimendo vexationem pecunia, immediate non det pecuniam pro re spirituali, sed pro vexatione, hanc tamen mediante pecunia removendo, vult sibi parare viam ad rem spiritualem, quam non habet; quod cum unice sit pretio aestimabile (scil. sternere sibi illam viam) propter rem spiritualem, ita redimens vexam, censetur emere velle rem ipsam vel ius illud spirituale, quod acquirere cupit. Et confirm. ratione adhuc clariori. Nam impetrare in casu pecunia ab iniuste vexante, ut impedimentum removeat, perinde est ac petere ut eligat vel conferat beneficium; nam vexatio illa consistit in *iniusta* negatione debitae vel *electionis* vel *confirmationis* vel *institutionis: negatio* autem ista non tollitur nisi per actum contrarium, qui in casu foret ipsa confirmatio seu institutio. Igitur dare pecuniam pro redimenda vexa huiusmodi, idem est ac dare pro ipsa confirmatione aut institutione, quod est simoniacum saltem contra ius positivum ecclesiasticum. Schmalz. n. 136.

Si autem posterius locum habeat, nempe si vexent illi, qui solum possunt obesse, redemptio a vexatione non erit simoniaca, ut habent DD. communiter. Ratio est, 1° quia talis redemptio nullo iure prohibetur; ergo non est contra ius ecclesiasticum, vi cuius evadat simoniaca: 2° quia sic redimens, tantum removet iniuriam, viam autem ad beneficium non facit expeditiorem, quam fuerit ante oppositionem impedimenti: 3° quia ius, quod hoc casu intendo per redemptionem vexationis, non est ius primum quaerendum, sed iam quaesitum. Habeo enim ius quaesitum, ut mihi non fiat vis et iniuria, seu ut alter me non impediat, v. gr. a concursu ad examen, a petenda electione aut

confirmatione aut institutione etc. et ad hoc liberum conservandum do pecuniam sicque nihil aliud emo, quam iuris istius immunitatem. Quod autem postea consequar ius in beneficio per institutionem aut confirmationem, respectu illius redemptionis aut cessationis a violentia est per accidens; cum ex ea per se non dependeat neque ex illa sequatur ius in beneficio, sed hoc libere a Collatore tribuatur. Schmalz. n. 137.

471. Atque ex postrema hac ratione patet, cur s. Thomas non adhibeat distinctionem, num agatur de vexatione redimenda illius qui solum obesse, an vero illius qui et prodesse potest, sed absolute et universim dicat, quoad ius acquirendum, non licere redimere vexationem.

Etenim in casu nostro *prodesse* posse dicuntur illi, ad quos spectat collatio iuris, quod acquirere cupio, v. gr. electores relate ad electionem, patroni relate ad praesentationem aut nominationem, collatores relate ad collationem seu provisionem, superior relate ad confirmationem seu institutionem et prosunt *eligendo* aut *praesentando* aut *confirmando* aut *instituendo* etc.

Cum ergo vexatio ex parte istorum in eo consistat, ut (etiam, si vis, iniuste) negent actum, qui ad eos spectat, eligendi aut confirmandi etc., manifestum est, redemptionem vexationis ferri ad hoc, ut ipsi tribuant mihi ius, quod non habebam. Ergo redemptio vexationis versatur circa ius acquirendum, non autem ius quaesitum.

Ergo distinctio s. Thomae, quod liceat redemptio a vexatione, quando agitur de iure iam acquisito, non liceat vero, quando agitur de iure acquirendo, adaequata est, et subdistinctio (sup. 470.) ab aliis superinducta prorsus supervacua videri potest; quippe quae in secundo membro repetit distinctionem, quae iam in priori distinctione continebatur.

Causa autem inutilis huius subdistinctionis inde fuit, quod ambitum generaliorem et ampliorem *iuris iam acquisiti* restrinxerunt ad *ius in re* quoad beneficium et id forte ob exempla allata a s. Thoma *episcopatus, praebendae, dignitatis;* quando e contrario ius quaesitum amplectitur etiam plura alia, quae innuimus n. 470. et vide in fine ad 3m *ration.*

Ergo tota doctrina ista merito ad formam simpliciorem reduci potest: redemptionem vexationis licere, quando vexatio impetit ius quaesitum, non licere, quando impetit ius acquirendum.

Atque hinc solvitur alia quaestio, quam sic DD. proponunt, an quod dicitur licere cum *extraneo* (scil. cum eo qui solum obesse potest) extendi possit ad casum, quo ipse elector vel collator aliquem vexat. Respondent enim (Schmalzgr. n. 138.) id licere, si vexet non *formaliter*

et qua talis, scil. negando suum suffragium, institutionem, confirmationem, sed *materialiter* et ut quivis alius privatus, v. gr. iniuste diffamando aut coelectores et alios collatores iniuste avertendo, ne suffragium pro aliquo ferant; nam in hoc casu, inquiunt, si pecunia detur pro redemptione talis vexae iniustae, simonia non incurritur; quippe est redemptio iniuriae, quam quis sustinere non tenetur.

At non opus erat quaerere vexationes *formales* et *materiales;* satis erat distinguere iura acquisita et acquirenda. Nam ne alius me inique infamet, quisquis ille sit, est ius acquisitum: ut vero cessando ab odio me eligat, est circa ius acquirendum.

472. Hinc quoad redimendam vexationem, ex communi DD. sententia, necessariae sunt sequentes conditiones, quas alii, ut s. Alph. nn. 98.-100. ad pauciores revocant.

1ª Ius, quod pecuniis contra iniustam vexationem tueor, debet esse certum, saltem secundum commune iudicium peritorum; alias non est ius simpliciter habitum seu acquisitum.

Hinc certe committit simoniam ille, qui cum videat electionem suam posse impugnari, aut posse litigiosum fieri beneficium sibi collatum, illis qui aut electionem impugnare aut litem circa beneficium movere contendunt, dat pecuniam, ut ab impugnatione seu lite desistant. Est doctrina commun. apud Schmalzgr. lib. 5. tit. 3. n. 139. Ratio est, quia in casu iste non impugnatur quoad ius acquisitum; acquisitum enim non est ius, quod non est firmum. Ergo si mediante pecunia avertit impugnationem, non defendit ius *suum* quaesitum, sed parat sibi viam ad id, quod non habet, scil. ad illud acquirendum certe, vel saltem ad acquirendam firmitatem ipsius. Est autem hoc ius spirituale; ergo per temporale sibi parat viam ad acquirendum spirituale.

Secus dicendum foret, si ius quidem non foret omnino certum; ille tamen, qui impugnat, utatur malis artibus, mendaciis et subornationibus testium. Nam ab hoc liceret redimere per temporalem vexam; cum revera iniusta sit et redimens ius certum et quaesitum habeat ad exigendum a quovis, ne malis artibus impugnetur. Schmalzgr. lib. 5. tit. 3. n. 135.

2ª Vexatio, quam quis vult redimere, debet esse iniusta. Nam si iuste turbatur, v. gr. quia dubium est, an electio, collatio etc. fuerit legitima, proprie non patitur vexationem; proinde non tam redimit vexam, quam ipsum ius, *quod non habet,* sibi comparat, aut saltem illius firmitatem. Schmalz. lib. 5. tit. 3. n. 140.

3ª Res quae datur pro illicita vexatione, debet esse temporalis. Nam si daretur spiritualis, committeretur simonia; quia daretur pro

re temporali, scil. pro ablatione vexationis, quae certe est res temporalis. Schmalz. ibid. n. 140. Haec animadversio est abs re; quia si vexatio est iniusta, ego dando rem spiritualem non impono novam obligationem. Vid. sup. n. 436.

4ª Non debet superesse alia via ad vexationem tollendam, v. gr. adeundo iudicem et ius suum via iuris defendendo. Nam si suppetat alia via se liberandi a vexa pecunia istam redimens, illicite ageret, non quidem committendo simoniam (quia adhuc daret temporale pro temporali), sed contra caritatem et peccato scandali; quia cooperaretur peccato alterius, dando pecuniam, quam alter non potest licite accipere. Schmalz. n. 140. Adderem tamen conditionem — nisi gravia incommoda exspectanda forent, si via iuridica ineatur.

5ª Ius, quod iniuste impugnatur, debet esse plenum. Hinc si quis in beneficium plenum ius nondum acquisivit, ex. gr. si tantum est praesentatus, nondum vero institutus, aut electus, sed nondum confirmatus etc. et in hoc suo iure iniuste vexatur; secundum Innoc. Abbatem et alios, non posset hic redimere vexationem. Sed melius huic quoque conceditur redemptio iniustae vexae, respectu iuris, quod iam obtinet; quia ius huiusmodi personale aeque certum est, ut ponitur, quam illud reale, quod acquiritur per confirmationem aut institutionem, et praeterea videtur eadem esse ratio; nam redimens vexationem etiam in casu nullum novum ius acquirit, sed tantum tuetur quod habet, removendo obstaculum iniuste positum. Ita Schmalzgr. lib. 5. tit. 3. n. 141. et optime quidem.

473. Quaestio sit, an liceat redimere vexationem impedientis adire possessionem beneficii iam legitime collati.

Resp. Communior et probabilior sententia affirmat (Vid. Schmalz. lib. 5. tit. 3. 143., et s. Alph. lib. 3. n. 99.). Ratio quia non redimitur nec acquiritur ius beneficii, sed factum possessionis, quae est apprehensio rei corporalis mihi iam debitae seu *meae*.

Si alius non quidem vi aut fraude, sed precibus et muneribus propter odium, quod gerit contra me, impediat aut electionem aut praesentationem aut confirmationem etc., plures doctores (et quidem *recte* iuxta s. Alph. n. 101.) affirmant, licere redimere pecunia hanc molestiam. Ratio quia si licet dare pecuniam, ut alter cesset me vexare contra iustitiam, licebit dare, ut cesset vexare contra caritatem; et reipsa vexationis illius sublatio non est ius ad spirituale nec sic via aperitur ad spirituale, aut certe *valde remote* sternitur via ad spirituale.

Addit s. Alph. n. 102. licere dare pecuniam alicui, ne iniuste aut contra caritatem se opponat electioni meae, etiam si nesciam, ele-

ctores esse propensos ad me eligendum. Reipsa haec resolutio est consectarium speciale generalioris resolutionis praecedentis et Salmanticenses *de Simonia* c. 3. n. 14. ideo solum se opponunt, quia perperam intellexerunt aliorum doctrinam, qui de alio casu loquebantur et hac sola auctoritate falso apprehensa contra pugnant.

474. Additur quaestio, an liceat dare pecuniam electoribus, ne eligant indignum.

Resp. s. Alph. n. 103. licere, quando constat, electores aut paratos esse aut propensos ad indignum eligendum. Ratio, quia id fit ob zelum boni Ecclesiae, quae ius habet quaesitum, ne ministri indigni sibi dentur.

Item dicunt plures, apud s. Alph., licere dare pecuniam etiam ut eligatur dignus seu dignior, sed *in communi*, non vero ut eligatur aliquis dignus aut etiam dignissimus in particulari. Excipe nisi unus inter omnes dignus inveniatur, quem electores nollent eligere.

At in hoc casu electio semper foret simoniaca ex parte eligentium, atque adeo nulla et oporteret petere confirmationem a summo Pontifice.

Ceterum, ut advertit Schmalz. n. 146., vix vitatur simonia, quia pecunia data ad removendum indignum videtur habere pro fine ut eligatur alius, quem dans pecuniam directe intendit.

Praeterea datio pecuniae ad removendam indigni electionem non licet, si huic incommodo provideri possit alia via, v. gr. per recursum ad Superiorem. Ratio est, quia licet non sit simoniaca ex parte dantis haec solutio, est tamen illicita; quia eam recipientes vere committunt simoniam, eo quod sine causa dant spirituale pro temporale; porro qui dat sine necessitate (quia posset ad superiorem recurrere), cooperatur alterius peccato, ut superius n. 472. notatum est(Vid. Schmalz. nn. 146.-148.).

Quidam, apud s. Alph. n. 103. q. 4., dixerunt, licitum esse dare alteri pecuniam, ut desistat concurrere ad beneficium, quod quis optet habere; quia, inquiunt, non emitur quid spirituale, nec alius desistendo quidquam positive confert ad acquirendum beneficium.

S. Alphonsus consentit iis, qui affirmant, haec dici contra communem sententiam: quippe communiter docent Theoll. tunc solum licere redimere vexationem cum est iniusta; alias per pecuniam via sternitur ad assecutionem beneficii.

475. * Quoniam inter res sacras locum non infimum tenent reliquiae SS., constat eas vendi haud posse aut emi cp. *Cum ex eo, de Reliquiis et vener. SS.* et S. R. C., apud Ferraris v. *Veneratio SS.* n. 66., declaravit reliquias nullius esse in bonis. Nihilominus si quis

impius iniuste detinens SS. reliquias, eas esset certe profanaturus aut proiecturus, nisi pretio soluto velis eas emere, vel si idem urnam pretiosam reliquias continentem venum exponeret et periculum certe foret, ne, urna empta a Iudaeo, reliquiae dissiparentur, nisi tu pretio soluto praeoccupes hoc facinus, easdem redimendo; videtur profecto id tibi licere, non ut emas reliquias, sed ut redimas iniustam vexationem seu detentionem: si praesertim periculum sit in mora nec tibi sit integrum rem deferre ad ecclesiasticam auctoritatem, cuius proinde negotium gereres, redimendo reliquias.

Verum obstare videtur decretum Leonis XIII. 21. decemb. 1878. « Abhinc nonnullis annis, suffragantibus rerum ac temporum adiunctis, abusus irrepsit, ut homines catholicae fidei osores et turpis lucri avidi sacras reliquias undequaque exquisitas et arreptas et authenticitate pollentes, Romae potissimum, magno fidelium et maxime advenarum scandalo vendere non erubescant ».

« Id cum SS. D. N. Leoni PP. XIII. innotuerit, eadem Sanctitas sua volens huic malo occurrere et simul ss. Reliquiarum, quantum fieri potest, recuperationi studere, sacrorum canonum statutis inhaerens districte praecipit, ne Christi fideles, sub quolibet praetextu, etiam redimendi ss. reliquias et ss. exuvias, licet capsula reconditas et sigillo munitas, tam in Urbe, quam extra, emere aut mercari praesumant. Insuper mandavit, ut quicumque sacras reliquias, quae venales prostent, invenerit, locorum Ordinarios commoneat, quorum intererit opportune providere ».

Resp. nostram hypothesim esse diversam: nos non loquimur de eo, qui emit ss. Reliquias, sed qui solum redimit iniustam vexationem seu detentionem absque ullo animo emendi seu comparandi sibi: Pontifex canonibus inhaerens loquitur de eo, *qui emit,* sub quolibet utique praetextu, etiam redimendi: praetextus vero est velamen, quo quis ad agendum se moveri simulat, cum tamen alia causa moveatur. Porro quaelibet emptio harum rerum iuxta Canones est illicita. Si vero periculum non sit in mora, monendus erit Ordinarius, quemadmodum Pontifex praecipit nihilque praeter eius voluntatem agendum. *

Pro reliquis, quae spectant ad hanc Resol. 3^{m}, satis esse queunt, quae dicta sunt superius n. 461. seqq.

LVI. 4. Non est simonia reddere vel redimere pensionem mere temporalem; quia non fundatur in titulo spirituali nec refertur ad functionem spiritualem. Dixi *temporalem;* quia spiritualis, quae datur v. gr. concionatori vel coadiutori Episcopi propter officium Ecclesiasticum in eoque fundatur nec differt a beneficio, nisi quod non sit perpetua, vendi nequit: mixta vero, ut v. gr. quae datur Parocho seni vel Clerico pauperi ad sustentationem, non quidem vendi potest, redimi tamen potest, modo obligatio recitandi Officium B. V. imposita non extinguatur. Quod intellige, si in loco, ubi fit venditio,

Bulla sit recepta. Ratio est, quia qui pensionem redimit, non emit ius spirituale, sed extinguit onus temporale solvendi certam summam pecuniae. Less. c. 35. dub. 21. Suar. c. 26. n. 5. Laym. l. c. n. 46.

476. Pensio, sic dicta a pendendo, est ius percipiendi portionem aliquam fructuum ex beneficio alieno, alicui iusta de causa sive ad tempus sive in perpetuum concessum. Schmalzgr. lib. 3. tit. 12. n. 2. tom. V. pag. 467.

Pensio temporalis seu laica dicitur, quae datur ob ministerium temporale et laico etiam conferri potest: qualis est, quae datur ecclesiae patrono in recognitionem fundationis, defensori eiusdem, oeconomo, procuratori, aedituo, cantori et similibus ecclesiae ministris vel alias de ea benemeritis in remunerationem laborum, quae pensio tamen desumitur ex proventibus ecclesiasticis, citra titulum spiritualem, Schmalzgr. ibid.

Clericalis vero seu ecclesiastica dicitur, quae in pensionario, seu illo, cui conceditur, statum clericalem exigit. Et haec duplex distinguitur: alia est *simpliciter spiritualis*, quae datur clerico ob ministerium spirituale: alia *media* seu *mixta*, quae fundatur quidem in statu clericali et ideo solis clericis dari potest, non tamen propter ministerium spirituale confertur, sed ob aliam causam, v. gr. parocho seni aut alteri clerico pauperi ad necessariam vel commodiorem sustentationem: vel illi, qui pingue beneficium cum tenuiore commutavit vel resignavit in favorem alterius, vel cessit lite beneficiaria etc.

Itaque pensiones temporales, ex communi sententia, vendi possunt sine vitio simoniae. Ratio, quia postquam legitima auctoritate separatae sunt a spirituali titulo beneficii, nec spirituale quid sunt neque adnexum spirituali neque ad functionem spiritualem ordinantur et consequenter non sunt materia simoniae. Laym. n. 46. q. 3.

Quoad spirituales vero, quae dari debent v. gr. ab Episcopo suo coadiutori, vel ab Episcopo aut a capitulo dari debent illi, qui munus obit concionatoris aut confessarii aut datur cappellano seu coadiutori Parochi aut ad serviendum tantum in choro et officiis divinis, uti sunt chori vicarii; communis est doctrina, has vendi non posse a pensionario sine vitio simoniae. Ratio est, quia talis pensio, non minus quam beneficium ecclesiasticum, fundatur in spirituali officio; adeo ut qui vendit, vendere censeatur etiam spiritualem titulum. Hoc tamen intelligitur, si simul cum pensione vendat officium. Nam si pensionarius retineat officium spirituale, nihil vetat, quominus pensionarius possit eam locare aut vendere. Laym. n. 47. et Suarez *de Simonia* cap. 26. n. 17.

Redimi ergo ius pensionis non potest; quia eo ipso extingueretur obligatio pensionarii: supponitur autem haec manere debere, ut prae-

stetur adnexum spirituale officium. Quod si pensionarius tamen retineret suam obligationem, possent redimi fructus *triennii,* sicut et per triennium elocari; quia in tali casu non iam pensio seu ius pensionis, sed soli fructus redimerentur, quod fieri absque simoniae vitio potest (sicut et in locatione beneficiorum); quia fructus sunt mere temporales et a titulo spirituali separabiles. Schmalzgr. lib. 3. tit. 12. n. 35.

477. In pensione mixta distinguendum est inter ius antiquum et stylum Curiae romanae. Spectato iure antiquo, talis pensio sine simonia tam redimi quam vendi potest. Ratio, quia pensiones huiusmodi dantur solum propter causas temporales et alimenta et sunt spirituales tantum subiective, quatenus solis personis ecclesiasticis conferuntur et aliquando propter officium spirituale praeteritum tanquam conditionem, sine qua non darentur. At de stylo Curiae romanae pensiones huiusmodi vendi non possunt absque Pontificis venia et vendens punitur ut simoniacus. An vero redimi sine auctoritate Apostolica possint, dissident DD. Alii affirmant, modo non praecesserit ante resignationem (si hic sit casus) pactum de pensione constituta redimenda et modo non tollatur per hoc obligatio recitandi officium B. V., ubi Constitutio Pii V. recepta est; quia sic non tam videtur ius spirituale exstingui, quam vendi fructus anticipata solutione. Verum Fagnanus cum aliis innumeris volunt, fieri id non posse absque dispensatione Apostolica.

Ceterum plura alia, quae de pensionibus disputari possunt, sc. quis possit eas imponere, in quibus beneficiis possint constitui, quibus concedi possint, quae sint onera pensionariorum, num et quomodo trasferri in aliam personam possint, quot modis queant extingui etc., omittimus utpote ad Canonistas spectantia. Vid. Schmalzgr. in lib. 3. tit. 12. tom. 5. a pag. 406. Certe in Cappellaniis laicalibus nequit intercedere simonia. Lucidi v. 3. p. 527. Schmalzgr. de Simonia 226.

LVII. 5. Non est simonia iuris divini (etsi quandoque iuris humani esse possit) spirituale cum spirituali permutare, v. gr. beneficium pro beneficio, reliquias cum reliquiis etc. vel dare temporale pro temporali, ut si calicem, vel agnos Dei praecise ratione materiae vendas: vel dare temporale pro spirituali, per modum doni gratuiti, etiam cum spe vel intentione excitandi ad remunerationem doni spiritualis vel contra. Ratio est, quia gratitudo non respicit pretium, sed beneficium nec solvit debitum iustitiae, sed antidorale: quo non excluditur, quin gratis detur. Recte tamen monet Suarez, huiuscemodi dona ob praesumptionem valde cavenda. Item donare, promittere vel negare temporale quippiam, sub conditione operis spiritualis praestandi, modo non fiat per modum retributionis seu commutationis: v. gr. si parens filio promittat munus, si Sacramenta frequentet. Ratio est, quia hic non intervenit contractus onerosus, sed sistitur vel in liberali donatione, vel donatione sub tali conditione et modo. Suarez l. 4. c. 45. Laym. l. c. n. 8.

478. Quod permutatio rei spiritualis cum spirituali non sit simonia, iuris divini, scil. naturalis, facile patet; nam malitia simoniae in eo

consistit, quod spirituale veniat in aestimationem cum re temporali. Atqui hoc in casu non fit, quo unum spirituale datur pro alio spirituali.

Quocirca spectato solo naturali seu divino iure permutari beneficia quoque possent propria auctoritate. Schmalzgr. lib. 5. tit. 1. nn. 122. 123.

Addit Busemb. = *quandoque intercedere simoniam iuris ecclesiastici* = Et quidem fuerunt DD. nonnulli, qui simoniacam habuerunt quamlibet rerum spiritualium permutationem, obtendentes cap. fin. *de Pactis*, ubi tamquam simoniaca reiicitur omnis pactio circa rem spiritualem.

Sed tenendum, rem vere spiritualem, extra materiam beneficialem et cum beneficiis connexam, per se rationem pretii simoniaci non habere respectu alterius rei spiritualis. Ita communis DD. Et allegato *cap. final.* respondendum, ibi intelligi interdictas pactiones inhonestas, cuiusmodi non est, qua spiritualis mutatur cum spirituali *extra materiam beneficialem.*

Proinde absque simonia vel simoniae committendae periculo commutari propria auctoritate possent reliquiae pro reliquiis, functio spiritualis pro alia functione spirituali, vasa et vestes sacrae pro aliis huiusmodi vasis et vestibus, quae quoad materiam sint eiusdem valoris.* Quid si res essent ordinis diversi, ut si commutatio fieret absolutionis sacramentalis cum reliquia aut veste sacra? Cum in eodem ordine non sint eiusdem valoris et dignitatis, nonne iniuria fieret excellentiori? Verum manet semper eadem ratio: non intercedere simoniam; quia non commutatur res spiritualis cnm pretio corporali. *

479. Dicitur praeter materiam beneficialem. Nam simoniacum est beneficia permutare propria auctoritate. Aberit autem simonia, si auctoritate legitimi superioris interveniente fiat permutatio.

Et quidem auctoritatem beneficiorum permutationi praestare potest 1° Summus Pontifex; nam hic concurrentem cum omnibus Episcopis et Ordinariis iurisdictionem habet. Imo solus Pontifex id potest, quando beneficia utcumque sint sedi Apostolicae reservata.

2° Episcopus *proprius loci,* in quo beneficium situm est. Et si duo beneficia permutanda sint duobus episcopis subiecta, concurrere debet utriusque auctoritas. Nomine autem Episcoporum heic veniunt etiam Praelati, qui distinctum habent territorium ab Ordinarii iurisdictione exemptum. Vid. Schmalzgr. lib. 3. tit. 19. n. 65. seqq.

480. Dicit Busemb. non esse simoniam quidpiam dare temporale per modum doni gratuiti.

Porro ad cognoscendum, an munus aliquod temporale habeat rationem pretii simoniaci, an non, sequentes circumstantiae considerari debent. Schmalzgr. lib. 1. tit. 3. n. 149. seqq.

Et pro foro quidem conscientiae res caret difficultate; nam in hoc foro attenditur cuiusque conscientia et inspicitur eius mens et intentio.

In foro autem externo considerandum est.

1° An pactum intercesserit. Nam si intercessit pactum, maior est praesumptio simoniae, quam cum simpliciter quidpiam temporale datum est; quia ss. Canones valde improbant pacta in huiusmodi negotiis, quamvis etiam interdum pacta honesta fieri possint sine simonia, ut ad redimendam vexam, ad compensandum accidentalem et extraordinarium laborem, ad securitatem stipendii etc.

2° Considerandum est, an in tali largitione intervenerit aliqua causa, ob quam datio temporalis cohonestari et excusari a simonia possit. Nam si talis causa subsit, praesumi simonia non debet, nisi aliae circumstantiae et coniecturae moraliter ad id cogant; quia in dubio tenemur alterius facta in meliorem partem interpretari, si factum talis interpretationis sit capax. Huiusmodi causa honesta et titulus esse potest vel ratione gratuitae donationis vel ex obligatione iustitiae vel ex lege aut consuetudine.

3° Consideranda est persona dantis et accipientis: nam nobilitas, consanguinitas, specialis amicitia, honestas morum etc. in dante vel accipiente est signum donationis gratuitae.

4° Consideranda est quantitas rei temporalis datae. Nam si modici pretii sit, pro nihilo reputatur; quia non est verisimile, illud dari tanquam pretium pro re tam praestante. Secus, si res sit magni pretii, licet sit magni pretii tantum respective ad dantem vel accipientem.

5° Considerari debet occasio dationis. Nam si fiat urgente aliqua necessitate, quia is, cui datur, heic et nunc tali re indiget, censetur potius data ex liberalitate et ad necessitatem sublevandam.

6° Denique consideranda est circumstantia temporis, nempe an munus temporale detur ante receptionem spiritualis, vel immediate post illam, an vero ex intervallo. Nam si ante receptionem, vel in ipsa receptione aut immediate post eam fiat, res temporalis non ita facile praesumitur data ex mera liberalitate, sed potius ex obligationis necessitate. Secus si datio fiat ex intervallo; tunc enim facilius praesumitur facta ex liberalitate et gratitudine.

Quoad ea, quae habet A. in fine, de donatione, promissione, legato, sub conditione operis spiritualis, dictum est n. 436. 5.

ARTICULUS II.

De Poenis Simoniae.

LVIII. Resp. 1. Sola Simonia Confidentiae et Realis in Ordine, Beneficio Ecclesiastico et Religionis ingressu poenas iuris ipso facto inducit: licet ob ingressum religionis raro incurratur, ut dictum est, vel ob tenuitatem monasterii vel contrariam consuetudinem receptam. Suar c. 56. et 57. Les. d. 23. Laym. l. c. §. 7.

481. Sermo est de poenis, quae vi ss. Canonum simoniae crimini infliguntur. Et quidem confessario necesse est praesertim nosse, quae ipso facto incurrantur, quae dici solent latae sententiae. Nam nosse poenas, quae sunt ferendae sententiae, spectat ad iudices ecclesiasticos ac proinde ab iis heic abstinemus.

Prima responsio duas habet partes. Prior est potissima et paucis multa eaque gravissima continet: *Sola simonia confidentalis et realis in ordine, beneficio ecclesiastico et Religionis ingressu, poenas iuris ipso facto inducit* ». Deinde posterior pars innuit, cur raro poenae incurrantur ob ingressum Religionis: qua de re quid nunc tenendum sit, mox dicemus.

Itaque primo revocatis huc tribus seu quatuor simoniae speciebus, statuendum est, poenas istas non tangere reos simoniae mere *internae*, quam aliqui dixerunt *mere mentalem*, quae scilicet consistit in nudo proposito committendi crimen simoniacum, licet nihil exterius agatur: quam tamen simoniae mentalis partitionem alias diximus huc nihil spectare. Vid. sup. 445. seq.

Sed neque tangit reos simoniae *mentalis*, prout communiter haec solet intelligi, videlicet, cum quis, nullo intercedente pacto neque expresso neque tacito, dat spirituale pro temporali aut viceversa, cum perversa intentione obligandi alium. Est communis doctrina.

Ratio est, quia nulla in iure huic simoniae poena infligitur. Imo nec expediebat poenam constitui. Quia cum mere *interna* consistat in actu seu proposito prorsus interno et occulto, *mentalis* autem prodeat quidem in externum actum dationis vel receptionis rei temporalis pro spirituali aut viceversa, intentio tamen prava, per quam reatus simoniae incurritur, occulta sit, quia fit sine pacto; palam est, Ecclesiae potestatem externam non posse de ea cognoscere et idcirco parum expedire ut ipsi infligatur poena. Schmalzgr. lib. 5. tit. 3. n. 244.

482. Nulla item iuris et facti poena incurritur per simoniam mere *conventionalem* (conventionalem autem intelligimus, prout distingui a confidentiali solet), videlicet quae continet quidem pactum aut expressum aut tacitum, sed adhuc non perfecta est traditione pretii nec rei spiritualis: utut sic delinquentes arbitrïo iudicis coerceri debeant;

sed heic loquimur de poenis iuris ipso facto incurrendis. Est doctrina communis. Schmalzgr. lib. 5. tit. 4. ibid. n. 245.

Ratio est, quia ss. Canones, qui poenas constituunt simoniacis, utuntur verbis, per quae denotantur non purae conventiones, sed actus ab ipsis procedentes, uti sunt datio ac receptio pretii, ordinatio, electio, confirmatio etc., prout constat ex textibus passim obviis. Poenales igitur eorum dispositiones non debent extendi ad simoniam, quae non habet coniunctam dationem seu receptionem rei temporalis pro spirituali, uti fert trita regula iuris 15. in 6º.: « Odia restringi, favores convenit ampliari »: et regula 49.: « In poenis benignior interpretatio est facienda ».

Excipitur tamen cum Fagnano in cap. *Nobis* h. tit. lib. 5. n. 13. simonia conventionalis in electione Summi Pontificis. Nam ex ratione speciali, ut eo sanctius haec celebraretur, Iulius II. Constit. *Cum tam divino* poenas statuit in *dando* vel PROMITTENDO vel *recipiendo* pecuniam.

Item non incurruntur poenae per simoniam conventionalem mixtam quando videlicet traditio nondum locum habuit ex utraque parte, sed solum ex alterutra.

Et quidem communis est doctrina, hasce poenas non incurri, quando facta pretii traditione, nondum est tradita res spiritualis. Et DD. afferunt rationem; quia solius pretii traditione nondum spirituale contrectatum est irreverenter.

Non idem dici posse, quidam autumant, quando facta sit traditio rei spiritualis; has enim poenas incurri quidam DD. censent, maxime propter textus iuris, in quibus decernitur poena contra ordinationes aut electiones factas, *pecunia data*, vel *promissa*. Vid. Schmalz. lib. 5. tit. 3. n. 247.

Verum alii plures negant, etiam hoc casu poenas illas incurri et hanc doctrinam communiter receptam testatur Reiffenstuel lib. 5. tit. 3. n. 239.; qui praeterea ostendit ibid. nn. 240. 243., textus iuris obiectos non esse efficaces ad contrarium suadendum. Et miror, Schmalzgrueber lib. 5. tit. 3. nn. 247. 249. qui postea scripsit, non satis accurate exhibuisse aut innuisse responsiones Reiffenstuel.

Hinc est, quod hanc sententiam in praxi tutam fateantur et illi, qui oppositam volunt esse probabiliorem. Vid. Schmalzgr. lib. 5. tit. 3. n. 248.

483. Multo vero minus incurruntur poenae ob simoniam fictam, ut contingere maxime posset in *confidentiali*.

Ficta dicitur simonia, quando exterius fit promissio rei temporalis pro spirituali, aut spiritualis pro re temporali, sine intentione im-

plendi promissum aut se obligandi: quae quidem fictio intercedere potest in quolibet contrahentium, aut etiam in utroque. Suarez *de Simon.* cap. 42. n. 1.

Circa hoc tria sunt certa. 1° in eo casu committi simoniam saltem mentalem ab eo, qui vere habet animum praestandi temporale pro spirituali aut viceversa: 2° etiam alterum, qui talem animum non habuit, peccare graviter; nam dum ficte promittit, perniciose, scandalose, imo et sacrilege mentitur atque alium inducit ad simoniam: 3° eundem, qui ita ficte promisit et pactus est, in foro saltem externo haberi pro simoniaco, donec probaverit fictionem; nam opus simoniacum exterius posuit et intentio operantis praesumitur esse conformis operi externo. Schmalzgr. lib. 5. tit. 3. n. 49.

An vero pactio illa ficta vere sit simoniaca, affirmaverunt quidam cum Navarro, apud Suarez l. c. cap. 42. nn. 2. 3. et Schmalzgr. lib. 5. tit. 3. n. 50.; sed communis sententia est, a ficte paciscente nullam incurri simoniam. Ratio, quia ad simoniae crimen incurrendum requiritur animus emendi spirituale pro temporali aut vicissim: atqui talis animus abest a ficte paciscente.

Exinde ille, qui ficta huiusmodi promissione consequutus sit beneficium, retinere illud poterit, modo a legitimo collatore illud acceperit.

Navarrus ad suam sententiam tuendam, argumentatur ex eo, quod si quis pro beneficio obtinendo promitteret centum aureos, intentione tradendi illos fictos ex aurichalco, veram simoniam conventionalem committeret et si reipsa hos fictos aureos solveret, consummaretur simonia realis; quia reipsa datur et accipitur pro spirituali aliquid temporale, licet hoc non sit tale, quale a recipiente putatur; hoc enim, inquit apud Suarez l. c. cap. 42. n. 3., necessarium non est ad veram simoniam; quia in quocumque utili pretio committitur. Et concedere id videtur Suarez, qui ibid. n. 6. scribit: « Exemplum Navarri non est simile, quia in illo intervenit vera intentio solvendi saltem aliquid pretii, quod, licet sit quid minimum et vile respectu pretii promissi, sufficit ad veram simoniam.

Verum non respuerem, si quis negaret, etiam in hoc casu intervenire realem simoniam. Ratio, quia qui fictos aureos dat, hic non censetur dare pretium neque habuisse intentionem dandi pretium, etiam minimum; sed censetur voluisse fictis illis aureis fraudem tegere et perinde foret, ac si quis obtinuisset beneficium promisso chirographo seu scheda bancaria et dein quasi impleturus id, quod ficte promisit, daret schedam seu chirographum falsatum, quod a nemine recipitur.

Superest ergo, ut poenae incurrantur 1° ob simoniam realem et

quidem solum in ordinibus, in beneficiis et in ingressu religionis: 2° ob simoniam confidentialem, quae locum habet in sola materia beneficiaria.

LIX. Resp. 2. Ob simoniacam collationem et susceptionem Ordinum, etiam primae tonsurae, incurritur excommunicatio et suspensio Papalis. Less. d. 24. Laym. l. c. (a).

484. Additur poenis ordinantis interdictum ab ingressu Ecclesiae: s. Alph. n. 109. Inter poenas contra simoniace ordinatos erat olim etiam inhabilitas seu suspensio a spe ascendendi ad ordines superiores. Const. Sixti V. *Sanctum* §. 3.

Porro cum *suspensio a spe ascendendi ad Ordines superiores* non sit proprie censura, sed potius *irregularitas*, idcirco haec in suo robore manere videtur. Per Constitutionem enim *Apostolicae Sedis* sublatae utique sunt censurae omnes, praeter eas, quas ibi Summus Pontifex vigere declaravit et statuit; at quoad alias poenas, quae proprie *censurae* nomine non veniunt, nihil in ea Constitutione decretum aut innovatum est. Si tamen crimen sit occultum, poteritne ab hac irregularitate dispensare etiam Episcopus ex cap. *Liceat?* Negandum videtur; nam Sixtus V. quoad poenas huic crimini inflictas, facultati a Trid. Synodo Episcopis factae *dispensandi* in irregularibus ob crimen occultum derogavit. Excipietur, nisi Constitutio alicubi recepta usu non sit.

LX. Resp. 3. Ob simoniam Realem in beneficio Ecclesiastico incurritur 1. excommunicatio Papalis: 2. irrita est electio, praesentatio, confirmatio et institutio. Unde talis non facit fructus suos idque etiam, licet a tertia persona taliter provisus id ignoraverit, nisi tamen contradixerit, vel nisi a tertio data fuerit pecunia per fraudem, ut redderetur inhabilis, vel nisi bona fide possederit beneficium per triennium. Less. l. 2. c. 35. d. 31. Laym. l. 4. t. 10. cap. ult. Bon. d. 1. q. 7. p. 2. n. 20. ex Gom. Garz. etc. 3. Efficitur inhabilis ad idem beneficium, etiam per dispensationem Episcopi obtinendum, aliis tamen beneficiis iure ipso non privatur, nec ad alia obtinenda fit inhabilis ante sententiam iudicis. Suar. c. 54. n. 7.

485. Prima poena ob simoniam in materia beneficiaria est excommunicatio Papae reservata et ipso facto incurrenda.

Hanc poenam incurrunt non solum conferens et recipiens, sed etiam ii, quorum mediatione et cooperatione contractus simoniacus perficitur. Nam in Const. *Apostolicae Sedis* inter excommunicationes R. P. reservatas habetur disserte excommunicari *reos simoniae realis in beneficiis quibuscumque eorumque complices.*

Si occultum sit crimen, ab hac excommunicatione absolvere potest Episcopus ex cap. *Liceat.* Ita enim disserte in cit. Const. *Apostolicae*

(a) Quoniam iure novissimo Const. *Apostolicae Sedis* antiquatae sunt censurae latae sententiae contra simoniacos in collatione et susceptione ordinum, omittimus ea, quae Ballerini, hac super re, longa et erudita oratione disputavit.

Quoad simoniam admissam in electione R. P. cf. Tractatum *de Censuris*. E.

Sedis: Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam Sess. XXIV. cap. 6. de reform. *in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicae Sedi speciali modo reservatas declaravimus.* Porro excommunicatio *contra reos simoniae realis in Beneficiis quibuscumque, earumque complices,* non pertinet ad reservatas Sedi Apostolicae speciali modo. Ergo.

Ante praedictam Pii IX. Constitutionem ab eiusmodi excommunicatione vi specialis privilegii absolvere poterant etiam Mendicantes, cum limitatione tamen a Clemente XIII. apposita, nimirum *extra Italiam et intra Urbem,* quo nomine DD. intelligunt etiam *Urbis districtum.* Utrum vero, postquam eiusmodi privilegia ac facultates omnes absolvendi a casibus papalibus revocatae, suppressae et abolitae in memorata Constitutione fuerunt, Apostolica Sedes (quae per eam Constitutionem profecto facultatem sibi non ademit privilegia denuo concedendi) quidpiam quibuspiam concesserit, ab iisdem Mendicantibus scitandum erit.

Nomine autem beneficii quoad istam et etiam quoad sequentes poenas, intelliguntur beneficia proprie dicta, sive *secularia* ea sint sive *regularia,* cuiusmodi sunt Regularium Praelaturae, quae non consistunt in nuda Commissione ad nutum revocabili, sed in munere ordinario, ut sunt episcopatus, decanatus, canonicatus, paroecia, rectoratus, generalatus, abbatia, praepositura, provincialatus, prioratus, guardianatus etc.; non vero pensiones, vicariae temporales, munus inquisitoris, legati, delegati; quia non sunt beneficia proprie dicta. S. Alph. n. 112. q. I. notat, praelaturas *regulares* sin minus sub nomine beneficii, saltem sub nomine *officiorum* vel *dignitatum* venire.

Exinde etsi simoniam committat ille, qui vendat pensionem spiritualem aut vicariam temporalem etc., non tamen excommunicationem vel alias poenas mox referendas contrahit. Schmalzgr. n. 265.

486. Secunda poena est, quod electio, praesentatio, postulatio, confirmatio, institutio etc. ad beneficium, officium, dignitatem etc. est ipso iure nulla: adeo ut per eam provisus nullum ius consequatur. Est certa et comm. doctrina, dummodo tamen simonia sit realis; si est tantum conventionalis, actus non irritatur. Suarez *de Simonia* c. 57. n. 51. seqq. Navarrus in *Conciliis de Simonia* saepe. Non tenetur idcirco simoniacus dimittere beneficium, donec condemnetur.

Proinde si possessor beneficii sic obtenti etiam per vim eo spolietur, non restituitur ad possessionem; quia non habet in illo titulum etiam coloratum, qui desideratur ad restitutionem in beneficialibus. Schmalz. h. tit. n. 266.

Neque hic defenditur regula de triennali possessione; quia in eadem expresse exceptus est, ubi dicitur *absque simoniaco ingressu.* Schmalzgr. ibid. « Notat tamen Valensis h. tit. §. 4. n. 12. post Lessium n. 138. lib. 2. cap. 35., quod si electus vel praesentatus legitime postea committit simoniam pro confirmatione vel institutione acquirenda, non vitiatur electio vel praesentatio, sed sola irritatur confirmatio vel institutio, in qua vitium illud commissum est. Et hoc probatur a simili ex cap. *Si confirmatione de Elect.* in 6. ubi habetur, cassata confirmatione ob defectum alicuius sollemnitatis non propterea cassari electionem praecedentem canonice factam. Unde in tali casu sufficeret, si per legitimam dispensationem tolleretur inhabilitas contracta per actum posteriorem, nec opus esset nova electione aut praesentatione: secus dicendum, si in priori actu commissa fuisset simonia: nam tunc omnes sequentes actus forent irriti ». Reiffenst. h. tit. n. 265.

Hoc autem procedit, etiamsi in electione aut in praesentatione ad beneficium vel praelaturam, quae fiat a pluribus *iure communitatis vel Collegii,* unus tantum votum dedisset simoniace, maiori parte eligente absque simonia.

Secus vero si praesentatio fiat a pluribus, uti singuli sunt: tunc enim cum tot sint praesentationes, quot patroni, una collatio simoniaca aliam non inficit atque adeo in eam non influit. Schmalzgr. ibid.

487. Irrita pariter est provisio, etiamsi simoniam non quidem ipse promotus, sed ipso *ignorante* parentes eius, cognati, amici etc. commiserint.

Excipitur tamen casus, quo id factum forte fuerit in fraudem et ad electum aut praesentatum etc. reddendum inhabilem ad beneficium. Tunc enim ipsa iura sustinent provisionem, ne plus malitiis perversorum hominum, quam innocentium meritis tribuatur. Est communis doctrina: vid. Schmalzgr. h. tit. n. 266. van Espen quidem novam excogitavit rationem, inquiens p. 2. tit. 30. cap. 6. n. 25. « quod eo casu ipsa simonia proprie non inficeret, cum supponatur, quod etiam, ea non interveniente, electio facta fuisset ». Ratio insipientissima! quasi vero tunc solum simonia inficiatur actus quidam, quando absente simonia factus non fuisset!! vel quasi certum sit, electionem faciendam fuisse, licet non intercessisset simonia!! Unde enim id constat? Num electio sequuta simoniace est indicium sequuturae, licet simonia absit? Et quod mirum, resolutores casuum conscientiae in Bonon. Dioecesi an. 1768. Ianuar. cas. 3. tom. 3. pag. 12. hanc van Espen rationem dicunt *acutissimam!* Sed ea aetate van Espen erat alter s. Leo aut Augustinus, quando Ianseniana pestis viscera Italiae corrodebat.

A fortiori autem irrita habenda est provisio quoad eum, qui scivit ab alio datum iri pecuniam et non in fraudem ipsius, sed in favorem.

In quo tamen casu distinguendum est. Nam si provisus ante collationem, sciens alterius pravum consilium, expresse contradicat, non vitiatur, sed valida erit collatio beneficii, etsi alter, ipso contradicente et *ignorante*, in simonia pergat, eaque mediante beneficium revera obtineatur.

Secus est, si non contradixit vel contradixit quidem, sed nihilominus postquam scivit, quod alter, non obstante contradictione et protestatione sua, in simonia nihilo secius pergeret, ipse beneficium acceptavit simoniace collatum. Hoc aperte colligitur ex cap. *Sicut* 33. huius tit., in quo ille tantum excusatur a poena nullitatis, qui postquam contradixit, *ignorat*, beneficium nihilominus simoniace ab alio pro se obtineri ac proinde qui non ignorat, eo ipso non excusatur, quod sciens, beneficium simoniace conferri, illud tamen acceptat; cum sic acceptando reipsa approbare simoniam et in hanc consentire videatur, non obstante contradictione ac protestatione sua, cui facta contraria apparent.

Et pari modo protestationi suae contradicere et ab hac recedere censetur is, qui sciens pecuniam simoniace ab alio solutam pro se, hanc ipsam pecuniam, ante obtentum beneficium, refundit illi qui eam solvit, cap. *Sicut.* 33. h. tit.

Quod si pecuniam refundat post obtentum beneficium (pecuniam intellige, se inscio, ante obtentum beneficium, solutam) simoniam quidem et ipse committit (nisi id faciat praecise ex amicitia et ne alter damnum sua causa patiatur, ut plures aiunt), non tamen incurrere videtur poenam irritationis *ipso facto* ac proinde beneficium usque ad sententiam privationis poterit retinere.

Ratio est, quia effatum, quod = *ratihabitio retrotrahitur et mandato aequiparatur* = intelligendum est de iis, quae pendent a consensu ratificantis, non autem de iis, quae ante hunc consensum plane et absolute iam peracta sunt. Schmalzgr. n. 266.

488. Beneficii privationi accedit obligatio fructus ex eo comparatos restituendi. Est doctrina communis et certa ex iure.

Id autem valet, tum si simonia commissa sit ab ipso beneficiario, tum si ab alio, ipso beneficiario sciente et non contradicente, vel contradicente quidem, sed tamen acceptante beneficium cum notitia iam habita simoniae, non obstante sua protestatione, intercedentis. Ratio est, quia cum nec bonam fidem nec titulum habeat, in quo ius percipiendi fructus radicatur; non facit fructus suos atque adeo eos restituere tenetur.

Quod quidem intelligendum est non modo quoad fructus exstantes,

verum etiam quoad consumptos, imo et quoad eos, qui a quolibet legitimo possessore percipi potuissent. Ratio, quia est possessor malae fidei et loco praedonis habetur; proinde semper dicitur esse in mora et ad omnia damna tenetur. Schmalzgr. n. 267.

Si vero simonia commissa ab alio fuerit, ipso beneficiario ignorante, fructus quidem lucratur, quandiu manet in bona fide non secus ac quilibet alius bonae fidei possessor. Cum tamen collatio per se sit invalida (nisi in fraudem simoniа ab alio facta fuerit, ut diximus sup. n. 487.). quando cessat ignorantia, restituendi sunt fructus qui exstant. Ratio, quia possessor nactus non est illorum dominium nisi tantum revocabile. Schmalz. ibid. Cuinam vero fructus restituendi? Breviter s. Alphonsus lib. 3. n. 116.: « Fructus restituendos esse Ecclesiae docet s. Thomas 2. 2. q. 100. art. 6. ad 4., modo commodum non recipiant ex hoc, qui simoniam commiserunt. Sed probabile est, posse restitui pauperibus vel successori in beneficio, vel etiam se componere cum Summo Pontifice pro dictis fructibus ».

Addunt DD., vid. s. Alph. n. 111., non teneri (valde probabiliter) ad restituendos fructus perceptos intuitu stolae et aliarum functionum parochialium, v. gr. exsequiarum, concionum, matrimoniorum etc. Ratio quia isti fructus non percipiuntur ceu *reditus beneficii,* sed ut stipendia officii; ex quo fit, prout commun. DD. tenent, ut parochus de illis possit libere disponere etiam in profanos usus etc.

489. Si vero possessor huiusmodi bonae fidei per triennium cum eadem bona fide in pacifica beneficii possessione perstiterit, defenditur (inquit Schmalzgr. n. 267.) regula de triennali possessione; adeo ut triennio illo elapso neque fructus neque beneficium teneatur restituere.

Sunt tamen qui oppositum tenuerunt et duplici innituntur argumentatione: quarum prima desumitur ex ipsa regula 36. Cancellariae de triennali possessione, quae excipit expresse *casum ingressus simoniaci:* « Item statuit et ordinavit idem D. N., quod si quis quaecumque beneficia ecclesiastica, qualiacumque sint, *absque simoniaco ingressu,* ex quovis titulo, apostolica vel ordinaria collatione aut electione... per triennium pacifice possederit..., super iisdem beneficiis taliter possessis molestari nequeat ».

Altera vero ex iure canonico. Nam cap. *Ex insinuatione* 26. h. tit. in causa cuiusdam, cuius pater adhuc infanti simoniace beneficium acquisivit, Clemens III. respondit, hunc post multos annos « *ratione primae receptionis nihil posse vindicare* »: eandemque in rem alia exempla ex iure canonico afferuntur.

Hanc sententiam maxime gallicanus Cabassutius et dein plusquam gallicanus van Espen tuetur. Et sicuti seculo elapso mos erat, ut huic

nebuloni plurimum deferretur, sic eam receptam videmus in solutione casus 2. febr. 1768. Bononiae sub Malvetio tom. 3 pag. 7. eamque insinuatam videmus in cap. 28. §. 11. Synodi Tusculanae celebratae an. 1763. sub Henrico Card. Duce Eboracensi.

« Sed receptior (inquit Rigantius in regul. 36. Cancellariae n. 132. tom. 3. pag. 190. Romae 1746.) est in praxi contraria opinio, quod scilicet huius regulae exceptio competat proviso de beneficio ignoranti simoniam a tertio commissam ». Quam in rem praeter suffragium plurium ac gravissimorum DD., affert et plures decisiones s. Rotae Romanae. Sic et Theologos alios, inter quos Suarez *de Relig.* lib. 4. cap. 57. n. 9. et Canonistas a Schmalzgr. l. c. et Reiffenstuel h. tit. n. 278. citatos videas.

Argumentis autem adversariorum sic respondet Reiffenst. Ad 1. quod cum dicta regula in quantum favorabilis late et in quantum odiosa est, stricte sit interpretanda, bene dici potest, clausulam, illam = *sine simoniaco ingressu* = intelligendam tantum de eo esse, qui vel ipse per propriam simoniam obtinuit beneficium, vel simoniam alterius, qua mediante obtinuit beneficium, statim vel certe intra triennium rescivit et consequenter bona fide non possedit: nullatenus vero accipiendam de eo, qui alterius simoniae penitus ignarus optima fide per triennium pacifice possedit. Reiffenst. n. 278.

Ad 2. vero respondet ibid. n. 279., hos textus intelligi posse de parvulis, qui de simonia parentum ab initio fuere conscii, vel etiam intra triennium resciverunt, uti facile contingere potest, discentibus et lamentantibus subinde parentibus, quantum iam expenderint vel expendere debeant pro filiis. Vel dic (et haec est idonea magis responsio), regulam *de triennali* esse conditam post illos canones et consequenter iis in casu nostro derogari, cum lex posterior deroget priori. Inserta autem haec regula fuit inter alias Cancellariae a Callixto III., qui sedem apostolicam conscendit anno 1455. Unde frustra quaeruntur et congeruntur a van Espen antiquiora exempla contraria.

490. Tertia poena est, ut inquit Busemb., quod *inhabilis* efficiatur ad idem beneficium obtinendum etiam *per dispensationem Episcopi;* atque adeo ante omnem sententiam non modo illud dimittere tenetur, si obtinuit, sed inhabilis evadit ad idem dein alias obtinendum.

Quidam, uti Schmalzgrueber n. 268., rem temperant, dicentes, inhabilem fieri ad illud beneficium *pro ea vice* obtinendum.

Sed, ut dicit Reiffenstuel h. tit. n. 266.: « licet in cap. penult. *de Electione* videatur, simoniace obtinentem beneficium tantum *ea vice* esse inhabilem ad idem obtinendum, sicut et glossa... tenet; tamen

post praefatam Constitutionem Pii V. (*Cum primum*, et est quinta huius Pontificis in Bullario Cherubini) ob illius verba res est extra controversiam, quod *perpetuo* sit inhabilis ad idem beneficium iterum obtinendum, nisi Papa dispenset ».

Verba s. Pii V. sunt haec: « Qui beneficium aut officium ecclesiasticum simoniace adeptus fuerit, illis similiter ipso iure sit privatus et ad fructuum omnium, quos perceperit, restitutionem teneatur et perpetuo sit inhabilis *ad ea* et *quaecumque alia beneficia obtinenda* ».

Verum postrema haec verba aliam iniiciunt difficultatem; quomodo enim stabit quod habet Busemb., *nec fieri inhabilem ad alia obtinenda,* quando Pius V. eam inhabilitatem extendit disserte tum *ad ea tum ad alia beneficia obtinenda* et nemo negat, simoniacum ipso iure vel facto inhabilem fieri ad beneficium simoniace obtentum consequendum?

Navarrus, apud Suarez cap. 58. n. 15., docuit, in Constitutione Pii V. haberi clausulam, qua innuatur, poenam hanc per iudicium esse irrogandam atque adeo ante iudicis sententiam non incurri.

Verum Suarez l. c. nn. 15. 16. satis ostendit, clausulam illam quae supponit institutum iudicium, non afficere hanc partem Constitutionis.

Verum licet in rigore huius Constitutionis existimari possit, reipsa non vitari poenam inhabilitatis ad quaevis alia beneficia ante quamlibet aliam sententiam; nihilominus subdit Suarez de facto hanc sententiam probabiliter exspectandam. « Navarrus ait (inquit), illam poenam quoad hunc effectum non esse usu receptam, quod etiam mihi ex iis, quae intelligere potui, est valde verisimile; quo posito non incurretur illa poena, saltem ante sententiam declaratoriam, etiamsi aliae incurrantur; quia potest consuetudo derogare uni parti legis et non aliis, eo vel maxime quod aliae poenae nituntur etiam iure antiquiori, quod derogatum non est, ut dixi. Inhabilitas autem ad omnia alia beneficia in futurum acquirenda omnino nova est et ideo ubi clare non constiterit, Constitutionem Pii V. esse receptam in priori rigoroso sensu, existimo posse in praxi servari tuta conscientia opinionem Navarri et non esse necessariam dispensationem ad alia beneficia, quando delictum non est ad forum contentiosum deductum et in eo declaratum ».

Eadem de re Pirhing h. tit. n. 170.: « Constitutio Pii V. inhabilitans simoniacos ad quaevis beneficia obtinenda ipso iure, non habet locum ante sententiam iudicis condemnatoriam vel saltem declaratoriam criminis in foro conscientiae, neque quoad hunc effectum est recepta, ut refert Navarr. et Suarez ».

Et adstipulatur Reiffenstuel h. tit. n. 267. dicens, alios in eandem re sententiam.

491. Dictum est superius, eum, qui simoniace acquisivit beneficium, non posse idem beneficium obtinere *per dispensationem Episcopi.*

Porro de facultate dispensandi in poena nullitatis et inhabilitatis, tenenda sunt quae sequuntur, distinctione prius facta inter beneficium simplex et duplex. Beneficium tam seculare quam regulare dividitur in *simplex* et *duplex.* Simplex est, quod nullam iurisdictionem, curam animarum vel administrationem habet aut specialem praeminentiam sibi adnexam, sed ad solam assistentiam in choro vel altaris servitium obligat. Talia sunt 1° canonicatus: 2° beneficia eorum, qui in ecclesiis cathedralibus, praeter canonicos, portiones integras vel dimidias habent: 3° praestimonia, quae spirituale obsequium adnexum habent et in titulum conceduntur: 4° cappellaniae collativae.

Duplex vero dicitur, quod specialem aliquam qualitatem, sc. praeminentiam, administrationem, iurisdictionem, vel curam animarum adiunctam habet. Eiusmodi sunt 1° *Beneficia proprie curata*, quibus qui provisi sunt, praeter obligationem ad horas canonicas et altaris servitium, nomine proprio et ex obligatione officii sui administrant sacramenta et in foro conscientiae iurisdictionem exercent, cuiusmodi sunt plebanatus, vicariae, parochiae aut commendae perpetuae ecclesiarum parochialium aut curatarum. 2° *Officia,* quae administrationem rerum ecclesiasticarum, sine eminentia tamen et iurisdictione, obtinent. Tale est officium primicerii, sacristae, thesaurarii, custodis etc. 3° *Personatus:* talem habere dicuntur qui praeminentiam sedis in choro, praecedentiam in processionibus, prioritatem suffragii in Capitulo habent, sine iurisdictione fori externi et administratione proprie dicta. 4° Denique *dignitates* dicuntur obtinentes praeminentiam fere cum iurisdictione fori externi et administratione proprie dicta. Et aliae sunt sublimiores, quae maiores vocantur, ut Episcopatus, Archiepiscopatus, Primatia, Cardinalatus, Patriarchatus... Aliae minores, ut decanatus cathedrales, archidiaconatus, abbatiae et aliae praelaturae regulares seu seculares etc. Vid. Schmalzgr. lib. 3. tit. 5. n. 30.32.

492. Itaque 1° quando beneficium aliquod *simplex* simoniace procuratum est ab aliis, beneficiario inculpabiliter ignorante et consequenter beneficium bona fide acceptante, potest cum illo dispensare Episcopus (hoc intellige, si id accidat intra triennium; nam eo absoluto, valet regula *de triennali possessione* nec opus est dispensatione), ut illud de novo acquirere valeat, dummodo illud prius resignet. Est communis et certa sententia, quae clare eruitur ex cap. *Si alicuius* 59. *de Electione:* Reinffenst. h. tit. n. 336.

Addit heic Schmalzgrueber h. tit. n. 268. ex sententia Valensis, ne

episcopi quidem dispensatione opus esse, cum nulla subsit culpa, ob quam ea inhabilitas induci debeat. Num haec opinio alium quempiam sectatorem nacta sit, ignoro. At hoc non ignoramus, aegre conciliari posse cum cap. *Si alicuius* 59. *de Electione,* ubi dicitur: « Si alicuius electionem propter simoniam, eo ignorante ac ratum non habente commissam, contigerit reprobari, cum eo super *praelatione*, ad quam taliter fuerit electus, illa vice non potest Episcopus dispensare. Quamvis circa eum, qui ignoranter recipit *simplex* beneficium per simoniacam pravitatem, *post liberam resignationem, Episcopi dispensatio toleretur* ». Quae postrema verba imo mere *tolerari* hoc ipsum dicunt, quod possit Episcopus dispensare. Ergo a fortiori etc. Nec firma videtur allata ratio Valensis, quae, uti patet, nimis probaret, nempe idem dicendum si agatur de *Praelatione*.

2° Quando autem aut sciente beneficiato obtentum sit simoniace beneficium simplex, aut beneficium obtentum quidem simoniace sit ignorante beneficiario, beneficium tamen non sit simplex, sed duplex (uti loquuntur canonistae); tunc non potest episcopus dispensare, ut talis beneficium illud retinere possit, saltem (quoad secundum casum) *illa vice* vel de novo acquirere, sed recurrendum pro dispensatione est ad Pontificem Romanum. Si tamen prius alteri conferatur et iterum vacare contigerit; poterit tunc conferri illi, qui simoniam ab alio commissam ignoravit: Reiffenst. l. c. n. 337.

Quod autem diximus recurrendum esse ad Papam pro dispensatione quando beneficium duplex simonia obtentum sit ab alio commissa et ignorante beneficiario; id intelligendum est de casu, quo ob simoniam alterius electio seu collatio fuerit *per sententiam* reprobata atque declarata irrita; nam si per sententiam non fuerit in foro externo reprobata talis beneficii provisio, etiam pro *illa vice* dispensare poterit Episcopus, quod quis *dignitatem* quoque aut beneficium curatum per simoniam alterius bona fide obtentum retinere seu potius de novo acquirere valeat, si prius illud resignet. Hoc enim clare eruitur ex prima parte cap. *Si alicuius*, quod paulo ante retulimus.

493. Quodcumque tandem beneficium sive simplex sive duplex obtentum fuerit simoniace sciente illo, qui provisus est, Episcopum non posse dispensare cum beneficiario, ut illud beneficium vel tunc retinere vel alia vice de novo acquirere illud iterum valeat, tenendum est.

Et quidem pro foro externo, certum est apud omnes: quippe simoniace acquirens beneficium, per ius commune et pontificias constitutiones ad idem obtinendum redditur perpetuo inhabilis.

Si vero sit simonia occulta, quidam censuerunt, posse Episcopum dispensare, quasi haec facultas fiat Episcopis, dum decret. 6. Trident.

sess. 24. eis fit facultas absolvendi in foro conscientiae ab omnibus casibus occultis et dispensandi in omnibus irregularitatibus et suspensionibus ex occulto crimine, praeterquam ex homicidio voluntario, provenientibus. At communior ac probabilior sententia est, id Episcopos non posse. Nam poena haec nullitatis neque est casus occultus absolvendus per absolutionem sacramentalem nec est suspensio aut irregularitas, sed alia poena vindicativa per Pontificem simoniae inflicta. Praeterea cum haec poena introducta sit post Concilium Tridentinum, non se extendit ad eam facultas data a Tridentino, prout in simili casu declaravit Gregorius XIII. Denique id expresse declaravit s. Congregatio et Palaus *de Simon.* punct. 28. n. 3. hanc refert ex Farinaccio l. ib. cit.: « Episcopus etsi a simonia occulta absolvere possit, non potest tamen simoniacum rehabilitare ad beneficia in posterum obtinenda neque ad retinenda quae per simoniam occultam retinet ». Vid. Reiffenst. h. tit. n. 340.

494. Denique inter poenas simoniae huius sunt qui recenseant privationem aliorum beneficiorum, quae legitime quis adeptus fuerat.

Sed cum sententia communi dicendum est, simoniacum privari quidem iis posse a iudice per sententiam *condemnatoriam*, non tamen eum esse ipso iure et facto privatum.

Inde sequitur, eum, qui forte sic privetur, non censeri privatum fructibus, quos percepit ante sententiam. Vid. Reiffenst. h. tit. n. 269. et Schmalzgr. h. tit. n. 269.

495. Inter simonias reales restat simonia in Religionis ingressu. De ea aliquid dicendum.

Tres maxime sunt casus, in quibus licite aliquid accipi et aliquando etiam peti potest ab ingressuris in Religionem vel ab ingressis:

1° Quando ab istis aliquid sponte offertur monasterio. Nam per conciliorum ac Pontificum decreta quidpiam hac ratione oblatum accipi licite potest, ut communiter canonistae tradunt. Ratio, quia tunc cessat omne periculum et species simoniae; cum gratis oblatum non possit habere rationem pretii, licet alioquin prohiberi oblatio gratuita aliis de causis possit, ut contingit in donatione examinatoribus parochorum facta. Confirm. quia praelatis regularibus licet meliorem facere conditionem sui monasterii per media alias licita; atqui non est illicitum accipere pro spirituali aliquid gratuito oblatum. Ergo, Schmalzgr. h. tit. n. 193.

2° Si monasterium sit inops et non sufficienter dotatum, potest ab ingressuris vel ingressis aliquid exigi titulo sustentationis. Ita communis cum s. Thom. 2. 2. q. 100. art. 3. ad 4.: idque expresse consentit Concil. Tridentinum sess. 25. *de Regular. reform.* cap. 16. pro victu et

vestitu novitiorum quo tempore probantur; porro si licet exigere pro tempore tyrocinii sustentationem, licebit et deinde, si ex parte monasterii eadem exigentiae viget ratio.

Nec obstat, quod in cap. *Quoniam* 40. h. tit. prohibetur velut simoniacum accipere quidpiam sub *praetextu paupertatis*. Nam ut explicat Glossa, non prohibetur id ex *vera paupertatis causa,* sed ex *praetextu seu colore* falsae aut fictae paupertatis. Schmalzgr. h. tit. nn. 194. 195.

3° In monasteriis monialium, iis quoque, quae reditibus abundant, potest indiscriminatim ab ingressuris vel ingressis aliqua certa pecuniae summa titulo dotis exigi. Ita consuetudo propemodum universalis, quam speciali indulto firmavit Innocentius VIII. Accedit sententia s. Congr. Episc. et Regular. apud Fagnanum ad cap. *Non amplius* 1. *de Institutionibus* n. 25., quae animadvertens, sanctimonialium monasteria sine dotium subsidio diu sustineri non posse et propter ingruentes necessitates et casus inopinatos plerumque ad inopiam redigi, Summ. Pontificibus approbantibus, sanxit, ut dotales eleemosynae a monialibus *numerariis* persolverentur, tametsi *numerus* esset taxatus ad mensuram redituum monasterii. Schmalz. ibid. n. 196.

496. Tres tamen limitationes heic addendae. *Prima,* ut pactum hoc casu non fiat de aliquo dando pro ipso ingressu; hoc enim, utpote de temporali dando pro spirituali, simoniacum foret, etiamsi monasterium inops foret. *Secunda*, ut non admittatur aliqua inhabilis ex sola spe recipiendi ab ea aliquid temporale; nam tunc finis susceptionis, ab admittentibus intentus isque principalis, foret aliquid temporale. Atqui simoniacum est dare aliquid spirituale ob finem temporalem extrinsecum, praesertim si is principaliter intendatur. *Tertia*, ut dos non ab omnibus sine discrimine exigatur; sic enim pauperes, saepe magis dignae et idoneae, statu religionis excluderentur et aliae forsan minus idoneae, quia divites sunt, reciperentur: quod utique est irrationabile. Schmalz. l. c. n. 197.

Quarta, possunt regulares, tam viri quam feminae, quorumvis monasteriorum, etiam divitum, pacisci cum parentibus et exigere certam quantitatem pecuniae vel aliorum bonorum temporalium, ea conditione, ut persona in religionem suscepta eamque professa, contenta illa portione, renuntiet iuri hereditatis vel alterius cuiuscumque iustae praetensionis. Ratio, quia tunc exigitur solum temporale pro temporali et quidem iuste; cum enim susceptus in religionem per professionem transferat omnia sua iura et bona, de quibus ante professionem non aliter disposuit, in illam transfert etiam ius hereditatis, modo successionis hereditariae capax sit: non tenetur autem religio ius illud remittere gratis, cum subinde valde sit aestimabile. Ergo pro eius remissione potest aliquid temporale iuste exigere. Schmalz. ibid. n. 198.

Fuerunt, qui ex indulto facto monialibus, ut dotem recipiant ab ingressuris, licet monasterium dives sit, generatim inferre voluerunt, licere quidpiam exigere *titulo sustentationis*, utcumque monasterium (etiam virorum) dives sit.

Sed verior sententia cum s. Thoma 2. 2. q. 100. art. 3. ad 4. et communi id negat, et nititur superius citato cap. *Quoniam* n. 341. Ratio, quia reditus monasterii sunt ecclesiastici, ordinati ad sustentationem religiosorum gratis faciendam. Ergo hoc ipso quod quis ad religionem suscipiatur, habet ius ad sustentationem ex reditibus monasterii capiendam. Si autem non potest recipi titulo sustentationis et alius titulus deest, iam accipi videtur pro ingressu. Schmalzgr. l. c. nn. 200.-201.

497. Quod attinet ad poenas iuris circa ingressum religionis, haec habe:

1° Dantes et recipientes pro receptione ad religionem, si personae sint singulares, incurrunt excommunicationem; capitulum vero in talem receptionem consentiens, incurrit suspensionem *ab officio capitulari*. Haec ex Extravag. Urbani IV. *Sane* 1. *de Simonia*. Oportet tamen, ut in delinquentibus adsit *praesumptio*, ut colligitur ex textu, ubi bis repetitur « *Qui praesumunt* », ut advertit Barbosa in cit. Extr. n. 2.

Absolutio autem ab his censuris est reservata Papae, ut habet eadem Extrav. Urbani IV. Tamen si delictum sit occultum, absolvere possunt ex decret. Trid. sess. 24. cap. 6. *de Reform.* etiam Episcopi et Mendicantes ex privilegio, quo absolvere possunt a reservatis Papae. Ita commun, apud Schmalzgr. l. c. n. 251.

2° Ita scienter aliquid recipientes et recepti, postquam de simonia convicti ac damnati fuerint, iubentur e monasterio expelli et in arctius detrudi cap. *de Regularibus* 25., et cap. *Quoniam* 40. h. tit. et extrav. 1. Ex quo sequitur, professionem esse validam et professum ad seculum redire non posse. Tandiu autem potest in monasterio professionis persistere ac commodis alimoniae frui, donec per sententiam expellatur; quippe poena expulsionis videtur esse solum ferendae sententiae. Schmalzgr. l. c. n. 252.

3° Iidem incurrunt infamiam iuris, Extrav. cit. §. *Ceterum* et consequenter fiunt irregulares, saltem si crimen sit notorium notorietate iuris vel facti. Proinde ut habet Thesaur. part. II. V. *Simonia* cap. 10. n. 4. receptus non poterit promoveri ad ordines titulo religiosae professionis; cum ea sit infecta simonia et nullum ius tribuat professo, neque hic in favorabilibus habetur pro professo ex cap. *Quoniam* 40. h. tit. Monet tamen Thesaurus l. c. hoc intelligi post sententiam iudicis

saltem declaratoriam. Sic non incurritur, nisi post sententiam declaratoriam, poena, qua recipiens simoniace amittit eo ipso potestatem recipiendi. Ratio, quia et haec poena est privatio iuris *iam quaesiti.* Thesaur. ibid. n. 5.

Locum tamen istae poenae non habent, quando ingressus per professionem consummatus non est. Ita commun. apud Schmalz. c. n. 254. Proinde si receptio ad habitum facta sit simoniace, sed professio admittatur gratis, quia scil. factum retractatur ac pecunia non recipitur vel recepta redditur, excommunicatio non incurritur; sicut ex opposito incurreretur, si receptio ad habitum gratis facta est, sed postea tempore professionis aliquid exigitur. Schmalz. l. c. n. 254.

Praeterea monet Thesaurus l. c. n. 5., quod in poenis heic enarratis dispensare potest Episcopus, seu praelatus cum suis subditis, dummodo ipse dispensans non fuerit complex criminis.

498. Quod autem habet Auctor, quod poenae ob simoniam in ingressu religionis raro incurruntur, multiplici ex capite profluebat.

Nam 1° citata Extrav., quae infligit poenam excommunicationis, non ubique videtur recepta ac non receptam contendit esse Navarrus, apostolicarum constitutionum, ut ait Schmalz. l. c. n. 255., scientissimus et eum sequuntur Lessius, Palaus, Sylvester et quisquis alius docet, excommunicationem incurri solum ob simoniam in ss. Ordinibus et Beneficiis.

2° Praeterea, quemadmodum moniales veniam habent recipiendi dotem et super ea pasciscendi, ita etiam in monasteriis virorum, si quid recipitur, fere tantum recipitur, quia sponte oblatum est: vel etiamsi exigatur, ea exactio cohonestatur ob monasteriorum tenuitatem, quod ita necessarium videatur ad sustentationem professi: vel denique, si monasterium sit dives, etsi non absit simoniae crimen, Constitutio tamen quoad poenas recepta ibi non est. Schm. l. c. n. 256.

Verum cum in SS. D. N. Pii Papae IX. Const. *Apost. Sedis* inter excommunicationes Papae reservatas recenseatur et haec contra reos simoniae realis ob ingressum in religionem, nullus locus dubitationi amplius esse potest.

LXI. Resp. 4. Simonia Confidentiae completa, dato et accepto beneficio, licet accipiens promissionem vicissim non impleverit, inducit 1. excommunicationem Papalem utrique parti contrahenti. 2. Annullat resignationem et collationem beneficii, in quo est commissa et inhabilitat ad idem postea obtinendum. Privat omnibus beneficiis et pensionibus antea obtentis; non tamen ante sententiam latam. 4. Beneficia sic collata soli Pontifici reservantur. Less. c. 35. d. 26. Suar. 43. Laym. n. 26.

499. Quod dicit Busemb. « *Simonia confidentiae completa* » rite est intelligendum. Nam impleri *opere* censetur haec dato et accepto bene-

ficio in confidentiam; non tamen requiritur, ut ex utraque parte sit impleta ita, ut etiam accipiens beneficium vicissim promissionem suam impleverit, v. gr. solverit promissam pensionem. Nam eo ipso, quod beneficium in confidentiam ab uno sit datum et ab altero acceptum, ab utroque poenae incurruntur, ut expresse habetur in Bullis Pii IV. ac Pii V. Exinde merito Navarrus *Man.* cap. 23. n. 140. vers. *secunda nota* ait, simoniam confidentiae esse aliis peiorem, quia nempe continet innumeras fraudes, cum magis latenter, quam aliae, committatur et ideo sit difficilis ad probandum in tribunalibus.

Excipi tamen debent *mediatores simoniae;* nam cum de illis non loquantur Bullae Pii IV. et V., non incurrunt excommunicationem nisi ab utraque parte pactum impletum fuerit, videlicet per solam simoniam *realem*, quo nomine etiam *mediatores* in Extrav. 2. Pauli II. excommunicantur ipso facto. Hinc isti poenas in Bullis Pii IV. et V. non incurrunt.

500. Poenae itaque, quas simonia confidentialis inducit, sunt.

1ª Excommunicatio Papae reservata et lata in quoscumque, qui eam committant, sive dando sive recipiendo. Ita Const. *Apost. Sed.* contra *reos simoniae confidentialis in beneficiis quibuslibet, cuiuscumque sint dignitatis:* quibus verbis et Praelati maiores non exclusis Cardinalibus, comprehenduntur.

Quoad hasce poenas apud plerosque auctores confusio aliqua irrepserat. Nam cum de hac re binae haberentur Constitutiones, altera nempe Pii IV. incip. *Romanum Pontificem* 16. Oct. 1564.. altera Pii V. incip. *Intolerabilis* 1. Iun. 1569., alii primam tantum, alii tantum secundum, pauci vero utramque commemorantes rem exacte utraque definiebant, uti Schmalzgrueber lib. 5. tit. 3. n. 270.

Pius IV. itaque Praelatos maiores, Cardinales nempe etiam Episcopos, Patriarchas, Episcopos et Archiepiscopos interdicto ab ingressu ecclesiae multavit, reliquos vero excommunicatione latae sententiae punivit. *Cardinalibus videlicet* inquit cit. Const. § 4. *et aliis Praelatis huiusmodi in virtute sanctae obedientiae et sub poena interdicti ingressus ecclesiae, reliquis vero sub maioris excommunicationis latae sententiae poena per contrafacientes eo ipso incurrenda, a qua nisi a nobis aut Romano Pontifice pro tempore exsistente, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi nequeant, districtius prohibemus.* Pius V. vero Const. cit. §. 8. in omnes huius criminis reos excommunicationis ipso facto incurrendae ac Romano Pontifici reservatae poenam tulit ac die 14. Nov. eiusdem anni 1569. declaravit (quae declaratio eidem Constitutioni subiicitur in Bullario Romano), *omnes S. E. R. Cardinales in Constitutione et litteris praefatis ac singulis*

earum partibus etiam quoad privationes omnesque et singulas censuras et poenas in ipsis contentas, comprehendi.

Et ex his eruendus sensus verborum s. Alphonsi lib. 3. n. 89.: *Per hanc simoniam... incurruntur poenae* 1° *interdicti ab ingressu ecclesiae,* 2° *excommunicatio papalis ipso facto,* 3° *nullitas collationis,* etc., nimirum omnes, quotquot hoc crimen committerent, excommunicationem papalem ipso facto incurrebant; maiores vero Praelati etiam interdicto ab ingressu ecclesiae plectebantur; neque enim Pii V. verba aut maiores Praelatos poena excommunicationis eximi patiebantur, aut poenam in ipsos a Pio IV. decretam demebant. Nunc vero vi novae Pii IX. Constitutionis manet quidem poena excommunicationis easdem, ac Constitutio Pii V., personas complectens; poena tamen *interdicti ab ingressu ecclesiae,* quam contra maiores Praelatos statuerat Pius IV., sublata est.

501. 2ª vero poena est nullitas resignationis aut collationis factae in confidentiam.

3ª Est inabilitas ad idem beneficium et alia beneficia obtinenda.

4ª Est privatio omnium beneficiorum et pensionum, quae legitime ante obtenta fuerint. Haec tamen poena ex communi DD. sententia non incurritur de facto, nisi accedat sententia saltem criminis declaratoria. Et hoc deducitur ex communi principio: « quia, ut inquit s. Alph. n. 112. q. 3., nimis rigidum est, ut reus poenas ex seipso exsequatur et bonis possessis se privet ». De hoc tamen principio dubium movet s. Alph. quoad *examinatores* beneficiorum parochialium: quippe cap. 18. sess. 24. Concil. Trident. edicitur, ut non possint absolvi nisi *dimissis beneficiis*. Verum « alii (ita Thesaur. *de Poenis* part. 2. cap. 4. n. 1.) dicunt, hanc poenam (scil. quoad examinatores istos) non esse usu receptam cum tanto rigore et ideo non teneri ante sententiam dimittere. Ita Lessius cap. 35. n. 148., Tannerus... ».

5ª Denique beneficium sic simoniace resignatum reservatur Sedi Apostolicae, ut ab ordinario collatore conferri illa vice nequeat. Fructus vero ex hisce beneficiis male percepti applicantur Camerae Apostolicae.

Circa quam poenam tamen inspiciendum, an intercesserint concordata cum Sede Apostolica. Ut enim notat Schmalzgrueber h. tit. n. 273., si in concordatis statuatur, extra menses Papales per nullam reservationem aut dispositionem non comprehensam in ipsis concordatis liberam collationem Ordinariorum esse impediendam, tunc neque vi casus simoniaci confidentialis censetur habere locum haec reservatio, nisi forte in quopiam decreto expresse id constituatur; quod tamen decretum nullatenus exsistit. Ita apud Giraldi invenies Constitutionem

Sixti V. (Girald. vol. 2. pag. 572.) quae incipit *Pastoralis Officii* 13. Aug. 1587. et qua Papa beneficia vacantia ratione confidentiae permittit liberae collationi ordinariorum collatorum, perinde ac si nunquam fuissent reservata, dummodo collatores non fuerint criminis participes aut consentientes: itemque fructus male perceptos erogari concedit in usum ac reparationem ecclesiarum seu monasteriorum ac beneficiorum, circa quae crimen admissum est.

502. Dubium nonnulli moverunt, an poenas huiusmodi, inflictas scil. pro quavis simonia et sup. recensitas, incurrant illi quoque, qui simoniam committunt tantum contra ius ecclesiasticum, v. gr. in commutatione beneficiorum propria auctoritate. Movebantur autem hac ratione, quod cum poenae sint odiosae, videantur restringendae ad solam simoniam iuris naturalis.

Sed communius, inquit Schmalzgr. h. tit. n. 275. et longe probabilius affirmant DD. Ratio quia ss. Canones generatim et indiscriminatim detestantur et puniunt simoniam. Atqui certum est, pacta circa beneficia, propria auctoritate inita, tametsi tantum contra legem ecclesiasticam, damnari ut continentia labem simoniae. Imo aperte ss. Canones eam quoque comprehendunt, quae est iuris tantum ecclesiastici. Ita Urbanus III. in cap. *Quaesitum* 5. *De rerum permutatione:* « Generaliter itaque teneas, quod commutationes praebendarum de iure fieri non possunt, praesertim pactione praemissa, quae circa spiritualia vel connexa spiritualibus, labem semper continent simoniae ». Et cap. *Cum olim* 7. eod. tit. Innocentius III.: « Cum ergo nobis constaret, quod ipse B. suum praestiterit permutationi consensum, praedictus autem magister suum publice fateretur errorem; et hunc praepositura et illum archidiaconatu curavimus spoliare ».

Subdit tamen Innocentius, licere Episcopo mutare personas etc. Sed de his, ubi de beneficiis eorumque permutatione in tract. *de Statibus particularibus*.

Est et simonia realis in officiis ecclesiasticis quae *spiritualia* censentur, spectant nempe ad rerum spiritualium administrationem: eiusmodi sunt officia *legati*, *vicarii*, *coadiutoris*, *sacristae*, *cappellani* etc.; quae officia si emas, simoniam iuris ecclesiastici committis, saltem si ex iis sint, quae a potestate ecclesiastica conferuntur et clericis quidem, non laicis atque non sunt amovibilia ad nutum. Poenae autem ipso facto incurrendae pro tali simonia nullae sunt (n. 481.). Cf. D'Annibale III. 113. s. Alph. III. 112.

Articulus III.

An, et cui sit restituendum quod simoniace acceptum.

LXII. Resp. 1. Nihil spirituale simoniace acceptum, praeter beneficium (sub quo continetur pensio, secundum Bon. negante Less.) est restituendum. Ratio est, quia cetera vel restitui non possunt, ut Sacramenta, vel non sunt restituenda ante sententiam; cum Canones aliud non statuerint, ex Less. n. 68. Suar. Fill. etc. contra Azor, Laym. Bon. d. 1. q. 7. p. 3. diff. 2. Dixi *praeter beneficium;* quia hoc retineri non potest, etiam ante iudicis sententiam: ut patet tum ex cap. *Si quis neque* c. 1. q. 1. tum ex 2. *Extrav. Cum detestabile, de Simonia.* V. Bon. l. c.. Ubi addit etiam fructus praeceptos esse restituendos; tum quia nullo iusto titulo possunt retineri, cum adeptio beneficii simoniaca sit ipso facto irrita; tum quia sic expresse habetur in *Extr. Cum detestabile, de Simonia.* V. s. Th. 2. 2. q. 100. a. 6. Nav. l. 5. *Cons.* 62. Less. l. 2. c. 35. dub. 31.

503. Quod res spiritualis, quae solet dici merx simoniaca, non sit restituenda, est fere unanimis DD. sententia. Ita Schmalzgr. lib. 5. tit. 3. n. 284. Cf. Suarez *de Simonia* cc. 59. 60. Ratio 1° quia non solum quaedam non possunt restitui, ut notat A., sed etiam quia nullo iure obligatio haec est imposita, licet iudex possit dein eam iniungere. 2° Quia ut valida sit rei spiritualis translatio, iure divino non plus requiritur, quam potestas eam transferendi in utroque quoad rem spiritualem, nisi *aliunde* in aliquo eorum sit defectus. Ergo valebit iure divino translatio. Si autem valet iure divino, valebit etiam iure humano; quia ad hoc non reperiuntur irritatae nisi fere solae provisiones beneficiales simoniacae. 3° Quia obligatio restituendi oritur solum ex violatione iustitiae; atqui in simonia peccatur quidem contra religionem sed non peccatur contra iustitiam, nisi dans spiritualia damnum subeat vel incommodum, quod compensetur temporali retributione (vid. Schmalz. l. c. n. 284. et 10.). v. gr. si beneficium resignetur.

Doctrina, quod retineri non possint beneficia simoniace acquisita, communis est et certa; quanquam haec restitutio non quidem ex iure naturali facienda sit, ut quidam senserunt, sed iure ecclesiastico. Schmalz. l. c. n. 283. Ratio, quia iura in poenam tam gravis delicti obstant, quominus recipiens beneficium aut pretium, possit acquirere dominium accepti.

Cum autem irrita sit et nulla adeptio beneficii, eo ipso dominium acquiri non potuit etiam fructuum, atque adeo et hi sunt restituendi.

Notat A., secundum Bonacinam eadem lege, ac beneficia, comprehendi etiam pensiones, scil. *spirituales*, quippe de laicis aut etiam mixtis minus difficultatis occurrit. Vid. sup. n. 476. Sed simul innuit A., id a Lessio negari. Et sane ut ait Schmalzgr. l. c. n. 285., cum iura allegata loquantur solum de beneficiis, non sunt extendenda ad pensiones, utpote odiosa, quia in materia poenali.

LXIII. Resp. 2. Pretium acceptum pro beneficio, collatione Ordinum, Sacramentorum et sacramentalium, si notabiliter excedat, id, quod pro sustentatione exigi poterat, item pro admissione ad Religionem, iure positivo restituendum est. Hoc tamen posterius nonnisi post latam sententiam, si admissus in Monasterium maneat; quia plerumque ratione alimentorum retineri potest, modo in communem usum convertatur. V. Bon. l. c. Less. l. 2. c. 35. d. 30.

504. Quoad hunc locum Auctoris, illud horatianum habemus: *Brevis esse laboro, obscuro fio.* Quidam semper restituendum putarunt ex Gregorii IX. decreto inf. n. 506. Distinctione itaque utendum est, an quidpiam *simoniace tantum* receptum sit, an vero etiam *iniuste.*

Si intercessit peccatum solummodo simoniae, non vero iniustitiae, non datur obligatio restituendi pretium ante sententiam iudicis condemnatoriam, nisi pretium excedat aestimationem commodi temporalis, quod cum re spirituali in alterum translatum est, ut recte monent Lessius, Suarez, Laymann, Reiffenstuel etc. apud Schmalzgr. h. tit. n. 286.

Hinc 1° non obligatur ad pretii accepti restitutionem, qui vendidit vasa sacra, chrisma, vel oleum sacrum, si id, quod accepit, non excedat valorem illius materiae, quamvis teneatur restituere, si quid accepit ratione consecrationis vel benedictionis, quae pretio aestimari non potest. Ratio, quia hae res per consecrationem non amittunt suum pretium; ergo qui pro illis iuxta aestimationem materiae dat pretium, aut nullam omnino simoniam committit, aut non committit saltem simoniam iuris divini et naturalis. Suar. et Pirhing apud Schmalz. l. c. n. 287.

2° Non obligatur ad accepti pretii restitutionem, qui contra ss. Canones alteri vendit officium temporale Ecclesiae, v. gr. custodis, syndici, oeconomi etc. Ratio quia etsi committat simoniam, non tamen committit iniustitiam; quippe dando tale officium privat se commodo temporali. Suar., Laym., Lessius etc. apud Schmalz. ib. n. 288.

3° Ex eadem ratione ad restitutionem pretii, spectato solum naturali iure, non obligatur etiam is, qui alteri vendit SUUM beneficium. Nec obstat, quod non sit dominus sui beneficii; quia non transfert dominium beneficii, sed instar usufructuarii, commodum rei beneficiariae: in quo etsi committat simoniam iuris quoque divini, ut multi malunt cum Schmalzgr. l. c. n. 224., non tamen peccat contra iustitiam. Schmalz. ib. 288.

4° Similiter ad restitutionem non tenetur monasterium, si accepit pecuniam pro admissione alicuius ad religionem. Ratio quia, licet admissio sit actus spiritualis, ideoque sine simonia accipi pretium

nequeat; quia tamen habet onus temporale sustentandi personam, quod pretio est aestimabile, ideo pecuniae acceptio, modo non excedat aestimationem oneris temporalis sive alimentorum, non repugnabit iustitiae. Hinc Papa Extrav. 1. hoc. tit. concedit, ut simoniace accepta retineri possint, dummodo non in privatum Abbatis vel Abbatissae etc., sed in communem usum convertantur.

5° Si quis castrum, cui adnexum est iuspatronatus, carius vendat ratione iuris illius, ob temporale commodum, quod afferre solet tale ius et quo se privat in gratiam alterius, v. gr. ob honorem humanum, qui est pretio aestimabilis, potest is retinere pretium acceptum, donec per sententiam restituere compellatur. Ratio, quia licet illa venditio sit simoniaca, eo quod honor ille adnexus est iuri spirituali et in eo fundatus, non tamen est iniusta. Ita Suar. Laym. Pirh. etc. apud Schmalz. l. c. n. 290.

6° Idem est, si quis vendat imaginem miraculosam, ex qua lucrum percipiebat, vel aliam rem spiritualem seu sacram, ex qua hauriebat voluptatem, seu aliam commoditatem ex usu et possessione talis rei. Suar. Phir. etc. apud Schmalz. ibid.

7° Si quis pro functione spirituali, v. gr. sacrificio Missae, ad quam non tenetur ex officio et iustitia, accipiat temporale aliquid, non tanquam pretium spiritualis functionis, sed tanquam stipendium, quod omni laboranti in gratiam alterius est iure naturae debitum, titulo tamen sustentationis quid accipiat *contra prohibitionem legis ecclesiasticae,* puta pro altera Missa qui binare potest, non tenetur ad restitutionem. Laym. Pirh. apud Schmalzgr. ibid. n. 291. Eadem est ratio.

8° Imo etiamsi accepisset tanquam pretium spiritualis functionis, si tamen pretium acceptum non excedat iustum stipendium, ipsi debitum pro actione illa ad sustentationem, non tenetur ad restitutionem; quia licet simoniam commiserit accipiendo pretium pro re spirituali, non tamen commisit ullam iniustitiam: ideoque mutata intentione potest retinere tanquam stipendium, quod prius acceperat tanquam pretium. Ratio, quia non tam acceptione, quam accipiendi modo seu prava intentione peccatum est. Igitur si haec deponatur aut mutetur, iuste honesteque id per modum stipendii retinebitur. Schmalzgr. cum comm. n. 291.

505. Contra vero ad pretium restituendum ante omnem sententiam obligatur, quando acceptio repugnat iustitiae commutativae. Est communis sententia.

Ratio est quia ex violatione iustitiae commutativae exploratum est, obligationem restituendi exsurgere. Schmalz. l. c. n. 292.

Hinc resolvuntur particulares isti casus.

1° Ad restitutionem tenetur ille, qui pretium accipit pro re mere spirituali quaeque nullum affert commodum temporale. Communis.

Ratio, quia tales res non sunt pretio aestimabiles aut vendibiles; atqui qui vendit pro pretio rem, cuius nullum est pretium, contra iustitiam peccat atque adeo pretium pro ea acceptum illicite retinet. Ergo Schmalz. l. c. n. 293.

2° Item ad restitutionem tenetur qui pretium accepit pro re spirituali etiam tali, quae commodum temporale affert, si ea ex iustitia, v. gr. ex officio parochiali a parocho debebatur, v. gr. instructio catechesis vel explanatio evangelii etc.

Ratio est, quia peccat contra iustitiam, qui pretium recipit pro re, quam aliunde ex iustitia debet. Commun. apud Schmalz. l. c. n. 294.

3° Eadem de causa tenendum est contra Lessium, teneri ad restitutionem pretii accepti Episcopum, vel alium Ecclesiae Praelatum, si vendat beneficia vel officia ecclesiastica, quorum collatio ad ipsum ratione muneris sui spectat.

Ratio est, quia non solum non est beneficiorum dominus sed merus dispensator a Deo constitutus, verum debet insuper ex officio suo dispensare gratis; adeoque peccat contra iustitiam, si pro tali collatione pretium accipiat. Suar. Laym. Pirh. apud Schmalzgr. l. c. n. 295.

506. Cum Gregorius IX. cap. *Pactiones* fin. *de Pactis* sanxerit: « Pactiones factae a vobis... pro quibusdam spiritualibus obtinendis, cum in huiusmodi omnis pactio omnisque conventio debeat omnino cessare, nullius penitus sunt momenti »: videri potest, quamlibet pactionem simoniacam irritam esse, atque adeo pretium restituendum: quod esset contra dicta sup. n. 504.

Responde cum Schmalzgr. l. c. n. 296., dispositionem illam restringendam esse ad materiam beneficialem. Si vero contendas, extendendam ad cetera spiritualia, non renuo, sed cum distinctione dico: huiusmodi pactiones irritas esse, antequam compleantur traditione mercis et pretii; non enim ita obligantur paciscentes ad implendum pactum a se initum, cum complere illud sine peccato non possint. Si tamen pro re temporali rei spiritualis traditio et eius acceptatio facta sit, istam subsistere et acceptam rem spiritualem retineri licite posse. Ita enim res se heic habet, sicut in pacto, quo quis sicarium conducit pecunia, aut usum corporis sibi emit a meretrice, ubi adest obligatio non implendi pactum per caedem vel fornicationem: si tamen haec facta sint, exsurgit in altero paciscente obligatio ad solvendum pretium et postquam hoc est solutum, dominium eius ab accipiente acquiritur, donec per sententiam iudicis auferatur.

LXIV. Resp. 3. Acceptum pro beneficio aliave re spirituali, non secuta collatione, iure naturae restituendum est ei, a quo est acceptum; quia deest titulus retinendi, cum non praestetur id, pro quo est datum. Si vero res tradita sit, simonia utrinque completa, probabilius est restituendum esse Ecclesiae et non danti; quia Ecclesia utrumque punire intendit, ut Less. Laym. hic loc. cit. §. 9.

507. Auctor duplicem casum ponit; 1° si datum sit pretium, sed nondum tradita sit res spiritualis: 2° si ex utraque parte traditio sequuta sit.

Quoad primum casum, sententia Auctoris, quod pretium restitui debeat danti, communis est nec recipitur, quod quidam addiderunt, posse in poenam dari pauperibus vel ecclesiae; nisi fiat id ex iudicis sententia. Certe iura nullam poenam statuunt nisi contra simoniam realem, quae heic non adest.

Quoad secundum casum, scil. traditione sequuta ex utraque parte, A. dicit, probabilius restituendum esse Ecclesiae et non danti; quia Ecclesia intendit punire utrumque. Quae sententia reipsa ex Lessio est probabilior lib. 2. cap. 35. dub. 31. n. 171., non autem ex Laymann, qui *de Simon.* cap. ultim. n. 79. mere refert eam ex mente quorundam et ipse oppositae potius adhaeret.

S. Alphonsus lib. 3. n. 115. post Salmanticenses dicit, tres esse sententias, quarum una dicit restituendum danti, altera ecclesiae, tertia posse restitui etiam pauperibus et cum Salmanticensibus dicit, tres omnes esse probabiles, allegans perperam (ob vitium Salmantic.) auctores, v. gr. Lessium allegans pro prima, Suarez vero (qui certe stat pro prima) allegans pro secunda.

Melius Schmalzgr. distinguit causas beneficiarias a reliquis. Et quoad pretium acceptum pro beneficiis, utique l. c. n. 302. statuit ex iure ecclesiastico restituendum esse pretium ecclesiae, in qua beneficium situm est, ut edicitur in cap. *De hoc* 11. h. tit., vel, si superior velit, restitui posse pauperibus, ut notat s. Thom. 2. 2. q. 100., art. 6. ad 3.

Recte tamen subdit, n. 303., ante sententiam, qua condemnetur ad restituendum ecclesiae vel pauperibus, restitui posse pretium illi, qui dedit, prouti plures et thh. et canonistae cum Reiffenstuel docent. Neque obest allegatum cap. *De hoc;* ex quo solum infertur, ita Schmalz. n. 304., quod ante sententiam condemnatoriam in conscientia restitui pecunia accepta debeat, *cum ea sine gravi salutis periculo retineri non possit.*

Quoad pretium vero acceptum pro alia re spirituali, nihil ad rem facit illud caput *De hoc.* Neque ad rem facit cap. *Ut audivimus* 41. h. tit., a Lessio allegatum, quod nimis probaret, nempe esse restituendam summam pretii duplicatam.

Cum ergo quoad alia cesset fundamentum petitum ex Iure Canonico praevalere debet ratio evincens, restitutionem faciendam esse danti. Nempe ratio est, quia per se *et lege seu superiore aliud non statuente*, ratione iniustae acceptionis restitutio facienda est illi, qui laesus fuit. Atqui in casu laesus fuit ille, qui pretium dedit. Ergo. Schmalz. n. 297.

Et hinc est, quod si is, qui simoniace dedit, gratuito remittat pretium, ille, qui istud accepit, licite idem retinet, donec in criminis poenam, ecclesiae vel pauperibus illud erogare per iudicem iubeatur. Schmalz. ibid. n. 297., qui deinde nn. 298.-301. obiectiones solvit.

508. An *restitutio facienda ob simoniam mentalem :* aliis affirmantibus contra alios negantes, Schmalz. cum Suarez cap. 59. nn. 46. 47. et aliis probabiliorem dicit sententiam, quae distinguit, an pretium sit acceptum *iniuste*, an vero *sine iniustitia*, iuxta ea quae diximus sup. n. 504.

Et in primo casu obligatio aderit restituendi, non quidem vi iuris ecclesiastici, sed potius naturalis. Ratio, quia omnis exceptio externa, quae iniusta sit et procedat ex iniusta intentione, obligat ad restitutionem. Unde nihil quoad hoc differt inter simoniam realem ac mentalem, sed in hoc solum differunt, quod simoniacus mentalis non subsit poenis a iure positivo statutis, quibus subiacet quisquis realem simoniam commisit.

In altero vero casu nulla est obligatio restituendi pretii; ratio, quia tunc nec ius naturale ad restitutionem obligat utpote quod restitutionem praecipit solum ex ratione laesionis, nec ius positivum, utpote quod ultra naturalem obligationem obligat ad restitutionem pretii solum *ob poenam*. Sufficiet ergo in hoc casu, quod mutetur intentio et simoniace acceptum dein sub iusto titulo retineatur. Schmalz. nn. 305. 307.

SECTIO II.

DE SECUNDO PRAECEPTO DECALOGI.

I. Prohibet hoc praeceptum omnem inordinatam usurpationem nominis Dei, qualis potissimum fit blasphemando, temere iurando, vovendo et non servando, de quibus hic agendum.

Materia ab A. indicatur in proemio, scil. agendum 1° de blasphemia, 2° de iuramento, 3° de voto.

CAPUT I.

QUID ET QUOTUPLEX BLASPHEMIA.

II. Resp. Blasphemia, directe opposita laudi Dei, est verbum maledictionis vel convicii seu contumeliae in Deum, sive id fiat attribuendo ei falsa, sive negando vera, sive tribuendo creaturis, quae ipsi debentur, sive etiam dicendo vera, sed quae ad eius dehonorationem seu vilipensionem tendant: ut fit per modum ei indignantis, contemnentis etc. Ita commun. DD. s. Th. 2. 2. q. 13. Bon. disp. 3. q. 8. Sanch. 2. *Mor.* c. 32. Laym. l. 4. t. 10. c. 6. etc.

509. In definitione Auctor dicit: aut *attribuendo ei falsa* aut *negando vera*... aut *dicendo vera in dehonorationem* etc.

S. Thomas quidem 2. 2. q. 13. art. 1. dicit, esse vitium contrarium confessioni fidei et art. 3. ad 2. blasphemo tribuit, quod sentiat aut dicat aliquid falsum de Deo. Itemque art. 2. ad 2. supponit, aliquid falsi asseri de Deo.

Escobar lib. 28. cap. 32. n. 716. ex universa theol. mor. affert eos, qui s. Thomam sequuntur et n. 717. contrarios, qui statuunt, ad rationem blasphemiae satis esse, ut verbum sit contumeliosum, v. gr. si quis Deo mala imprecetur. Et merito n. 718. concludit, esse quaestionem de nomine; quia primi in eo reperiunt falsitatem quod qui Deum verbis contemnit, ipso actu veluti fatetur Deum esse contemptibilem; in quo sane est falsitas, ut si dicas: lo voglio a dispetto di Dio — non m'importa di Dio. Quamquam Palaus (ibi allegatus) bene statuat *minus proprie* falsitatem Deo per eiusmodi tribui.

Nec alienus ab hac sententia est ipse s. Thomas; nam art. 1. ait: « Dicendum, quod nomen blasphemiae importare videtur quandam derogationem alicuius excellentis bonitatis et praecipue divinae ». Et ad 1. « Ille, qui contra Deum loquitur, *convitium inferre intendens* derogat divinae bonitati non solum secundum veritatem intellectus, sed etiam secundum pravitatem voluntatis detestantis et impedientis pro posse divinum honorem; quod est blasphemia perfecta ». Ergo *aliquid falsi* non significare videtur *haeresim*, sed conceptum mentis

minus congruum reverentiae, quae Deo et divinis perfectionibus debetur v. gr. nolo obedire Deo.

Alii simplicius definiunt: *blasphemia est locutio contra Deum aut res sacras per modum contumeliae.* Et Suarez *de Relig.* tract. 3. lib. 1. cap. 4. n. 1.: « Est verbum maledictionis, convitii seu contumeliae in Deum ». * Quae definitio retinenda videtur ut satis demonstrat Suarez cap. cit. Est ergo blasphemia peccatum spectans ad speciem vitii contrarii virtuti Religionis, ut monet ibid. Suarez et innuit A., asserens eam esse directe oppositam laudi Dei, quae est actus religionis, ut diximus sub 1. praecepto n. 312.

Advertit eodem in loco Suarez blasphemiam proprie *in verbis* sitam esse, ut constat ex communi usu loquendi, ex quo verborum significatio petenda est: secus, si quodlibet exterius signum sufficeret, actus idololatriae quoque esset dicendus blasphemia, quod nemo recipit: qua de re in Resol. 2. *

Unde resolves.

III. 1. Blasphemat, qui contra Deum infrendens, ei maledicit: item, qui ait se aliquid acturum eo invito: item, qui eum negat, qui iurat serio per deos falsos: qui eum vocat tyrannum, iniustum, nolle aut non posse nos iuvare, non curare nostra: daemonem esse fideliorem, plus posse: non omnia bene esse ordinata, melius in creatione quaedam fieri potuisse aut debuisse etc. Quae quidem siquis credat ita esse et non tantum in ira aut desperatione effutiat, tunc est blasphemia haereticalis, idest cum haeresi coniuncta: quod in confessione est addendum, quia specie differt ab imprecativa. Hurt. 2. 2. d. 91. sect. 12. §. 54.

510. Facilis est distinctio, quando scilicet aut est mera contumelia, aut simul cum contumelia additur error contra fidem. Dixi *simul cum contumelia;* quia si haec absit, erit haeresis sed non blasphemia.

Triplicem autem errandi modum innuit Responsio 1ª, scil. 1° de Deo negando vera, 2° attribuendo falsa, 3° creaturae tribuendo ea, quae Dei sunt propria.

Formulas, a quibus abest blasphemia, recitat nonnullas s. Alph. lib. 3. n. 124. et quae reipsa in diversis regionibus occurrere solent.

Huiusmodi sunt. *Nego Di..., santo Di..., santo Diana...,* ubi vel nomen Deo obtruncatur, vel desinentia aliena pervertitur. Ubi adverte nimis morosos esse, qui blasphemiam, quae in verbis nulla est, expiscari in intentione importune satagunt.

Dicere contra homines: *Sangue di Dio, Corpo di Dio,* nisi sit directa contra Deum indignatio, non est blasphemia; quia nihil dicit quod Deum dehonoret; sed in ipso exercitio est irreverentia, absque causa vel ex ira rem sacratissimam appellando.

Item: *Per vitam Dei* vel *Sancti alicuius.*

Et Escobar tr. 28. cap. 32. n. 744. probabile censet haec esse iuramenta non blasphema, licet propendeat in contrariam sententiam.

Renego Deum, nisi te percussero Escobar nn. 733.-734. vult esse haereticalem. Sed, ut ait s. Alph., sensus est: Sicut est certum, quod Deum non negabo, ita animum certum habeo te percutiendi.

Item: *Hoc est verum, sicut Deus.* Et bene Escobar n. 737. dicit, pendere a mente proferentis, an aequalem cum Deo certitudinem seu veritatem affirmare velit. At reipsa non fit comparatio ista Deo odiosa, sed solum certam alterius rei veritatem ostendere quis vult.

Item blasphemiae cum conditione: *Fuor di Dio, se l'ho fatto io.* Et refert s. Alphonsus l. c. de his formis varias DD. speculationes: bene autem concludit, quod qui talia profert, ideo sic loquitur, quia non vult blaspemare.

Quoad haereticalem.

511. S. Alph. n 123. notans obligationem denuntiandi, advertit obligationem id exsequendi intra sex dies propriam esse Inquisitionis Hispaniae: heic valere regulam generalem unius mensis.

Et bene addit, in desuetudinem abiisse obligationem denuntiandi simplices blasphemias, quae viguit ex decreto Iulii III.

Quoad denuntiandam haereticalem, haec prae oculis habeantur:

1° Confessarius nulla *speciali* ratione tenetur de hac obligatione poenitentem monere; et ideo generales regulas quoad monitionem faciendam sequi debet.

2° Adiuncta inspicienda, an in grave damnum denuntiantis cedat, etiam v. gr. quod communiter deinde vitetur ut delator (spia) et caveant ab ipso omnes. Interdum graviora timenda erunt pro locorum varietate et moribus.

3° Inspiciendum, num fructus aut correptionis aut emendationis sperandus sit. Nam saepe ne admittitur quidem denuntiatio: difficile est invenire testes, non puniunt, idque etiam ob delinquentium multitudinem et quia generatim in quibusdam hominibus non praesumitur formalis haeresis.

Poenae haereticalis blasphemiae.

512. Fuit olim crimen fori mixti: quia puniebatur lege civili et canonica.

Civili lege puniebatur morte, triremibus, abscissione linguae. Iure Canonico statuta erat olim poenitentia sollemnis, tum depositio pro Clerico, pro Laico excommunicatio. Sed poenae istae obsoletae.

Solet ab Episcopis reservari; sed casus episcopalis erit solum, si

grave sit peccatum et simul non adsit formalis haeresis. Nam si adest formalis haeresis, erit reservata Pontifici et idcirco subtracta potestati Episcopi. Si vero non sit gravis culpa v. gr. ob inadvertentiam, tunc nec Episcopo manet reservata.

* Ceterum vel simplex blasphemia est ex genere suo peccatum mortale: nam secundum genus suum repugnat caritati divinae, quia derogat divinae bonitati, quae est obiectum caritatis 2. 2. q. 13. a. 2. Item simplex blasphemia maximum peccatum est in suo genere inter ea, quae virtuti religionis opponuntur; quia directe opponitur divinitati et excellentiae eius secundum se eique non solum negat debitum cultum, sed etiam summam irreverentiam et iniuriam infert. Suarez l. c. c. 6. n. 3.*

IV. 2. Revocantur etiam ad blasphemiam alia signa contra Deum, licet verba non adsint: ut spuere in caelum, infrendere dentibus etc. Imo etiam sola mente blasphemia interior committi potest, sicut etiam laus mentalis Dei.

513. Licet actus seu gestus, de quibus A., iniurii Deo sint et contumeliosi: tamen cum blasphemia opponatur, ut ait s. Thom. sup. n. 2. laudi Dei, quae solis verbis exhibetur, etsi honor et verbis et factis fiat aut laedatur; hinc presse loquendo non datur blasphemia *facti;* unde et dici solet *vitium linguae.* Ita cum aliis Suarez *de Relig.* tr. 3. lib. 1. cap. 4. n. 4. ut iam monuimus.

Sane doctrina est s. Thom. 2. 2. q. 103. art. 1. ad 3. « Laus distinguitur ab honore,... quia laus consistit in solis signis verborum; honor autem in quibuscumque exterioribus signis ».

Unde bene Auctor non dicit *blasphemias esse*, sed *revocari ad blasphemiam*, scil. quoad indolem iniuriae.

Hinc 2. 2. q. 13. art. 1. « Si consistat tantum in corde (scil. derogatio divinae bonitatis) est cordis blasphemia: si autem exterius prodeat per locutionem, est oris blasphemia et secundum hoc blasphemia confessioni fidei opponitur ».

Quocirca si reservata sit blasphemia, non erit reservata nisi quae fiat per verba, non vero quae fiat per gestus.

Hinc sane intelligenda verba Gury tom. 1. §. 299.: « Blasphemia est locutio Deo iniuriosa. Locutio autem non verbo explicito tantum sed etiam mente et opere fieri potest ». Item quod mox subdit, « blasphemiam esse directam vel indirectam, prout contumelia in Deum directe intenditur, vel implicite tantum in dictis aut GESTIS continetur ».

514. Quod spectat tamen ad interiorem blasphemiam, paulo diversa est doctrina Suarez. Interna, inquit *de Relig.* tr. 3. lib. 1. c. 4., dicitur quae fit locutione mere mentali: externa, quae fit per sensibile

verbum. Circa priorem advertere oportet, illam non esse in voluntate, sed in intellectu; nam locutio mentalis est actus intellectus. Et ideo distinguere necesse est inter affectum blasphemiae et blasphemiam ipsam internam. Affectus enim blasphemiae proprie non est blasphemia in re..., sed in voto et appetitu, et ideo licet tota malitia formalis blasphemiae sit in illo affectu, ideoque talis affectus possit dici blasphemia mentalis, sicut desiderium occidendi hominem vocatur homicidium mentale; nihilominus non est vere et realiter blasphemia, sicut desiderium occidendi non est realiter homicidium, sed morali quadam imputatione. Blasphemia autem interior est propria blasphemia in usu et executione... et comparatur ad affectum ut obiectum eius et respectu voluntatis potest dici actus externus, licet respectu corporis sit internus ». Exinde iudicandum de iis, quorum menti blasphemiae obversantur, sed sine voluntatis affectu; qui tamen accusant, se blasphemasse et hoc quidem non raro contingit.

Utcumque vero concedatur, mere internam quoque veram esse blasphemiam atque ut Suarez l. c. n. 2. ait competere definitionem: *Est verbum maledictionis, convitii seu contumeliae in Deum,* quippe verbum abstracte accipiatur tum pro mentali, tum pro sensibili; tamen reservatio blasphemiae in internam non caderet, non modo quia reservari non solent peccata mere interna, sed etiam quia stricto sensu communique blasphemiae nomine venit maledictio ore prolata.

V. 3. Blasphemat item, qui in Sanctos vel sacra contumeliosus est, intellige, ut sancti sunt, sive cum habitudine saltem virtuali ad Deum, ita ut moraliter huius etiam honor censeatur tangi; quia alioqui tantum erit contra duliam, si nimirum contra illos, ut homines quidem in terris fuerunt, dicatur. Quod veniale est, si ioco fiat, verbi gratia, si sanctos Crispinum et Crispinianum voces sutores, Ioannem et Paulum eunuchos: grave vero erit, si contemptim vel ex odio aut indignatione contra Sanctos haec dicas. Licet vero blasphemiae in Deum non admittant materiae parvitatem: multi tamen admittunt in iis, quae fiunt contra Sanctos. Esc. tr. 1. ex. 3. c. 6.

515. De his sermo redibit in resol. 12. et ibi explicabitur, quid sit inhonorare solum Sanctos, vel inhonorare etiam Deum, saltem indirecte. Quidam, ut Gury tom. 1. §. 299., blasphemiam in Sanctos vocant *mediatam*, in Deum vero *immediatam*.

Supponitur heic, blasphemiam esse semper grave peccatum: quae est doctrina vera et communis. Quod in fine dicitur, posse esse *leve*, si *in Sanctos* dicatur, intellige modo paulo ante explicato, si fiat scil. ioco. Vix tamen video rationem allegationis Excobar ex libro *theol. moralis*, tr. 1. exam. 3. c. 61.; cum nihil de re habeat.

VI. 4. Blasphemat item qui iratus, etsi non contra Deum, sed contra alios aut alia, eadem tamen serio profert, quae ex sua significatione aut modo loquendi ac circumstantiis important imminutionem divini honoris aut imperii; licet enim eam non intendat formaliter, intendit tamen indirecte et virtualiter: quamvis id ex subreptione saepe sit veniale tantum, si tantum materialiter fiat.

516. Adverte, agi de verbis, quae ex sui significatione aut modo loquendi etc. important detractionem divini honoris seu improperium. Et in hoc praesens resolutio differt ab aliis v. gr. a 9ª sequenti. Intenditur autem illa detractio indirecte; quia teneor cavere a verbis, quae in Dei improperium cedant, licet directe hoc non intendam. Exempli gr. si quis Christi aut Mariae nomen efferat cum nominali desinentia propria contemptus etc.

De subreptione infra. Ceterum revoca principium generale, scil. imperfectionem actus plus minusve excusare a malitia.

VII. 5. In confessione exprimendum est, si quis (quod tamen raro contingit) directe et formaliter Deum inhonorare intenderit, aut ei formaliter iratus fuerit. Laym. loc. cit.

517. In hac re quidam, ut Gury tom. 1. §. 299., distinguunt blasphemiam in *directam* et *indirectam* et eam, de qua nunc, vocant *directam*.

Quod hoc sit exprimendum in confessione, Auctor nullam addit rationem, sed solum allegat Laymann lib. 4. tr. 10. cap. 6. n. 12.

At enim ratio a Laymann allata est « quia haec circumstantia intime aggravat et auget despectum et inhonorationem Dei, in qua essentialis malitia blasphemiae consistit ». Verum eo ipso, quod mere aggravat et eadem manet essentialis malitia seu species peccati, alius iuxta probabilem et tutam sententiam, negabit hanc circumstantiam esse necessario exprimendam.

S. Alphonsus in notula h. l. n. 126. probans doctrinam Auctoris, id esse in confessione exprimendum, addit haec verba: « Cum communi apud Salm. tract. 21. cap. 3. n. 123. cum Less. lib. 2. c. 45. n. 33. Secus, si tantum ex ira blasphemet ». S. Alphonsum sequitur Scavini tract. 5. disp. 3. c. 2. a. 2. q. 3.; quia longe alterius rationis peccatum est, cum facis aliquid directa intentione ut legem violes; hoc enim verum legis contemptum includit.

Verum assertio Salmanticensium alio spectat. Inquiunt: « Rogabis an omnes blasphemiae sint eiusdem speciei. Respondetur dicendo, blasphemias haereticales et ex odio Dei procedentes esse diversas specie ab aliis blasphemiis ». Et rationem addunt quia haereticales sunt etiam contra fidem; procedentes autem ex odio sunt contra virtutem caritatis erga Deum. Nos autem modo loquimur de directe vel indirecte

intenta inhonoratione Dei; non agimus de blasphemiis procedentibus ex odio Dei. Ceterum tantum abest, ut haec spectent ad doctrinam Laymann, ut hic l. c. lectorem remittat ad lib. 1. tract. 2. cap. 10. n. 3., ubi sententiam suam profert de necessitate confitendi nonnullas circumstantias *mere aggravantes;* quando e contra Salmanticenses loquuntur de circumstantia mutante speciem. Ergo allegata doctrina Salmantic. non facit proprie ad rem.

518. Lessius l. c. utique dicit eam circumstantiam confitendam; quia cum contumelia est directe volita, est peculiaris et positivus affectus erga illud obiectum, a quo affectus speciem accipit: qui affectus in eo non est, qui solum indirecte et interpretative illud vult. Porro habere hunc affectum erga contumeliam Dei est incomparabiliter peius, quam si solum intendatur aliqua voluptas aut iniuria hominis, ut contingit in blasphemia, in qua indirecte solum intenditur inhonoratio Dei.

Concedimus, affectum esse multo peiorem, cum contumelia est directe volita. Sed nisi malitia accedat odii aut similis et si sistamus in contumelia directe volita, videtur neganda consequentia, scil. necessitas id in confessione exprimendi. Ratio, tum quia non est necessario recipienda doctrina de confitendis circumstantiis mere aggravantibus; tum quia nemo protulit hunc canonem, de confitenda circumstantia iniuriae vel *directe* vel *indirecte* volitae. Et sane quis dixerit exprimendum esse in confessione, an damnum intuleris furando segetes vel eas pedibus proterendo dum venareris? Neque, ut supponit Scavini, directa intentio rei prohibitae est eo ipso contemptus formalis legis prohibentis.

Quod vero s. Alph. dixit, *cum communi*, id transscripsit ex Salmanticensibus. Sed hi reapse, ut vidimus, loquuntur de alia re.

Contra vero Escobar lib. 28. n. 728. bene notat: « ubi non ex odio procedit, sed ex ira et taedio, etiamsi blasphemus habeat animum derogandi divinae maiestati ac ipsi convitia illa inferendi, non est distincta blasphemiae species... Quia haec iniqua voluntas sive formalis sive virtualis et implicita est de ratione blasphemiae; quare diversam speciem minime constituit ».

Haec autem doctrina ad hoc deservit, ne confessarius sollicitus esse debeat de indagando, an directe voluerit quis Deum convitiari, an indirecte.

Alioquin si directe quis contra Deum blasphemias protulerit, aut sponte dicit aut ex contextu intelligitur, dum narrat irae suae causas etc.

VIII. 6. Blasphemat item, qui iniuriose usurpat membrum Christi: v. g. perdat te Dei Sanguis, vulnera, mors Dei, caput, passio, Sacramenta, chrisma et similia sacra; cum ea non ad perdendum, sed ad salvandos nos data sint et communiter in his apprehendant homines magnam Dei earumque rerum vilipensionem contineri. Laym. ibid. n. 12.

519. Formulae indicatae ab A. forte usurpabantur sua aetate in Germania; nam penes nos non vigent. Ex iis, quae habet Gury tom. 1. §. 300. n. 1., suspicor, usurpari in Gallia. Ratio A. una est, duas habens partes, quarum potior est secunda; nam prior per se suas habet exceptiones; nulla sane fieret Deo iniuria, si quis per talia verba summam iniquitatem exsecrari vellet, prout v. gr. illud: *Oratio eius fiat in peccatum.* Ita dicimus et optare possumus, ad crucis signum hostes Christi et Ecclesiae prosterni, sanguinem Christi obsignaturum damnationem impii etc.

Ceterum Laymann lib. 4. tr. 10. cap. 6. n. 12., quem A. citat, addit conditionem: « Censeri debent blasphemiae, dummodo homo attenderit ad vilipensionem Dei aut rei sacrae, quae talibus verbis exprimitur ».

IX. 7. Qui talium verborum consuetudinem habet, tenetur sub peccato mortali serio conari eam tollere. Quod si facit et tamen labitur, potest excusari aliquando; eo quod iuramenta ita impetu naturali effusa non sunt voluntaria nec in se nec in causa, utpote retractata proposito efficaci. Laym. l. 1. t. 2. c. 3. n. 6. V. Escob. t. c. 3. n. 36. Si non conetur idque Confessarius notet, neget ei cum discretione absolutionem. Laym. l. c.

520. Generalis heic traditur doctrina (quae communis est) de iis qui inveteratam consuetudinem habent vel verba blasphema proferendi vel *temere* iurandi ita, ut saepius etiam falsum iurent. Idcirco A. in decursu nominat etiam iuramenta.

Primo enunciat A. obligationem tollendi hanc consuetudinem idque *sub gravi.* Quod intelligendum est, etiamsi peccata, quae ex consuetudine fiant, contingat sine ulla advertentia. Ratio est, quia sub gravi tenemur removere vitium, quod ad actum seu verba per se Deo contumeliosa inducit, sicut teneremur, si cederet in damnum vel honoris vel famae vel fortunae vel vitae proximorum.

Revocanda autem est huc doctrina tradita in tract. *de Actib. Human.,* scil. quamvis haec verba inadvertenter prolata dicantur peccata, tamen non tunc quempiam peccare, cum materiales blasphemias aut periuria sine inadvertentia effundit, quippe nullum peccatum sine rationis deliberatione committitur, sed cum sint peccata in causa, tunc reatum incurri, cum causa ponitur. Quocirca inutile est percunctari numerum horum peccatorum seu actuum materialium; quia totus reatus est in causa et hic reatus nec augetur ex pluralitate actuum materialium sequentium, sicut nec minuitur ex numero exiguo eorun-

dem actuum, sed ex praevisione prudenti pendet. De quibus bene Laym. loc. cit. ab. A. lib. 1. tr. 1. cap. 3. n. 6.

At quaenam est ista causa in qua adest reatus? Sunt DD. qui recurrunt ad originem consuetudinis duplicemque seu aggravatam malitiam reperiunt in praecedenti actuum frequentatione, ex qua consuetudo inolevit. Ita Laymann l. c., qui tamen scite monet, opus esse ad hoc, ut quis dum blasphemat vel peierat, advertat, per id sibi eam consuetudinem ingenerari. Sed plane dicamus: in praxi vix reperies homines ad hoc advertere, praesertim si a pueris inceperint neque si advertant, habent propositum ita frequentandi actum, ut consuetudo inducatur, sed sibi pollicentur, alias se non blasphematuros.

At eo reatu deficiente, non deficit alter, qui consistit in negligentia tollendi eam consuetudinem; unde actus *indirecte* sunt voluntarii, sicut sunt omnes effectus omissionis nobis voluntariae, cum scil. non tollimus causam, ad quam tollendam tenemur. Et sic patet, quomodo consuetudinis voluntarius dici possit reatus, etiamsi defuerit advertentia ac reatus specialis in ipsa consuetudine contrahenda.

521. Statuit dein A., *aliquando* blasphemias seu iuramenta prolata ex consuetudine, a peccato excusari. Dicit autem *aliquando;* quia consuetudo non efficit, ut omnes actus sint prorsus indeliberati. Si autem sunt aliquo modo deliberati, seu cum advertentia positi, iam reatum habent in se.

Quando autem plane sunt in se indeliberati, tunc a peccato possunt excusari, si nempe quis conetur serio consuetudinem auferre. Ratio est, quia *in se* non habent reatum, sed solum possunt habere in causa. Porro si causa intelligitur pristina frequentatio actuum, unde consuetudo est inducta, hic reatus per retractationem iam sublatus est. Si vero intelligitur causa *indirecta*, haec abest; quia supponimus hominem serio conantem ut consuetudini obsistat.

Et haec quidem poenitenti sunt inculcanda; quippe magnum animum addere solent ad curandam vitii exstirpationem neque imprudenter relinquendus poenitens in mala fide, quasi peccet, ubi revera non peccat: hic zelus est indiscretus, qui putat se remedium sic auferre; at id est contra gravem obligationem confessarii, qui tenetur docere et monere, quando omissio cedit in damnum spirituale poenitentis.

522. S. Alph. n. 127. non acquiescere videtur dicentibus cum A., aliquando ex impetu irae vel vi habitus contracti non adverti malitiam blasphemiae et censet cum Auctore, ut inquit, Operis: « *Istruzione pei novelli confessori*, semper adesse aliquam advertentiam, saltem confusam de malitia, licet non sit reflexa.

Ubi hoc dicat Auctor a s. Doct. citatus, reperire non potui. Quid-

quid sit alius negabit hoc. Exemplum sane affer illius, qui audiens ab alio *per Dio,* reposuit: Non bestemmiare il nome santo di Dio, *per Dio!* Et satis esse queat allegasse s. Thomam, qui 2. 2. q. 13. art. 2. ad 3. absolute scribit: « Blasphemia potest absque deliberatione ex subreptione procedere dupliciter. Uno modo, quod aliquis non advertat hoc, quod dicit, esse blasphemiam; quod potest contingere cum aliquis subito ex aliqua passione in verba imaginata prorumpit, quorum significationem non considerat; tunc est peccatum veniale (a) et non habet proprie rationem blasphemiae. Alio modo, quando advertit hoc esse blasphemiam, considerans significata verborum et tunc non excusatur a peccato mortali, sicut nec ille, qui ex subito motu irae aliquem occidit iuxta se sedentem ».

Ergo indagandum utique erit, defuerit necne advertentia, de qua s. Thomas; at quod deesse possit, non est negandum. Regula ergo tradita a s. Thoma est: cum quis subito verba blasphemiae ex aliqua passione profert, videndum, utrum consideret necne significationem verborum. Si considerat, peccat mortaliter: secus, venialiter.

523. Duplici autem modo potest intelligi casus hic propositus de eo, qui non curat emendationem: 1° quod quis omnino nolit curare emendationem consuetudinis: 2° quod non recuset quidem, sed interim conatum adhibere negligat.

Si priori modo intelligatur, non mere differenda, sed neganda prorsus est absolutio. Nam ille est in statu peccati ob culpam seu praecedentem seu etiam perseverantem iugiter, non secus ac si quis nolit aut restituere aut deserere occasionem aut generatim peccatum relinquere.

Sed Auctor potius loquitur de secundo modo. Et hic est casus in quo DD. communiter docuerunt *expedire*, ut differatur discrete absolutio, quo scil. poenitens permoveatur ad conatum et curam efficacius adhibendam.

Monent tamen, id *discrete* faciendum. Nam si absolutio commode differri non possit et alioquin manifesta signa appareant detestationis erga pravam illam consuetudinem, absolvi potest, sicut et quando dilatio ad auferendum pravum habitum non videtur profutura. Escobar lib. 28. n. 201., qui et monet imponendam esse salutarem poenitentiam, agnatam criminis gravitati. Sed de his uberius, ubi de Sacram. Poenitentiae.

(a) Peccatum veniale, quod et levissimum esse potest, situm, ut videtur, in non reprimendo, sicut oportet, impetu passionis, unde prolatio verborum, quae contumeliam Deo continent, sine deliberatione processit; quia defuit cognitio praesens significationis verborum. Si haec advertentia adsit, etsi ex impetu passionis verba proferantur, non excluditur hoc ipso deliberatio, qua exsistente peccatum est mortale. E.

Interim adverte, difficile esse statuere, quando gravis sit culpa quoad eos, qui causam utique retractant et conatum aliquem adhibent, qui tamen non semper sit intensus.

X. 8. Interim plurimi excusantur ob inadvertentiam in subita commotione, tametsi non satis excusare videatur quod quidam aiunt, iis verbis aliud se non intendere, quam usurpare tamquam interiectiones significativas irae suae; tum quia aeque se possunt assuefacere ad verba alia irae et seriae voluntatis significativa, tum quia, tametsi id non possent, nihilominus non videtur licere usurpare ea, quae ex communi apprehensione aliorum sunt inhonorativa Dei.

524. Nota, agi de verbis quae per se continent inhonorationem Dei, non secus, ac resol. sup. 4. Quoad inadvertentiam satis diximus, quando et quatenus excusare possit resol. praec. Quoad eos, qui aiunt se ea verba adhibere ceu interiectiones etc., idem dicendum est ac supra ad resol. 4. de iis, qui solum contra alios non autem contra Deum, ea usurpare se dicunt.

Ceterum quoad praxim adverte, aliud esse, quod theologus disputet, an excusetur in casu *mos iste*, aliud, an poenitens ea gravitate peccaverit; quippe mensura malitiae subiectivae non est doctrina theologica, nisi poenitens iam instructus censeatur.

Egregium est monitum A., ut poenitentes doceantur alios modos adhibere significandi indignationem et seriam voluntatem. Facilius quippe obtinebis ut alia verba adhibeant, quam ut verbis indignabundis parcant.

XI. 9. Quod si vero quis in ira contra hominem, non indignando Deo, sed homini tantum, nude nominet mortem Dei, septem Sacramenta v. gr. o *Dei mors, vulnera!* etc. sine scandalo et sine iis circumstantiis, quibus contemptus importatur, non sunt blasphemiae, sed vana usurpatio nominis divini, hoc praecepto prohibita et peccatum inter venialia grave, ut Caiet. et Armilla V. *Blasphemiae* et Sanchez supra. Quanquam propter periculum incidendi in blasphemias et quia raro abest scandalum ac nihilominus apud audientes Deus eiusque sacra censentur inhonorari, raro excusantur et merito absterrentur homines a similibus dictis, ut notat Laym. l. c.

525. Huc pertinent formulae: *Per Deum, per Christum, per Corpus Dei, per Sanguinem, per Caput etc.* vel simpliciter: *Corpus, Sanguis Dei, Christi, B. Virginis etc.:* ubi notandum, quod potius hae dici deberent formae iurandi.

De his Escobar lib. 28. n. 570.: « Nominare vel iurare per membra Christi honesta, scil. per eius caput, corpus et sanguinem, blasphemia erit, si per modum contemptus aut irrisionis proferatur... At si non per modum vituperii et convitii, sed ad magnam veritatis exaggerationem haec verba usurpentur, blasphema non erunt et forte (nisi adsit scandalum) culpa carebunt; quia neque in substantia neque in modo dicendi Deo sunt iniuriosa ». Ita et Silvest., Valent. et Sanch. qui alios *Decal.* lib. 2. cap. 32. n. 29. allegat.

Gury tom. 1. §. 302. blasphemiam esse mavult — Sacré Nom de Dieu —, ratione acceptionis communis verborum. Etenim huiusmodi voces ex sensu fidelium in Deum contumeliosae sunt; nullus enim est mediocriter pius, qui haec audiendo non inhorrescat. Revera qui hanc locutionem usurpant, agunt ex contemptu Dei *saltem implicite*, perinde ac si dicerent, *maledictum nomen Dei*, sicut dixit poeta « *Auri sacra fames* », idest maledicta fames. Sed haec videntur sophistica. Sane dein subdit, non paucos, praesertim rudes, non apprehendere in his verbis gravem malitiam. At si hoc est, quomodo erunt blasphema ex sensu communi? quomodo praemittit, *ex generali hominum acceptione* significare maledictionem nominis Dei? Unde merito Scavini tr. 5. disp. 3. cap. 2. art. 2. q. 1. in oppositam inclinat sententiam.

Bene tamen addit Auctor, locutiones huiusmodi a se citatas ideoque et similes habendas esse ceu vanam usurpationem divini nominis, praesertim cum adhibentur ceu quoddam intercalare; unde ob quandam irreverentiam non carent culpa, quam Auctor dicit inter veniales gravem.

Quod vero additur *de Scandalo*, rite accipiendum. Nam si culpa est venialis, scandalum presso sensu acceptum, neque impulsus ad idem peccatum, non poterit excedere veniale: neque est mortale, impellere etiam directe ad peccatum veniale. Intellige igitur impulsum aliunde ad grave malum, si id fiat. Scavini l. c. not. 1. putat grave scandalum adesse, si has formulas proferat vir ecclesiasticus. Et tunc scandalum non est admiratio, sed potius diminutio horroris ad peccandum et damnum, quod fidelibus contingit ex mala fama ecclesiasticorum, non secus ac quando vir ecclesiasticus deprehenditur mendax vel semiebrius.

XII. 10. In ira imprecari aliis daemonem, grandinem, fulgur etc., etsi multi confundant cum blasphemiis, non tamen est blasphemia, sed dira imprecatio, quae plerunque (saltem, quando dicitur in illos, qui amantur ab irato) ob subitam commotionem et inadvertentiam ac defectum seriae voluntatis, non est nisi venialis; quia cum ad se homines reflectunt, aiunt longe aliter se sentire ac sensisse, ita ut videantur interiectiones tantum quaedam esse ad significandam iram: tametsi Christianos parum deceat tam absurdis interiectionibus uti. Bon. l. c. ex Nav. Tol. Reg. etc. Bald. d. 35. n. 10. ubi etiam censet veniale tantum esse, sibimetipsi ex ira daemonem imprecari; eo quod non laedat graviter caritatem. Verum Molin. etc. non audent id excusare a mortali, propter foeditatem, horrorem et perversitatem. Grave autem est, si subditi superioribus, filii parentibus (licet materialiter tantum) sic maledicant, praesertim in faciem; quia est grave contra debitam reverentiam. Bald. l. c. vid. infra l. 5. (tr. IV.) c. 3. d. 6.

526. Rustici et idiotae cum blasphemiis confundunt non imprecationes modo, de quibus heic Auctor agit, sed verba quaelibet minus

decentia. Docendi sunt: quia est ignorantia, quae illis nocet. Idem dicito de imprecationibus contra bestias, res insensibiles etc.

Quoad imprecationes etiam in creaturam rationalem, adverte sententiam s. Thomae 2. 2. q. 76. art. 3.: « Contingit tamen verbum maledictionis prolatum esse peccatum veniale vel propter parvitatem mali quod quis alteri maledicendo imprecatur, vel etiam propter affectum eius, qui profert maledictionis verba, dum ex *levi motu* vel *ex ludo* vel ex *subreptione aliqua* talia verba profert; quia peccata verborum maxime ex affectu pensantur, ut supra dictum est ».

De maledictione in creaturas.

527. S. Thom. 2. 2. q. 76. art. 3.: « Maledictio, de qua nunc loquimur, est, per quam pronuntiatur malum contra aliquem, imperando vel optando ». Haec fusius ibid. a. 1. Maledicere creaturis esset blasphemia, si intelligas cum relatione ad Deum, scil. prout sunt opus Dei vel prout immittuntur, v. gr. venti, pluviae, a Deo. Sed vix id fieri solet. S. Alph. n. 129. Ita s. Thom. 2. 2. q. 76. art. 2.: « Maledicere rebus irrationalibus, inquantum sunt creaturae Dei, est peccatum blasphemiae: maledicere autem eis secundum se consideratis, est otiosum et vanum et per consequens illicitum ».

Imo licite maledicuntur creaturae, quatenus considerantur ut occasio peccati vel gravis calamitatis; quia maledicuntur tantum qua talis occasio exsistunt. Lessius apud Escobar lib. 28. n. 747.

Maledicere vero creaturis ob levem molestiam, v. gr. animalibus, ventis, regulariter est culpa levis nec adest reipsa animus, ut maledictio mandetur exsecutioni; sed est actus impatientiae. Less. ibid. Nec esset grave, si ex animo malum imprecarer v. gr. muscis: sed vanum et otiosum, ut ait s. Thom. l. c. a. 2. Maledicere anno, horae, diei non est blasphemia, nisi, ait s. Alph. n. 129., dies sancta blasphemetur. Sed hae locutiones reipsa accensendae sunt verbis, quorum malitia nec cogitatur nec intenditur. Sunt mera expressio irae et impatientiae.

Fuse s. Alph. ibid. de locutione « *managgia* (male habeat) *tutto lo mondo* » et vult esse blasphemiam.

Sed ferre non cogitatur talis sensus et solet potius esse expressio superbiae et contemptus omnium. Adoptat illud et Gury tom. 1. §. 305.; quia, inquit, totus mundus complectitur creaturas praecipuas, in quibus magis elucent attributa Dei. At enim nunquid id cogitat, qui ea verba profert? Revoca quod dicunt DD. de iuramento, scil. iurare per creaturas proprium esse tantum perfecti viri; quia difficilis est reverentia debita, cum nempe difficile sit vulgo prae oculis habere istam

relationem ad Deum. Ergo et in casu imo a fortiori, ut consideranti patet. Scavini dicit, carere culpa, si intelligatur mundus Christo oppositus. Sed neque de hoc cogitant homines.

Longam s. Alph. n. 130. addit quaestionem de maledictione mortuorum et statuit, id non intelligi a proferentibus de sanctis animabus purgatorii et non esse grave peccatum. Et sane vera indoles huius locutionis consistit in affectu iniuriae in alios, quorum mortuis insultatur; quod et Scavini bene notat. Istae ergo maledictiones redeunt ad quandam locutionem iniuriosam in viventes, quae gravis non est, cum eorum honori non multum detrahat.

XIII. 11. In ira usurpare daemonem sine imprecatione, non est per se peccatum: assidua tamen eius nominatio non decet Christianum et ratione scandali posset esse gravis. Laym. l. c.

528. Ubi pessima consuetudo inolevit maledicendi Sanctis, melius est, ut assuescant maledicere (managgia) diabolo... Nec timendum, ut ei velut creaturae Dei maledicant.

An sint plures species blasphemiae.

XIV. 12. In confessione exprimenda est qualitas blasphemiae, videlicet utrum contra Deum an Sanctos fuerit; illas enim specie differre, est probabile secundum Suar. Sanch. Regin. Azor, Laym. Dian. r. 50. Lug. d. 15. n. 2. Contrarium tamen tenet Trull. l. 1. n. 11. d. 2. n. 5. cum Dian. p. 1. de circumst. r. 30.

529. Quod duae istae blasphemiae differant specie, ipse A. dicit solum *probabile* et s. Alph. n. 132. probabilem aeque dicit sententiam oppositam. Atqui si tantum probabile est fundamentum conclusionis, non nisi probabilis erit conclusio, scil. obligatio exprimendi, an blasphemia fuerit in Deum vel Sanctos. Porro obligatio mere probabilis non potest ulli necessario imponi.

Et haec conclusio non est levis momenti quoad praxim; quia demit necessitatem inquirendi a poenitente, quot contra Deum, quot contra B. Virginem, quot contra Angelos aut Sanctos verba protulerit, et rusticis praeterea singillatim enumerantibus, quoties hanc vel illam locutionem protulerint, quoties hunc Sanctum, quoties alium etc. iniuria affecerint, via expedita patet, ut summatim haec omnia in unum colligant.

Ratio dubitandi fuit, quia in Sanctis duplex quodammodo considerabatur persona, non secus ac in milite seu ministro regio, scil. persona quasi publica (idem dic de Iulio, qui consideretur ut *Iulius* et ut sacerdos, vel episcopus), ob quam honos vel dedecus illatum ipsi refunditur in regem, tum persona privata, cui et suus honos debetur. Proinde quidam DD. speciem distinguunt; quia in Sanctis considerant

solum privatam personam et blasphemia dicunt laedi honorem ipsis debitum propter propriam ipsorum excellentiam, quam venerari pertinet ad cultum duliae, non vero ad virtutem religionis. Alii vero contendunt, nunquam abesse laesionem honoris Deo debiti, propter personam publicam, quam Sancti gerunt, et praeterea accedere iniuriam contra honorem ipsis debitum ut personis privatis. Ita Lugo *de Poenit.* disp. 16. n. 279. Atque hanc sententiam distinguentem specie blasphemias in Deum ac blasphemias in Sanctos longe probabiliorem censet Escobar l. 23. n. 731. citans Lessium lib. 2. c. 45. n. 33. et Suarez tom. 1. *de Relig.* c. 45. n. n. 39. Idcirco et specie differre aiebant blasphemiam in Deiparam, cui cultus hyperduliae defertur ipsi proprius. Lugo ibid. n. 280.

Sed haec aliis non placent; quia censent, blasphemantium oculis observari id, quod ad religiosum cultum pertinet, non vero quod spectet ad propriam cuiusque creaturae excellentiam.

530. Haec speculative. Practice adhaerere licet s. Alphonsi sententiae, quae est non minus recepta a DD. quam alia. Ita s. Doctor lib. 3. n. 132.: « Sed cum ii, qui blasphemant Sanctos, verius (communiter loquendo) eos iniuria afficere intendant, non ob praecisam propriamque ipsorum excellentiam, sed quatenus ad Deum immediate referuntur: ideo iuxta probabilem Salmanticensium sententiam non contra duliam, sed tantum contra latriam peccant ac propterea non tenentur explicare, an Deum vel Sanctos blasphemarint ».

Ceterum explicandum superest, cur magis horreat quis a blasphemia v. gr. in Christum, quam in s. Dismam: * qui horror quidem secundum rationem est. Id tamen non cogit species differentes in his statuere; satis est enim si dicamus gradu eas blasphemias intra eandem speciem differre. Semper enim habetur contemptus Dei et contumelia in Deum: alio quidem modo cum Deus in seipso impetitur, alio, quo in Sanctis suis: prior autem modus gravior est; quia in eo Deus est obiectum blasphemiae non solum formaliter, ut dicitur, sed etiam materialiter h. e. secundum seipsum sive secundum suam infinitam excellentiam per se spectatam: in altero autem modo Deus est obiectum blasphemiae secundum quandam participationem suae excellentiae in Sanctis et reductive proinde prout ipsa participatio, qua talis, ad infinitam excellentiam refertur: quocirca minus gravis est blasphemia, sed eiusdem speciei; quia iniuria est semper in excellentiam Dei. Acquiescere ergo licet sententiae s. Doctoris.

Nihilominus fieri potest ut blasphemia proferatur cum directa intentione inhonorandi Deum ita ut haec intentio proveniat ex odio saltem abominationis erga Deum. Tum, ut monet Laymann l. 4. tr. 10. c. 6. n. 12., peccatum speciale blasphemia erit, ratione eius odii. *

De vana nominis Dei usurpatione.

531. De hac A. per transennam in resol. 9. Dicitur in vanum usurpari ss. Dei nomen, cum sine rationabili causa aut sine debita reverentia assumitur. Accipitur scilicet vana usurpatio nominis Dei proprie pro leviori culpa ex iis, quae prohibentur praecepto decalogi: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Ex XX. 7. vel *frustra,* ut redditur Deut. V. 11., ubi in textu originali eadem prorsus forma verborum occurrit ac in praeced. (a).

Triplici praesertim ex causa contingere ipsa solet:

1° Ex impatientia et indignatione in creaturas etiam inanimatas, v. gr. cum quis in aliquo adverso casu vel ab alio provocatus, exclamat: *Deus meus! bone Deus! o Domine! ne me turbes..*

2° Ex admiratione, per modum exclamationis: *oh Deus, oh Deus meus, o potentia Dei!* (poffar di Dio!).

3° Superflue, plerumque ex mera formula seu intercalari. Ita v. gr. *Ma Dio! sì: Oh Dio! che volete?* Sed sic est quasi invocatio.

Per se culpa non caret vana usurpatio nominis Dei; quia non servat reverentiam tali nomini debitam, praesertim si frequens. Unde Eccli. XXIII. 10.: *Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo* ».

Venialis tamen culpa est: quia reverentia Dei non graviter laeditur; non enim habet proprie rationem contumeliae.

Saepe culpa vacat propter inadvertentiam: licet consuetudo non careat culpa utcumque levi.

Nullum est peccatum, ubi abest irreverentia; quae facilius fit, cum nominatur Deus per modum admirationis seu interiectionis. Ita Gury l. c. §. 297.: dicerem potius invocationis, maxime si ex impatientia! Aiunt quidam culpam esse gravem, si contemptus Dei aut ira gravis adest.

Intellige *contemptum formalem;* nam contemptus *virtualis,* qui generatim adest in quolibet reverentiae, obsequii et obedientiae erga Deum defectu, gravitatem reatus nequaquam inducit. *Ira* vero heic intelligenda est aut quae contra Deum fertur, aut quae ad *formalem Dei contemptum* progreditur. Alioquin ira, utut gravissima, non immutat verborum naturam. Et haec sane attendenda sunt sedulo praesertim a concionatoribus, ne, dum vehementer haec vitia insectantur, falsam de gravitate culpae conscientiam iniiciant et sic gravis huius culpae ac ruinae spiritualis plurimorum ipsi vere sint artifices, *ad gehennam aedificantes.*

(a) Proihibitio magis contracta est ea, quae extat Lev. XIX. 12. ubi de periurio proprie sermo est: *non iurabitis in nomine meo falsum;* ad quem locum videtur Dominus provocasse Matth. V. 33.

CAPUT II.

DE IURAMENTO.

Dub. I.

Quid sit iuramentum.

I. Respond. Iuramentum est invocatio tacita vel expressa nominis divini, tanquam primae et infallibilis veritatis, in testem alicuius rei. Haec autem invocatio in eo consistit, quod iurans, quantum in se est, cupiat ac velit, Deum id, quod iurat, testari et manifestare (si et quando nimirum illi placuerit, sive in hac vita sive in altera) tanquam quod ab ipso Deo sit cognitum et verum. Ita communiter DD. s. Thom. 2. 2. q. 89. a. 1. Bon. d. 4. q. 1. p. 1. Sanch. 3. *Mor.* c. 1. Laym. l. 4. tr. 3. c. 1.

532. Iuramentum a *iure* nomen accepit, quod instar iuris seu decreti firmissimi sit observandum. A s. Thom. 2. 2. q. 89. art. 1. appellatur more veterum et *sacramentum;* licet quidam discrimen statuant, quod *iusiurandum* denotet quodvis dictum vel assertum iuratum; *sacramentum* vero significet asseverationem religiosam super re sacra praestitam, v. gr. libro evangeliorum, altari, reliquiis ss. etc. Schmalz. lib. 2. tit. 24. n. 1.

Ad iuramentum sufficit etiam tacita invocatio. Habetur porro tacita invocatio 1° quando fit tactu vel crucis vel evangelii vel alio ritu, qui in signum iurandi postulatur: 2° cum subscribitur scriptura in qua iuramentum continetur. 3° Quidam addunt, cum iuratur per creaturas; de quo infr. in resol. 11. (vid. Escobar. lib. 29. n. 5.); non enim testes censetur quis velle illas creaturas, sed eum qui eis praesidet.

* S. Thomas 2. 2. q. 89. a. 1. naturam et finem iuramenti explicat, inquiens: « Iuramentum ad confirmationem ordinatur. Confirmatio autem in scibilibus per rationem fit, quae procedit ex aliquibus naturaliter notis, quae sunt infallibiliter vera. Sed particularia facta contingentia hominum non possunt per rationem necessariam confirmari, et ideo quae de his dicuntur, solent confirmari per testes. Sed humanum testimonium non est (identidem) sufficiens ad huiusmodi confirmandum propter duo. Primo quidem propter defectum veritatis humanae; quia plurimi in mendacium labuntur.... secundo propter defectum cognitionis; quia homines non possunt cognoscere neque futura neque cordium occulta vel etiam absentia, de quibus tamen loquuntur, et expedit rebus humanis ut certitudo aliqua de his habeatur. Et ideo necessarium fuit recurrere ad divinum testimonium; quia Deus neque mentiri potest neque eum aliquid latet. Assumere autem Deum in testem dicitur iurare ». Habes quid sit iuramentum, quis eius

finis, qui est confirmatio veritatis: quae materia, circa quam versatur, quae sunt particularia facta contingentia, qua de re cf. Suarez, *de Relig.* tr. 5. l. 1. c. 10.

Quomodo Deus vocetur in testem explicat Valentia 2. 2. disp. 6. q. 7. p. 1. verbis ab A. citatis, quatenus iurans, quantum in se est, cupiat ac velit Deum id quod iurat testari et manifestare, si et quando illi placuerit, sive in hac sive in altera vita, tanquam quod ab eo sit cognitum et verum.

533. Quaeri potest an effectus iuramenti, qui est confirmatio veritatis, pendeat ex testimonio Dei, an ex invocatione huius testimonii. Sane, si Deus, statim ac iuratur, accederet testimonio suo, nulla esset difficultas. Sed constat non esse inter res ordinarias huiusmodi divinum interventum et nihilominus statim ac iuramentum prolatum est, effectum suum nancisci, quin exspectetur testificatio Dei. Scilicet eo ipso quod quis audet Deum sui dicti aut promissi testem invocare, qui semper potest, cum velit, testificari, et certe in altera vita manifestabit verum (cf. s. Thom. q. c. a. 2. ad 3^m), certior apud audientes fit veritas loquentis: quocirca si audientes sciant iurantem male opinari de Deo, non fit hoc ipso certior apud eos res iurata; quia deest vera invocatio divini testimonii. « In iuramento, ait s. Thomas a. 5. ad 1. reverentia divini nominis assumitur ad promissi (vel dicti) confirmationem » et ad 2^m: « Qui iurat, utitur veneratione eius per quem iurat: ordinat autem iuramentum ad aliquid, quod est necessarium praesenti vitae », quod est confirmatio veritatis: cf. Suarez l. c. c. 6.

Patet iuramentum esse actum virtutis religionis; « nam in hoc ipso quod homo per Deum iurat, profitetur Deum potiorem, utpote cuius veritas est indefectibilis et cognitio universalis et sic Deo aliquo modo reverentiam exhibet... Exhibere autem reverentiam Deo pertinet ad religionem ». S. Thomas l. c. a. 4.

534. Differt ergo iuramentum a voto, ut per se patet; aliud enim est aliquid Deo promittere, aliud Deum vocare in testem: differt ab oratione, quae est invocatio ad aliquod bonum obtinendum a Deo misericorde et omnipotente: iuramento vero petitur testimonium ab omnisciente et infallibili veritate in confirmationem. Tandem nota cum s. Thoma, a. 1. ad 1. quod aliud est testimonio Dei uti iam dato, quod fit cum aliquis auctoritatem s. Scripturae inducit; aliud est testimonium Dei implorare ut exhibendum, quod fit in iuramento.

Per se, ut apud Deum obliget, iuramentum potest interno tantum actu contineri; invocatio enim Dei ut testetur, solis actibus internis fieri potest: sed tale iuramentum carebit eo effectu, quem extrinsecus parere solet, ut assertio vel promissio apud alios roboretur, statim ac iuramentum profertur. Cf. Suarez, l. c. c. 1. n. 4. *

Unde resolves.

II. 1. Quoad forum internum iurat quisquis interius intentionem habet sive formalem sive virtualem et invocat Deum in testem, sive his sive illis verbis ac signis, sive etiam nullis usus sit: ita ut, si quis utatur verbis nullo modo importantibus iuramentum et is tamen ea putet esse iuramenta, vere iuret et e contra. Suar. l. 1. c. 1. Sanch. l. 3. c. 1. Laym. l. 4. t. 3. c. 1. Quoad forum autem externum, quaenam formulae iurandi rationem habeant ac proinde quae verba licite usurpari in conversatione possint, patet ex sequentibus.

535. Regulae Auctoris, quod vere quis iuret, quisquis hunc animum habet, licet verba minus idonea videantur ad exprimendam Dei invocationem, adiungi debet alia pars e converso, nempe ad veram rationem iuramenti non sufficere verba iuramenti tantum materialiter proferre, nisi simul adsit animus seu voluntas iurandi h. e. Deum in testem invocandi. Alioquin non erit verum, sed fictum aut dolosum iuramentum, aut verba erunt otiose seu ignoranter prolata. Laymann lib. 4. tr. 3. cap. 1. n. 3.

* Non ergo sufficit voluntas proferendi verba, quibus significatur invocatio divini testimonii, sed requiritur voluntas invocandi divinum testimonium, ut iuramentum sit; quia iuramentum debet esse actus humanus, non solum quatenus est quaedam locutio, sed etiam quatenus est invocatio Dei testis; quod esse nequit nisi ab intentione procedat: cf. Suarez l. c. c. 1. n. 7. seqq. *

Quoad primam regulae partem, nota cum Suarez l. c. cap. 11. n. 2. quod « licet quis intendat iurare per verba, quae iuramentum non significant; utcumque apud Deum iuret, eo modo quo posset per actum mere internum iurare vel utcumque dici possit, sibi iurare, quia potest verbum illud imponere ad significandum sibi: nihilominus apud alios homines revera non iurat, nec profert iuramentum simpliciter sensibile, nisi intentionem suam et verborum usum alio sufficienti signo manifestet ».

Si quis vero ignoret, quid sibi velit actus iurandi, ut saepissime ignorant rudes, inquit Croix lib. 3. p. 1. n. 258., etiamsi voluerit iurare aut facere quod alii faciunt, reipsa non iurat, sed inefficaciter tantum voluit. Non enim Deum vocavit in testem, qui non cognovit per eum actum Deum in testem vocari. Croix l. c. Ergo tum ex ignorantia tum ex malitia contingere potest, ut adhibeatur forma continens verum iuramentum et nihilominus nullum sit iuramentum.

Obiter tamen adverte, etiam huiusmodi iuramentum, per se nullum, licet nullam obligationem *Religionis* afferat, tamen ratione aut scandali aut damni amovendi, esse observandum. Laymann ibid.

Ad praxim quod spectat, interest, ut confessarius, ubi opus esse videt, interroget, non modo quae verba quis usurpaverit, sed magis *qua intentione*. Nam intentio valet, ut dignoscatur, an vi iuramenti quis teneatur ad implendam promissionem et an periurus sit. Dein scitetur, an sciat, quid sit vere iuramentum.

536. Quando disputatur, quaenam formulae quoad forum externum habeant rationem iuramenti, id quaeritur maxime in ordine ad iudicia aut pacta humana. Proinde formulas hasce noscere oportet; ut si quando obligatio nos urgeat iurandi, eas formas usurpemus, quae obligationi satisfaciant. Hoc sibi velle videntur Auctoris verba.

Ceterum bene monent DD. (vid. Suar. l. c. cap. 11. n. 5.) etiam iuramentis ad testimonium, obligationem (promissionis) et alios contractus humanos adhibitis non esse per se necessaria verba, sed sufficere aequipollentia signa. Verba autem necessaria sunt, quando constet, legem humanam ad hos illosve effectus talem iurandi formam postulare. An vero leges humanae talem formulam praescripserint in aliquo casu, a iurisperitis petendum est. Suarez l. c. n. 6.

III. 2. Quando dubium est de iurantis intentione, iudicari solet secundum communem acceptionem verborum, quibus est usus.

537. Haec dici ab A. videntur de foro externo. Nam iudex attendit ad verborum formam.

Quod si sermo sit de foro conscientiae, communis acceptio verborum ad hoc deservit, ut, si ea claram contineant iuramenti formam eaque ille intellexerit, pro iuramento praesumatur; quia recte praesumitur, animum accessisse sensui verborum. Si vero verba non sonant communiter iuramentum, non praesumitur sed probari deberet, reipsa animum iurandi affuisse. Si denique sint verba ambigua et de intentione non constet, tunc nec de iuramento constat atque adeo obligatio nulla adest.

IV. 3. Veram rationem iuramenti habent hae formulae: *testor Deum* vel *invoco Deum testem*. Item *auf meinem Eid, bei meinem Eid,* nisi aliud de usurpantis intentione constet; quia multi ita loquuntur, v. g. *ich schwöre dir ein Eid* vel *bei meinem Eid hoc vel illud faciam;* quorum tamen mens non est serio id iurare, sed tantum iracunde et gravius affirmare. Laym. l. c. c. 2.

538. De primis nullum dubium; quia est invocatio Dei in testem: quae est iuramenti definitio.

De formulis illis germanicis, iudicent periti ex communi acceptione.

Generatim, si quis dicit: *iuro me facturum*, aiunt, quod in formula non continetur invocatio nec est iuramentum, nisi quis id intendat. Escobar. tract. 29. n. 7. Et consentit s. Alph. Sed esse videtur

contra sensum communem; quomodo enim non iurat, qui dicit se iurare? unde concludendum saltem foret, iurari ob intentionem, quae adest, iurandi; licet forma ad id sit minus idonea: quamvis et hoc difficile sit intellectu; *iuro* enim valet: *invoco Deum testem*, si iuramentum est invocatio Dei in testem. Suarez l. c. c. 13. n. 4. Sed supponunt, hominem non assequi sensum verbi. Certe ab ea generali assertione excipit s. Alph. n. 136. nisi id fiat ad alterius postulationem, qui iuramentum exigat; tunc sane dicens: *iuro,* vere iurat.

V. 4. Fides a Sacerdotibus loco iuramenti exigi solita per eorum consecrationem, uti et formula illa Principum, *bei meiner fürstlichen Ehre und Treue betheure ich es und beschwöre es* (meam, qui princeps sum, fidelitatem et honorem obstringo vel obtestor) etsi non sint iuramentum, tamen in foro fori accipiuntur loco iuratae promissionis: uti et si a personis illustribus vel nobilibus dicatur: *bei meiner adeligen Ehre und Glauben und Treue beschwöre ich es* (meum, qui sum nobilis, honorem, fidem et fidelitatem obtestor). V. Laym. l. c. c. 2.

539. Sermo est de fide a sacerdotibus loco iuramenti exigi solita per eorum consecrationem... Hanc fidei interpositionem non solum habere maiorem quandam vim eamque religiosam ac habeat simplex promissio, sed vim habere iuramenti plerique canonistae tenuere. Contrariam vero sententiam plerique docent theologi.

Atqui non habere vim iuramenti, clare eruitur ex can. *Si quis Presbyter* 4. caus. 2. quaest. 5., ubi dicitur: « Si quis presbyter contra laicum vel laicus contra presbyterum aliquam habet querimoniae controversiam, episcopo praecipiente, sine personarum acceptione finiatur et laicus per iuramentum, (si necesse sit) se expurget: presbyter vero, vice iuramenti, per sanctam consecrationem interrogetur; quia sacerdotes ex levi caussa iurare non debent ».

Interrogatio ergo per sanctam consecrationem non est exactio proprie dicti iuramenti, sed commonitio et exactio fidei praestandae aut dicendae veritatis, *sicuti sacerdotem decet*, non secus ac si Religiosus in fide Religiosi et christianus quilibet in fide hominis christiani aliquid dicat vel promittat, ut Suarez notat *de Relig.*, tr. 5. lib. 1. cap. 13. n. 19.

Haec porro mentio consecrationis seu dignitatis sacerdotalis in promissionibus episcoporum et presbyterorum in sacris canonibus *fidei* (scil. sacerdotalis) *praestatio* seu *interpositio* appellari videtur, ad cuius observationem non minus quam iuramenti, in externo foro ecclesiastico compelli debeant; 1° quia haec sacri ordinis commemoratio in promissionibus facta magnam similitudinem iuramenti gerit: 2° quia in totius clericalis aut sacerdotalis status gravem ignominiam cedit, si fides tali forma ac modo data violetur: 3° quia alioquin privile-

gium clericis tributum, praecipue sacerdotibus, ut in causis levioribus iurare non cogantur, sed vice iuramenti interposita fide sacerdotali respondere queant, in aliorum praeiudicium cederet, nisi eadem, qua alii vere et proprie iurantes, veritatis dicendae fideique servandae obligatione tenerentur. Vid. Laym. lib. 4. t. 3. cap. 2. n. 2. unde haec desumpta.

Affine praedictis est, quod reges et principes non facile aliorum more iurare solent, sed loco iuramenti in fide seu per fidem principis aut regis promittere. Quae quidem fidei interpositio in foro externo tanquam iurata promissio accipiebatur, seu iuramento aequiparabatur in quibusdam Germaniae locis, ut Laymann affirmat ex aliorum testimonio l. c. et addunt, idem observari, si fides data sit a personis nobilibus et illustribus in Germania; quia, ut de sacerdotibus diximus, in huiusmodi personis interpositio fidei (parola di onore) loco iuramenti esse censetur.

Hoc idem et inter militares usitatum reperimus, ut norunt omnes.

Ex quibus patet, in his non haberi iuramentum, ut Auctor dein dicit resol. 8ª: haberi tamen rationes, quae obligationem seu fidei servandae seu veritatis fatendae pressius exigunt, ut iam dictum est.

VI. 5. Formulae hae, *Deus novit, Deus testabitur suo tempore, coram Deo loquor, Deus novit omnia, Deus videt meam conscientiam,* censentur tantum narrative proferri, non invocative (atque adeo non sunt iuramenta), nisi aliud constet aut circumstantiis probetur. Laym. l. c. n. 4. Bonac. q. 1. p. 2. ex Suar. Less. Sanch. etc.

540. Formulis ab A. recensitis s. Alph. n. 134. alias addit, nempe *Vivit Deus*, *Deus est veritas;* de quibus idem iudicium esto, ac de enumeratis ab Auctore.

Videlicet, sint necne iuramentum, pendet ab animo proferentis.

* Nam, ut ait Suarez l. c. c. 13. n. 8., possunt huiusmodi locutiones: *scit Deus, coram Deo, in praesentia Dei* (quibus et addi possit, ait, *testis est Deus*) atque similes *enuntiative* tantum proferri ad ostendendam perfectam considerationem loquentis et ad conciliandam reverentiam et credulitatem in illa fundatam; ut si quis loquens cum alio coram rege dicat se non dicturum mendacium coram rege, non propterea censeretur adducere regem in testem. Verum eaedem formulae *invocative* proferri quoque possunt, ut Deus in testem vocetur, quemadmodum August. interpretatur verba Apostoli: *ecce coram Deo, quia non mentior*. Gal. I. 20. ». *

Quoad istas aliasque inferius recensendas formulas hoc ergo saepius poenitentibus inculcandum, circa intentionem vocandi Deum in testem, non haberi in his iuramentum. Etenim plerique naturam iuramenti ignorant, putant tamen post adhibitas has aliasve formulas

similes, se iuramento ligari propter prolata eiusmodi verba. Monitio eiusmodi efficiet, ut vitentur peccata periurii ex erronea aut dubia conscientia profluentia.

VII. 6. Non sunt iuramenta, quae dicuntur per modum sponsionis: v. g. expono caput meum, amputentur mihi aures, ni ita sit etc. Vid. Sanch. l. c. n. 42.

541. Quando per modum sponsionis huiusmodi verba proferuntur (scommetto la testa) nulla est difficultas: non enim habetur invocatio testimonii divini.

Difficultas est, quando efferuntur per modum execrationis; adeo ut s. Alphonsus n. 143. dicat esse vera *iuramenta,* quippe significant: *Deus, quem testem invoco, me occidat*, nisi hoc sit, vel faciam etc.

Veruntamen et ipse ibid. subdit, communiter in his non contineri nisi quandam sponsionem ac quandam quasi spontaneam obligationem poenae etc.

Sed reipsa definiri solum haec possunt ex usu seu sensu communi. Nam nemo habet ut invocationem Dei, si dicatur: *amputentur mihi aures*, *mi sieno rotte le gambe, possa essere ammazzato* etc.

E contra invocatio subauditur in aliis formulis, praesertim ubi agitur de eventis, quae Deus dirigere censetur, v. gr. *Mi pigli un fulmine, possa morir bruciato, mi piglino le febbri o un accidente etc. Il diavolo mi porti etc.*

S. Alph. n. 143. formulis quae non sunt vera iuramenta, addit has: *Habear ut haereticus — Tot angeli tollant animam meam, quoties hoc feci:* ITA FAVEAT MIHI DEUS: de qua postrema tamen valde dubitarem, quia habetur reipsa invocatio Dei testis, ut videbimus dubio sequenti, n. 27.

VIII. 7. Non vere iurat, qui, ut iuramentum coactus vitet, dicit se iurare per omne id, per quod potest; quia, cum res nulla sit, per quam absque necessitate iurare licite possit, censetur per nihil iurare intendisse.

Nihil addendum.

IX. 8. Non sunt iuramenta (quod confessarii et catechistae moneant, ne ex erronea conscientia peccetur) *vere, certe, in veritate, fide boni viri, per fidem meam, fide boni Christiani vel Sacerdotis vel Regis; per conscientiam meam, super conscientiam meam* etc. ut habet Less. c. 42. d. 1. Bonac. l. c.; quia tantum significant illum loqui ex dictamine conscientiae et notitia veritatis, nec in testem adducitur Deus: esset tamen iuramentum dicere, per fidem Catholicam, per sanctum Evangelium; quia tunc censetur in testem adduci illius fidei et Evangelii auctor. V. Laym. l. c.

S. Alph. n. 143. post alios innuit modum huic similem, videlicet dicentis: *Iuro per istam crucem*, nulla interim cruce praesenti aut designata.

542. Alii etiam dicunt *per, super, in* CONSCIENTIA *animae meae:* quod perinde ac recensita ab A. non habetur ut iuramentum. Cf. s. Alph. n. 135.

S. Alph. n. 135. dicit probabilius habendum esse ceu iuramentum formam: *Per animam meam;* quia in anima singulariter resplendet Deus. Verum, quia et intentio iurandi necessaria est, difficultas contra hanc sententiam inde oritur, quod a proferentibus eam locutionem ista specialis relatio animae ad Deum non soleat cogitari.

* Ait A. cum Laymann aliique cum eo, formulam hanc: *per evangelium, per fidem catholicam* esse iuramenta. Profecto, ut monet s. Thomas a. 6., solemus iurare per Evangelium et per reliquias et per Sanctos. Verum aliud est quod homines possint et soleant, cum opus est, iurare his adhibitis creaturis, aliud quod eae formulae simpliciter usurpatae sint per se iuramentum. Probat A. has formulas iuramentum; eo quod censeatur vocari in testem Auctor Evangelii vel fidei. Quod Suarez quoque, loquens de formula: *in fide Christi* vel *christiana* vel *Dei* c. 13. n. 18. plenius confirmat inquiens: « Ratio est, quia fides christiana est res valde sacra: attestatio autem per rem sacram eo ipso est iuramentum; quia illa quasi per se involvit habitudinem ad Deum ».

Ceterum et heic locum habet animadversio facta n. praec.; pendet enim res ab animo proferentis et ab eo abesse potest cogitatio habitudinis huius ad Deum, quae in his rebus invenitur, ita ut per tales formulas is solum intendat exaggerare certitudinem dicti vel promissionis eique maiorem conciliare fidem. *

X. 9. Non iurat, qui dicit, *tam verum est, quam Sol lucet, quam hic sedeo, ambulo* etc. Unde, etsi comparatio falsa sit, tantum est mendacium, cum nullus in testem invocetur. Idem est, si dicas, *Quod dico, est Evangelium, est instar fidei, est de fide* etc.

Nulla difficultas.

Item ex s. Alph. n. 137. si dicas: *È vero come il vangelo — È vero, come Dio.*

XI. 10. Quamvis hae, et similes comparationes: *Tam verum est, quam Deus est, quam Christus est in venerabili Sacramento, quam verum est Evangelium:* item, *Tam sum innocens, quam b. Virgo, vel s. Franciscus* etc. communiter videantur continere iuramentum cum blasphemia: id tamen non satis apparet; quia nullus in testem invocatur. Neque videtur esse blasphemia, si sit verum et animus proferentis sit significare tantum similitudinem; ut sensus sit, hoc verum esse suo modo, sicut alterum est verum suo modo. Tunc vero esset blasphemia, si usurpans intenderet significare, tantam esse (secundum aequalitatem) in suo dicto certitudinem, quanta est in ea veritate fidei. Sanch. 2. *Mor.* c. 31.

Nulla difficultas.

XII. 11. Non est iuramentum, cum quis iurat per creaturas, in quibus nihil divinae bonitatis specialiter elucet: quia tunc non censentur adduci cum relatione ad Deum, ut si dicas: iuro per hanc barbam, vestem etc. Censetur autem iuramentum, cum fit per creaturas nobiliores; cum per eas tunc accipiatur earum Creator, ut qui in iis singulariter residet ac relucet; sic v. g. dum iuratur per caelum, intelligitur istius habitator: dum per terram, is, cuius haec est scabellum: dum per templum, is, qui ibi colitur: dum per aliquod Sacramentum, is, qui instituit: dum per Crucem, is, qui in ea fixus est: dum per Evangelia, ea tangendo aut nominando, is, cuius ea verba sunt. Bon. q. 1. p. 1. n. 4. Suar. Sanch. ll. cc.

543. * Iuramentum haberi posse invocatis solum explicite quibusdam creaturis nobilioribus, in quibus specialiter maiestas aut veritas divina relucet, patet ex utroque Testamento, ubi huiusmodi formulae occurrunt Gen. XLII. 15. Deut. IV. 26. I. Cor. XV. 31. atque idem supponit Christus Matth. V. 34.-36. « Iuramentum quidem, ait s. Thomas a. 6. principaliter refertur ad ipsum Deum, cuius testimonium invocatur; secundario autem assumuntur ad iuramentum aliquae creaturae, non secundum se, sed in quantum in eis divina veritas manifestatur, sicut iuramus per Evangelium, idest per Deum, cuius veritas in Evangelio manifestatur et per Sanctos, qui hanc veritatem crediderunt et observarunt ». Quo pacto « non exhibetur cultus latriae creaturis, quae in iuramento assumuntur ». *

Monent tamen DD., iuramentum per *caelum*, *terram* etc., usurpandum solum a viris perfectioribus et spiritualibus, quibus facile sit adhibere reverentiam debitam, qua Deum in creaturis honoramus.

Ceterum apud nos ista consuetudo non viget iurandi per creaturas irrationales nobiliores, et qui iurat per solem, censetur iocari.

Dub. II.

Quotuplex sit iuramentum.

XIII. Resp. Divisiones aliquot communiter afferuntur, sed tantum accidentales, quae speciem non mutant, ut in confessione distinguere non sit opus. Suar. Less. Bon. p. 2. Itaque dividitur.

Primo in Verbale, Reale et Mixtum; cum videlicet vel verbis fit, vel actione aliqua, ut erectione digitorum, contactu Crucis, Sceptri, Evangeliorum: vel et verbis simul et actione corporali, unde et vocatur iuramentum corporale. V. Bon. p. 2.

Secundo in Invocatorium seu Contestatorium et in Exsecratorium seu Imprecatorium. Illud est, quo Deus simpliciter ut testis invocatur; hoc autem, quo non solum vocatur ut testis, sed etiam ut vindex, cum iurans se, vel alium dilectum, vel aliquid sui aut suorum subiicit Deo puniendum, si falsum dicat: ut, *ita me Deus amet, adiuvet: puniat me Deus: faciat Deus, ut hinc nunquam sanus surgam: nec coniugem nec liberos vivos hodie intuear; tollat me Deus subitanea morte: in aeternum damnet: super animam meam* etc.; in quibus quando falso iuratur, an sit coniuncta altera species malitiae contra caritatem sui, aut proximi, Scholastici controvertunt. Negant Suar. Valent. etc.; quia non solet quis etiam amico suo tale malum ex animo imprecari; sed potius cogitat Deum non facturum esse. V. Bon. d. 4. q. 1. p. 2.

Tertio in Assertorium et Promissorium. Illud est, quo praeterita vel praesentia affirmantur aut negantur: hoc autem est, quo aliquid futurum promittitur. Addunt aliqui Comminatorium, ut v. g. *per Deum ego te caedam.* Sed hoc referri potest ad promissorium. In confessione non opus est explicare, utrum per Deum, an Sanctos iuraris; quia est eiusdem speciei malitia, cum iurans semper intendat Deum adducere in testem. Suar. Less. c. 42. Lugo d. 16. n. 286.

544. Adverte ergo divisiones esse accidentales, quae speciem non mutant.

* Omnia scilicet iuramenta sunt eiusdem speciei, discrimine exsistente vel in modo (contestatorium, exsecratorium: absolutum, conditionatum: simplex, sollemne) vel in materia (assertorium, promissorium). Hanc sententiam esse communem suo tempore affirmat Suarez lib. 1. c. 9. n. 6.; licet in illam ipse propensus sit n. 5., quae assertorium a promissorio specie distinguit. Ratio, cur una esse dicatur species in quolibet iuramento, ea est; quia ubique semper res huc redit, ut Deus in testem vocetur, sive rei praeteritae sive praesentis sive futurae, et ut obligatio exsistat conformandi dicta nostra cum factis sive praeteritis sive praesentibus sive futuris; ut idcirco differentia sit tantum in re super qua iuratur et proinde differentia materialis, etiam in iuramento promissorio, in quo videtur utique Deus non solum ut testis praesentis voluntatis sed etiam ut fideiussor futuri promissi invocari. Verum notat ipse Suarez l. c., non opus propterea esse in uno iuramento promissorio inveniri formaliter duas rationes iuramenti specie distinctas; sed unica dici potest et simplex formalis ratio iuramenti promissorii (invocatio Dei in testem), quae eiusdem quidem speciei est cum assertorio, sed addit peculiarem vim confirmandi aliquid futurum, eo quod agitur de re futura: quod pertinet ad quandam differentiam materialem non specificam.

Atque haec esse videtur sententia s. Thomae a. 7.; nam cum ab utroque iuramento assertorio et promissorio obligationem oriri dixerit, discrimen iuramenti utriusque in diversitate rei, respectu cuius est obligatio, collocat: quod redit ad differentiam materialem (a).

Idcirco s. Alph. l. 3. n. 142.: « An omnia iuramenta sint eiusdem speciei, negat Palaus: sed melius affirmat sententia communis cum Salmant. Soto, Lessio, Sanchez etc. ». Eadem doctrina valet sive per

---

(a) Nihilominus certum est, in iuramento promissorio aliquid contineri, quo maxime differt ab assertorio, ut speciem novam induere videatur. Nam in promissorio Deus non tantum invocatur ut testis praesentis propositi vel promissionis, sub qua ratione iuramentum promissorium aequivalet assertorio: sed praeterea Deus invocatur ut fideiussor exsecutionis futurae, ut idcirco specialis obligatio erga Eum suscipiatur, nimirum obligatio fidelitatis. Cf. Suarez l. c. et verba s. Thomae sub n. 570. E.

Deum sive per Sanctos aut excellentiores creaturas iures, ut monet A. heic in fine; nam eo semper iurans spectat ut Dei testimonium invocet etiam cum per Sanctos iuratur: secus, si in his sistas, iuramentum proprie non habetur, quod est invocatio divini testimonii per se infallibilis et perfectam latriam continet. S. Thom. in 9. d. 39. q. 1. a. 1. ad 4^m. *

545. Prima divisio in *verbale*, *reale*, *mixtum*, est secundum formam extrinsecam et levis est, nullam praeferens difficultatem. Exemplum mixti habes in iuramento, quod subditur professioni fidei praescriptae a Pio IV.

Quod spectat ad alteram divisionem, bene s. Thom. 2. 2. q. 89. art. 1. ad 3.: « Alicuius testimonium invocatur ad hoc, quod testis invocatus veritatem manifestet circa ea, quae dicuntur. Deus autem manifestat, an verum sit quod dicitur, dupliciter. Uno modo simpliciter revelando veritatem vel per internam inspirationem vel etiam per facti denudationem, dum scil. producit in publicum ea, quae erant occulta. Alio modo per poenam mentientis; et tunc simul est iudex et testis, dum puniendo mendacem, manifestat mendacium. Et ideo duplex est modus iurandi. Unus quidem per simplicem Dei *contestationem*, sicut cum aliquis dicit: *Est mihi Deus testis* etc... Alius modus iurandi est per *exsecrationem*, dum scil. aliquis se vel aliquid ad se pertinens ad poenam obligat, ut sit verum quod dicit ».

Quaestio in fine huius paragraphi indicata ab A. an in peiurio exsecratorio sit duplex species peccati, considerari potest vel *theoretice* vel *practice*.

Si consideras *theoretice*, utique duplex adesse dicenda esset specie peccati, scil. periurii contra religionem et maledictionis contra semetipsum; dummodo tamen supponatur, quempiam ex animo velle sibimet hoc malum in caput arcessere.

At *practice* nemo solet sibi serio malum optare aut precari, cum hoc pacto iurat: verba quidem profert, sed animo potius confidit, Deum illud non facturum. Non censetur ergo peccare contra caritatem sui; quia non ex animo imprecatur sibi. Ita et Escobar tr. 29. n. 8.

Notat Suarez c. 13. n. 1. duplici modo solere fieri iuramentum exsecratorium, 1° per directam imprecationem etc. *Statim moriar, si non ita est:* 2° per interpositionem boni alicuius, quasi obligando illud ad destructionem vel perditionem, si falsum iuratur, ut cum dicitur: *per vitam* vel *per salutem meam.* Item illa forma: *sic me Deus adiuvet* exsecratoria est; nam virtute continet, ut si iuramentum *non implevero, Deus non me adiuvet.* Idem dicendum de ea forma: *ita faveat mihi Deus.*

546. * Tertia divisio est ratione materiae, quae non opponitur aliis divisionibus secundum modum aut formam, vel iam relatis vel adhuc referendis; iuramentum enim sive assertorium sive promissorium quolibet iis modis fieri potest. Definitio utriusque iuramenti tradita ab A. sumpta est ex s. Thoma, cum aliqua tamen mutatione; nam s. Thomas a. 1. promissorium esse ait, quando inducitur divinum testimonium ad *confirmandum* aliquid futurum: non, ut ait A., quo aliquid futurum *promittitur*. Ex verbis enim A. videri posset iuramentum promissorium tunc solum haberi, cum accedit alicui promissioni; quod non est secundum mentem s. Thomae, qui quolibet iuramentum de re futura appellat promissorium: potest autem esse iuramentum de re futura, quod nullam continet promissionem erga alterum, ut si iures te non ingressurum cauponam. Hoc quidem iuramentum de futuro vocatur a DD. *nudum et simplex*, ut distinguatur ab eo, quo confirmatur promissio vel Deo facta vel proximo, quod dicunt *promissorium:* s. Thomas tamen utrumque promissorium vocat. Cuius rei ratio quaerenda, unde etiam constabit, dissensum non esse in re sed in modo loquendi. Scilicet, ut monet Suarez c. 8. a. 6., oportebat distinguere iuramentum inducens obligationem in futurum a iuramento includente tantum obligationem dicendi veritatem, cum ipsum fit: hoc autem posterius vocatum est assertorium, quia tantum obligat, quando asseritur, ut sic dicam; aliud vero relinquens obligationem post se quocumque modo, vocatum est promissorium. Cuius appellationis ratio fuit vel quia frequentius promissioni accedit, ut nomen sumptum sit ex eo, quod frequentius accidit, vel propter analogiam; quatenus sicut promissio obligat in futurum, ita et iuramentum vel nudum de futuro, infert obligationem de futuro; scilicet ad faciendum verum esse id quod dictum est, obligationem vero, non iustitiae, sed fidelitatis.

Manifestum est, in iuramento promissorio includi etiam assertorium; quocirca iuramenta haec duo inter se differunt, sicut includens et inclusum: vel certe dici potest ea semper distingui, quasi formaliter, in suis praecisis rationibus; licet in re aliquando coniungantur. Suarez, l. c. n. 3.

Distinctio autem haec, ut iam monuimus, non est essentialis, sed accidentalis, se tenens ex parte materiae.

Bene A. comminatorium iuramentum ad promissorium revocavit, a quo non differt nisi quatenus res iurata alicui non bona est sed mala. Ceterum iisdem legibus tenetur ac promissorium, ut ei sua veritas et iustitia constet. Oportet ergo, ut poena, quam comminamur, iusta sit et adsit voluntas exsequendi. *

547. Addimus alias partitiones iuramenti, quas A., ut minus necessarias, omisit.

DD. distinguunt iuramentum in *absolutum* et *conditionatum*. Conditio autem aliquando ab ipso iurante, aliquando ab alio, v. gr. a iudice ponitur.

Distinguunt etiam in *simplex* et *sollemne:* quod scil. fiat certa ac sollemni forma ac ritu, coram iudice, notario, testibus etc.

Adverti heic potest: 1° Clericos, praesertim sacerdotes non posse sollemne iuramentum interponere nisi de Episcopi licentia et haec solum ex gravi causa conceditur.

2° Ad iuramentum sollemne non admittuntur *impuberes;* quia non censentur habere sufficientem rationis usum, ut reverenter et cum iudicio iurent.

3° In criminalibus non admittitur minor viginti annis.

4° Periuri in iuramentis purgationis vel suppletoriis, testium propriis, non admittuntur.

5° Olim (quod desuetudine obsolevit) non admittebantur non ieiuni. Vid. Schmalzg. lib. 2. tit. 24. nn. 6. 7.

Sed de his satis haec obiter tetigisse.

DUB. III.

An et quando liceat iurare.

XIV. Resp. Iuramentum, si debito modo fiat, licitum est. Est de fide. Et quidem est actus Religionis, ut omnes docent. Tunc autem debito modo fit, cum in eo observantur haec tria. 1. Est iudicium, quod exigit, ut cum discretione, prudentia, consideratione ac reverentia, non sine necessitate aut gravi causa fiat. 2. Est iustitia, quae exigit, ut quod iuratur, sit res iusta, licita et honesta. 3. Est veritas, ut nimirum sit res vera aut saltem ex gravi ratione putetur esse vera; ita ut, prout ex defectu alicuius horum minor aut maior in Deum iniuria aut irreverentia redundare censetur, ita quoque maius aut minus committatur peccatum.

548. * Bene A. dicit, de fide esse quod iurare liceat. Scimus enim iurasse Apostolum non raro et iuramentum non solum permitti sed praescribi frequenter ab Ecclesia. Heic idcirco valet illud quod theologi unanimes affirmant, interpretationem Scripturarum a traditione Ecclesiae petendam esse; sic enim intelligimus, verbis Domini Matt. V. 34. et Iacobi I. 12. non prohiberi absolute christianos a iuramento. Qua de re confer idoneos interpretes et s. Thom. a. 2. et Laymann *de Iuram.* c. 3. n. 2. S. Thomas ibid. difficultatem sibi proponit 3. loco. « Exquirere scilicet signum divinae providentiae est tentare Deum, quod est omnino illicitum. Sed ille qui iurat, videtur exquirere signum divinae providentiae, dum petit divinum testimonium, quod est per aliquem evidentem effectum ». Respondet vero: « Ad 3^{m} dicendum, quod ille qui iurat, non tentat Deum; quia non implorat divinum auxilium absque

utilitate et necessitate. Et praeterea non se exponit periculo, si Deus testimonium adhibere noluerit in praesenti. Adhibebit autem pro certo testimonium in futuro, quando illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium, ut dicitur 1. Cor. IV. 5. Et illud testimonium nulli iuranti deficiet vel pro eo vel contra eum ». Quae postrema verba sunt perpendenda, ne quis putet frustra iurari, eo quod Deus nunc testimonium non dicat. Cf. dicta sub n. 2°.

Nota iurari posse per procuratorem. Obligatur autem non hic, sed mandans, nec reus est periurii procurator, si bona fide agat, verum principalis. Escobar tr. 29. n. 29.

549. * Quod spectat ad *comites iuramenti,* haec habet breviter s. Thomas a. 3. « Ad bonum usum iuramenti duo requiruntur. Primo quidem quod aliquis non leviter, sed ex necessaria causa et discrete iuret. Et quantum ad hoc requiritur *iudicium,* scilicet discretionis, ex parte iurantis. Secundo quantum ad id quod per iuramentum confirmatur, ut scilicet neque sit aliquid falsum neque sit aliquid illicitum. Et quantum ad hoc requiritur *veritas,* per quam aliquis iuramento confirmat quod verum est et *iustitia,* per quam confirmat quod licitum est (in resp. ad 2^{m} monet quod iustitia pertinet etiam ad causam, pro qua iuratur). Iudicio autem caret iuramentum incautum, veritate iuramentum mendax, iustitia iuramentum iniquum sive illicitum ». Atque ita communiter. Atque provocari solet ad verba Ieremiae IV. 2. *Iurabis: vivit Dominus, in veritate et in iudicio et in iustitia;* quorum verborum sententia est haec ipsa doctrina Theologg. *

Adverte quod iustitia fere et proprie in iuramento promissorio, veritas in assertorio attenditur. Attamen ad resol. 4^{m} videbimus, quandam iustitiam etiam in assertorio requiri; nisi tamen haec cum iudicio confundatur.

Cetera explanantur in resolutionibus.

Unde resolvitur.

XV. 1. Quoad iudicium, si hoc solum desit, ut plurimum est veniale tantum: ut si quis absque necessitate iuret, sive levitate quadam animi, sive ex consuetudine. V. Sanch. l. 3. c. 6. n. 22. Less.

550. * Principium est: iuramentum non per se appeti sed ut subveniatur alicui defectui, quo scilicet unus homo alteri non credit; esse proinde inter ea, quae identidem adhibenda, quia certo fini necessaria aut utilia, quibus indebite utitur quicumque eis utitur ultra terminos necessitatis aut utilitatis. S. Thom. a. 5. *

Casus deficientis iudicii esset, quando quis occasione dubii, quod circa eius dicta obiiciatur, statim adhibeat iuramentum, v. gr. quod

quempiam viderit, quod aliquid emerit certo pretio etc. de re tamen sit certus: vel sine discrimine, absque causa, promissiones, quas utique servare vult et quae de re honesta sunt, iuramento confirmet.

* Ratio cur si solum iudicium deest, idest si sine necessitate iuretur, peccatum sit per se veniale, ut fert communis sententia, ea est, quia etsi aliqua irreverentia maiestati divinae irrogetur, vocando eam in testem pro re nullius vel parvi momenti; nihilominus irreverentia non est gravis; quia, ut ait Suarez l. 3. c. 12. n. 3., per talem invocationem non agitur contra aliquod Dei attributum, ita ut macula in eo ponatur quantum est ex parte iurantis. Et redit ad quandam vanam usurpationem nominis Dei. *

XVI. 2. Mortaliter tamen etiam hic aut venialiter peccari potest, iuxta quantitatem negligentiae, quam iurans admittit in investigatione veritatis, vel tollenda consuetudine. Sanch. n. 10.

551. In hac resol. agitur adhuc de iudicio in iuramento requisito, sed non quatenus iudicium exigit ut non iuretur absque necessitate et causa, de qua re in resol. praeced.: at quatenus iudicium exigit quoque ut homo prudenter videat an verum sit et iustum quod iurat. Cf. Suar. l. 3. c. 5. n. 1. Duo sunt, quae dicuntur posse esse vel venialia vel mortalia, 1° negligentia in inquirenda veritate, 2° in tollenda consuetudine.

Quoad 1^m diligentia ea esse debet, quam postulat materia, supra quam cadit iuramentum; nam quaedam res maioris quaedam minoris certitudinis sunt capaces et quarundam certitudo facile, aliarum aegre obtinetur: idcirco non semper eadem diligentia idemque eius fructus postulari potest. Escobar l. 29. n. 24. ex Sayr. Sanchez, Aragon. * S. Thomas quidem disserte docet, quod « iuramentum adhiberi non debet nisi in re, de qua aliquis *firmiter certus est* » a. 7. ad 1^m: quod etsi affirmetur ab eo occasione iuramenti promissorii, manifestum est id magis valere in assertorio: nihilominus quia certitudo, quae in in rebus contingentibus, quae sunt materia iuramenti, haberi potest, est fere semper moralis et haec in hominum aestimatione latitudinem quandam habere solet; DD. posteriores non adeo rigide loquuntur. * S. Alphonsus sane l. 3. n. 148. ait, non requiri certitudinem absolutam et infallibilem ad recte iurandum, sed sufficere aliquam certitudinem moralem, sive quandam probabilitatem, quae ad quandam certitudinem moralem pertingat.

Quam moralem certitudinem ita explicat Sanchez a s. Doctore citatus: « Ad veritatem iuramenti assertorii (quod et in promissorio valet) exigitur et satis est, ut iurans ita rem se habere arbitretur prudenter et non levi coniectura ductus, sed certa aut verisimili atque

probabili ac proinde secundum iudicium iurantis consentaneum rationi, sive id a parte rei verum sive falsum sit: quia hoc est moraliter certum esse ».

Idcirco ait s. Alph. l. c. cum communi, sufficere in iuramento sive assertorio sive promissorio probabilitatem veritatis assertae vel impletionis rei promissae; quod tamen ait intelligendum, dummodo non habeatur ratio probabilis in oppositum. Sic enim deesset moralis certitudo nec decet Deum invocari in testem rei, quam probabiliter iudicas falsam. Itaque, ut ait Sanchez l. c. n. 13., ad veritatem iuramenti satis est, iurantem audivisse rem illam a persona ita fide digna, ut sit moraliter certus rem ita esse. At in iudicialibus id non satis erit ad rem tanquam certam iurandam, nisi adiungatur causa illius notitiae: ut *scio hoc*, *quia audivi a persona fide digna.* Itaque affirmandum est, certitudinem saltem moralem ad iurandum requiri, ita ut iurans prudenter iudicet rem ita fuisse vel esse, vel se auctore futuram.

Iam vero patet, omissionem diligentiae qua acquiratur sufficiens notitia ad iurandum, posse esse gravem vel levem prouti diximus in tract. *de Act. Hum.*, ubi *de Ignorantia.* Hinc gravitas vel levitas culpae, de qua A. in praesenti resol.

552. Quod spectat ad consuetudinem, adverte haec.

1° Consuetudo consistit heic in habitu inducente facilitatem agendi. Cum autem habitus boni vel mali dicantur pro ratione actuum, ad quos inclinant: patet non posse maiorem pravitatem reperiri in habitu, quam quae est in actu. Idcirco cum consuetudo ideo tollenda sit, ut caveatur pravitas actuum, non potest maior esse obligatio tollendae consuetudinis quam vitandi eos actus. Quapropter si culpa sit levis, levis erit obligatio tollendae consuetudinis. Quod quidem intelligitur abstractione facta a rationibus extrinsecis, quas inducere potest v. gr. periculum labendi in gravia etc.

2° Qui ergo habet iurandi consuetudinem, quin tamen mendax et iniustus sit, ut proinde solum sine necessitate soleat iurare, non est in statu peccati mortalis, etiamsi non conetur evellere illam consuetudinem; quia actus est culpa levis (n. 550.). Contra qui habet habitum iurandi simul et mentiendi, peccat letaliter, si non studeat evellere consuetudinem: toties autem censetur peccare, quoties advertit obligationem et, opportuna exsistente occasione, non adhibet remedia idonea; quippe qui est in proxima occasione peccandi et falsa iuramenta evadunt voluntaria in voluntaria consuetudinis perseverantia.

3° Potest quis se liberare a statu peccati, si eum doleat isque proponat tum abstinere ab huiusmodi iuramentis tum evellere consuetudinem. Et si haec adsint, potest absolvi; quia non est haec oc-

casio *extrinseca*, quae possit et debeat mere tolli, sed *intrinseca*, non secus ac ceteri pravi habitus.

4° Posito hoc efficaci proposito, sequentia iuramenta actu involuntaria non imputantur ad peccatum; quia seiuncta a causa, propter quam censebantur voluntaria. Id ex communi doctrina.

5° Quando DD. dicunt negandam esse absolutionem habenti consuetudinem, intelligendi sunt vel de habente consuetudinem peierandi *advertenter* vel de negligente pravae consuetudinis emendationem. Recole dicta de blasphemiae consuetudine superius.

6° Suadendum in praxi, ut homines eiusmodi de quibus n. 4., confiteantur negligentiam, si qua identidem occurrat, in exstirpanda consuetudine. Escobar l. c. n. 37.

Iam vero patet rursus negligentiam in adhibendis mediis, quibus tollatur prava consuetudo, gravem esse posse vel levem: hinc gravitas vel levitas culpae, de qua A.

XVII. 3. Et sic mortalis est status illorum, qui non tollunt consuetudinem iurandi sine attentione, sitne verum hoc an falsum, quod iurare solent.

553. Ex dictis in resol. praeced. haec patent. Quod attinent ad absolutionem istis habituatis impertiendam, quidam statuunt absolvi eos posse semel aut bis; secus, si saepius relabantur. At saepius posse absolvi patet ex regula circa relapsum in peccata, quae ex fragilitate intrinseca procedunt; haud difficulter enim in hominibus ex fragilitate peccantibus verus dolor verumque propositum haberi potest. Quod si quis post admonitionem aliquantulum laboravit, iam pro emendatione aliquid gessit et praesumenda est veracitas propositi. Si vero nullam adhibuit curam, poterit absolvi, si moraliter constet eum de hac negligentia serio dolere; praesertim si qua causa sit cur absolutio non differatur, quemadmodum diximus de blasphemandi consuetudine. Cf. Escobar lib. 29. nn. 210.-213.

XVIII. 4. Quod ad iustitiam spectat, peccat mortaliter, qui iurat se facturum rem mortaliter malam, ut se aliquem interfecturum; quia est gravis irreverentia, divina auctoritate se ad peccatum mortale quasi obligare, ita ut hic duae malitiae concurrant: una, quod velit malum, altera, quod ad hoc abutatur auctoritate Dei odio habentis omne malum. Bon. l. c. p. 3. Less. l. 2. c. 42. d. 3.

554. Haec doctrina refertur ad iuramentum promissorium et quoad substantiam resolutionis est penes omnes certa doctrina. Eadem doctrina, ut patet, valet in iuramento comminatorio.

Si res promissa partim licita sit, partim illicita, servandum est iuramentum quoad partem licitam; quia utile per inutile non vitiatur. Escobar l. 29. n. 10.

Iustitiam plures DD. requirunt non solum in iuramento *promis-*

sorio, sed etiam in *assertorio*, cum hoc tamen discrimine, quod in promissorio defectum iustitiae videntur considerare quoad rem iuratam, in assertorio autem quoad ipsum iurandi actum.

Et heic Salmanticenses tr. 17. cap. 2. nn. 45.-47. facta quaestione, an iustitiae defectus grave peccatum sit etiam in iuramento assertorio, affirmantem inducunt Sotum cum Toleto, Ledesma et Aragonio, quibus opponunt Suarez cum Sanchez, Tamburini aliisque; et hos sequi se fatentur, excepto casu gravis detractionis iuramento confirmatae. Nam Sotus *de Iust. et Iur.* lib. 8. q. 1. art. 3. Aragonius in 2. 2. q. 89. art. 3., et de Ledesma *Sum. hisp.* tom. 2. tr. 11. cap. 2. dub. 4. peccare eum dicunt, qui occulta revelans crimina iuramento ea confirmat; sed num graviter an leviter peccet, non dicunt: Toletus vero lib. 4. cap. 21. n. 8. grave vel leve peccatum pro ratione materiae habet et quidem isti advertunt, omne abesse peccatum posse, si iusta causa adsit v. gr. iudici occultum crimen cum iuramento revelandi. Suarez vero *de Relig.* tr. 5. l. 3. cap. 12. nn. 7.-8. cum Sanchez aliisque, quorum sententiam s. Alphonsus lib. 3. n. 146. probabiliorem dicit, generatim levem esse culpam censent; quia res iurata supponitur vera et solum deest in iurando iudicium. Excipit tamen iuramentum narrationi veri criminis additum ad maiorem ipsi fidem conciliandam: quia sic iuramentum uti medium ad iniquitatem assumitur.

555. Iuverit audire Doctores quaestionem accurate tractantes. Ita Marcus Struggl tr. 5. q. 3. art. 1. n. 9., ubi quaerit, *quale peccatum sit iuramentum ex defectu iustitiae.* Et respondet: « Iuramentum assertorium de re iniusta, si assertio est iusta, non est peccatum; quia res iniusta, est obiectum solum materiale et extrinsecum iuramenti... Sic igitur testis potest in iudicio iurare, Petrum commisisse homicidium... Si autem ipsa assertio est graviter iniusta, etiam iuramentum, tanquam confirmatio illius, est graviter iniustum: si autem illa est leviter iniusta, etiam iuramentum est confirmatio leviter iniusta. Unde ille, qui alterius crimen occultum propalat eumque graviter infamat et commissum crimen iuramento confirmat, iurando peccat mortaliter: qui autem propalat alterius crimen leve et commissum iuramento confirmat, iurando peccat venialiter ».

Non minus clare Petrus Catalani *Th. Mor.* part. 2. q. 9. cap. 4. n. 6.: « Dicendum secundo, defectum iustitiae in iuramento assertorio esse gravem vel levem non a re gravi vel levi asserta, sed a modo asserendi gravi vel levi, scilicet ex animo pravo magis vel minus, quo Deus adducitur in testem rei assertae..., ut securior et firmior reddatur ob tuum pravum finem. Quare si finis, ob quem iuramento assertorio uteris ut medio, est mortalis, mortale iuramentum erit; si vero venialis,

veniale iuramentum erit. Sic Sanchez, Suarez, Castropalaus. Hinc si proximo detrahis graviter detractionemque iuramento confirmas ob finem graviter nocendi illi; grave peccatum ultra detractionem ex defectu iustitiae in iuramento committeres: assumeres namque iuramentum ut medium ad firmandam gravem iniquitatem. Si vero leviter proximo detrahis etc. ».

Heic vero subit sciscitari: Quid est, quod heic pro hac doctrina allegantur Suarez et Sanchez, quando Salmanticenses dicunt, hos stare pro *culpa levi* contra Sotum, Ledesma et Toletum, quasi isti stent *pro culpa gravi?* Sed ulterius, quid, quaeso, de hac re Toletus? Ecce *Sum.* lib. 4. c. 21. n. 8.: « Circa iustitiam adverte, non sat esse verum iurare, ut iuramentum sit licitum, sed cum iustitia iurare: idest non debet homo iurare illud verum, quod revelare peccatum est. Si quis enim occultum crimen revelaret alicuius, ipsum infamando, peccaret, quamvis verum diceret; quia contra iustitiam facit, et si hoc iterum iuraret, iterum peccaret. Est autem hoc iuramentum mortale, cum iniustitia supra quam iuratur, mortalis est; est autem veniale, cum iniustitia venialis est ». Hucusque Toletus. Numquid haec dissentiunt vel minimum ab iis, quae, teste Catalani, docent Sanchez et Suarez ?

Quid vero et Sotus? Oculis tuis videas. Postquam *de Iust. et Iur.* lib. 8. q. 1. art. 3.: retulit Caietani opinionem, quasi *iustitia* non sit *comes iuramenti assertorii*, subdit: « At vero forsan rectius et assertorio quoque (iustitia) censeatur proprie convenire. Nam iustitia proprie non solum ad rem iuratam spectat, verum et ad iurandi causam, ut in solutione secundi ait s. Thomas... Unde si ego crimina civis omnino occulta sub iuramento asserens detego, certe iuramentum est iniustum... At si iure et more requisitus illa revelo, iustum fit meum iuramentum ». An dices heic Sotum intelligendum esse de peccato mortali. — Resp. Id admittetur, quando ipse ostenderis, quidquid est iniustum, ex mente Soti ex toto genere suo esse peccatum mortale.

Ex Ledesma haec referuntur: « Sed si iustitia altero sensu accipiatur, semper ipsa licitum assertorium iuramentum comitatur: quandoquidem si causa, quae ad iurandum movet, non est iusta, iuramentum assertorium erit iniquum ». Visne etiam a Ledesma haberi ut grave peccatum quidquid non est iustum? si id non audes, ne concludas ergo iure Salmanticenses eam doctrinam Ledesmae attribuisse.

Quod vero recte Catalani communem hanc doctrinam tribuat Sanchez, patet ex istis *in Decal.* lib. 3. c. 4. n. 33.: Clarius Sotus, Aragon., Petrus de Ledesma, Toletus aiunt, ad iuramenti assertorii honestatem exigi comitem iustitiam nec hanc solum attendi ex parte

rei iuratae, sed etiam ex parte causae iurandi ac proinde iniustum esse iuramentum, quoties illo detegitur iniuste crimen proximi. Adduntque Sotus et Ledesma non minus esse iniustum hoc iuramentum, quam cum res iniusta facienda promittitur iuramento. Et Toletus, hoc peccatum esse mortale, quando assertio iurata est mortalis, et veniale, quando est venialis ». Quae quidem Sanchez addit, se admittere eaque teneri etiam a Sayro et Suarez.

556. Huc usque dicta satis perspicua videri possunt ac porro debent et simul etiam sufficientia ad suadendum, imaginarium esse Auctorum in hac quaestione dissensum. Praestat tamen etiam innuere, undenam occasio oborta sit confusionis, quam apud Salmanticenses haec quaestio praefert.

Fuerunt nimirum, qui iustitiam iuramenti comitem latius protenderunt. Hinc illud Tamburini *Decal.* lib. 3. c. 1. §. 4. n. 5.: « Iustitia in eo consistit, ut id quod iuratur, honeste et sine peccato iuretur...: heic enim iustitia non sumitur stricte pro virtute reddendi unicuique suum, sed late iuxta illud: Oportet me implere omnem iustitiam ».

Id autem sic explicat Sanchez l. c. « Iuxta aliquorum sententiam quoties quis iuramento assertorio affirmat rem, in cuius assertione est culpa letalis commissa; tunc eam asserendo, est praeter illam culpam letalem assertionis, alia culpa letalis iuramenti, defectu iustitiae. Et si in assertione committitur culpa venialis, est alia venialis ratione iuramenti sicut in iuramento promissorio contingere diximus ». Subiicit autem sic exempla *(ibid.)*: « Ut si quis absque iusta causa occultam gravem proximi infamiam detegat eive mortalem contumeliam dicat, id iuramento asserens, aut iureiurando proprium mortale crimen cum illius iactantia aut delectatione referat; ultra peccatum letale detractionis, contumeliae, iactantiae, delectationis, est mortale id iuramentum defectu iustitiae ». Allegat autem s. Thomam 2. 2. q. 89. a. 3. ad 2., Caietanum *(ibid.)* et Valentia 2. 2. disp. 6. q. 7. punct. 3., qui tamen mere dicunt, iuramenti iustitiam spectare ad causam iurandi et exemplum a Valentia tactum refertur ad iustitiam stricte talem.

Quidquid vero de hoc sit, certum est etiam Suarez *iustitiam* iuramenti comitem lato illo sensu considerasse, de quo diximus. Pro diversis autem circumstantiis seu hypothesibus, diversum de reatu assertionis ita fert iudicium. « Licet, inquit *de Iuram.* lib. 3. c. 12. n. 7., narratio sit de peccato mortali, saepe ipsa non est peccatum saltem mortale, quia non fit cum complacentia in illo, nec CUM INIURIA TERTII, nec cum scandalo: imo si illa narratio habeat honestam causam vel necessitatem, poterit nullum esse peccatum; si vero leviter fiat, tantum erit de se peccatum veniale. Ergo iuramento firmare illam, vel nullum est peccatum, si ad bonum finem cum utilitate vel necessitate fiat, vel solum

erit venialis culpa ». Quod attinet vero ad iniuriam tertii, quam abesse in hoc textu supponebat, nihil cunctatur affirmare, gravem per additum iuramentum culpam accedere. « Excipiendum, inquit *ibid.* n. 8., nisi malitia ipsa pravae narrationis per iuramentum augeatur, ut si quis v. gr. infamet proximum contra iustitiam narrando veritatem occultam et, ut probabilior fiat infamia, iuramentum adiungat. Videtur enim tunc augeri graviter malitia contra religionem et irreverentia in Deum, ita ut hoc titulo necessarium sit circumstantiam illam in confessione explicare; quia nomen Dei assumitur quasi instrumentum ad faciendam iniuriam gravem proximo, quod gravem iniuriam Dei continet ».

557. In diverso autem iudicio pro hypothesis diversitate ferendo Suarez utique secuti sunt et Sanchez et Tamburini, qui proinde in narratione alicuius gravis peccati iuramento firmata cum Suarez docent, levem intercedere culpam posse. Verum id non impedit, quominus uterque quoad quaestionem communiter ab AA. propositam, de qua sup. diximus, cum iisdem AA. omnino conveniat. Et de Sanchez quidem id superius vidimus. Quoad Tamburini vero, id patet ex hisce eiusdem verbis (l. c.). « Qui ergo aliquem v. gr. infamaret cum iuramento..., iuramentum iustitia carens, Confessori specialiter praeter infamiam aperiendum committeret...; quia sumere Dei testimonium tanquam medium ad inique agendum, est... irreverentia contra Deum... Quid, si iniqua actio detractionis solum sit venialis? Respondeo, fore iuramentum venialiter temerarium ».

Concludamus id itaque, quod ex praemissis hisce manifeste patet. Quando idem est quaestionis subiectum, uti esse vidimus quoad iuramenti iustitiam stricte sumptam, Suarez et Sanchez et Tamburini etc. adamussim cum Soto et Ledesma et Toleto etc. concordant. Ergo imaginaria est dissensio ac pugna, quam inter illos confinxere Salmanticenses. Quando vero Suarez et Sanchez et Tamburini etc. iustitiam iuramenti comitem lato sensu sumunt, dum Sotus et Ledesma et Toletus etc. iustitiam iuramenti comitem presso tantum sensu accipiunt, nulla pugna intercedere inter eos potest, quia diversum est quaestionis subiectum. Rursus igitur patet, dissentionem inter eos a Salmanticensibus iactatam esse plane imaginariam.

XIX. 5. Venialiter autem peccat, qui iurat facere rem venialiter malam aut vanam aut inutilem aut frivolam; cum ibi levis tantum irreverentia censeatur. Bon. ibid. Less. l. c.

558. In primis adverte non obligare hoc iuramentum, sicut etiam cum de re impossibili iuratur.

S. Alph. n. 146. ad haec dicit, sibi magis placere sententiam Elbel: quia non levis sed gravis irreverentia videtur vocare Deum in testem peccati quamvis levis. * Hanc rationem iam alii, qui in contraria sunt sententia, sibi obiecerant, conati illam solvere: inter quos Suarez l. 3.

c. 19., qui illam rationem accurate evolvit et dissolvere studet. Fatendum tamen est, claram haud esse responsionem horum auctorum, qui una affirmant, veniale esse peccatum, si quis iuret facturum se rem venialiter malam, atque mortale esse peccatum si iuret facturum se rem mortaliter malam. Nam quod pro priori parte affertur, Deum non induci ut approbatorem malitiae sed ut confirmatorem veritatis, videtur valere et pro altera parte; e contrario quod pro hac affertur, quia nempe qui iurat peccaturum se mortaliter, tenetur sub mortali non facere id quod iurat et ita perinde est ac si falsum iurasset: sive quia gravis est irreverentia in Deum velle firmari auctoritate Dei propositum in malo eoque gravi, videtur etiam facere pro parte priore. Etenim et in hypothesi venialis, tenetur tandem qui iuravit non facere quod iuravit et sic perinde erit ac si falsum iurasset: item cur non sit gravis irreverentia in Deum, auctoritate Dei firmare propositum in malo, quodcumque sit malum? Sane nec ipse Suarez de vi suarum rationum admodum certus videtur l. c. n. 12. Non est ergo cur speculative improbemus sententiam s. Alphonsi: fatendum est tamen pariter, quod contraria sententia est communior et communis vocatur a Suarez l. c.: quocirca eam sequi tuto licet. *

XX. 6. Item peccat venialiter, qui iurat aliquid contra consilia Evangelica: ut se non ingressurum Religionem, non daturum eleemosynam aut mutuum. Suar. Less. Sanch. Bon. loc. cit.

559. Id s. Alph. non improbat atque haec sententia videtur favere sententiae A. in praecedenti resol. Nam heic DD. gravem inordinationem non vident, quod Deus fideiussor vocetur rei, quae a meliori retrahit, quamvis Deo placere non possit, ut melius postponatur bono.

S. Thomas a. 7. ait: » Si quis iurat se non facturum aliquod melius bonum, quod tamen facere non tenetur, peccat quidem iurando, in quantum ponit obicem Spiritui Sancto, qui est boni propositi inspirator, non tamen peccat iuramenta servando; sed multo melius facit, si non servat ».

Quod dicit A. de mutuo negando, potest id fieri recta ratione et sic abesse omnis culpa.

XXI. 7. Quod ad veritatem spectat: cum haec deest, peccatur mortaliter; quia committitur gravis in Deum irreverentia, quippe cum adducatur in testem falsitatis, quasi vel ipse veritatem nesciat vel velit aut possit decipere testando falsum. Nec hic excusat levitas materiae; quia, sive haec sit gravis sive levis, seria sive iocosa, aequaliter tamen repugnat Deo testificari falsum, et tale iuramentum dicitur. Periurium s. Thom. 2. 2. q. 79. a. 7. Less. Sanch. Bon. l. c. *Hac de re lege Prop. 24. inter damnatas ab Innoc. XI.* An autem et quando periurium possit esse veniale per accidens, vid. Escob. t. 1. c. 3. n. 6.

560. Propositio damnata 24. Innocentii XI. sic est: « Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit

aut possit damnare hominem ». Ratio ab A. allata, clara est et communis. Veniale fit ob defectum deliberationis vel advertentiae, sive ex ignorantia, qua de re infra, resol. 11.

XXII. 8. Nec excusatur vel qui iurat verum, si is putabat esse falsum, vel qui iurat pro certo, de quo ipse dubitat, etsi a parte rei verum sit. Sot. Nav. Bon. l. c.

Vide dicta sub resol. 2. de certitudine, quae requiritur ad licite iurandum. Ratio resolutionis patet ex dictis alibi de conscientia erronea.

XXIII. 9. Peccat aeque graviter, qui ab altero exigit iuramentum, sciens eum esse peieraturum. Excipe, nisi iusta causa et necessitate exigat; quia tunc periurium ex sola peierantis malitia sequitur, nec alter moraliter censetur illius causa, cum utatur suo iure. Quod tamen extra iudicium raro habet locum in privatis personis. s. Thom. q. 89. Suar. l. 3. c. 13. et 14. Sanch. l. 3. c. 8.

561. Quod spectat ad secundam partem resol. patet non peti neque intendi periurium, sed iuramentum, quod alter potest absque mendacio praestare.

Causae petendi, etiamsi praevideas alium peieraturum, sunt 1° si iudicium agatur et pars id postulet vel si ratio officii exigat, ut cum adducuntur testes aut proceditur via inquisitionis.

2° Si alterius causam agas et officium tuum postulat, ut ab adversario iusiurandum petas: secus enim praevaricari videreris.

3° Si speres alium ex reverentia Dei non ausurum peierare et tua intersit iuramentum.

4° Si periurium, quod permittitur, conferat ad detegendas fraudes adversarii ac fidem ei detrahendam, ut sic evadas iniuriam atque ius tuum obtineas. Diximus: *quod permittitur:* quod enim intenditur a petente est iuramentum verum, quod eius causae proderit: sed si ille peierat, hoc quoque causam petentis iuvabit, quae est ratio permittendi periurium.

In dubio vero praesumendum est, alium non peieraturum et idcirco tunc hoc ipso petens iuramentum non peccat.

Extra iudicium potest esse iusta causa, maxime quoad iuramentum promissorium pro firmandis contractibus. Quoad assertorium autem, causam habere forte posset exigendi iuramentum administrator, qui v. gr. passurus sit vexationem a domino, nisi se muniat iuramento exacto a colonis vel inferioribus. Escobar lib. 29. n. 223.

Eodem pacto licet petere iuramentum ab ethnico, quem scis iuraturum per falsos deos, quando adsit causa gravis id petendi. Quod enim quaeritur est actus religionis; si autem hic vitietur invocatione falsorum numinum, id contingit vel culpa iurantis ipsi imputanda, vel ignorantia, ita ut peccatum cesset; et in utroque casu peccatum licite permittitur, formale in priore, materiale in altero, ob iustam causam

ut illius affirmatio fiat nobis sollemni modo securior. Cf. Suarez *de Iuram.* l. 3. cc. 13. 14.

XXIV. 10. Non peieravit, qui iuravit aliquid reipsa falsum, quod ipse bona fide et cum ratione putavit esse verum.

Ratio petenda ex doctrina de conscientia invincibiliter erronea.

XXV. 11. Excusari subinde quidam simplices a mortali periurio videntur posse, ratione inconsiderationis, cum usurpant quasdam formulas iuratorias, ut *per animam meam : puniat me Deus.* Etsi enim sciant id vocari iuramentum, non tamen apprehendunt, quod iurare sit aliquid grave et invocare Deum in testem, sed tantum apprehendunt confusam aliquam rationem mali non tanti momenti. Vid. Bon. l. c. Laym. c. 14.

562. Intelligenda est resol. etiam de veris iuramentis, praesertim exsecratoriis, quae magis sunt in usu rudibus.

Addit s. Alph. n. 150. ea quae pro aliis etiam materiis retinenda sunt. « Imo notandum, quod communiter rustici non apprehendunt gravitatem periurii, dum se confitentes de iuramentis, parum vel minime distinguunt iuramenta vera a falsis et hoc ex praxi in missionibus iamdudum intellexi. Quare pro iis, qui consuetudinem taliter ad peierandum habent, confessarios potius censeo abstinendos esse ab instruendis his talibus de peccato gravi, quod revera est in periurio; ne peccata materialia in iis, ob malum habitum, quem habent, formalia evadant, ex regula generali... Bene tamen tales consuetudinarii sunt fortiter monendi, ut deinceps desinat falsum iurare. Ceterum non semper expedit monere huiusmodi poenitentem de gravitate peccati, si monitio praevideatur non de facili profutura ».

Dub. IV.

An liceat uti aequivocatione in iuramento.

XXVI. Resp. Iurare cum aequivocatione, quando iusta causa est et ipsa aequivocatio licet, non est malum; quia ubi est ius occultandi veritatem et occultatur sine mendacio, nulla irreverentia fit iuramento. Quod si sine iusta causa fiat, non erit quidem periurium, cum saltem secundum aliquem sensum verborum vel restrictionem mentalem verum iuret: erit tamen ex genere suo mortale contra religionem; cum sit gravis irreverentia, ad alterum in re gravi decipiendum usurpare iuramentum. Ita communiter DD. Sanch. l. 3. c. 6. Bon. p. 12. Laym. c. 13. *Hac de re videas Prop. 25. inter damnatas ab Innoc. XI.*

563. S. Alphonsus n, 151. dicit hanc materiam difficilem et reipsa subinde est salebrosa.

Praenotanda ad claritatem ex s. Alph. ibid. Amphibologiae seu aequivocationis triplex communiter modus distinguitur.

1° Quando vox multiplicem habet significationem, quia reapse multiplex est vox, ut *os, ossis*, et *os, oris*.

2° Quando propositio multiplicem habet sensum, qui per se potest esse aeque principalis; quamvis contextus sermonis vel circumstantiae alicui magis quam alteri faveant, ut *hic liber est Petri:* quod per se accipi potest vel de domino vel de auctore.

3° Quando locutiones multiplicem habent sensum, alterum magis, alterum minus obvium et communem. Ita cum quis dicit *cibum aliquem bonum esse*, quod vere dicitur sive habita ratione sanitatis, ut fit communiter, sive mortificationis, ut fit identidem a piis.

* Cum usu amphibologiae, praesertim tertio loco descriptae, coniuncta est ea quae dicitur *restrictio mentalis:* ea scilicet quae est *non pure mentalis*, eo quod ex adiunctis sermonis loquentis, audientis et huiusmodi, dignosci per se potest: est nempe coarctatio ad unum sensum, minus quidem obvium et communem, ex pluribus, qui verbis prolatis plus minus clare enuntiari possunt. Quamvis, ut monet Viva in prop. 27. Innocentii XI., n. 3., restrictio non pure mentalis haberi possit absque vera aequivocatione, quando verba, quae ex se unam significationem habent, propter circumstantias habent aliam. Ut si iudex pro tribunali dicat innocentem esse, quem privata notitia scit esse reum: circumstantiae enim docent de innocentia iuridica sermonem esse. Verum et haec restrictio facile ad aequivocationem seu amphibologiam revocari potest.

Alia dicitur *restrictio pure mentalis*, quae talis est, ut nullo modo ab aliis percipi possit: est scilicet coarctatio sensus ad aliquid, quod verbis nullo modo exprimitur et arbitraria est. *

Auctor dicit licere iurare cum aequivocatione, quando aequivocatio licet. Porro licere, non quidem semper, aequivocationem DD. dicunt, quando restrictio non est pure mentalis: non licere autem, quando est pure mentalis.

* Quod perinde est ac dicere, aequivocationem identidem licere, quando sit vera aequivocatio, manens nempe intra terminos aequivocationis, ut multiplex sit saltem ex circumstantiis sensus verborum prolatorum et aliquis ex his intendatur: quod quidem non fit in restrictione pure mentali, quae potius dicenda esset substitutio mentalis alterius sensus loco eius qui exprimitur. *

564. Iam vero habemus in hac materia propositiones damnatas ab Innocentio XI. 26. 27. 28.

26ª sic habet: « Si quis vel solus vel coram aliis, sive interrogatus sive propria sponte sive recreationis causa sive quocumque alio fine, iuret se non fecisse aliquid quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit vel aliam viam ab ea in qua fecit vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur nec est periurus.

27ª « Causa iusta utendi his amphibologiis est quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas vel ad quemlibet alium virtutis actum ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens et studiosa ».

28ª « Qui mediante commendatione vel munere ad magistratum vel officium publicum promotus est, potest cum restrictione mentali praestare iuramentum, quod de mandato Regis exigi solet, non habito respectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri crimen occultum ».

Porro quoad duas priores, convenit inter DD. eas damnari, quia sermo ibi est de restrictione pure mentali, ut docet s. Alph. n. 152. in fine. Vide etiam Viva in duas hasce propositiones n. 1.

S. Alph. ibid. docet etiam postremam damnatam esse, quia ibi agitur de restrictione pure mentali. E contrario Viva l. c. in propos. 28ª n. 1. et 3., contendit damnari etiam usum restrictionis non pure mentalis; non quasi Viva neget, licere generatim usum huius restrictionis, sed quia putat ibi agi casum, in quo ipsa non est licita.

Difficultas in eo est, quod durum videatur cogere aliquem ad confessionem occulti criminis. Verum, ut Viva advertit, heic non exigitur confessio criminis ad vindictam, ad quam confessionem reus non tenetur, nisi convictus fuerit probationibus: imo neque exigitur absolute, ut quis prodat defectum suum, sed solum ut candidatus retrahat se a munere aut officio, si debitis careat conditionibus et sic officia et magistraturae non conferantur indignis, cum detrimento reipublicae. Quinam sit casus, ad quem propositio refertur, non admodum constat: Viva autem memorat iuramentum, quod exigebatur a scholaribus pro obtinendis gradibus academicis. Verum alia exempla prostant clariora in promovendis e. gr. ad sacros ordines, si interrogentur de natalibus, de censuris, de irregularitate, vel in volentibus contrahere matrimonium, si interrogentur de impedimentis dirimentibus. In his enim non licet uti aequivocatione sed oportet respondere ad sensum, quem interrogans intendit: idcirco qui aliquo crimine obstringitur, quo indignus fiat et provocetur ad iuramentum circa ea, de quibus interrogandus est, debet aut sincere rem aperire aut resilire a proposito consequendi quod desiderat. Ita autem accepta propositio nihil derogat communi doctrinae.

565. Communis enim doctrina est, licere, iusta exsistente causa, uti aequivocatione eique adiungere iuramentum. Quod liceat uti aequivocatione seu restrictione non pure mentali, probat s. Alph. n. 152. quia, « si non liceret, non exsisteret modus secretum servandi licite, quod perniciosum foret humano commercio non secus ac mendacium ».

Et sane in aequivocatione id quod dicitur exterius, respondet animo loquentis et veracitas adest: decipitur quidem audiens, quia sensus est minus obvius et communis, sed ea deceptio ex iusta causa permittitur; imo ut ait s. Alph. n. 151., « non decipimus proximum, sed ex iuxta causa permittimus, ut ipse se decipiat ». Scilicet, ut ait Lugo *de Fide*, d. 4. n. 69. « Quamvis audiens ea verba in alio sensu accipiat, non provenit ex te ut ex causa, licet occasionem dederis acceptioni, quam non teneris vitare cum incommodo tuo proportionato », S. Thomas 2. 2. q. 110. a. 3. ad 4. ait: « Non est licitum mendacium dicere ad hoc quod aliquis alium a quocumque periculo liberet. Licet autem veritatem occultare prudenter sub aliqua dissimulatione, ut Aug. dicit in libro *contra Mendacium* ». Si autem iusta causa absit, peccatum erit saltem veniale aequivocatione uti; quia nequit esse bonum, nulla exsistente ratione, exhiberi alteri occasionem deceptionis in verbis nostris.

Communis est etiam doctrina, teste s. Alph. n. 151., licere ex iuxta causa aequivocationem licitam iuramento firmare. Vera est enim affirmatio in tali aequivocatione: vera autem affirmatio iuramento confirmari potest.

Sed iusta causa, ob reverentiam Deo debitam, requiritur ab huiusmodi iuramentum. Qua de re s. Alph. l. c. « Iusta causa esse potest quicumque finis honestus ad servanda bona spiritualia vel corpori utilia ». Et paulo infr.: « Ex praefata (probabiliori) sententia infertur, quod ad sic iurandum non requiritur causa absolute gravis, sed sufficit quaevis rationabilis causa, puta ad se liberandum ab importuna et iniusta interrogatione alterius, ut dicunt Salmant. ».

Porro iurare cum aequivocatione sine iusta causa A. dicit esse mortale ex genere suo, monens conferendum esse Sanchez, non quia Sanchez id doceat, sed quia Sanchez reapse *in Decal.* l. 3. c. 6. n. 27. refert hanc communem sententiam: « Communis, inquit, sententia habet, id esse mortale »; a qua tamen sententia ipse discedit. Merito s. Alph. n. 151. probabiliorem dicit sententiam, quod leviter tantum peccetur. Nam in tali iuramento adest iustitia et veritas, abest solum iudicium, cuius defectus est culpa venialis.

566. Secundum praemissa s. Alphonsi subiicit sequentia exempla nn. 153.-168.

1° Confessarius potest affirmare, etiam iuramento, se nescire peccatum auditum in confessione, scientia scilicet communicabili, ad quam solam interrogans ius habere potest. Atque hoc, etiamsi alter interrogaret, an audiverit ut minister Christi; quia confessarius censendus semper est respondere ut homo; nam ut minister Christi non potest loqui.

2° Item ad occultandum alterius infamiam, potest quis interrogatus respondere: nescio, scilicet non habeo scientiam utilem ad respondendum.

3° Reus non legitime a iudice interrogatus potest iurare se ignorare crimen, cuius reapse conscius est, scilicet crimen de quo legitime possit inquiri, seu nescire se ad deponendum.

4° Item testis, si sciat crimen caruisse culpa.

5° Pariter, si testis sciat crimen sub secreto commisso et nulla praecesserit infamia. Atque in hoc casu potest testis imo tenetur dicere, reum non commisisse crimen.

6° Reus etiam legitime interrogatus, scilicet cum semiplena probatione, potest negare verum suum crimen etiam cum iuramento, si poena gravis immineat, mortis, mutilationis, exilii, triremium etc. et spes aliqua sit evitandi hoc pacto poenam, intelligendo, non commisisse quod tenear fateri. Ratio est, quia lex humana nequit obligare homines cum tanto onere. Sensus ergo est: nego crimen, quod tenear fateri. Hanc sententiam censet s. Alph. satis probabilem cum Lugo. Insinuanda est ergo reis, si timeatur, ne ex errore culpam gravem contrahant.

7° Interrogatus a iudice potest negare se cum reo locutum esse scilicet ad cooperandum crimini, si reapse de aliis tantummodo rebus collocutus sit, quae iudicem nosse non oportet.

8° Uxor adultera potest negare adulterium, etiam cum iuramento quando crimen non est notorium et probatum; ratio eadem est ac pro reo (6.) quia non tenetur manifestare eademque semper subest restrictio mentalis: non feci quod tenear manifestare.

9° Poenitens potest negare confessario se fecisse peccatum, quod iam est rite confessus. Excipit s. Alph., nisi confessarius iuste interroget ad noscendum statum poenitentis, ob propos. 58. Innocentii XI. Verum ea propositio loquitur solum de peccandi consuetudine. « Non tenemur, ait, confessario interroganti fateri peccati alicuius consuetudinem ».

10° Indigens, qui bona abscondit necessaria ad sustentationem, potest iudici respondere, se nihil habere.

11° Pariter heres, sine inventario, qui occultaverit bona, si non teneatur ex his satisfacere creditoribus, potest iudici respondere, se nihil occultasse, intelligens de bonis, quibus satisfacere teneatur.

12° Qui mutuum acceptum iam reddidit, potest negare se accepisse, scilicet ita ut aliquid debeat.

13° Qui coactus matrimonium contraxit, potest negare iudici se contraxisse; quia reapse nullum fuit matrimonium. Idem dicendum de eo qui irrita sponsalia inivit.

14° Qui matrimonium promisit sed ita ut non teneatur implere, potest negare se promisisse, promissione scilicet, qua obligetur.

15° Qui non tenetur solvere gabellas, potest negare se quidquam habere, scilicet ex quo gabella debeatur.

16° Qui venit e loco, qui falso putetur infectus, potest negare se ab eo loco, scilicet *ut pestilenti* venisse; quia haec est mens custodum. Imo dicunt plures idem licere, si ex loco quidem pestilenti venerit, sed tam celeriter ac caute, ut certe nihil luis contraxerit. Difficile tamen erit de hac re certum esse.

17° Potest quis latroni iurare, se daturum pecuniam, intelligens, quam debeat, seu si debuero.

18° Mulier, quae scit matrimonium esse nullum, potest iudici aut confessario, si hic secus nolit absolvere, polliceri cum iuramento, se cohabitaturam, licet intelligat tantum de coabitatione sibi licita.

19° Qui rogatur aliquid sive dono, sive mutuo sive commodato, potest negare se habere, scilicet quod possit aut velit dare.

20° Creditor potest cum iuramento affirmare sibi non esse solutam pecuniam, quae soluta fuit, si aliud habeat creditum, quod ipsi negetur eo quod probari non possit. Dummodo tamen non affirmet sibi deberi ex credito iam reddito, quod quidem difficile erit, puto, servare in praxi, nec damnum aliis creditoribus inferatur.

21° Mercatores possunt iurare merces carius ipsi constare, quando non merum pretium rei considerant, sed supputant etiam alias expensas.

22° Famulus ex iussu domini potest negare eum esse domi, etsi sit, ex usu enim communiter recepto haec formula valet: aut non est domi, aut non ita est, ut velit admittere.

23° Potest quis coram notario affirmare se recepisse pecuniam, quam non recepit, scilicet pro accepta habere; si enim remittit, perinde est ac si acceperit.

24° Licet aliquid falsi iurare, addendo aliquid submissa voce, quod veram rem faciat, dummodo illa prolatio aliquo modo percipi ab altero possit, licet eius sensus non percipiatur; iam enim hic intelligi vel suspicari potest, iurantem non iurare id quod elata voce prolatum est. Quo posito et ille verum iurat et hic non decipitur. Nisi tamen quaedam adiuncta, ut obligatio vitandi scandali, aliud postulent.

Unde resolvitur.

XXVII. 1. Graviter peccat, qui utitur aequivocatione, quando non rogatus, sed sponte sua iurat; quia tunc tenetur uti vocabulis secundum communem significationem, inquit Tolet. l. 4. c. 21., eo quod non habet rationem aequivocandi.

567. S. Alph. n. 170. dicit probabiliorem et communem sententiam oppositam, scilicet licere etiam sponte, cum iusta causa adsit. Nec apparet, cur videatur Auctori iusta causa non adesse, nisi quis rogetur iuramentum. Etiamsi vero iusta causa absit, vidimus cum s. Alph., ne tunc quidem gravem haberi culpam (565.).

XXVIII. 2. Graviter item peccat, qui utitur aequivocatione, quando iuramentum iuste exigitur, ut a iudice vel superiore, in re gravi. Bon. l. c.

568. Non raro scil. haud licet permittere deceptionem alterius ex verbis nostris sive exhibere illi occasionem deceptionis et obligatio ab his abstinendi potest esse gravis. Lugo *de Fide* d. 4. n. 67.: « In *aliquibus* casibus est procul dubio obligatio abstinendi ab aequivocationibus et usurpandi verba in eo sensu, quo ab auditoribus accipiuntur: 1° quando ex illo errore auditores in aliquod grave incommodum inciderent et tunc obligatio erit ex virtute vel fidei vel religionis, quando error quem conciperent, esset contra fidem etc. 2° quando ratione officii tenemur aliquem instruere et docere vera ne erret et eo magis si pretio vel stipendio accepto ad id tenemur: 3° quando contractus onerosos et mutuos celebramus: debemus enim ex iustitia verba ad mentem contrahentis proferre, ne eum decipiamus: 4° quando iudici vel praelato legitime interroganti iubemur respondere; debemus enim in sensu interrogantis respondere vel certe in sensu, quo interrogare deberet ». Et hoc est quod diximus sup. 556. 6.

XXIX. 3. Si autem fiat tale iuramentum in re levi, per iocum et citra inobedientiam ac notabile damnum alterius, erit tantum veniale, ut probabiliter docet Sanch. l. 3. c. 6. contra alios; quia sola discretione sive iudicio caret. V. Bon. l. c.

569. Heic igitur iuramentum cum aequivocatione, sine iusta causa, quod in re levi, *citra inobedientiam*, h. e. ius legitime interrogantis et citra damnum alterius profertur, concedit A. esse leve peccatum. Sic temperatur doctrina resol. 1ae.

XXX. 4. Licet aequivoce iurare, si iuramentum exigatur iniuste, ut v. gr. si quis exigat iuramentum, qui ius non habet v. gr. iudex incompetens: vel si non servet ordinem iuris. Item si exigatur per vim, iniuriam, metum, v. gr. si vir exigat iuramentum ab uxore de adulterio occulto: si latrones exigant a te lytrum cum iuramento. Sayr. l. 4. c. 5. et l. 12. c. 17. Less. Trull. l. 2. c. 1. d. 15.

Huc spectant resolutiones quas superius attulimus n. 566.

XXXI. 5. Qui exterius tantum iuravit sine animo iurandi, non obligatur, nisi forte ratione scandali; cum non iuraverit, sed luserit. In foro tamen externo potest cogi, ut servet. Sanch. 7. *Mor.* c. 10. n. 11. Trull. l. 2. c. 1. d. 10.

De hac re melius in dub. seq. Patet autem, quod non obligatur vi iuramenti seu ex religione.

Dub. V.

Quae et quanta sit obligatio iuramenti promissorii.

XXXII. Resp. 1. In iuramento promissorio duae affirmantur veritates, una de praesenti primaria, quod scilicet iurans habeat animum implendi, quod promittit, altera secundaria de futuro, quod scilicet impleturus sit suo tempore, quod promittit: sive promittat Deo et est votum cum iuramento, sive homini et est iurata promissio humana. Unde oritur obligatio implendi, si rationabiliter possit. Ita communiter DD. ut Laym. l. 4. t. 3. c. 6. Bon. p. 7.

570. * Iam monuimus n. 532. materiam iuramenti esse rem contingentem, qualis ea est quae testimonio inter homines firmari solet: addimus esse rem non manifestam alteri h. e. ei, cui iuramus: secus enim nulla confirmatione indigeret nec esset proinde ratio iurandi. Porro iuramenti promissorii seu de re futura materia est res facienda ab eo qui iurat; si enim iurares cras pluviam futuram, vel bellum exstiturum proximo anno inter Francos et Germanos, reapse non iurares nisi rem praesentem h. e. te certo id nosse et idcirco iuramentum foret tantum assertorium.

Quaerens s. Thomas a 7. utrum iuramentum habeat vim obligandi, ait: « Sicut iuramentum assertorium, quod est de praeterito vel de praesenti, debet habere veritatem, ita et iuramentum de his, quae sunt fienda a nobis in futurum. Et ideo utrumque iuramentum habet quandam obligationem, diversimode tamen. Quia in iuramento, quod est de praeterito vel praesenti, obligatio est non respectu rei, quae iam fuit vel est, sed respectu ipsius actus iurandi, ut scilicet iuret id quod iam verum est vel fuit, sed in iuramento, quod praestatur de his, quae sunt facienda a nobis, obligatio cadit e contra super rem, quam aliquis iuramento firmavit. Tenetur enim aliquis, ut faciat verum esse, quod iuravit: alioquin deest veritas iuramento ». « Obligatio iuramenti, ait a. 8., causatur ex reverentia, quam debemus Deo, ex qua tenemur quod verificemus id, quod per nomen eius promittimus » vel verum dicamus, cum asserimus. Est ergo obligatio ex virtute religionis, quae personalis est nec transit ad heredes. Obligatio autem iuramenti an sit maior obligatione voti, dicemus cum de voto disputabimus. *

Advertunt DD. in iuramento promissorio includi etiam assertorium

nec negat s. Thomas, qui solum de propria differentia singulorum loquitur. Sane iurans iuramentum promissorium primo Deum testem vocat, quod nunc habeat voluntatem faciendi quod promittit vel statuit se facturum; dein fideiussorem, ut aiunt. Eundem adducit operis postea implendi. Forte dici posset, quod praesens propositum potius heic supponitur quam asseratur, ut iuramentum, saltem explicite, cadat solum in rem futuro tempore implendam, quod videtur censere s. Thomas.

Aliquis tamen iurare posset tantum de proposito praesenti et sic esset iuramentum mere assertorium; quod propositum deinde sine periurio frangeret. Laymann *de Iuram.* c. 4. a. 4.

571. Verum, si proprie loqui velimus, non omne iuramentum de re facienda a nobis, est promissorium, quemadmodum iam innuimus n. 546.: ita v. gr. cum quis iurat se non daturum mutuo, non ingressurum aliquam domum, non lusurum etc. In his enim iuramentis non adest ulla promissio facta alicui atque adeo nulla oritur obligatio aut ex fidelitate aut ex iustitia, sed solum ex virtute religionis, qua iurans tenetur efficere, ut assertio sua de futuro habeat veritatem tum praesentem in proposito tum de futuro. Quocirca recte iuramentum de futuro duplex distinguitur, aliud *nudum et simplex*, quod nullam promissionem habet admixtam erga alterum, aliud quod est confirmatorium promissionis vel erga Deum (quod est votum iuratum) vel erga proximum, cuius propterea iuramenti violatio duplicem habet reatum; quia duplex intercedit obligatio, iustitiae nempe aut fidelitatis et religionis.

* Ne putes tamen iuramentum de re futura *nudum* tale esse ut solum iuretur propositum praesens faciendi; sic enim non foret iuramentum de futuro: sed praeter propositum praesens quod asseritur vel supponitur, iuratur impletio rei futura et sic obligatio contrahitur efficiendi verum esse quod iuratum est, ut ait s. Thom. a. 7. Quia assertio rei futurae contingens est et prout talis, incerta: iuramentum vero de re certa esse debet: evadet autem res certa iuranti, si obligationem eius rei faciendae in se suscipiat. Cum ergo iurat se facturum, se obligat ad faciendum, saltem obligatione religionis. Cf. Suarez *de Iuram.* t. 2. c. 1. n. 11. seqq.*

Diximus in iuramento promissorio obligationem oriri *iustitiae* aut *fidelitatis;* quia non omnis promissio obligat ex iustitia, ut videbimus in tract. *de Contractibus.*

Porro quae in hoc dubio dicuntur, ad utrumque iuramentum de re futura, sive nudum sive proprie promissorium, subinde spectant.

Unde resolves.

XXXIII. 1. Defectu primae veritatis iurans vere peccat mortaliter, si vel non habet animum implendi, sive materia sit parva sive magna, licita sive illicita; vel si dubitat, an facturus sit necne, quod iurat: vel si putat sibi moraliter impossibile, ut impleat quod promittit; quia quoad istam veritatem praesentem, promissorium ab assertorio non differt; unde nec parvitas materiae excusat. ibid.

572. Non inanis esset quaestio, quomodo quis serio et vero animo iurare possit et promittere sine animo implendi. Nam absurda videtur hypothesis, quod quis habeat animum non implendi et simul habeat heic et nunc animum serio promittendi et iurandi. * Certe nequeunt esse simul animus iurandi aut promittendi et animus non se obligandi vel ex religione vel ex promissione. Iuramentum enim de futuro est obligatio, Deo teste et fideiussore, suscepta aliquid faciendi, item promissio est fidei obligatio facta alteri de re quapiam; in quo differt a proposito, quod est voluntas praesens aliquid faciendi. At voluntas se obligandi potestne esse sine voluntate implendi id, ad quod se obligat? Per se haec altera voluntas implendi est consequens prioris: potest autem esse antecedens sine consequente, cuius, in re praesenti, defectus vel remotionis posset esse ratio malitia ipsius iurantis vel promittentis. Sic matrimonium contrahens se obligat ad servandam fidem; suscipiens tamen hanc obligationem habere simul potest voluntatem frangendi fidem etc. Itaque tali supposito iuramento, DD. respondent, hunc graviter peccare; quia de praesenti deficit veritas, cum iam de praesenti vis non facere id, ad quod teneris, ut iuramento constet veritas: teneris enim efficere verum esse quod iurasti: alioquin deest veritas, ut ait s. Thom. a. 7. Iidem praeterea respondent, teneri nihilominus sic iurantem implere promissum tum vi promissionis tum vi iuramenti: utramque enim obligationem suscepit. Cf. s. Alph. n. 172. 3.*

Hypothesis utique erit suasibilior, si supponas aliquem iurare cum animo dubio implendae rei promissae vel iuratae, aut credens fore ut implere nequeat. Utroque in casu affirmatur, hunc graviter peccare, propter eandem rationem, quia nempe deest veritas. Cf. Sanchez l. 3. c. h. nn. 17. 18.

Verisimilior tamen et ad praxim vere spectans est hypothesis, quod quis iuret exterius, sine animo iurandi aut sine animo sese obligandi (s. Alph. n. 172.), quod multipliciter contingere potest, ut ex seqq. patebit. Tale iuramentum *dolosum* vocatur, quod, iuxta Sanchez l. 3. c. 6. n. 1. dupliciter praestatur: vel enim animus iurantis non concordat cum externis verbis, eo quod animus sit non iurandi aut se non obligandi: vel etsi animus iurantis concordet cum externis verbis non concordat cum animo eius, cui iuratur.

573. Iam vero de eo, qui iurat sine animo iurandi, habetur propositio damnata ab Innocentio XI. quae est 25. « Cum causa licitum est iurare sine animo iurandi, sive res sit levis sive sit gravis »: ergo non licet. Ratio est, ait s. Alph. n. 172. 1.; quia illudit divino testimonio. Addit ibid. ex communi doctrina, hunc peccare graviter, si iuret sine animo implendi: leviter vero peccare, si adsit animus implendi etsi desit animus iurandi. Nempe in hoc casu, praeter mendacium, quod inest dicenti *iuro* dum reipsa non iurat, habetur tantum vana usurpatio nominis Dei et Deus non invocatur in testem falsitatis; quia vere exsistit propositum faciendi. In priore vero casu, cum desit animus implendi, habetur periurium; quia adducitur Deus testis praesentis falsitatis; nam adducitur ut testis rei praesentis aut veluti praesentis (unde aequivalet iuramento assertorio n. 63.), h. e., voluntatis implendi quod iuratur, quae voluntas tamen deest: iuramentum autem sine veritate est peccatum mortale.

At Gury vol. 1. § 308. 1. dicit generatim, ficte iurantem probabilius peccare tantum venialiter; quia non est nisi mendacium cum vana nominis Dei usurpatione. Scilicet Gury periurium non agnoscit, ubi iuramentum est tantum factum exterius: animo autem non invocatur Deus ut testis aut fideiussor. Sed certe non bene tribuit hanc doctrinam s. Alph., citans *Homo Apost.* tract. 5. n. 17.; nam et hoc loco s. Doctor distinguit, utrum adsit nec ne animus implendi et affirmat graviter peccari, si hic animus desit. Cuius rationem reddit Sanchez l. 3. c. 6. n. 8.: quia etsi animo nolis iurare, vis tamen proferre exterius iuramentum seu invocationem Dei ut testis, quam tamen adhibes ad rem falsam; quia deest voluntas implendi. Idcirco exterior ille latriae cultus, ad quem iuramentum pertinet, exhibetur rei falsae, quatenus res falsa testimonio Dei comprobatur. Sicut ergo mortale est exhibere latriae cultum, vel tantum exterius, idolo; ita mortale est velle exteriori iuramento iurare rem falsam. Diximus, si animus implendi adsit, peccari venialiter: excipiunt tamen, nisi id contingat in contractu aut in iudicio legitimo; « quia tunc licet non sit periurium, est tamen gravis deceptio contra iustitiam ». S. Alph. l. c.

574. Quoad eum, qui iurat sine animo se obligandi, multiplex quaestio exsurgit.

Nam si solum absit voluntas obligandi se ex virtute religionis, quaestio recidit in praecedentem iam solutam, de eo, qui iurat sine animo iurandi.

Si vero sincere quis iuret de futuro ita ut velit suscipere obligationem ex religione, non velit autem ex iustitia aut fidelitate se obligare v. gr. dum iurat eleemosynas se daturum pauperibus aut Eccle-

siae, faciens illis spem, sed non ligans se vi promissionis: non apparet cur peccare dicendus sit mortaliter vel venialiter; cum evadat hoc iuramentum simplex de re futura, quod certe licet, nisi forte agatur de contractu, in quo obligatio ex iustitia requiritur, aut de obligatione suscipienda ex praecepto iudicis aut simili.

Si vero agatur de eo, qui serio iurat promissionem, sed ficte promittit quia non vult facere: peccabit mortaliter; sed forte dicet aliquis hypothesim esse impossibilem (n. 572.) serio iurantis quod non vult facere, ficte proinde et promittentis et iurantis. Utcumque autem sit, habes periurium in homine, qui iurat de praesenti voluntate, quam non habet, ut diximus n. 68.

Qui autem latroni iurat et promittit, sine animo se obligandi ita ut ficta sit promissio et fictum iuramentum, is, nisi licita aequivocatione utatur, perinde est ac ille, quem consideravimus n. 573., qui ficte iurat sine animo implendi. Sed frequenter huiusmodi homines, mente turbati, verba proferunt non satis perpendentes quid dicant.

575. S. Alphonsus n. 172. II. quaerit, an teneatur iuramentum servare, qui iurat cum animo iurandi, sed sine voluntate se obligandi, et ait duplicem esse sententiam probabilem; negativam tamen esse probabiliorem.

Ut rem forte distinctius proponamus, dicimus:

1° Si iurat quis sine animo se obligandi ex iuramento, perinde est ac si iuret sine animo iurandi et proinde quaestio redit ad eam, quam s. Doctor ibid. primo loco agit et nos tractavimus n. 573. Nulla autem obligatio adest iuramenti; licet aliunde, vel ob damnum vel ob scandalum obligatio esse possit et ad servandum illud in foro externo cogatur. Reiffenstuel l. 2. tit. 24. n. 70. « Qui non habuit animum iurandi, non ligatur iuramento in foro interno at peccat tum assumendo nomen Dei in vanum tum decipiendo proximum et ad illud praestandum tenetur ratione iustitiae et scandali et in foro externo cogitur illud servare etiam ex virtute religionis ».

2° Si quis iuret vere, at sine animo se obligandi ex iustitia vel fidelitate, sed solum ex religione; nulla est controversia; omnes enim docent iuramentum esse servandum.

3° Si velit autem se obligare solum ex virtute iustitiae seu fidelitatis et non ex virtute religionis; quaestio rursus recidit in questionem praecedentem n. 573. Et iuramento quidem per se non obligatur neque sequentur incommoda damni aut scandali; quia supponimus eum velle pacta aut promissa servare.

4° Si denique iuret et tamen se obligare neque ex iuramento neque ex promissione velit; tunc ficta est promissio et fictum iuramentum

et prout est propositum in eo faciendi vel non faciendi quod promittit, redit quaestio n. 573. Hic quidem graviter peccat ex defectu veritatis praesentis, sed deficiente animo se obligandi, per se iuramento non ligatur.

XXXIV. 2. Defectu secundae veritatis vere peierat is, qui quod promisit, postea non implet, si rationabiliter implere potest. Id solum hic dubitatur: an qui promisit rem exiguam cum iuramento, ut v. gr. dare alteri unum pomum, vel nummum pro eleemosyna, vel castigare prolem, vel inter vendendum nolle se minori pretio vendere, vel nolle primum locum occupare, aut praecedere in ingressu portae etc. an, inquam, sub gravi peccato teneatur haec servare. Ubi speculative quidem videtur, quod sic; quia vere adductus est Deus ut testis, quod sit facturus: ergo si sine causa non facit, quantum in se est, facit Deum testem falsum. Caiet. Val. Tol. l. 4. c. 22. Nihilominus probabiliter alii tenent contrarium, ut Sanch. V. Laym sup. c. 4.

576. S. Alphonsus n. 173., proposita quaestione: an detur parvitas materiae in violatione iuramenti promissorii, duplicem sententiam profert, negantem et affirmantem atque utramque dicit valde probabilem, imo affirmantem forte probabiliorem.

Oportet sane, ut duae veritates distinguantur in iuramento promissorio n. 570. Nam quoad priorem, iuramentum induit indolem assertorii et sic non datur parvitas materiae. Ergo si desit animus implendi, erit semper grave peccatum periurii. Quoad secundam vero locum habet quaestio, prout proponitur a s. Alphonso.

Ratio prioris sententiae est, quod in iuramento non detur parvitas materiae. Haec autem ratio valet proprie quoad priorem veritatem. Idcirco potius urgenda foret ratio allata a s. Thoma, quam iam recitavimus n. 570. scilicet obligatio efficiendi, ut verba, in quorum testimonium Deus vocatur, evadant vera.

Ratio alterius sententiae est, quod in promissorio, quoad futuram impletionem non vocetur proprie testis Deus, sed solum ut praebens auctoritatem obligationi. Ergo, inquiunt, non implendo non peierat; quia periurium est vocare Deum testem mendacii: atqui mendacium abest, si prius vere propositum aderat implendi. Non implere autem non est mendacium, sed infidelitas. S. Thomas, 2. 2. q. 110. a. 3. ad 5.: « Ille qui aliquid promittit, si habeat animum faciendi quod promittit, non mentitur... si vero non faciet quod promisit, tum videtur infideliter agere per hoc quod animum mutat ». Quae infidelitas in non servanda permissione homini potest esse levis: sed si sit infidelitas in non servanda promissione, cui adnexum sit iuramentum, habet quoque malitiam irreverentiae erga Deum, propter non servatum iuramentum. Haec tamen irreverentia erga Deum, per se spectata, est peccatum quidem contra religionem, sed potest esse leve. Datur enim parvitas materiae etiam in peccatis contra religionem, ut patet in votis. Et sane

irreverentia, quae fit Deo, non implendo promissionem iuratam, non destruit, etiam in affectu hominis, aliquod attributum Dei in se nec est formalis contemptus Dei; ergo non est, unde illa irreverentia ex suo genere tanta sit, ut minui non possit usque ad venialem culpam, ex levitate materiae.

Hanc resolutionem applicant DD. ad iuratam promissionem secreti et dicunt, violationem non esse gravem, si non sequatur gravis laesio proximi vel communitatis.

XXXV. 3. Illud certum est, quod si ex eo quod iurasti, tantummodo parum aliquid non serves, non est grave: v. gr. si iurasti te non bibiturum vinum, non peccas mortaliter parum bibendo. Sanch. t. 1. l. 4. c. 12. n. 21.; quia tunc excusat parvitas materiae. Et sic excusantur, qui iurant servare statuta alicuius Capituli, Collegii, Universitatis etc., si postea parvum aliquod statutum violent. Et idem dic de tabellionibus iuratis et aliis ministris iustitiae, ut et de eo qui ex summa, quam alteri se daturum iurasset, parum tantum detraheret. Navar. Suar. Sanch. vide Laym. Bon. p. 14.

Omnia plana ex dictis.

XXXVI. 4. Obligaris probabiliter iuramento promissorio, etsi extortum a te sit per iniuriam ac metum, ut si oblitus uti aequivocatione, iurasti praedonibus dare lytrum, usurario usuram. Bec. 2. 2. q. 89. etc. Negat tamen Azor, p. 1. l. 1. c. 11. q. 13. in materia matrimonii; quia matrimonium coactum metu cadente in constantem virum nullum est: hinc etiam iuramentum extortum de eo contrahendo videtur relaxatum ipso iure, ait Caiet. v. *periurium* Suarr. c. 9. Sanch. Bon. p. 9.

577. Quaestio est de iuramento iniuste extorto et quaeritur an obliget. S. Alphonsus n. 174. affirmat certe hoc non obligare in foro externo, allegans c. *Verum de Iureiurando*, quod est Caelestini III. et sic habet: « Verum in ea quaestione, quae quinto loco ponitur, an sacramenti vinculo absolvantur, qui istud inviti pro vita et rebus servandis fecerunt, nihil aliud arbitramur, quam quod antecessores nostri Romani Pontifices arbitrati esse noscuntur, qui tales e iuramenti nexibus absolverunt. Ceterum ut agatur consultius et auferatur materia deierandi, non eis ita expresse dicatur, ut iuramenta non servent, sed si non ea attenderint, non ob hoc sunt, tanquam pro mortali crimine, puniendi ». Quamvis ex consuetudine antecessorum Pontificum, qui absolverunt ab huiusmodi iuramento, videatur potius tale iuramentum per se valere, attamen postrema verba satis significare videntur, illud per se non valere; qui enim ipsum non servat, etiam citra quamvis dispensationem, immunis est a peccato. Mentio quidem fit tantum peccati mortalis: sed hoc ideo fieri videtur; quia si iuramentum valeret, esset per se eius violatio peccatum grave. Et generatim Alexander III. in c. *Abbas, De his quae vi metusve causa fiunt*, statuit: « Quae metu et vi fiunt, de iure debent in irritum revocari ». Alii tamen aliter ac s. Alphonsus illud caput *Verum* interpretantur: cf. Reiffenstuel in h. tit. nn. 100. 101.

578. Quoad conscientiae autem forum, quod quidem ad nos spectat, duplex a s. Alphonso affertur sententia. Prima negat talia iuramenta obligare. Inter huius auctores est s. Antoninus, qui parte 2. tit. 10. c. 6. *Quintus casus,* clare dicit, iuramentum non esse obligatorium et id colligit a contrario ex c. *Cum contingat, de Iureiurando,* ubi Innocentius III. ait: « Mulieres ipsae servare debent huiusmodi iuramenta *sine vi et dolo sponte praestita* ». Addit s. Alphons. hanc sententiam dici probabilem a Sanchez in opere *de Matrim.* l. 4. d. 10. n. 3. (a) et ab Azor, qui tom. I. l. 11. c. 7. q. 2. dicit 1° sententiam esse communem, contractum iure civili prohibitum, in odium auctoris, non firmari iuramento: 2° quoad necessitatem petendi absolutionem duplicem esse opinionem aliam affirmativam, quae magis conformis est iuri, aliam negativam, quae sibi magis probatur.

Secunda sententia, quam longe probabiliorem dicit s. Alph., tenet iuramentum hoc esse obligatorium. Eam docet s. Thomas a. 7. ad 3. « quia magis debet (iurans) damnum temporale sustinere, quam iuramentum violare » et cum eo plures theologi et canonistae, qui producunt textum iuris ex c. *Si vero, de Iureiurando:* « Non est tutum, quemlibet contra iuramentum suum venire, nisi tale sit, quod servatum vergat in interitum salutis aeternae ». Unde regula statuitur, quod quoties iuramentum sine peccato servari potest, servandum est.

Subdunt tamen hi DD. 1° posse relaxationem iuramenti ab Ecclesia peti: 2° si quis quid solverit, posse in iudicio repetere vel occulte sibi compensare. S. Alph. ibid.

579. De his notanda censemus sequentia.

1° Plura reapse afferuntur ex Iure canonico, quibus praecipitur, ut serventur talia iuramenta vel ut qui iuraverint, absolvantur ab eis. Verum non videtur cum hoc cohaerere quod cap. *Cum contingat, de Iureiur.* cum limitatione dicatur, servanda esse iuramenta, *quae sine vi et dolo sponte sunt praestita.* Quod vero Sanchez *de Matr.* l. c. n. 5. dicit, hunc locum sicut et c. 2. *de Pactis,* in 6. et c. 2. *de Iureiur.* in 6. intelligendum hoc sensu, quod promissio iuramento per vim extorto non ita firmetur, ut evadat irrevocabilis, non est explicatio necessaria et eadem facilitate respui potest, qua affertur.

2° Si bene perpendatur textus iuris canonici c. *Si vero* loc. cit.

(a) Reiffenstuel l. c. allegat eundem Sanchez ex opere in *Decalogum* l. 3. c. 11. n. 14 dicentem, oppositam sententiam, h. e. tale iuramentum obligare, tanquam certissimam esse tenendam. Porro utraque citatio vera est. Sed an ita reapse in hoc altero opere scripserit Sanchez, forte quis dubitabit; opus enim editum est post mortem auctoris. Certo pro sententia negante obligationem allegantur in hoc opere solum *quidam veteres quos refert Glossa*, dum in opere *de Matr.* l. c. allegatur series auctorum nec numero nec pondere minorum iis, quos heic Sanchez citat pro sententia affirmante obligationem.

facile apparet, hanc praxim Romanos Pontifices adoptasse, non tam quod putarent iuramenta haec obligatoria, quam ex prudenti quadam oeconomia, ut scilicet adhibita dispensationis petendae cautela periculum abesset periuriorum. Quo pacto accipere licet et c. *Ad aures, de His quae vi metusve causa fiunt*, ubi obiter de iuramento fit mentio, quin decernatur ipsum per se valere. Eodem pacto licet interpretari c. *Ad audientiam*, eod. tit. ubi statuit Pontifex, quid faciendum sit ei qui gravissimo metu regis coactus fuerat iurare, se resignaturum Ecclesiam: « quia quae vi metusve causa fiunt, *carere debent robore firmitatis*, mandamus, quatenus, si eundem ad resignationem constiterit vobis per talem metum fuisse coactum, qui potuerit et debuerit cadere in virum constantem, non obstante iuramento, quo non ad repetendam, sed ad resignandam solummodo tenebatur, praesentem Ecclesiam ei restitui faciatis ». Videtur dicere, quod si iurasset, licet invitus, se non repetiturum, non potuisset repetere vel indiguisset absolutione: sed haec necessitas absolutionis ex prudenti oeconomia, ad cautelam potuit supponi a Pontifice.

Ex c. autem *Pervenit, de Iureiur.* (de quo tamen vide Suarez *De Iuram.* l. 2. c. 10. n. 6.-8.), colligi potest quid identidem valeat absolutio a iuramento. Verba sunt s. Gregorii. « Pervenit ad nos Laudicensem Episcopum ab Ar. Comite rebus suis spoliatum et iurare compulsum, quod non repeteret sic ablata. Cognita igitur contumelia, valde doluimus, asserentes ipsum Episcopum nullius iuramenti vinculis super hoc posse constringi, quem tamen absolvimus, quia nefandissima coactione iuravit ». Manifestum est, illud *absolvimus* non posse significare nisi *declaramus absolutum*, immunem nempe ab obligatione; secus esset contradictio. Reiffenstuel l. 1. tit. 40. n. 59. rationem reddens, cur Ecclesia invalidum habeat votum ex metu factum, non item iuramentum, haec ex Abbate promit: « Disparitas est, quia cum frequenter iuramentum interveniat in actionibus hominum, aliter Ecclesia statuit circa ipsum, ne detur materia allegandi metum sicque peierandi simulque ut habeatur in maiori reverentia religio iuramenti: probato metu, debet peti absolutio ab ipso ». Quae ratio, non ex intrinseca rei natura petita, sed ex quadam oeconomia extrinseca, favet sane negativae sententiae.

580. 3° Quae negativa sententia non minimum suadetur, si inspiciamus quam infeliciter defensores contrariae sententiae se a difficultatibus expediant. Namque ut negent, invalidum esse iure naturae hoc iuramentum, coguntur aut discrimen ostendere, quo secernitur a voto et matrimonio aut defendere vota et matrimonia per metum extorta esse valida iure naturae. Et mirum est, Suarez *de Voto*, l. 1. c. 7. n. 18.

potuisse defendere, Deum accepta habere vota per metum iniustum extorta, qui tamen defendit, promissiones humanas metu iniusto extortas irritas esse iure naturae, *quippe quae in iniuria fundantur*. At nonne in iniuria fundatur et haec promissio Deo facta? Dicit, non esse Deum, qui iniuriam infert. Esto. At si homo metu iniusto extorqueat promissionem non sibi sed alteri innoxio faciendam et solvendam, dicetne validam esse? Nonne semper militat eadem ratio, quod in iniuria fundetur, h. e. quod promittens iniuste coactus sit promittere? A pari, neque Deus rata habere potest huiusmodi vota, ut ius sibi oblatum per votum acceptet, quod per iniustam coactionem sibi offertur. Porro quod in voto valet, cur non valebit in iuramento?

Idem dicatur de illa theoria, qua affirmant, iuramenta haec valida esse quoad obligationem erga Deum, licet invalida sit promissio facta homini: unde concludunt, nullum ius creari huic homini extorquenti promissionem iuratam. Ita Suarez *de Iuram.* l. 2. c. 9. n. 5. At si ita est, cur dicunt cessare obligationem iuramenti, si ille, cui facta est promissio, relaxat obligationem? Quid hic remittere potest, si nihil ei debetur? Respondent ibid. n. 6. obligationem ad Deum habere inclusam conditionem, *si voluerit* ille, cui fit promissio. Verum hoc, puto, supponit per promissionem illi aliquod ius acquiri: ut idcirco contradictio videatur, promissionem iuratam iniuste extortam nullum ius parere in promissario et tamen voluntate huius cessare eius obligationem ad Deum. Si obligatio huius iuramenti erga Deum cessat, dummodo voluerit ille, qui metum incussit; ergo Deus huic iuramento fideiussorem se praestat ita, ut a voluntate iniqui oppressoris pendeat alterius obligatio cum Deo; quod non redundat profecto in Dei honorem.

In summa, quoniam obligatio horum iuramentorum dicitur esse solum erga Deum, quaestio huc redit, an credendus sit Deus his per iniuriam extortis iuramentis, ut fideiussor accedere, sive probare et acceptare obligationem eorum? Porro quae hactenus diximus, rem, ut minimum dicamus, admodum dubiam faciunt.

Concludamus ergo hanc obligationem, quam sententia affirmans defendit, non ita demonstrari, ut vera probabilitas non constet alteri sententiae neganti. Cf. n. seq.

XXXVII. 5 Obligaris item, etsi iuramentum sit errore aut dolo extortum, si dolus vel error versetur tantum circa circumstantias accidentales non magni momenti; nam si versetur circa substantiam, ut v. gr. si annulum te daturum alteri iures, putans esse ferreum, cum sit aureus, vel circa circumstantias magni momenti, quibus cognitis non iurasses, non obligaris. V. Sanch. l. 3. c. 11. n. 11. Suar. etc.

581. * Quaestioni an iuramentum metu extortum valeat, subditur alia, an iuramentum dolo extortum valeat.

Respondet Lessius *de Iustitia* etc. l. 2. c. 42. dub. 7. n. 34. si dolus causam dederit iuramento, sive dolus versetur circa rei substantiam sive circa qualitatem, DD. generatim docere quod iuramentum non obliget; quia ubi dolus est, excluditur voluntas et iuramentum non obligat ultra mentem et intentionem iurantis. Cum autem dolus circa rei qualitatem causam dedit iuramento, ita ut, si verum agnovisset, non fuisset quis iuraturus; oportet ut qualitas fuerit notabilis, saltem relative. *

Qualitates tamen etiam mere accidentales evadere possunt magni momenti, si quis iis cognitis non iurasset. Si res ita se habet, istae quoque efficient, ut is iuramento non obligetur. Videlicet in his casibus iuramentum sequitur naturam actus cui adiungitur.

XXXVIII. 6. Non inducit ullam obligationem, si iures rem malam aut vanam aut inutilem aut, ut habet Caiet., indifferentem, quae nec ex fine nec ex circumstantiis cohonestatur; quia iuramentum non potest esse vinculum iniquitatis aut vanarum rerum ac otiosarum, ad quas Deus non vult nos obligari. Bonac. et alii communiter. Ubi nota ex Laym. supr. c. 6. iuramentum non convalescere, etsi talis res illicita et vana, postea mutatis circumstantiis fiat honesta, cum iuxta reg. 18. iuris in 6. non firmetur tractu temporis, quod initio non subsistit.

582. Intelligenda est resolutio, licet res ideo solum sit mala, quia prohibetur lege civili, etiamsi prohibeatur tantum sub poena. Ita s. Alph. n. 176. in fine. Ratio primae partis quoad rem malam est, quia habes obligationem abstinendi ab ea actione: ergo nulla est obligatio, quam velles assumere ponendi illam actionem.

Rationem secundae partis quoad rem vanam reddit Laymann *de Iuram.* c. 6. n. 3., quia talis actio nemini utilis aut accepta maiorisque boni, saltem pro eo tempore quo exercetur, impeditiva, non pertinet ad cultum et reverentiam Dei, ut propter eius adductam auctoritatem perfici debeat.

Addit Laymann ibid. n. 4. huiusmodi iuramenta non convalescere, etsi postea, mutatis circumstantiis, res fiat utilis et honesta, ut si absque causa iurasti te certam domum non ingressurum, postea id honestum fiat, eo quod occasio evaserit peccati. Ratio est regula iuris 18. in 6. « Non firmatur tractu temporis quod de iure ab initio non subsistit ».

XXXIX. 7. Nec obligaris implere, si quid iurasti contra consilia Evangelica, ut non ingredi Religionem, non dare eleemosynam etc. Mol. Sanch. Laym. l. 4. t. 3. c. 6. Et licet peccaveris talia iurando, non tamen peccas non implendo. Caiet. v. *periurium.*

583. Licet enim non pecces, manendo in seculo, at peccas impediendo bonum. S. Thom. in 3. D. 39. q. 1. a. 3. q. 15. ad 2.: « Quamvis liceat sibi religionem non intrare, non tamen licet obicem Spiritui Sancto ponere ».

XL. 8. Teneris implere, nec potes commutare in aliud opus melius, ut verbi gratia, religionem, si aliquid iurasti in utilitatem aut gratiam alicuius hominis aut aliquorum; dummodo sit honestum et sine peccato impleri possit. Unde, verbi gratia, alumnus, qui iuravit se serviturum Principi, aut huic vel isti Ecclesiae etc. non potest ingredi religionem sine relaxatione. Excipe tamen, si iurasses Titiae eam ducere: nam eo casu potes, ea relicta, ingredi religionem; quia iuramentum sortitur naturam actus, cui apponitur: promissioni autem matrimonii haec tacita conditio inest, nisi ingrediar religionem. Vide Laym. c. 6. Bon. d. 4. q. 1. p. 3.

584. Heic promunt DD. effatum: iuramentum in favorem tertii semper esse servandum, si impleri possit sine peccato, etiamsi sit contra consilia evangelica. Vide s. Alphonsum n. 177. Intelligenda tamen haec regula esse videtur, quando illi tertio, per promissionem acceptatam, acquisitum aliquod ius fuerit. Quo in casu nec superior ecclesiasticus dispensat, sed condonatio fieri ab eo debet, qui ius acquisivit.

Si vero nullum ius fuit alteri acquisitum, sunt quidem qui negant licere, postposito opere iurato, aliud melius illi substituere. Ita Suarez *de Iuram.* l. 2. c. 12. n. 19.-22. et post eum Laymann l. c. c. 6. n. 6. Laymann affert generale principium: iuramentum Domini servandum est, quotiescumque sine peccato sive salutis dispendio servari potest.

Suarez propriam rationem huius rei ait esse, *ut servetur veritas;* quae ratio probaret semper id valere, etiam quando iuramentum non est in alterius utilitatem. Item ratio, quam affert n. 21., quod hoc iuramentum possit condonari ab eo, in cuius favorem, etsi citra promissionem, est factum, unde infertur per se obligare et naturam eius esse ut ab eius voluntate pendeat; ratio haec, inquam, nulla est. Nam condonatio fit ab eo qui potest exigere, quod in casu non valet. Neque id Suarez probat ubi de hoc data opera tractat l. 2. c. 30. n. 2. sed potius supponit. Ad summum valebit condonatio; quia si alius renuit accipere, inutilis est datio.

Standum ergo videtur regulae generali, tunc iuramentum parere quidem obligationem, at hanc non esse impeditivam maioris boni, quod substituere liceat iurato, prout idem Suarez, de re iurata in bonum sui ipsius censet, posse eam a iurante ipso commutari in melius, ibid. n. 24., quod et docet expresse Lessius *de Iustitia* lib. 2. c. 42. d. 12. n. 58.

585. Ad eandem doctrinam traditam n. praec. refert s. Alph. n. 177. resolutionem, quod qui iuravit, teneatur solvere usuras, nisi impetret dispensationem et citat c. *Debitores, de Iureiurando*, quod haec habet: « Debitores ad solvendas usuras, in quibus se obligaverint, cogi non debent. Si vero de ipsarum solutione iuraverint, cogendi sunt Domino reddere iuramentum. Et cum usurae solutae fuerint, creditores ad eas restituendas sunt ecclesiastica severitate (si necesse fuerit) compellendi ».

Verum hanc dispositionem iuris non immerito explicabimus secundum id, quod superius n. 579. 2° attulimus ex Reiffenstuel, quae quidem oeconomica iuris in hac re dispositio an adhuc, aliis moribus inductis, vigeat, dubitare licet. Per se, rei natura spectata, aegre intelligitur, quomodo Deus auctoritate sua firmare velit obligationem inutilem, quippe qui iuramenta vana et inutilia dicitur non acceptare n. 582.: inutilis autem videtur obligatio solvendi, si iure repetere potes quod solvisti. Quocirca nescio, an canone hoc firmari possit doctrina illa generalis, quod iuramenta erga tertium servanda sunt etiam quando lex irritat contractum in odium exactoris, propter turpitudinem actus eius v. gr. cum agitur de pecunia promissa latroni (quam thesim Suarez propugnat l. 2. c. 27. sed minus feliciter).

S. Alphonsus heic addit iuramentum factum meretrici, quod servandum sit, opere ab ea praestito. Dispar tamen est causa, quia si opus est positum, contractus fit validus et solvi debet res pacta, etiamsi non intercesserit iuramentum. Ante praestitum opus vero nec contractus nec iuramentum licita erant aut valida.

De Iuramento non ludendi.

586. Addit hanc quaestionem s. Alphonsus n. 178. et ex doctrina communi sic eam resolvit.

1° Si iuramentum generatim sit non ludendi, non censetur interdictus ludus honestus et moderatus, qui actus est virtutis eutrapeliae.

2° Si sit etiam abstinendi ab honesto et moderato ludo et iurans intendat expresse aliquod maius bonum, communior sententia est, iuramentum obligare; quia est de actu virtutis.

3° In hoc casu tamen datur parvitas materiae: quod non putemus exclusive dictum; nam et in priore cur non dabitur parvitas materiae?

4° Non prohibetur qui iuravit se non lusurum, ludere per alium, ludum observare et pro se ludentem, si liceat, adiuvare; quia id non est ludere.

Subiicit s. Doctor, n. 179. quaestionem: an iuramentum factum contra iuramentum valeat, et respondet: 1° si sit circa eandem materiam iuratam, non valet, utpote de re illicita: 2° si sit contra iuramentum generale non iurandi, peccat iurans, sed iuramentum valet. Sane is priore iuramento non sibi ademerat potestatem valide iurandi, sed solum licite.

XLI. Resp. 2. Iuramentum promissorium eandem habet conditionem eodemque modo explicandum est, quo promissio, vel propositum, cui est annexum. Ratio est, quia accessorium sequitur principale: ideoque quando non obligat promissio, nec obligat iuramentum appositum. Less. l. 2. c. 42. d. 4. Bonac. d. 4. q. 1. p. 16. Trull. l. 2. c. 1. d. 17.

587. * In Resp. praecedente eiusque Resoll. actum est per se de obligatione iuramenti promissorii: nunc de amplitudine huius obligationis sermo est.

Quando intercedit promissio aut contractus et additur iuramentum, certum est, ait Suarez l. 2. c. 1. n. 4., addi specialem obligationem ad eandem promissionem vel contractum implendum, obligationem nempe ex religione. Cuius finis est quaedam confirmatio promissionis aut contractus. Nam sicut iuramentum assertorium interponitur ad veritatem confirmandam auctoritate divina; ita iuramentum promissorium fit, ut, eadem auctoritate, certa et immobilis habeatur promissio. Ibid. n. 2.

Haec autem confirmatio promissionis, quae est a iuramento et oritur ex religione, distinguenda est ab ea confirmatione, de qua paulo post n. seq. disputabimus. Illa enim prior nullam ex iustitia obligationem inducit, haec, si adesset, obligationem ex iustitia gigneret.

Ut iuramentum dicatur quomodocumque promissionem confirmare, oportet ut ipsum cadat in promissionem habeaturque promissio iurata: si enim promittis et simul iuras te facturum, ita ut duo actus sint per se stantes, nondum habetur reapse iuramentum confirmans promissionem.

Iam vero doctrinam, quam in hac responsione tradit A., sic proponit Lessius l. c.: « Quando promissio vel propositum de re bona habet tacitam aliquam conditionem vel restrictionem sive ex mente loquentis sive ex dispositione iuris sive ex recepta consuetudine, iuramentum illi appositum censetur eandem conditionem vel restrictionem habere. Est communis DD. Probatur, quia iuramentum sequitur naturam actus, super quem cadit; accessorium enim sequitur naturam principalis... Confirmatur, quia iuramentum non additur ut promissio, propositum, contractus aliter accipiantur, quam per se accipi solent, sed ut eo modo intellecta, quo intelligi solent, non possint revocari; itaque non tollit nec excludit solitas conditiones. Scilicet iuramentum promissorium confirmans contractum, illud idem spondet, in quod contrahens consensit: ergo conditiones solitae consensus sunt etiam conditiones iuramenti, ut obliget. *

Porro principium illud: « accessorium sequitur principale » continetur regula iuris 42. in 6. *Accessorium naturam sequi congruit principalis.* Iuxta DD. vero fallit haec regula quando in principali et

accessorio non eadem est ratio, sed diversa. Ita Sanchez *de Matr.* l. 7. d. 29. n. 21. et Reiffenstuel ad reg. 42. in 6. n. 11. Ex quo deducunt DD., quod cum ratio divinae reverentiae, quae servare iuramentum compellit, non reperiatur in simplici promissione, inde fit, ut promissio irrita esse possit et tamen iuramentum additum e. g. solvendi usuras, valeat. Id iuxta communiorem sententiam, quae vult obligatorium esse hoc iuramentum: qua de re cf. dicta n. 579.

588. * Quaestio tamen restat an contractus, qui nulli essent aut rescindibiles, confirmentur iuramento ita, ut valeant nec rescindi possint sine iniuria.

« In hac materia, ait Lugo *de Iust. et Iure* disp. 22. n. 188., quoad praxim conscientiae omnia fere sunt probabilia, propter innumeras et diversas sententias, in quas gravissimi doctores tam theologi quam iurisperiti divisi sunt ».

Certa haec sunt: 1° si contractus iure naturae nullus est, nequit iuramento firmari. Ratio est; quia quod nullo modo subsistit, non est capax confirmationis.

2° Quae iure positivo irrita sunt, non in commodum privatorum, sed ob bonum commune, nequeunt iuramento confirmari. Ratio est; quia quae hoc pacto irritantur, censentur esse quoque prohibita tanquam contra bonos mores. Cf. Laymann *de Iuramento* c. 6. nn. 8. 9. et s. Alphonsus n. 177.

His ergo sepositis, quaestio est de aliis contractibus, qui iure quidem naturae valerent, sed iure positivo irritantur vel iure utroque valent, iure tamen positivo sunt rescindibiles, an iuramento addito valeant vel irrescindibiles sint.

Hac in quaestione, principii loco, tenenda est regula, quam tradunt Sanchez *Decal.* l. 3. c. 12. n. 3. et Suarez *de Iuram.* l. 2. c. 30. n. 23. quam rite intellectam admittit quoque Lugo disp. cit. n. 199.; qua regula posita, solutio quaestionis facillime quoad praxim evadit. Nimirum si qua iis contractibus propter iusiurandum confirmatio accedat, ea non est repetenda ab ipsa vi iuramenti, cuius obligatio tantum est ex religione, sed a dispositione iuris positivi, quatenus contractus aliquos naturaliter validos, quos ipsum ius positivum aut irritat aut rescindibiles statuit, non eos vult idem ius hoc beneficio frui, si ipsis accesserit iuramentum, quos propterea vult et naturaliter et civiliter etiam valere. Ex quo principio sponte consequuntur duo. 1° Ut sciatur an huiusmodi contractus, quos ius positivum irritat, addito iuramento valeant necne: an contractus, quos ius positivum rescindi permittit, addito iuramento, rescindi nequeant necne, consulendum est ius positivum, quo quis regitur: utrum scilicet voluerit ius beneficium irrita-

tionis aut rescissionis huiusmodi contractibus negare, quemadmodum constat de iure romano, an nihil de hac re statuerit vel potius voluerit integrum beneficium manere. Si enim ius positivum nihil speciale hac in re constituit, iuramento utique manebit obligatio ex religione: sed contractus eandem vim et firmitatem habebit, ac si non fuisset iuratus. Quapropter relaxata ab competenti auctoritate iuramenti obligatione, contrahens illud idem poterit, quod potuisset, si non iurasset. Consequitur 2° evadere inutiles nostra aetate plures quaestiones, quas in hac re theologi et iurisperiti olim agebant, innixi iuri romano; cum ei alia iura, quibus regimur, successerint.

Quia vero ius canonicum suam vim non amisit, quod ad illud spectat, valere profecto potest doctrina s. Alphonsi n. 177. Agens enim de contractu, qui iure positivo irritus est tantum in favorem contrahentium, probabilem habet sententiam Elbel aliorumque, huiusmodi contractum non firmari iuramento. Et quidem non firmatur ex se, sive ratione ipsius iuramenti; quia iuramentum solum obligat ex virtute religionis: non ex iure positivo; quia, etsi dicat ius servandos esse hos contractus ob iuramentum, ne periuri simus, nullibi tamen dicit servandos esse ex iustitia, quatenus nempe propter iuramentum ius aliquod novum acquisitum sit ei cui iuratum est. Superest nihilominus obligatio ex iuramenti religione: sed haec obligatio (quod advertendum est) est personalis et ideo ad heredes non transit atque, si iuramenti obligatio ab auctoritate legitima relaxetur, nulla manet obligatio erga alios. *

Unde resolves.

XLII. 1. Titius, qui cum iuramento promisit nuptias Bertae diviti, sanae, virgini, bonae famae etc. non tenetur stare iuramento, postquam Berta incidit in paupertatem, infirmitatem, fornicationem vel infamiam; quia promissio ipsa non obligat eo casu.

589. Haec resolutio supponit doctrinam inferius (dub. 6.) tractandam de cessatione obligationis in promissione, et generatim heic solum hoc inculcatur: ob eas causas, quibus desinit promissionis valor, cessare simul iuramenti confirmatorii vim: quod principium certissimum penes omnes est.

XLIII. 2. Qui urbanitatis causa iuravit se ante alterum non sessurum, bibiturum vel ingressurum domum etc., non peccat contra iuramentum, si coactus ab altero prius sedeat, bibat vel ingrediatur; tum quia promissio illa vel propositum habet tacitam conditionem adiunctam, nisi me coegeris, qua sublata non obligat et consequenter nec iuramentum: tum quia relaxatur ab altero cedente iuri suo. Bon. l. c. Sanch. Less. Trull.

Resolutio est clara.

XLIV. 3. Qui iuravit se servaturum decreta et regulas vel statuta alicuius Congregationis, Universitatis vel Capituli, tantum tenetur servare ea, quae sunt in vigore et quatenus sunt in usu vel servantur a maiore parte Capituli, nisi tamen aliud constet de mente iurantis, vel hic voluerit se ad illa independenter a statutis obligare. Ratio patet, quia promissio ipsa non aliter obligat. Trull. l. c. Azor, Less. Dian. p. 2. tr. 6. r. 39.

590. Quoad servanda statuta Collegii, Congregationis etc., s. Alph. n. 181. quatuor has regulas ex DD. proponit:

1° Iuramentum intelligitur de statutis editis, non autem de edendis.

2° Obligare intelligitur sub gravi vel levi vel tantum sub poena vel tantum sub consilio, sicut obligat statutum.

3° Non obligat ad ea, quorum obligatio ob impossibilitatem vel desuetudinem non viget vel quia sic sunt usu recepta, et id valet, etiamsi iuramentum de quopiam huiusmodi peculiari statuto praestetur.

4° Quod neque obligat iuramentum, quando aliquod statutum a maiori parte Communitatis seu Collegii non observatur.

Bina applicatio. 1ª quod officiales, qui iurant servare taxam praescriptam, non peccant aliquid aliud recipiendo, si taxa vel stipendium sit insufficiens.

2ª Medici, qui iurant, ex Motu proprio Pii V. *Super gregem* edito anno 1566., antequam doctoratus gradum acquirant, se servaturos praecepta Apostolica, ut non incipiant curare infirmum, nisi moneant de confessione, neque ultra tres dies invisant, nisi scripto cognoscant, infirmos esse confessos, non obligantur hoc iuramento, plusquam usu receptum sit. Ita s. Alphonsus l. 6. n. 664. in fine, qui etiam ait excusari ab obligatione medicum, si *certe* constaret monitionem non esse profuturam.

XLV. 4. Qui iuravit, se servaturum secretum, non peccat contra iuramentum illud detegendo, quando non potest illud celari absque gravi suo vel alterius damno; quia ipsa promissio secreti non videtur obligare, nisi hac conditione si non noceat. Syl. Bon. Sanch. Trull. l. c.

591. Generalis regula esse debet, quod ubi cessat obligatio secreti, cessat etiam obligatio iuramenti adnexi.

De Secreto agi solet, ubi de VIII. Praecepto. Secretum est 1° simplex: 2° promissum: 3° commissum. S. Alphons. l. 3. n. 970. primum vocat: *ex sua natura.*

Simplex obligat iure naturae, ut, si casu scias id, cuius manifestatio laedit alterum, teneris celatum servare, nisi gravius incommodum aut tibi aut aliis immineat.

Promissum dicitur, quando, notitia quidem rei aliunde acquisita, quis tamen rogatus promittit ea de re secretum. Hoc non obligat, etiam iuratum, quando obligatio incumbat detegendi, ut v. gr. si interrogaris

legitime a iudice. Ratio patet, quia non potui promittere id, quod sit illicitum; illicitum autem est occultare, si legitime a iudice interrogor.

Commissum, quando ille ipse, in cuius favorem promittis secretum, notitiam sub lege secreti communicavit, quod fit vel expresse vel tacite, prout fit cum medicis, advocatis, obstetricibus, theologis consultis etc.

Omissis nunc aliis casibus, in quibus licet secreti manifestatio, v. gr. 1° si consensus adsit etiam praesumptus rationabiliter committentis secretum, vel 2° si res sit nullius momenti, 3° vel si res iam publica evaserit, vel 4° cesset ratio secreti: quod nunc attinet, dicunt, non servandum secretum iuratum, si id cedat in proprium vel alterius grave damnum, scil. vel committentis, vel tertii, vel boni communis. Ita Auctor.

Sed attendenda limitatio Laym. lib. 3. tr. 3. part. 2. cap. 5. n. 2.: nempe hoc intelligitur de crimine pernicioso ac pendente in futurum. Si enim crimen transactum sit, non debes illud prodere, v. gr. si hoc secreto scias, quis est homicida, vel ubi lateat.

Item ait Lugo *de Iust. et Iur.* disp. 14. n. 142.: « Secretum etiam commissum non habet locum in iis casibus in quibus ipse, qui secretum commisit, iniuste vexat rempublicam vel alium innocentem, nec vult ab iniuria desistere: tunc enim quantum opus fuerit ad iniuriam avertendam, poteris secretum revelare, etiamsi promisisses et te obligasses ad sustinendam mortem et quaelibet alia mala pro custodia secreti; hoc enim non tollit, quod possit postea vis vi repelli ».

Regula generalis siquidem haec est: tandiu te obligari ad secretum, quandiu alius licite servat et licite exigit ut servetur.

592. Addit s. Alph. n. 183. obligationem iurati secreti in congregationibus circa *electiones vel alia,* gravem esse vel levem iuxta nocumentum, quod sequi possit. Ex generali ratione quod obligatio iuramenti sequitur naturam obligationis secreti.

De iuramento circa secretam artem parandi medicinam, Croix dicit, non obligare, si sequatur grave periculum mortis alterius, cum iuramentum non sit vinculum iniquitatis. Sed tunc ipse auctor secreti revelare tenetur vel abstinere ab eo. Si vero res ita se habeat, ut non teneatur revelare ille, qui tenet secretum ceu Auctor, iam alter, cui commissum est, revelare non potest.

Addit s. Alph. n. 185. iuxta probabiliorem non obligari quempiam iurata promissione, quae sit prodiga: quia haec per se est illicita etiam in exsecutione. Haec doctrina tenenda est.

593. Addit n. 186. quaestionem, inter DD. celeberrimam, an servandum sit iuramentum redeundi in carcerem, cum periculo mortis aut gravissimi damni iniusti. Brevissime expedit s. Alph. dicens, iuxta alios

non teneri, quia illicitum est sponte se morti offerre: iuxta alios teneri, quia offerre se morti est actus virtutis. Et secundam hanc sententiam dicit s. Alph. *multo probabiliorem.* At simul indicat, multos ac graves oppositum docere et horum sententiam etiam a Salmantic. dici probabilem.

Ut quaestio accuratius solvatur, Suarez *de Iuram.* l. 2. c. 10. n. 13. plura quaerenda esse dicit. 1° An reus, dum exiit, praeviderit mortis periculum; nam si non praevidit, non potuit habere intentionem extendendi iuratam promissionem ad hunc casum, et tunc ipse censet, iurantem excusari ab obligatione iuramenti. 2° An mors iusta vel iniusta sit. 3° An iustus vel iniustus carcer, a quo dimissus est. Censet autem Suarez, quod in utroque casu, qui iuravit praevidens mortis periculum, teneatur redire quia iuramentum, (quod monet non esse in hoc casu coactum, id tamen haud facile admiserim, cum carcer est iniustus) implendum est quoties id fieri potest sine discrimine conscientiae; exponere autem se periculo mortis vel iniusto, non est intrinsece malum et si fiat ob iuramentum servandum, est opus virtutis. Hanc sententiam dicit ipse communem. Cf. dicta tamen n. praeced. et dicenda tr. IX. c. 3. de Reo.

Cur parentes vero raro peccent, si iurent se punire filios et non puniant, s. Alph. n. 186. dicit, quia vel delinquentes iam sunt aut censentur emendati, aut emendationem promittunt; vel etiam quia fuit iuramentum de re inutili aut potius de vindicta inordinata. Praeterea talia iuramenta plerumque fiunt sine intentione iurandi, sed tantum causa et intentione terrendi.

XLVI. 5. Qui iuravit iudici, se dicturum, quae novit, non tenetur revelare occulta. Ratio patet. Less. Bon. Trull. l. c.

XLVII. 6. Qui iuravit, se soluturum debitum intra mensem, non tenetur intra illum vi iuramenti solvere, si a creditore terminus solutionis prorogetur; quia cum hic cedat iuri suo, cessat obligatio promissionis et consequenter iuramenti. Azor, Bon. Trull. l. c. n. 18.

Clara sunt.

Dub. VI.

Quando quis excusatur ab implendo iuramento.

XLVIII. Resp. Tales casus praeter ea, quae ex superioribus colliguntur, a Tol. et Caiet. recensentur isti. 1. Si quod bonum erat tempore iuramenti, propter circumstantias postea fiat illicitum vel vanum vel impeditivum maioris boni vel melius sit omitti, quam impleri. Sanch. c. 15. 2. Si iuramentum mutes in opus aliquod aperte melius et Deo gratius; id enim quisque per se potest, ut habet Tol. cap. 23. Excipe tamen semper, si quid in hominis commodum iurasses: nec enim Deus illum vult defraudari. 3. Si notabiliter mutetur status rei, ut si v. gr. iurasses aliquem punire iusta punitione, is autem supplex

veniam peteret et ageret poenitentiam, posses ei sine periurio condonare; quia iuramentum obligabat, servato eodem statu, in quo non poeniteret. Laym. c. 9. 4. Si res iurata facta sit inutilis ad intentum, maxime si magis illius destructiva, ut si verbi gratia ex correctione impoenitentis filii notaretur is magis destruendus, quam emendandus, aut sit turbanda familia, secuturae rixae cum uxore et sic praestet non corrigere. Regin. lib. 18. c. 56. Bon. l. c. p. 14. 5. Si ita ferant conditiones illae, quas in quovis promissorio iuramento tacite subintelligi natura et DD. docent. Tales autem sunt, ut Laym. dicit supr. c. 9., 1. si potero: 2. salvo iure Superioris: 3. nisi res notabiliter mutetur: 4. nisi obligatio tollatur. De quo sequens dubium.

594. Ad II. Quoad exceptionem iuramenti in commodum alterius, recole dicta sup. n. 584., ubi diximus id intelligendum, *si ius alteri sit acquisitum.*

« Ad III. Notabilis mutatio est non modo, si grave superveniat incommodum, v. gr. periculum mortis, infamiae aut gravis damni, sed admitti potest doctrina s. Thomae, quam ad sensum refert ex Salmant. tract. 17. cap. 3. n. 22. s. Alph. n. 187. hisce verbis: « id liberare a voti *vel iuramenti* obligatione, quod si a principio notum fuisset, ea fieri impediret ». Porro verba s. Thomae sunt 4. dist. 38. q. 1. art. 3. ql. 1. ad 1.: « Dicendum, quod illud, quod votum fiendum impediret, si praesens esset, etiam voto facto obligationem aufert ». Tamen dubito, an s. Thomas huc spectaverit; quia loquitur de materia, quae evadit impossibilis. Veruntamen hanc doctrinam habent ceu probabilem etiam illi, qui oppositae adhaerent. Cf. dicenda de Voto sub Dub. V.

Bene addit s. Alph. n. 188. cessare iuramentum, si cesset causa finalis, non autem si mere impellens. Ita si promisisti eleemosynam pauperi et ille dives fiat. Iurasti te non ingressurum talem domum ob periculum et hoc periculum cessat. Iurasti peregrinationem ob salutem patris et ille moritur.

Dub. VII.

Quis possit tollere iuramenti obligationem.

XLIX. Resp. De hoc ex conditionibus iam positis et potestate Superiorum in suos ac suorum vota, a Laym. hic c. 11. et aliis communiter haec traduntur.

1. Quod spectat ad irritationem, irritare et annullare potest iuramentum omnis superior, maritus aut dominus, qui et quomodo irritare potest suorum vota. Sanch. c. 69. n. 7. Suar. Azor, Fill. l. 25. c. 9. p. 17. dub. 6. V. Caput sequens.

2. Possunt et iidem irritare iuramenta promissoria, facta in gratiam hominis, quotiescumque ipsam promissionem seu contractum infirmare iis concessum est.

3. Quoad dispensationem: quicunque habet potestatem ordinariam vel delegatam vel privilegium dispensandi in votis, potest in iisdem dispensare, etiamsi iurata sint.

4. Quoad commutationem, eadem est ratio, quae de dispensatione.

5. Quod attinet ad remissionem sive relaxationem, iuramentum factum in favorem hominis non potest relaxari nisi ab eo, cui factum est aut cui is et promissa materia subiecta est.

6. Et is quidem potest remittere, etsi talis favor ei iuratus esset propter Deum: v. gr. si quis propter Deum iurasset pauperculae eam ducere, potest ipsa iuramentum illud relaxare, ut habet Navar. et alii, contra Sotum et Sylv.: quia licet iuramentum principaliter factum sit propter Deum, quia tamen executio est in favorem hominis, ab hominis etiam voluntate dependet.

7. An etiam civilis potestas relaxare possit iuramenta suorum subditorum in temporalibus, quando iusta causa subest, v. gr. quia metu vel per aliam iniuriam extorta sunt, controvertitur. Alii negant, alii aiunt apud Laym. Probabile est, quod docet Sanch. l. 3. c. 12. cum Suarez, non posse relaxare directe, sicut potestas Ecclesiastica, quando dispensat; sed tantum indirecte, v. gr. ratione materiae, vel supplendo vicem eius, cui iuratum est et qui remittere debeat. Plura ad forum externum spectantia circa iuramentum vid. apud Laym. supra c. 11. Bon. l. c.

595. Ad 1m. Quod dicit « *omnis superior potest annullare* », intellige qui habet potestatem dominativam: secus qui habeat mere iurisdictionalem. Id uberius ubi de Voto.

Ad 2m. Pater, superior, tutor, dominus possunt irritare promissiones aut pacta aut contractus factos a suis respective subditis.

Si possunt id, possunt etiam, quando haec sint firmata iuramento. Ratio generalis est, quia iuramentum sumit naturam et conditiones actus, cui adiicitur.

Ad 3m. Auctor dicit, quoscumque, qui habent potestatem in votis, sive potestas haec sit *ordinaria*, sive *delegata*, eandem habere *etiamsi vota sint iurata*. S. Alph. n. 190. subiciit quaestionem non quidem de habentibus potestatem ordinariam (nam hi *certe* id possunt circa iuramenta, quod possunt in vota), sed de habentibus potestatem delegatam seu privilegium, an, si possunt dispensare in votis, possint etiam in iuramentis. Subdit autem sententiam esse probabilem, quae negat et rursus non minus esse probabilem sententiam quae affirmat. Et nihilominus concludit, tenendam omnino primam sententiam; quia obligatio iuramenti certa non potest auferri per dispensationem tantum probabiliter validam.

At si postremum hoc principium valet, dicemus ad hominem arguendo in casu simili: nempe certa peccata esse, incertam autem remissionem, quando iurisdictio confessarii est probabilis: ideoque non licere cum iurisdictione probabili absolvere: quod quidem s. Alph. non admittit. Et ratio est, quia in hisce Ecclesia supplet, quemadmodum et cum agitur de impedimentis matrimonii iuris ecclesiastici. Ergo idem dicendum foret in casu nostro, eadem prorsus ratione.

596. Sed aliud est animadvertendum. Nam s. Alph. quaestionem facit generatim de *iuramentis*. Atqui haec non est quaestio, de qua egerunt DD. ab ipso s. Alphonso allegati pro doctrina, quam proponit.

Et sane Sanchez, quem pro negante ipse allegat, disserte defendit *de Matrim.* lib. 8. disp. 2. n. 19. *iuramenta et vota quoad dispensationem*

aequiparari. Solum autem n. 18. dicit sibi probabilius esse eum, qui habet facultatem dispensandi vota, posse dispensare vota iurata, si iuramentum sit confirmativum voti; secus, si sit veluti independens, de eadem tamen re. Hinc ad argumentum n. 22. Emmanuelis Sà, quod virtute huius privilegii possint commutari iuramenta et vota in diversis personis; posse igitur in eadem persona concurrentia, respondet n. 26.: «Quando ratione aequiparationis voti et iuramenti inter se, potens in uno potest in alio, tunc, cum utrumque vinculum non aequiparetur alteri soli, sed illud excedat, nec iuramentum sit voto accessorium, sed ab eo independens, potens in alterum seorsim, nequit in utrumque simul ». Et *in Decal.* lib. 4. cap. 53. n. 8. seqq.: « Tertia sententia ait, facultatem delegatam ad dispensationem vel commutationem votorum extendi ad dispensationem et commutationem iuramentorum, quae soli Deo fiunt... Atque haec sententia habet verum, quamvis iuramentum non habeat inclusam promissionem, sed absque ea soli Deo fiat ». Ad quaestionem autem « an facultas delegata ad commutationem ac dispensationem votorum extendatur ad vota coniuncta iuramento », allata n. 18. sententia *secunda,* quae dicit privilegium extendi, si iuramentum praestetur ad *voti confirmationem, secus, si independenter ab illo de eadem re* et allata tertia sententia quae « sustinet in utroque eventu posse per illam facultatem ad vota, idem effici circa iuramentum et votum concurrentia »; tandem n. 20. sic decernit: « Verum existimo secundam sententiam esse probabiliorem: hanc tamen tertiam esse *etiam valde probabilem et tutam* ».

Item Bonacina *de* 2. *Praec.* disp. 4. q. 1. punct. 17 n. 12. quaestionem facit, an commutantes vota ex facultate sibi delegata, possint etiam commutare iuramenta talibus votis adnexa ». Et subdit, sibi videri probabiliorem sententiam negativam, quia iuramentum promissorium fit homini et *non Deo* »: quibus verbis ostendit, de alia re et ob aliam causam huic quaestioni extraneam ipsum dixisse probabiliorem negativam, dum fatetur affirmativam esse probabilem: et quidem non de solo iuramento agit, sed de votis iuratis etc.

Lessius autem l. 2. c. 42. nn. 60. 62. concedit, iuramentum, quod fiat animo promittendi Deo, ita ut includat votum, (dispensari) et commutari posse ab iis, qui vota similia commutant; quia iuramentum est voto accessorium: secus vero, si agatur de solo iuramento, quod non fiat animo promittendi Deo, sed solum firmandi se in bono proposito, vel si apponatur voto principaliter et non accessorie; quia vinculum iuramenti valde diversum est a vinculo voti. Azor tom. 1. lib. II. cap. 10. q. 2. putat veriorem sententiam negativam in quolibet casu: neminem tamen pro se allegat.

597. Ergo quaestio agitata est diversa. Et culpa confusionis reiicienda est in Salmanticenses, qui tract. 17. cap. 3. n. 3. proponunt quaestionem de *iuramentis Deo praestitis* (quod est aequivocum, quia haec ut plurimum confundebantur cum voto) et dein allegant Auctores, qui non de votis utcumque, sed de iuratis votis agebant, et quidem de iuramento independente a voto facto circa eandem rem.

Suarez lib. 6. *de Vot.* cap. 14. n. 6.: « Dico ergo primo: satis probabile est, potestatem delegatam simpliciter ad dispensandum in votis extendi ad dispensandum in iuramentis piis circa eandem materiam, quando *per se stant suamque* SOLAM obligationem producunt. HAEC EST SENTENTIA COMMUNIS ET SINE DUBIO POTEST IN PRAXI OBSERVARI.

Et n. 19. « Etiamsi votum et iuramentum super eandem materiam immediate cadant et unumquodque per se obliget ad Dei honorem, per facultatem absolutam dispensandi in votis auferri poterit vel votum, vel iuramentum, vel utrumque simul. Pro hac assertione possumus allegare omnes auctores primae assertionis..., et tenent alii moderni ac viri docti ». Unde in quolibet casu, habens potestatem delegatam pro votis, potest dispensare tum nuda iuramenta, tum vota iurata, tum iuramentum et votum, independentia invicem, de eadem re.

598. Ad 4^{m}. Nihil est addendum.

Ad 5^{m}. Palam est, Auctorem loqui de casu, in quo ius alteri acquisitum est. Unde haec non contradicunt adnotatis sup. n. 596.

Ad 6^{m}. Nihil addendum, nisi quod et in hac resolutione sermo est de promissione acceptata et quae ius cuidam tertio tribuerit.

* Quoad notata heic sub nn. 5. et 6. adverte quae habet s. Alphonsus, n. 192. haec tria statuens. 1° Promissio in favorem hominis firmata iuramento, si nondum acceptata est, non obligat et revocari potest; quia iuramentum tunc est accessorium, confirmans scilicet ideoque sequens naturam actus principalis: promissio autem non acceptata est semper revocabilis. Secus vero dicendum, si promissio principaliter fuit facta Deo sive in honorem Dei, ut aiunt Salmant. citati, qui addunt hoc modo iuramentum cum voto coincidere. 2° Quando promissio ab altero est acceptata, tunc sine eius consensu neque a Papa relaxari potest, etiamsi promissio facta sit principaliter in Dei honorem. Exceptiones tamen sunt tres: 1° si iurans sit sub dominio alterius vel iuramentum sit circa ea, quae superiorum potestati subduntur: 2° si iuramentum servari nequeat sine damno communi, cuiusmodi esset de non denuntiando reo, vel si sit iuramentum super contractu a lege vetito. Sed verisimilius talia iuramenta non egent relaxatione eo quod sint in se nulla. 3° Si iuramentum sit dolo aut metu extortum, licet a tertio, inscio principali et licet metus sit levis, saltem pro foro con-

scientiae: quae intelligenda sunt, si iuramenta hoc pacto extorta obligent, quod de iuramento metu extorto vidimus dubitari merito posse n. 579.: iuramentum autem per dolum extortum, si dolus sit huiusmodi ut dederit causam contractui, irritum est; quia deest debitus consensus n. 580. Ille tandem 3., in cuius favorem facta est promissio, potest remittere iuramentum, etsi principaliter factum sit in honorem Dei. Negat id quidem s. Thomas q. 89. a. 9. ad 2., nisi interposita sit conditio, *si illi, cui promittitur, placuerit;* sed haec conditio videtur implicita his iuramentis. Cf. dicenda *de Voto* n. sub D. VIII.

599. Ad 7^{m}*. Distinguit A. relaxationem iuramenti *directam* et *indirectam*. Ea est, quae immediate fertur in ipsum vinculum iuramenti, quo homo tenetur erga Deum illudque aufert: haec est, quae materiam subtrahit, circa quam versatur iuramentum, condonando debitum. Porro prior relaxatio, quae dispensatio est, propria est auctoritatis Ecclesiasticae; vinculum enim illud religiosum est, ad forum internum conscientiae per se spectans: huiusmodi vero soli auctoritati Ecclesiasticae subduntur. Alteram autem relaxationem concedunt DD. etiam potestati laicae, cum materia iuramenti est temporalis et is cui iuratum est, subest illi potestati. Nam quemadmodum potest condonare iuramentum ille, cui aliquid sub iuramento promissum est et interdum ad id tenetur, ut si iuramentum extortum sit per iniuriam (alii negabunt opus esse relaxatione) et ideo a superiore seculari ad id potest cogi, poterit etiam idem princeps id per se immediate facere, etiam repugnante persona illa, ad quam pertinet ius illud. Sic Suarez *de Iuram.* l. 2. c. 41. nn. 15. 16. et Molina ibidem citatus atque Sanchez l. 3. c. 22. aliique. Item, ait ibid. Suarez, potest lex civilis ita prohibere et irritare humanum contractum, ut etiamsi iuramento firmetur, nullum pariat effectum; sic enim subtrahitur materia iuramenti: dummodo lex civilis in his non agat contra dispositiones iuris canonici. Sed haec non proprie relaxatio est iuramenti, sed est actus impediens, ne obligatio iuramenti oriatur: quod posse etiam a potestate laica fieri in hoc casu concedunt DD. Vide etiam Lessium l. 2. c. 41. dub. 12. *.

* *De Adiuratione* *

600. Post q. de iuramento, s. Thomas subiicit q. de adiuratione, de qua aliquid dicendum.

Quid sit adiuratio explicat s. Doctor q. 90. a. 1. collatione facta cum iuramento. « Ille qui iurat iuramento promissiorio, per reverentiam divini nominis, quod ad confirmationem suae promissionis inducit, se ipsum obligat ad faciendum quod promittit, quod est se immobiliter

ordinare, ad aliquid agendum. Sicut autem homo se ipsum ordinare potest ad aliquid agendum, ita etiam et alios, superiores quidem deprecando, inferiores vero imperando. Cum ergo utraque ordinatio per aliquod divinum confirmatur, est adiuratio ». Quae proinde recte definitur a Gury V. 1. §. 316.: « auctoritativa vel deprecativa efflagitatio, interposito nomine Dei vel Sanctorum vel rei sacrae, ut inducatur alius ad aliquid faciendum vel omittendum ».

Docet ibid. s. Thomas licere adiurare hominem et quidem si superior sit, potest is adiurare imperative; sicut enim potest quis sibi obligationem imponere per divini nominis invocationem, ita et potest suis subditis: inferior vero non nisi deprecando superiorem adiurare potest, non necessitatem idcirco aut obligationem imponendo, sed solum intendens aliquid ab eo, per reverentiam divini nominis vel alicuius rei sacrae, obtinere. Idem autem dicendum de pari erga parem.

Docet 2. a. 2. s. Thomas, licere quoque adiurare daemones, quod primo probat verbis Domini Marc. XVI. 17.: *in nomine meo daemonia eiicient;* inducere enim alium ad aliquid agendum propter nomen divinum, est adiurare. Deinde distincta duplici adiuratione, deprecativa et imperativa, priorem quidem negat licere; « quia ille modus adiurandi videtur ad quandam benevolentiam vel amicitiam pertinere, qua non licet ad daemones uti ». Alteram autem adiurationem rursus distinguit: vel enim adiuramus imperando ut aliquid ab eis discamus vel obtineamus et hanc rursus haud licere affirmat; quia hoc pertineret ad aliquam societatem cum ipsis habendam. Vel imperando adiuramus, ne adversarii nostri nobis noceant spiritualiter vel corporaliter atque hanc adiurationem licitam esse dicit; quia, secundum potestatem a Christo datam Luc. X. 19., huiusmodi inimici nobis subiiciuntur.

Docet 3. a. 3. non licere adiurare creaturas irrationales eo pacto ut adiuratio referatur ad ipsam irrationalem creaturam secundum se; quia sic vanum esset, sicut ad eas loqui. Si vero ita adiurentur, ut adiuratio referatur ad eum, a quo creaturae illae moventur, sic ipsa licet ac duplici modo. Nam vel est adiuratio per modum deprecationis ad Deum directa, quod pertinet ad eos, qui divina invocatione miracula faciunt, vel est per modum compulsionis seu imperii, quae refertur ad diabolum qui in nocumentum nostrum utitur irrationalibus creaturis: et talis est modus adiurandi in Ecclesiae exorcismis.

601. Adiuratio dupliciter distinguitur, 1° in *deprecativam* et *imperativam*, ut ex dictis iam patet: 2° in *sollemnem* et *privatam:* illa est, quae ab Ecclesiae ministris fit, ritu ab ea statuto; haec quae fit sine his sollemnitatibus et a quolibet per se fieri potest. Adiuratio porro

sollemnis vindicavit sibi tanquam proprium nomen adiurationis, h. e. ἐξορκισμός.

Ut adiuratio recte fiat, tria requiruntur, ait s. Alph. de Adiuratione n. 2., sicut in iuramento veritas, iustitia, iudicium. *Veritas,* ut adiurans vere intendat assequi quod petit et vera sit causa ob quam petit: si desit autem veritas, raro erit plusquam veniale, nempe si fictus pauper petat per Deum eleemosynam. *Iustitia,* ut graviter peccaret rem petens graviter malam, ex communi DD., etiam petens leviter malam, iuxta dicta alibi cf. n. 41. *Iudicium,* idest debita discretio, cuius absentia certe non est nisi venialis.

Etsi privata adiuratio omnibus licita sit; sollemnis tamen licet solum ministris Ecclesiae ad eam deputatis et quidem cum expressa Episcopi licentia, ibid. n. 4.

Quaerit idem an mortale sit quaerere a daemone unam vel alteram rem curiosam in sollemni adiuratione. Respondet vero, probabilius esse quod sit veniale, si fiat imperativo modo; videtur enim levis materia.

Quomodo autem gerere se debeat Ecclesiae minister in sollemni adiuratione, non opus est pluribus docere: sequatur, ut par est, regulas Ritualis Romani et omnia bene se habebunt.

Ait s. Alph. in fine, communiter dicere DD., quod exorcismi Ecclesiae habeant vim expellendi daemones tanquam (vox est diminuens) ex opere operato. Scilicet exorcismorum vis non innititur sanctitati ministri, sed invocationi nominis Dei, fidei et sanctitati Ecclesiae, in cuius persona minister agit et sub hoc respectu convenit cum iis, quae operantur ex opere operato atque hoc est quod affirmat Sanchez l. 2. c. 42. n. 16. citatus a Ligorio. Quoad certitudinem vero effectus, qui ad opus sequatur, non necessitas, sed congruentia tantum habetur idque ut verius affirmat ipse Sanchez ibid.; ideoque differunt quoad hoc exorcismi a causis efficientibus ex opere operato.

CAPUT III.

DF VOTO

DUB. I.

Quid votum et quotuplex.

I. Respond. 1. Est promissio facta Deo, deliberate, de bono possibili et meliori: s. Th. 2. 2. q. 88. V. Sanch. et Laym. l. 4. t. 4. Unde patet, quod Votum sit actus latriae soli Deo debitus. Quare dum vovemus quaedam sanctis, sensus est, voveri ea Deo in honorem simul sanctorum; sicut templa et altaria aedificamus Deo in eorundem honorem. Porro ex singulis particulis datae definitionis multi casus resolvuntur; quos, ut vitetur confusio et consulatur memoriae, separatis dubiis proponam.

602. * Itaque votum non est simplex propositum seu voluntas aliquid faciendi, sed promissio, qua quis alteri se obligat ad aliquid. Promissionem quidem vel praecedit vel certe comitatur propositum aliquid faciendi, propositum vero praeexigit aliquam deliberationem, quae inquisitionem et iudicium rationis comprehendit: porro hi actus deliberatio, propositum, promissio per se simul esse possunt. Sic ergo ad votum tria necessario requiruntur, primo quidem deliberatio, secundo propositum voluntatis, tertio promissio, in qua perficitur ratio voti: s. Th. 2. 2. q. 88. a. 1.

Votum est de bono *possibili*, utique ipsi voventi, *meliori*, non comparatione facta cum quolibet alio bono, sed cum bono ipsi opposito vel cum illius omissione. Quae declarabuntur in tertio dubio.

Adverte cum Laymann *de Voto*, c. 1. n. 6. ex Suarez, quod promissio fieri potest alicui Sancto, propter ipsum, ad honorem eius; talis vero promissio, etsi sacra, non esset proprie votum; quia non actus esset virtutis religionis, at duliae. Generatim vero vota Sanctis fiunt, sicut A. explicat. *

II. Resp. 2. Dividitur Votum 1. in Absolutum et Conditionatum. Illud est, quod fit sine ulla conditione, ut voveo eleemosynam: hoc autem, quod fit cum conditione, ita ut, nisi hac posita, non exsurgat obligatio: ut voveo eleemosynam, si sanitati restituar, vel (quod dicitur Poenale) voveo facere disciplinam, si hoc fecero. 2. In Sollemne et Simplex. Illud est, quod, ut tale, acceptatur ab Ecclesia et sunt haec duo: votum castitatis, quod maioribus Ordinibus annexum est et votum professionis religiosae. Simplex autem votum est omne aliud, quod talem sollemnitatem non habet. Ubi sciendum, quod votum sollemne reddit personam iure inhabilem ad contractus vel actus contra votum, ut ad matrimonium, vel dominium bonorum habendum. Vid. infra lib. 4. c. 1. *in tract. de statu relig.* Simplex autem tale votum, v. gr. castitatis (excipio, quod in Societate IESU emittitur post Novitiatum) aut ingrediendae Religionis, etsi reddat contractum, v. gr. matrimonii illicitum, non tamen invalidum, vid. infra lib. 6. *de Matrimonio.* 3. In Reale et Personale. Illud est, cum pecunia vel alia res externa pretio aestimabilis pro-

mittitur, ut calix, eleemosyna: hoc autem, cum aliqua hominis actio, vel cessatio ab actione, ut votum ieiunii, peregrinationis, abstinentiae a lusu. His aliqui adiungunt Mixtum ex utroque, ut si voveas peregrinationem cum oblatione alicuius rei. Vid. Less. l. 2. c. 40.

603. * Prima divisio clara est. Altera materiam suppeditaret longae disputationi propter tenebras ei offusas ab ingeniosis viris; quae disputatio tamen ad theologiam speculativam potius, quam practicam pertinet. Nihilominus, quia et exinde oportebit identidem argumentari, proponamus breviter communem et veram doctrinam. Votum sollemne dicitur, ait Laymann *de Statu Relig.* c. 1. n. 4., sicuti et testamentum, pactum, iusiurandum sollemne, cui ea forma seu sollemnitas publica adhibetur, quam ius requirit ». Scilicet de sollemnitate voti philosophandum est, quemadmodum philosophamur de contractibus sollemnibus, de testamentis sollemnibus etc. Sollemnitas enim est forma quaedam seu complexus formalitatum, quas auctoritas publica addit actui ad eiusdem decorem et ut sub speciali reipublicae custodia collocetur et certam efficaciam exerat. Idcirco « sollemne est, quod vim habet non solum a privata persona agente, verum etiam ab auctoritate publica, sive haec interveniat per personam publicam sive per certos ritus et caeremonias, quae iure naturali necessaria non sint; ita ut actus sub singulari custodia reipublicae positus sit, quoniam haec in eius confectione partem habuit ». Victor de Buck in *Epistola de Votorum sollemnitate* p. 46. In actu ergo sollemni intercedit confirmatio publicae auctoritatis, quae ita sub speciali sua custodia illum suscipit, ut eum violare nefas sit propter publicam quam ex eodem interventu nactus est, fidem. Votorum proinde sollemnitas nihil aliud esse videtur quam sub certis conditionibus emisso voto accessio auctoritatis Ecclesiae ratum habentis votum et suscipientis illud sub sua custodia eique speciale decus et specialem etiam efficaciam tribuentis. Si idcirco Ecclesia auctoritatem suam praestare nolit, quocumque ritu fiant, vota erunt simplicia.

Conceptus propterea proprius sollemnitatis votorum est hic interventus ecclesiasticae auctoritatis in eorum nuncupatione et confirmatio eorum per eandem auctoritatem, quae hoc pacto ea sub speciali sua custodia suscipit et tuetur. Nihil aliud opus est ut votum sit sollemne; ideoque etsi ceteri effectus, e. gr. diremptio matrimonii, deessent, votum nihilominus sollemne foret. Quapropter hi alii quicumque effectus non oriuntur necessario ex ipsa sollemnitate, sed a posteriori aliqua lege voto sollemni adiectos fuisse oportuit.

Haec omnia confirmantur decreto Bonifacii VIII. *c. unico de Voto in* 6. Qua in re adverte cum eodem de Buck p. 98. seqq. quaestionem quam dirimit Pontifex, non esse proprie *quodnam sit votum sollemne,*

sed *quodnam votum sollemne dirimat contractum postea matrimonium;* plura enim ea aetate ferebantur vota sollemnia, quam quae deinceps. Doctrina Bonifacii haec est. « Nos attendentes quod voti sollemnitas ex sola constitutione Ecclesiae est inventa... praesentis declarandum ducimus oraculo sanctionis: illud solum votum debere dici sollemne quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod sollemnizatum fuerit per susceptionem sacri ordinis aut per professionem expressam vel tacitam factam alicui de religionibus per sedem Apostolicam approbatis ». « Quod tantundem est, ac si dixisset, ait de Buck p. 100.: quum impedimentum dirimens matrimonium, annexum voto sollemni castitatis non nitatur voto sed sollemnitate, rationem huius ipsius sollemnitatis sequatur, oportet. Quare cum sollemnitas ab Ecclesia instituta sit, negari non potest effectus huius voti in eius arbitrio esse et impedimentum proinde dirimens ab eius statutis pendere... se itaque statuere illud solum debere dici sollemne quoad effectum dirimendi matrimonium quod post ea contrahatur, quod sollemnizatum fuerit etc. ».

Est ergo voti sollemnitas ab institutione Ecclesiae, quemadmodum ab institutione civilis auctoritatis est sollemnitas contractuum, testamentorum etc. Congruit, quidem, si certi effectus tribuendi erant votis, ut his honestarentur potius sollemnia quam simplicia; sed tandem quod hi effectus essent vel quinam essent, in arbitrio Ecclesiae situm erat. Quae propterea potuit effectus illos quos ipsa votis sollemnibus attribuit, tribuere votis quibusdam simplicibus, quin desinerent esse simplicia. Audi Laymann sic prosequentem l. c. « Quare sicut iure speciali statutum est, ut v. g. testamentum minus sollemne inter milites perinde validum sit ac sollemne, ita etiam constitui potuit et reipsa constitutum est a Gregorio XIII. in Bulla *Ascendente Domino*, ut vota simplicia, quae in Societate Iesu edi solent, traditionem ex parte voventium irrevocabilem contineant verosque religiosos efficiant aliosque effectus plerosque votorum sollemnium consequantur. Nam in primis inducunt incapacitatem ad nuptias ita ut matrimonium non tantum illicite sed etiam invalide ab huiusmodi religiosis contrahatur. Deinde si vota simplicia sint publica, quae a Coadiutoribus nostrae Societatis edi solent, introducunt etiam inhabilitatem seu incapacitatem cuiuscumque dominii bonorum in particulari. Idque totum ex ecclesiastica constitutione. Interim vero hodie proprium manet sollemni professioni, quod ab antiquo iam vigebat, ut matrimonium (ratum) antea contractum dirimat (quod id soli professioni in religione ab Apostolica Sede approbata competat, est ex Ecclesiae institutione), deinde ut ex virtute eius religio vicissim religioso obligetur ad eum

perpetuo retinendum alendum etc., nisi in poenam criminis tanquam incorrigibilis deponendus et eiiciendus sit ».

Secundum haec iudicandum erit de iis, quae A. habet. Ait enim per votum sollemne personam fieri *iure* inhabilem ad actus contrarios voto e. g. ad matrimonium. Quod ultimum quidem intellige ita, ut repugnet actus contrahendi, non vero status seu vinculum, si praecessit.

Deinde haec intellige de *iure ecclesiastico,* quod dispensationem admittit et potest reapse Pontifex dispensare sacerdotem ad matrimonium contrahendum itemque religiosum atque hunc ad servandum dominium bonorum eundemque quoque eximere a statu religioso. Praeterea haec doctrina de inhabilitate orta ex sollemnibus votis 1° non valet in quolibet voto sollemni; nam sollemne est votum FF. Minimorum e. g. abstinendi a carnibus: quo tamen voto nec ipsi se privant nec est qui possit illos privare facultate edendi valide carnes. Imo 2° nec valet semper in ordinariis votis religiosis, ut in voto obedientiae, ubi non raro contingit abesse hanc incapacitatem agendi valide contra votum, ut cit. de Buck prosequitur p. 52. seqq.

Scilicet inhabilitas huiusmodi, si qua est, non ex sollemnitate voti per se nascitur, sed ex speciali, libero Ecclesiae decreto ortum habet, quoad certas et determinatas actiones. Cf. et Nicolai Nilles *Selectae disputationes Iur. eccl. de iuridica votorum sollemnitate.*

Quoad tertiam divisionem in votum *reale* et *personale,* adverte quod votum reale continet quoquo permissionem alicuius actionis, quae nempe ordinatur ad rem praestandam, quae est obiectum directum voti: votum vero personale solam actionem voventis promittit. Hinc 2. cum votum reale rem ipsam Deo obliget, obligatio haec adhaeret rei et idcirco cum re ad heredes transit: secus autem in voto personali, quod solius voventis actum obligat. Cf. dicenda in tr. *de Contractibus, de Promissione.* *

DUB. II.

Quae requiratur voti deliberatio et intentio.

III. **Resp.** Cum voti obligatio sit gravissima, requiritur intentio, deliberatio et libertas perfecta, qua quis libere et directe in se voluerit promittere, cum animo se obligandi. Ita Doctores communiter. Less. Bon. d. 4. q. 2. p. 1.

604. Conditiones explanantur in resolutionibus. Dicit A., voti obligationem gravissimam: sed intellige *ex genere suo;* nam potest obligare etiam tantum sub levi, ut videbimus.

Unde resolves.

IV. 1. Aetas et usus rationis ad vovendum ea sufficit, quae satis est ad peccatum mortale perfecto actu humano et directe in se volitum. Excipe tamen votum sollemne religionis, quod invalidum est ante certam aetatem.

605. * Aetas requiritur propter usum sufficientem rationis; ideoque per se omnis homo tam pubes quam impubes, posteaquam rationis usum sufficientem ad voti naturam cognoscendam assecutus fuit, valide vovere potest, nisi aliunde impeditus sit. Laymann *de Voto* c. 7. n. 1. Circa quae advertit duo. Vota ante septennium concepta, irrita praesumi, nisi probabilissimae coniecturae suadeant, sufficientem adfuisse rationis usum. E contrario post exactum septennium praesumi valida, nisi probabilia indicia ostendant defuisse rationis discretionem. *

Ex Conc. autem Trid. sess. 25. cap. 15. *de Reform.* irrita est professio emissa ante annum 16. expletum.

Quod ergo spectat ad usum sufficientem rationis, dicitur sufficere usus rationis, qui satis est ad peccatum mortale; sed attende verba: *perfecto actu humano.* Quibus significatur, USUM RATIONIS, qui sufficit ad peccatum mortale, sufficere etiam ut quis POSSIT valide vovere; at non puto significari, uti tamen plures hoc videntur intelligere, sufficere ad validitatem voti cuiusvis EAM DELIBERATIONEM, quae sufficit ad grave peccatum. Ratio est, quia ad grave peccatum satis est confuse nosse gravitatem reatus, quo me obstringo: at ad assumendam obligationem non sufficit generalis notio obligationis, nisi deliberantis obversentur menti illae circumstantiae, quae *ad deliberationem prudentem circa onus assumendum* considerandae sunt.

Idcirco non placet argumentum Escobar l. 29. n. 362.: « *quia libertas sufficiens, ut diabolo devincti simus, sufficere debet ut Deo obstringamur* », quod sumpsisse videtur ex glossa in c. *Mulier.* caus. 32. q. 2. aiente: « qui se potest obligare diabolo, potest etiam se obligare Deo ». Unica conclusio legitima seu sensus rectus huius sententiae est, sufficere hanc libertatem ut Deo obstringamur eo modo, quo daemoni per peccatum obstringimur, scilic. ut meritorie agendi simus capaces. At alia libertas seu deliberatio requiritur ad agendum meritorie, alia ad inducendam obligationem; ad primam enim sufficit generalis et confusa notio boni moralis, ad aliam vero requiritur cognitio plena oneris, quod assumitur; nam sine hac cognitione, deest consensus, et cum voluntatis consensus nullus adsit ubi deest cognitio, eo ipso nulla est obligatio assumpta. * S. Thomas sane non perperam tres actus n. 1. distinxit, deliberationem, propositum, promissionem; significavit scilicet oportere considerationem, inquisitionem, iudicium rationis, quae

sub deliberationis nomine comprehenduntur, teste Suarez *de Voto* l. 1. c. 9. n. 1. Si autem s. Doctor eam deliberationem postulabat, quae ad merendum vel demerendum sufficit, opus haud erat eam a proposito et promissione accurate secernere. Certam quandam ergo deliberationem requirit s. Doctor, quae respondeat obligationi voti suscipiendae. *

Aliud est, si doctrina ista intelligatur ita, quod menti obiecta re, cum omnibus suis circumstantiis, sufficiat consensus in rem ita consideratam ille, qui sufficit ad peccatum mortale; quae tamen non videtur esse mens Escobar, qui ea promit, ut excludat necessitatem deliberandi *circa circumstantias convenientiae et disconvenientiae.*

V. 2. Non obligat votum factum cum semiplena animadversione vel deliberatione, v. gr. ex repentino animi motu, vel consuetudine, lingua mentem praeveniente, vel ex calore iracundiae rationis usum auferente. Azor, Sanch. Trull. l. 2. c. 2. d. 1. Ubi notat, non esse sufficiens indicium, quod defuerit perfecta ratio, vel deliberatio, si voventem facto voto mox poeniteat: item motum irae raro et vix unquam impedire usum rationis.

606. Duae quaestiones hoc loco diligenter sunt secernendae: alia an valeat votum emissum cum semiplena deliberatione, alia, an in hisce vel illis circumstantiis deliberatio sit solum semiplena. Prima est quaestio *iuris,* altera *facti.* De prima nullum est dubium et haec est, quae in praesenti resolutione statuitur. Neque ex eo quod dubitari possit, an calor iracundiae, aut motus repentinus v. gr. timoris, aut consuetudo semper deliberationem impediat, idcirco revocanda est in dubium certitudo primi principii, quod ad *ius* pertinet.

Ad quaestionem facti spectant quaestiones, an absit plena deliberatio, quando aliquem poenitet facti voti, aut quando ex ira operatur.

Et circa haec valet illud s. Thomae, quod circa particularia non datur scientia, sed relinquuntur prudentis iudicio.

Quoad primum de poenitentia voti emissi bene Auctor dicit, non esse *sufficiens* indicium, quibus verbis indicat *aliquod* esse iudicium: et reipsa cum poenitentia facti nasci possit tum eo quod res non prius satis considerata est, tum ex voluntatis inconstantia circa rem alioquin perspectam, palam est, ex poenitentia non posse concludi, defuisse deliberationem et considerationem. Non bene Salmantic. tract. 17. cap. 1. n. 11., ut probent hanc poenitentiam non esse *sufficiens iudicium,* subdunt, *actus plene deliberatos* retractari saepe *ob novam difficultatem, considerationem et circumstantiam.* Nam n. 152. ipsi docent, votum non obligare, si superveniat notabilis rei mutatio: notabilem autem dici mutationem, quae si cognita ab initio fuisset, votum impedivisset; quia in tali casu non intendebat se obligare. Et addunt non opus esse relaxatione; quia vota utpote facta sub tali conditione, eo ipso irrita

sunt. At enim quid differunt rem sic immutari, aut rem non fuisse cognitam? Loquuntur igitur pugnantia. Vid. et s. Alph. n. 226., ubi probat hanc Salmantic. doctrinam de irrita promissione ob supervenientem circumstantiam non praevisam. Quando igitur poenitentia voti oritur ex re non rite considerata, tunc locus esse potest defectui deliberationis, ut votum irritum censeatur.

Quoad alterum de ira, est in proverbio: *ira brevis furor est* et forte verba Auctoris « quod vix unquam *impediat* ira usum rationis » intelligenda sunt de totali usu rationis. Inquirendum erit ergo quousque impedire deliberationem et considerationem ira potuerit; etenim si ira non impedivit, quominus menti obversarentur ea omnia, quae nosci debent ut votum censeatur voluntarium, verum est, quod habet A.; secus, si eorum consideratio fuerit impedita.

S. Alph. n. 196. in h. l. addit ex Salmant. leviter peccare, qui levi consideratione emittit vota *de gravissima et diuturna obligatione*, licet inde ad ea sit obligatus, quae Salmantic. docent l. c. nn. 13.-14. Verum aegre conciliabis culpam in defectu considerationis et considerationem sufficientem ad obligationem peccati mortalis, qualis in voto requiritur seu habetur.

Culpa levis, de qua s. Alphonsus, referatur ad culpabilem defectum prudentiae in agendo; qui irrepere potest etiam post sufficientem rei considerationem.

VI. 3. Quod si is, qui scit se vovisse, dubitat, an cum sufficienti deliberatione et usu rationis, ob defectum aetatis: si quidem vovit ante septennium, votum non obligat, nisi constet de sufficienti rationis usu; quia eum ius in tali non praesumit et possessio stat pro libertate. Si vero post septennium vovit, obligat; quia possessio est pro voto, cum praesumatur usus rationis, nisi constet oppositum. Si denique dubitet, utrum ante, an post septennium voverit, teneri voto vult Sanch. et Palaus: negat Dian. etc.

607. Addit s. Alph. n. 196. quoad 3^m hypothesim, quod *probabilius* Sanchez teneat voto obligari, si dubitetur, an ante aut post septennium emissum votum fuerit.

Non tamen invicta est Sanchez ratio. Haec est *in Decal.* lib. 4. cap. 1. n. 14., quia constat de voto et excusatio eius est dubia. Sed nonne hoc ipso valor voti est dubius dubiaque eius obligatio, praesertim si quaedam probabilitas sit pro emisso voto ante septennium? obligatio autem dubia non est obligatio, sicut lex dubia non est lex. Item quia, ait, rarissime aut nunquam ante septennium emittuntur vota aut iuramenta atque ideo ex communiter contingentibus praesumitur, votum factum esse post septennium et sic in favorem actus stat possessio. Innititur videlicet Sanchez principio: quod quae raro contingunt, non praesumuntur, sed debent sufficienter probari. Quae ratio Sanchez ostendit potius locum non esse legitimo dubio. Verum, ut stemus in

hypothesi, ubi est causa dubii, supponitur adesse casus ille rarus, de quo in prima hypothesi, de voto facto ante septennium. Ergo ratio maioris illius probabilitatis nulla apparet.

Addit heic s. Alph. n. 196. ex Salmanticensibus in quocumque dubio circa plenam deliberationem, affuerit ipsa necne, sive ob metum sive alia de causa, v. gr. ira etc., *votum valere.*

Quoad haec sapienter cum Suarez *de Vot.* lib. 4. cap. 6. n. 10. advertendum: « Solum adverto, in hoc casu (ac idem fere est de ceteris), aliud esse quaerere, an stante vero dubio de usu rationis actuali et sufficiente ad liberum consensum, nascatur obligatio: aliud vero esse quaerere, quando sit vel non sit tale dubium. In priori quaesito semper verum est, stante hypothesi, quod tale dubium negativum verum sit, votum non obligare; quia est dubium an sit votum... Dicti ergo Auctores proprie tractant secundam quaestionem et in eo sensu dicunt, votum factum in calore iracundiae, si non constet positive et per iudicium fere certum, abstulisse vim rationis, obligare; quia scil. solus calor iracundiae per se non sufficit ad constituendum morale dubium de sufficienti usu rationis etc. ».

Ergo ista accipienda sunt hoc sensu, quod in hisce dubiis votum valere dicitur, non quasi votum dubium obliget, sed quatenus negatur adesse rationem dubitandi de voto: quae ratio si adsit, votum non valebit et utrum adfuerit, ad prudentem inspectionem confessarii pertinebit, interrogando an onus assumendum rite et sufficienter cognosceret et difficultates pervideret etc.

VII. 4. Vota facta in ebrietate, etiam ante praevisa et sic volita in causa, non sunt valida; cum non sint volita in seipsis et directe: bonum autem non consurgat, nisi ex integra causa, quamvis ad peccatum satis sit voluntarium indirecte et in causa. Laym. l. 4. t. 4. c. 1. n. 4.

608. Explicanda haec ex traditis in tract. *de Actib. Human.** Haec autem est doctrina Laymann, l. c. « Ad votum non sufficit voluntas indirecta in causa sua. Explico. Si sciens te ebrium stricto gladio in alios ruere solitum, nihilominus te inebries, homicidium in ebrietate commissum tibi tanquam indirecte voluntarium imputatur: non item si sciens te ebrium hominibus promittere vel Deo edere vota solitum, nihilominus te inebries, voto aliave promissione in ebrietate postea facta adstringeris. Cuius discriminis ratio est, quia homicidium in ebrietate factum vere homicidium est ideoque ad culpam imputatur, si sit aliquo modo videlicet indirecte et in causa, voluntarium. At vero votum et quaelibet alia promissio hominis ebrii vel dormientis non est verum votum, quandoquidem ad voti substantiam intrinsece requiratur directa se obligandi voluntas », quae est ipsa substantia voti, quae tamen in ebrio deest. Cf. Filliuc. *de Voto* n. 16. Subdit Laymann

aliam hypothesim: « Si vero tamen voluntatem seu propositum v. g. votum religionis Deo edendi habuisti *eoque proposito virtualiter permanente* ad altare accesseris, os ad loquendum (professionem emittendam) aperuisti, quamvis animo ad alia distracto, valet votum, quemadmodum etiam sacerdos cum tali intentione valide consecrat », sufficit scilicet ad votum « voluntas sive intentio virtualiter permanens in suo effectu ». *

VIII. 5. Vota facta in metu non incusso ad hoc ipsum, ut votum extorqueretur; valida sunt; quia sunt simpliciter voluntaria et deliberata: facta autem in metu iniuste incusso ad ipsum votum extorquendum, invalida sunt ex *communi;* non quia non sint voluntaria, sed quia vel ius ea irritat, vel Deus non acceptat, ne det vim iniustae coactioni idque sive metus sit gravis, sive levis; dummodo quis formaliter ex solo tali metu voveat. Suar. *de Voto* l. 1. c. 8. Sanc. Fill. t. 26. c. 1.

609. Auctor pro 2ª parte resolutionis allegat Suarez: qui tamen oppositam sententiam dicit probabiliorem eique adhaeret *de Vot.* lib. 1. cap. 7. a. n. 12. S. Alph. n. 197. censet *ex iure saltem ecclesiastico* probabiliter invalida esse. Et idem Sanchez dicit probabiliter invalida esse, si metus sit levis et iniustus; licet tunc probabiliorem oppositam sententiam dicat.

DD. qui tenent invalida, id dicunt etiam de professione religiosa, sed *quoad forum conscientiae;* quia in foro externo metus levis non praesumitur causa esse voti etc.

Ceterum nos adhaeremus Auctori, qui invalida censet iure naturae, nec potest solvi argumentum, quod Deo acceptum esse non potest, quod per vim a quopiam per iniuriam extorquetur, quando ius naturae ideoque ipse Deus postulat, ut ius restituatur in integrum. Nec quisquam homo iustus acceptaret promissionem, quae per iniuriam alteri extorquetur.

IX. 6. Quoad vota emissa ex errore, si error fuerit circa substantiam materiae promissae, vel circa conditionem substantialem, vel circa finem sive rationem formalem ac motivum vovendi, votum nullum est: ut v. gr. 1. circa substantiam, si quis voveret certum aliquem suum calicem, quem putat argenteum, cum sit aureus: vel se ingressurum certum Monasterium, putans esse Ordinis Sancti Benedicti, cum sit Carthusianorum. 2. Circa conditionem substantialem: si quis v. g. voveret se ingressurum Monasterium, ubi putaret religiosam disciplinam et essentialia religionis servari accurate et tamen non ita esset: vel si voveret peregrinationem ad limina Apostolorum, putans tantum distare centum miliaribus, cum tamen distarent trecentis. 3. Circa causam finalem: si quis v. gr. voveret aliquid in gratiarum actionem pro sanitate parenti reddita et is re ipsa non fuisset aegrotus vel esset mortuus. Et ratio nullitatis talium votorum est, quia hic deficit liber consensus, qui non fertur in incognitum et nihil tam est contrarium consensui, quam error. Fill. t. 26. c. 1.

610. S. Alph. n. 198. merito addit invalidum votum esse, licet error seu ignorantia sit concomitans. Ratio, quia et haec facit *Non voluntarium actum.* Cf. *de Act. Hum.* nn. 49. seqq.

Secus dicendum putat, si error, *licet dederit causam voto*, non versetur circa conditiones afficientes rei substantiam, sed circa accidentales. Et Salmanticenses adducit, notans tamen, eos perperam allegare pro se Sanchez. Sed demum concedit, probabilem esse sententiam affirmantium, etiam ob errorem circa accidentalia irritum fieri votum, si haec sint magni momenti. De qua re s. Doctor merito remittit ad n. 226. ubi de mutatione etc. sub Dub. V. cf. heic n. 83. Quo facto ostendit, se vidisse forte incohaerentiam Salmanticensium, qui regulam statuunt memoratam sup. n. 606.

Unde duplici modo quidpiam afficiet substantiam; 1° si error sit circa rei substantiam: 2° si sit circa conditiones vel causam actus ita ut voluntas reipsa noluisset votum facere, si praevisa illa circumstantia fuisset.

X. 7. **Vota, quae emittuntur post Novitiatum, in quocunque approbato Ordine, instar matrimonii carnalis, non sunt irrita ob ullum errorem, nisi solum substantialem circa substantiam.**

611. Excipi sane debent vota, quae emittuntur post novitiatum in quocumque approbato Ordine: quippe quae irrita non sunt ob ullum errorem, nisi solum substantialem circa substantiam. *S. Alph.* l. 3. n. 198. « Ratio est inquit Lugo *de Iust. et Iur.* disp. 22. n. 88., quia in iis, quae constituunt statum ex natura sua firmum et irrevocabilem, quales sunt professio et matrimonium, voluntas iuxta naturam rei, de qua agitur, accommodat se et consentit sine restrictione vel conditione, sed omnino absolute et independenter ab aliis conditionibus praeter eas, quae sunt de substantia eiusdem contractus. Ex iis enim conditionibus manerent incerta matrimonia et professiones atque adeo ipse status, quod non est iuxta naturam rei, de qua agitur ». Et, ut adiungit Sanchez *de Matrim.* lib. 10. disp. 9. n. 20.: « ex huiusmodi dependentia sequeretur, plures professiones et pleraque matrimonia censenda esse irrita; quod cederet in grave reipublicae damnum et scandalum ».

XI. 8. **Si error circa conditionem substantialem sit de re parvi momenti, non redditur votum irritum: ut si iter peregrinationis, quam quis vovit, sit paulo longius, quam putabatur; quia parum reputatur pro nihilo. Item si error sit tantum circa causam impulsivam, valet votum; quia illa est tantum causa secundaria, qua seposita, actus est sufficienter voluntarius secundum substantiam. Neque talis error in ceteris contractibus actum vitiat: v. gr. vovit aliquis peregrinationem Romam studio colendi Deum et simul etiam habuit causam secundariam impulsivam, ut inviseret fratrem, quem putavit esse Romae, quem etsi intelligat deinde istic non esse, non ideo desinit obligari voto. Et ex his patet, quomodo intelligendum sit, quod dici solet, vota non obligare ultra intentionem voventis. Sanchez l. 4. c. 2. Less. l. 40. d. 2.**

612. Est limitatio Resolutionis 6^ae^, de qua ibi diximus.

Quoad ea, quae ultimo loco dicuntur, merito advertit Sanchez l. c. n. 51. ob eiusmodi errorem praestari faciliorem dispensandi causam.

XII. 9. Ad votum non sufficit nudum propositum, licet firmissimum; quia qui tantum proposuit, non tenetur sub peccato praestare: qui autem promisit, obligatur sub peccato et nisi praestet, agit contra fidem Deo datam. Bon. p. 1. Laym. l. c.

613. Quaerunt, an peccet venialiter, qui frangit propositum.

S. Alph. n. 199. allatis hinc inde DD. concludit, utramque sententiam esse probabilem. Ita s. Doctor: « An negligens propositum bonum peccet saltem venialiter, affirmant Lessius, Palaus etc. apud Salmanticenses *de Vot.* cap. 1. n. 17., ob inconstantiam sine causa tunc intervenientem. Negant tamen Busemb. Sanch. *Decal.* lib. 3. cap. 1. n. 21. cum Soto, Aragon., Azor et Salmanticenses ib. n. 18. cum Dicast., Val. Suar. Tolet. etc.; quia (dicunt) defectus constantiae per se non est culpa nisi praeceptum adsit. Utraque est probabilis ».

Dicere alius poterit, utrique sententiae pro variis hypothesibus esse adhaerendum et forte etiam tertiae sententiae, quae dicat, inconstantiam interdum esse meritoriam, si nempe recta ratio suadeat, consilium esse mutandum.

XIII. 10. Ad votum aliquando sufficit promissio implicita, ut patet in susceptione Ordinum sacrorum, ubi licet non dicatur: voveo vel promitto castitatem, votum tamen hoc fit implicite, hoc ipso quod sciens Ecclesiam annexuisse iis ordinibus istud votum, eos suscipis. An vero, si quis plane id ignoraret, adhuc censeretur vovere ex implicita intentione, dubium est. Aliqui aiunt, aliqui probabilius negant dicuntque talem teneri ad castitatem, non ex voto, sed ex Ecclesiae praecepto. Sanch. *de Matrim.* l. 7. d. 27. n. 11. Bonac. c. 2. p. 1. et comm.

614. Ad votum sufficere potest promissio implicita. Ita quidam Religiosi vota emittunt mere profitendo *obedientiam iuxta Regulam*. Clarius id patet susceptione sacrorum Ordinum; nam licet non dicatur: *voveo* vel *promitto* castitatem, votum tamen hoc facis implicite hoc ipso quod sciens, Ecclesiam adnexuisse iis ordinibus istud votum, eos suscipis. Quod si quis hoc plane ignoraret, censet s. Alphonsus lib. 6. n. 809., eum probabilius voto non obstringi idque videri dubium vix potest; obligatio enim voti tota est a voluntate, quae sibi eam obligationem imponit: nulla autem est voluntas, ubi nulla est cognitio. Ecclesia tamen posset hunc adigere, ut vel a sacro ministerio abstineat vel castitatem et quidem votum emittendo, ut probabilius habet s. Alphonsus lib. 3. n. 200. post Laymann servet, aut certe ut *sacrilegii* reus sit, nisi servet; quia eam praecipit ex virtute religionis, ut idem s. Alph. lib. 6. n. 809. advertit. Cf. tr. IX. c. 2. n. 27.

XIV. 11. Si quis haberet intentionem promittendi quidem, sed tamen se non obligandi, nullum esset votum, secundum Nav. Sylv. Sanch. n. 27. Less. l. 2. c. 40. dub. 1. n. 6. Bon. et alios contra Caiet.; quia talis non vult vovere, cum apponat conditionem contra substantiam actus. Unde Lugo d. 23. *de Iust. et Iur.* n. 9. et alii contendunt, talem non posse dici promittere. Verum videtur esse quaestio de nomine. Si vero haberet animum vovendi et se obligandi, non tamen implendi; tunc etiam graviter peccaret et votum esset validum. Sanch. Fill. Bon. p. 1. n. 14. Laym. etc.

615. S. Alph. 201. q. 1. merito dicit non teneri voto, qui nescit voti obligationem et nesciens emittit nec implicite nec explicite eam suscipere intendens. Ratio patet ex rei natura.

Addit: « Secus dicendum..., si quis voluerit vovere modo ordinario, quo alii vovent; quia tunc *implicite* voluit obligationem contrahere ». Et allegat Sanchez ac Tamburinum. Atqui Tamburinus eodem loco lib. 3. *in Decal.* cap. 12. §. 1. n. 7. disserte statuit, quod « si non cognoscas *ex promissione oriri obligationem*, voluntaria tibi obligatio esse non potest; ergo ea oriri non potest ». Unde s. Alphonsus videtur loqui pugnantia, cum dicat: *implicite voveri, dum quispiam vovet iuxta modum ordinarium, quo alii, licet nesciat naturam voti:* at si nescit obligationem surgere, profecto non vult eam: haec enim est natura voti. Sanchez autem *de Matrim.* lib. 1. disp. 9. n. 2. de Sponsalibus agens dicit: « Intelligendum tamen est, nisi ignorans promissionis (aliud est promissionis natura, aliud obligatio: nam promissio ex ignorantia posset intelligi pro mero proposito exterius manifestato, sine ulla fidei obligatione) naturam, velit ea intentione promittere, qua ceteri promittunt: tunc enim implicite et virtute obligari vult ». Verum hoc non videtur universaliter verum. Nam verum erit, si quis voveat ita animo comparatus, ut quidquid tandem alii faciant, et ipse facere intendat ac onera suscipere, quae alii suscipiunt. Generalis enim sic habetur intentio suscipiendae obligationis. At si ne somniet quidem aliquod onus, quod ab aliis suscipitur et quod praevisum ipse non susciperet, ego non puto obligari. Porro priorem sensum supponit Sanchez, alterum Tamburini.

Quando autem scit obligationem voti, sed velit ita promittere ut non velit simul voto se obligare, communior et probabilior sententia est, non teneri obligatione voti. Ratio est, quia obligatio nulla est praeter eam, quam quis sibi sponte imponit. Et reipsa iste non vovet, quia duo contradictoria ibi se elidunt. Erit ad summum non promissio sed propositum. Peccaret tamen graviter, si hoc animo ficto susciperet sacros Ordines aut emitteret religiosam professionem. Ita ex s. Alph. n. 201. q. II.

616. Ad secundam hypothesim resolutionis spectat, si quis absolute vult statum v. gr. religiosum, sciens obligationem et tamen in quapiam re non vult obedire, vel vult s. Ordines, licet nolit v. gr. deserere concubinam: est votum validum, sed graviter peccat. Cf. *de Iuram.* sub. §. XXXIII.

Tertiam hypothesim addit s. Alph. n. 201. de eo, qui promittit et vult implere, *sed sine animo positivo se obligandi:* tunc (ait) « si iste satis scit obligationem voti, sed eam non advertit, dum vovet et nega-

tive se habeat, nec volendo nec excludendo illius obligationem, tenetur ad votum; quia qui vult actum antecedentem (scil. promissionem) vult et obligationem consequentem ». Puto esse resolutionem contra scrupulos illius, qui distractus professionem emisit. Nam quid est *promittere sine animo positivo se obligandi?* Scilicet est contradictio: nam promissio est fidei obligatio. Haberemus tantummodo propositum.

Addit s. Alph. ibid. Quaest. III. teneri voto, qui dubitat, an vovendo habuerit intentionem se obligandi. Puto huc revocanda ea, quae ex Suarez diximus ad Resol. 3. sup. n. 607. Reipsa dubium est de voto ipso et tunc valet regula generalis.

DUB. III.

Quae requiratur materia voti.

XV. Resp. Ea debet esse possibilis (cum impossibile nec efficaciter intendi possit nec ad illud sit obligatio) et non solum bona, sed etiam melior, quam oppositum sive eius omissio; quippe finis intrinsecus voti est honorare per hoc Deum: id autem non potest fieri, nisi offeratur illi aliquid gratum; gratum autem esse non potest, ut quis obligetur ad relinquendum id, quod est melius. Sanch. l. 9. c. 7. Laym. Navar. etc.

617. Doctrina A. clara est et communis. * S. Thomas a 2. conditionem eam voti, *ut sit de meliori bono,* ita declarat. Statuit 1° materiam voti esse rem Deo acceptam; unde infert de opere tantum virtuoso non illicito nec indifferenti faciendum esse votum. 2° Advertit votum esse promissionem voluntariam, unde infert ea, quae necessaria sunt necessitate absoluta, non esse materiam voti: 3° ea vero, quae necessaria sunt tantum necessitate finis, cuiusmodi sunt praecepta, quatenus sunt etiam voluntaria nobis, posse esse materiam voti: 4° ea tandem, quae neque sub necessitate absoluta neque sub necessitate finis cadunt et sunt proinde nobis omnino voluntaria, cuiusmodi sunt actus virtutum supererogatorii et consilia, *propriissime* cadere sub voto. Subdit: « Hoc autem dicitur esse maius bonum in comparatione ad bonum, quod communiter est de necessitate salutis; ideo proprie loquendo votum dicitur esse de meliori bono ». Qua in re adverte 1° s. Doctorem loqui in fine de materia propriissima voti, cuius nempe obligatio solum voto suscipitur, non lege imponitur: 2° s. Doctorem adversari quibusdam veteribus scholasticis, qui negarunt rem praeceptam esse materiam voti (cf. Suarez *de Voto* l. 1. c. 6.): 3° Hinc, si materiam voti universalissime accipiamus, s. Thomam non refragari communi sententiae scholae ita explicantis hanc conditionem rei promissae, ut sit *de meliori bono,* ut nempe sit melior quam eius opposita vel carentia eius: quo fit ut et praecepta intra materiam voti comprehendantur. Quod vero

et praeceptum sit materia voti, patet quia et eius observatio libera est et licet ad eandem rem pluribus obligationibus se obstringere atque Ecclesia probat huiusmodi vota e. g. votum continentiae quoad ea quoque, ad quae iam lege tenemur.

Si qua autem difficultas occurrat, in Resol. expeditur. *

Unde resolves.

XVI. 1. Invalidum est votum nunquam peccandi venialiter; cum id moraliter et ordinarie sit impossibile. Aliqui tamen volunt, sic voventem teneri isto voto ad vitanda mortalia et venialia graviora: de quo Scholastici. Nav. c. 12. n. 63. Suar. l. 2. c. 3. Sanch. *de Matrim.* l. 9. d. 35.

618. Vitare omnia venialia nemo potest sine speciali privilegio, ut Synod. Trident. definit. Ergo est materia moraliter impossibilis.

Quoad plene deliberata venialia plures DD. senserunt invalidum esse votum; ita Salmantic. cap. 1. n. 80. qui male probant ex can. 23. sess. 6. Trid.; neque enim in hoc Canone sermo solum est de plene deliberatis.

Alii, uti s. Alph. n. 203., putant validum: sed prorsus addendum, id valere solum in personis valde in virtute exercitatis, ut ipse s. Alph. ibid. advertit.

Idipsum dici debet de voto vitandi venialia in aliqua materia determinata, v. gr. non dicendi iocosum mendacium, quod virtute praeditis censeri potest possibile: non autem aliis.

Imo recte addit s. Alph. n. 203. hoc votum in quibusdam materiis esse de re impossibili, v. gr. in cogitationibus inhonestis aut otiosis.

Huc puto spectare votum vitandi actus impatientiae aut iracundiae sc. non irascendi. Nam difficillimum est tenere medium. Insuper generatim acceptum votum non irascendi est de re non modo impossibili, sed de re etiam mala: quatenus bonum est identidem irasci.

Aliqui addunt (vid. apud. Suar. lib. 2. cap. 3. n. 2.) non esse validum votum vitandi omnia mortalia, si sermo sit de persona fragili. Cui sententiae licet Suarez l. c. non adhaereat, probat tamen, quod ait Navarrus, hanc esse sufficientem causam dispensationis et tale votum nec expedire nec utile esse.

Prout de re est impossibili, habetur invalidum votum vitandi omnia mortalia et venialia; quia saltem partem habet impossibilem: s. Alph. n. 203.

Plures addunt, hunc teneri saltem ad possibilem, sc. ad vitanda mortalia, nisi obstet intentio voventis, quae inspicienda est. S. Alph. autem l. c. ait teneri vitare etiam venialia deliberata: sed hoc idem

s. Doctor non admittit nisi in viris magnae virtutis; quia in aliis modicae virtutis esset materia impossibilis, ut ait paulo ante ibid.

Ceterum haec postrema referuntur ad quaestionem de voto rei partim possibilis partim impossibilis; de qua infra dub. 5.

XVII. 2. Invalidum est votum de re vana vel inutili vel indifferente, nisi ex circumstantiis aut fine fiat bona; quia Deo displicet stulta promissio et hinc eam non acceptat ac peccat venialiter talia vovens, ut v. gr. si quis decidens ex equo, voveat non amplius equum ascendere. Navar. c. 12. Sanch. 4. *Mor*. c. 7.

619. Inutile et vanum esset votum non praecidendi ungues certa die, non transeundi per viam aliquam, non exeundi domo dextero primum pede, nunquam ascendendi asellum aut equum, non loquendi cum quopiam v. gr. advena etc. Aiunt Salm. tr. 17. cap. 1. n. 55. esse levem culpam nisi quis insuper putaret, haec Deo placere. Carebit culpa, qui facit ex simplicitate et hic erit docendus. S. Alph. n. 204. ex Salm. cap. nn. 55.-57. monet insuper, non ex sola voventis intentione, sed ex se, rem conducere debere ad bonum finem. Sensus est, quod res vota sit talis, quae ad finem illum bonum assequendum apta sit, v. gr. votum non ascendendi currum vel capite nudo incedendi, ob carnis afflictionem. Vanum esset, si in honorem Dei aut Sanctorum voveas quodpiam, quod nihil facit ad honorem ipsorum, v. gr. aspiciendi arbores in honorem s. Gertrudis, non manducandi ex capite animalium in die s. Ioannis Bapt. aut abstinendi a carne tosta in die s. Laurentii aut comedendi castaneas elixatas die s. Lucae etc. Ita Salm. l. c. n. 57. secundum doctrinam traditam a s. Thoma, qui q. 88. a. 2. ait.: « vana esset promissio si quis alicui promitteret id, quod ei non esset acceptum ». Et ad 3m: « Vota quae sunt de rebus vanis et inutilibus sunt magis deridenda, quam servanda ».

Si vero intelligas, quod bona res esse debet non modo ex fine operantis, sed etiam ex fine operis, resolutio esset falsa; quia res indifferens, quae fiat bona ex fine operantis, utique est materia voti: sic ire Romam *causa invisendi* sacra loca, abstinere ab ingressu domus ob *periculum peccandi* etc.

XVIII. 3. Invalidum est vovere mala et qui vovet mortale, peccat mortaliter: qui autem veniale, eum venialiter tantum peccare dicunt Sà, Syl. etc. v. *Iuramentum*: licet mortaliter peccare velit Caiet. v. *Votum* et Less. l. 2. c. 4. d. 5., quod videtur probabilius.

620. S. Alph. n. 206. probabilius et ipse habet, peccari mortaliter vovendo rem venialiter malam. Sed addit, a gravitate excusare communiter ignorantiam. Ratio, cur *graviter* peccetur, validissima est et blasphemiam sapit, quod quis putet, Deo rem talem placere, ut advertit s. Alphons. ibid.

* Si quis disiunctive voveat aut rem bonam aut malam sive vanam et indifferentem, votum nullum est: ita s. Alph. n. 224. Posses sane ex vi voti eligere malum, quod absurdum est Deique in contemptum cedit. Et generatim nullum est illud votum disiunctivum, cuius pars est apta et pars inepta et vovens ad neutram voluit se determinate obligare. Idem n. 203. *

XIX. 4. Invalidum est votum, cui adiungitur finis vel alia circumstantia mala tenens se ex parte rei votae: ut v. gr. vovet quis eleemosynam ad obtinendam vanam gloriam aut impetrandam per eam victoriam iniustam, felicem successum furti, adulterii etc. aut in gratiarum actionem pro successu talis peccati; quia datio eleemosynae ad talem finem est actio blasphema, quasi Deus peccata promoveat, ideoque non potest esse materia voti. Caietan. Navar. c. 12. Sanch. c. 6. Laym. l. 4. t. 4. c. 2. num. 6. Fill. t. 26. c. 5.

XX. 5. Validum autem est, etsi ei adiungatur finis vel alia circumstantia mala tenens se tantum ex parte voventis: ut verbi gratia, si quis ex vana gloria, aut ex ira erga importunum mendicum, voveat ei dare eleemosynam; quia tunc res ista bona est, quam vovet, licet ipse voveat male et cum peccato. *Ibid.*

621. *Circumstantia* mala ex *parte rei votae esset*, si voveres celebrationem Missae votivae die, qua non licet, aut in ecclesia interdicta. Ceterum exempla allata a Busemb. referuntur omnia *ad pravum finem.* Et. s. Alph. n. 206. ad h. l. notat, finem pravum haberi ex parte *rei votae* cum res vota *ipsa dirigitur in malum finem,* ut si ieiunes ut plausum capias. Et idem ex Salmant. tenendum esse dicit, licet finis non sit primarius, sed tantum *impulsivus*, sine quo tamen votum non fieret. Sed haec Salmanticensium locutio non est accurata; quia quando causa actus est talis, sine qua non fieret, ea non dicitur tantum *impulsiva,* sed *motiva, principalis, primaria.* Vid. dicta de Legib. nn. 341. seqq. Addit, idem dicendum, si finis sit indifferens vel mere temporalis, uti si voveas ieiunium, ut parcas sumptibus, vel eleemosynam, ne puteris avarus.

E contrario dicit s. Alph. cum Salmantic., validum esse votum, quando finis pravus est *ex parte voventis*, sc. quando non res vota, sed actus vovendi dirigitur in pravum finem, v. gr. si voveas ieiunium, ut lauderis de eodem voto: si voveas vestem pullam, ut rem ingratam facias parentibus aut curatori aut aliis.

Haec, etsi vera, non satis clare explicant mentem Auctoris. Notanda scil. verba Auctoris Resol. 4. et 5. *si adiungatur finis* etc. Haec enim verba indicant casum, ubi supponitur finem pravum non esse totalem causam sive rei votae, sive vovendi. Hinc non admittimus, quae dicunt Salmantic., finem secundarium sive impulsivum efficere, ut votum sit invalidum et multo minus probamus exempla Salmanticensium, v. gr. illius qui vovet Ordines ob divitias speratas aut frequentiam chori ob

lucrandas distributiones. Si totalis finis sint haec vovendi aut agendi, concedimus: secus si finis adiungatur. Recolenda heic quae notavi in tract. *Actib. Human.* nn. 95. seqq.

XXI. 6. Validum item est votum factum ex affectu erga rem bonam, ut bona est, etsi coniuncta cum causa mala: ut si quis voveret eleemosynam, si ex duello evaserit salvus, si non capiatur in furto, si filius sibi nascatur ex adulterio, quod parat etc.; licet enim duellum, furtum, adulterium velle malum sit, tamen his positis non laedi, non infamari, prolem gigni, mala non sunt, sed Dei dona et votum non cadit super ista mala, sed super haec bona, considerata (ut suppono) quatenus in se bona sunt. Nav. Laym. l. c.

622. Addit s. Alphonsus n. 206. ad resol. 5. regulam: « Si opus pravum non ponitur ut finis voti, sed ut simplex conditio v. gr. si quis voveat ieiunium, si *inimicum occidat* vel *si furtum faciet*, tunc valet votum; quia impleta conditione posita, honestum est in se votum implere ». Ita (quoad praxim) si quis voveat eleemosynam pauperi dandam, quoties in mendacium vel aliam culpam labatur. Nempe huiusmodi sunt vota poenalia; quae adeo non sunt mala et invalida, ut interdum suaderi possint.

XXII. 7. Invalidum est et veniale peccatum, vovere bonum, quod est impeditivum boni maioris, ut praesertim sunt vota contra consilia Evangelica, ut v. gr. manere in seculo, ducere uxorem, ire ad militiam, facere mercaturam. Navar. n. 29. Suar. Fill. c. 2. q. 7. n. 58. Sanch. etc.

623. Notant DD. vix esse votum, quod maius bonum non impediat; quia semper excellentius opus excogitari potest, quod sit incompossibile. At in votis operis boni, conditio semper subintelligitur: nisi malim in melius mutare et nemo prohibetur, ne votum in melius commutet.

Dictum ergo A. maxime intelligitur de re, quae impediat absolute mutationem in melius, ut v. gr. status matrimonii.

Regula ergo est. Opus votum sufficit ut sit melius quam carentia eiusdem et ut non impediat illam mutationem in melius, quae idonea voventis adiunctis et conditioni censeri potest.

* Si fiat comparatio, ait Suarez *de Voto*, l. 2. c. 8. n. 6., inter bona positiva, licet unum sit melius alio; quia tamen simpliciter melius est alterutrum illorum facere, quam neutrum, ideo votum potest obligare ad minus bonum absolute, quamvis cum libertate transeundi ad melius. At si fiat comparatio inter actum et carentiam eius et haec sit melior, quam actus, non potest votum obligare ullo modo ad actum; quia semper liberum erit praeferre carentiam actus h. e. ab eo abstinere, ut idcirco nunquam relinquatur obligatio ad actum.

Quaeres autem quomodo carentia boni, quae nihil est possit esse melior bono, quo privat. Scilicet 1° sub nomine carentiae venit etiam

bonum oppositum illi bono. 2° Quamvis in privatione actus non sit positiva bonitas, est tamen quaedam remotio impedimentorum ad melius operandum et ex hac parte, illa carentia inter bona melioris ordinis computatur. 3° Etsi carentia sit quid negativum, nihilominus velle illam actus positivus est et potest esse actus melior quam voluntas illius boni.*

XXIII. 8. Si tamen aliquod bonum per se et absolute minus fieret per accidens maius bonum, tunc talia vovere valet, ut v. gr. si quis videret susceptionem Ordinum sibi damnosam. V. Bon. p. 1.

624. Votum non vovendi generatim est invalidum: quia per se vovere seu facere ex voto est melius. At per accidens potest esse de meliori bono, si quis soleret e. g. esse imprudens in vovendo.

De vovente, se non facturum vota nisi de licentia confessarii, s. Alph. n. 210. haec ex Laymann habet: 1° Primum illud votum est validum; quia est de meliori bono quoad eum, qui nimis pronus sit ad vovendum. 2° Si dein proprio marte emittat aliud votum, v. gr. ieiunandi quapiam die, distinguendum erit: nam vel primo voto se mere obligavit ad non vovendum sine licentia confessarii, et tunc peccat contra prius votum et insuper secundum votum est validum, cum sit de obiecto bono: vel primo voto non solum se obligavit ad non vovendum sine confessarii licentia, sed insuper includebatur in eo actu clausula de nullitate sequentium talium votorum; et tunc peccat quidem secundo voto sed hoc est nullum (praevalente scilicet ea priore intentione). Validum tamen esset, si primum illud retractasset explicite vel implicite sc. vovendo, dum prius illud memoria volveret, votum secundum.

Votum etiam non petendi dispensationem aut commutationem a voto potest esse materia voti; quia per se bonum id est et melius quam oppositum et alioquin supponimus non impedire bonum melius seu mutationem in melius: ceterum etiam hoc votum facultatem relinquit petendi dispensationem ab hoc postremo, si ratio exigat. Item hoc votum potest a superiore irritari seu relaxari, etiamsi non petat ille qui vovit.

XXIV. 9. Matrimonium ordinarie invalide vovetur; quia ordinarie melior est caelibatus. Dixi ordinarie; quia valide vovetur, 1. si quis ad hoc obligetur, aut quia sine iniuria aut gravi infamatione sponsae vel liberorum ex ea conceptorum, a sponsalibus non potest recedere: 2.: si id Reipub. valde utile futurum existimetur: ut quia verbi gratia ex eo speratur pax inter Principes, conversio haereticorum, regni tranquillitas: 3. si quis ob fragilitatem et inveteratam consuetudinem peccandi adeo sit pronus ad lapsum, ut prudentes iudicent consultum ei esse, ut nubat: in quo tamen ultimo Laym. et alii dissentiunt. V. Bon. l. c. Fill. n. 6. Nav. Suar. l. c. Laym. n. 12.

625. Votum matrimonii habet difficultatem propriam, quia matrimonium est status immutabilis et non potest commutari in melius,

sicut in melius potest commutari votum ingrediendi Religionem laxiorem. Cf. resol. 7.

Quoad 3. casum s. Alph. n. 209. dicit, sententiam affirmativam, quod validum sit votum illius, qui ob fragilitatem vovet matrimonium, esse longe et certe probabiliorem, supposito, quod aliis remediis uti NOLIT. Et adderem, si aut videantur difficiliora aut non sit spes probabilis de constantia in iis usurpandis. Ratio s. Alphonsi est, quia in tali casu matrimonium est maius bonum, cum ad concupiscentiam sedandam, iis, qui alia meliora remedia suscipere nolunt, ideo matrimonium a Deo concessum sit; maxime quia hic frequenter recidens tenetur ex iure naturae nubere, posito quod nollet aliis remediis uti. Facto autem voto relinquitur semper potestas commutandi in melius, si voluntas accedat aliis remediis utendi.

DUB. IV.

Quae et quanta sit obligatio voti.

XXV. Resp. Tanta est, quantum tum quantitas materiae permittit, tum intentio voventis, qua se vel multum vel parum vel absolute vel cum certa conditione, restrictione temporis, qualitatis, obligare vult, designat: ita ut, etsi obligatio voti sit iuris naturalis, vis tamen eius pendeat a voluntate et facto hominis, tanquam praevia conditione, ut tantum vel tantum obliget. Ita comm. V. Laym. c. 3. Bon. p. 5.

626. Nota verba: quantum materia PERMITTIT, non vero *exigit;* quia etiam gravis potest voveri sub levi, ut videbimus.

* Recte A. distinguit inter originem obligationis voti atque conditionem propter quam ea obligatio hunc vel illum afficit, sive causam applicantem legem hanc obligantem.

Obligatio enim voti ex rei natura oritur iurisque est naturalis ac divini neque a voluntate voventis pendet; sed a voluntate hominis pendet, quod ipse se subiiciat huic obligationi ideoque se tantum vel tantum subiiciat, quia ipsa per se potest esse maior vel minor. Est scilicet obligatio voti obligatio quidem iuris naturalis, sed quam natura per se sola non imponit, praerequirens liberam subiectionem hominis huic legi. Idem apparet in obligatione matrimonii. Quocirca cum distinctione allata sunt accipienda verba DD. aientium, voventem sibi ipsi imponere obligationem et verba s. Thomae 2. 2. q. 88. a. 3. ad 3^{m}: « Quod obligatio voti ex propria voluntate et intentione causatur ».*

Unde resolves.

XXVI. 1. In materia levi nemo obligatur sub mortali; quia materia id non permittit. Navar. n. 40. Sanch. l. 4. c. 12. Laym. l. c. Verbi gratia, vovisti recitare quotidie *Salve Regina:* omittendo semel iterumque, non peccas mortaliter; quia materia est parva. Sanchez l. 4. c. 12. Laym. l. c. Azor l. 21. c. 15. Imo, etsi toto anno omittas, esse tantum veniale, eo quod materiae istae parvae non coalescant in unam, probabiliter docet Dian. t. 5. misc. n. 24. ex Soto, Arag. et Tann. 2. 2. d. 4. dub. 3. contra Valent. etc.

627. Nota 1° quod regula valeat, licet quis velit se sub gravi obligare, ita heic s. Alph.

* Ratio est, quia ius naturae non permittit, ut in re levi obligatio sit gravis: voluntas vero hominis, ut diximus, non creat obligationem voti, sed se subiicit illi, quam ius naturae praescribit. *

2° Valet regula A. non solum quando non servatur levis pars materiae alicuius magnae, sed etiam cum omittitur *tota voti materia,* si haec erat levis. Hoc contra Caietanum DD. communiter docent. Vid. Suarez lib. 5. cap. 4. n. 7. 9. Quemadmodum enim, si confessarius levem poenitentiam imponat, omissio eius, etsi totalis, leve peccatum est, levis obligationis fractio; idem dicendum de omissione totali materiae promissae, si ea est levis. Haec doctrina a confessario est explicanda poenitenti, qui talia emiserit vota, ne ex conscientia erronea peccet graviter.

3° Infertur, votum vitandi peccatum non obligare nisi iuxta illius gravitatem. Salmanticenses cap. 2. n. 115. apud s. Alph. n. 211. excipiunt, nisi votum vitandi leve peccatum habeat causam aliquam ratione cuius sit res magni momenti, ut si Praelatus voveret non dicere mendacium; vel si veniale peccatum valde impediret a profectu in virtutibus.

Sed non videtur bona regula: secus haec essent dicenda gravia peccata citra votum.

4° Quoad 2. partem, qua dicitur, parvas materias non coalescere in materiam gravis peccati, monent DD. id non semper esse verum: vid. s. Alph. n. 212. et recte dicunt, opus esse distinctione. Verum propositae distinctiones non solent esse admodum clarae: dicunt v. gr. non coalescere materias, quando facta promissio est affixa diei, prout fieri solet in votis personalibus, nisi constet de opposito: contra vero coalescere, si promissio plurium levium materiarum facta sit per modum unius et dies assignetur non ad finiendam obligationem, sed ne differatur exsecutio, v. gr. si quis voveat, singulis diebus parvam quandam eleemosynam. Hoc autem dicunt contingere fere in votis realibus, nisi constet de opposito.

628. Dixi regulam non esse admodum claram. Et sane cum tota obligatio et ratio obligationis pendeat ab intentione voventis (cf. n. 626.), hinc maxime petenda est resolutio quaestionis. Et si v. gr. quis voveat, nullum diem se passurum elabi sine opere aliquo caritatis per eleemosynam, licet votum sit reale, materiae non coalescunt. Contra si quis ad carnis domandam superbiam, singulis hebdomadis certa quaedam ieiunia (quod est votum personale) voveat, haec coalescere videbuntur.

Suarez *de Vot.* lib. 5. cap. 5. n. 11. duplici modo coalescere dicit materias, seu potius ex duplici capite colligi intentionem dicit. 1° Quando votum est talis indolis, ut leves violationes relinquant obligationem resarciendam et quasi restituendam; tum enim praecedens obligatio coniungitur cum sequenti et ex levi fieri potest gravis, v. gr. qui obolum quotidie voverit pro pauperibus. 2° Quando secundum moralem aestimationem ex multis materiis divisis censetur componi unus actus moralis. Ita v. gr. qui vovet integrum rosarium, tres partes tribus diebus assignans: omissiones enim singulorum dierum coalescunt relative ad integrum rosarium votum. Sic quoad horas canonicas, cum censeatur unum officium unius diei onus, omissiones in variis horis leves censentur coalescere; secus vero omissiones unius diei cum omissionibus alterius et sic v. gr. leves violationes ieiunii in variis diebus non coalescunt.

XXVII. 2. In materia gravi, etsi quis possit se obligare tantum leviter, communiter tamen censetur voluisse se obligare graviter, nisi aliunde constet. Unde violans tale votum peccat graviter ex genere suo. V. *ibid.*

629. Prudentia confessarii exigit, ut poenitentibus suadeat vota nuncupanda sub levi obligatione.

Id fieri potest, etiamsi materia, spectato iure naturae, obliget sub gravi v. gr. in voto castitatis. * Etsi enim ius naturae non permittat ut in materia levi obligeris sub gravi; permittit tamen, ut obligatio, quam libere suscipis in re gravi, sit levis: quemadmodum nullam posses suscipere obligationem. *

Gravis censetur materia, quae, cum ab Ecclesia praecipitur, graviter obligat, ut ieiunium, Missa etc., vel quae comparata cum alio praecepto gravis videtur vel notabiliter ad finem voti vel Dei cultum confert. Gury, §. 326. q. 1.

XXVIII. 3. Qui postquam gravi voto se obstrinxit, serio deinde dolet, quod fecerit, non peccat graviter, modo retineat animum implendi. V. Sà v. votum.

630. Eodem modo non est grave peccatum, quod quis doleat de promissione facta homini; nisi ex aversione seu odio id contingeret.

* Haec est poenitentia, quam Suarez *de Voto* l. 5. c. 7. n. 4. vocat

inefficacem, de qua affirmat, non quod sit peccatum veniale, sed quod, per se loquendo, non est peccatum. Ratio est, quia haec poenitentia non est de obiecto prohibito ex vi obligationis voti; quia votum solum est promissio faciendi hanc vel illam rem, non autem gaudendi semper aut nunquam dolendi de voto facto: non est ergo talis poenitentia contra votum. Inde vero infertur hanc poenitentiam ex genere suo nullum esse peccatum; quia nullum praeceptum invenitur, cui opponatur. Idque ait supponi a s. Thoma a. 6. ad. 2^{m} aiente: « Si tamen ipsum opus secundum se consideratum triste et involuntarium redderetur post votum, dum tamen remaneat voluntas votum implendi, adhuc est magis meritorium, quam si fieret sine voto ». Dictum est *per se loquendo:* nam per accidens talis poenitentia potest esse mala et voto contraria, si per eam homo constituatur in morali periculo non implendi votum. Quanta autem culpa sit, ex circumstantiis personae et qualitate materiae pensandum est. Ita idem Suarez ibid. n. 7. *

XXIX. 4. Qui violat votum de re iam ante praecepta, verbi gratia, qui post votum castitatis fornicatur, debet in confessione addere, quod votum id habeat aut quod Ordines acceperit, si confessarius nesciat; quia duplex tunc est malitia peccati. Suar. c. 6. Less. d. 7. Sanch. c. 5. Fill. c. 7. q. 4.

631. Fuerunt nempe, qui assererent, rem alias praeceptam non esse materiam voti aut certe nullam novam obligationem per votum induci. At Suarez *de Voto* l. n. 2. c. 6. n. 4. ait: « Vera tamen et catholica sententia est, actus praeceptos posse esse materiam voti propriissime dicti ».

* Quod probat argumentis iam a nobis allatis sub n. 617. Et sane ad haec se voto obligare melius est tum ob maiorem actuum excellentiam, qui evadunt actus religionis et maiorem rationem meriti superaddunt tum ob maiorem firmitatem in bono, quam voluntas acquirit.*

XXX. 5. Alieno voto nemo obligatur ex vi illius voti. Unde, si qui Canones videntur indicare, filium a patre religioni devotum teneri eam profiteri, intelligendi sunt, si filius votum patris semel ratificaverit. Suar. cap. 9. Sanch. Laym. c. 5. n. 6.

632. Hoc votum obligat parentes ut, quantum in se est, inducant filios ad ingressum religionis et his volentibus non contradicant: votum autem fit cum tacita conditione: *si ipsi voluerint.* Ratificatio autem filiorum non censetur sola taciturnitas, sed verus ac realis debet accedere consensus cum ad annos discretionis pervenerint; quia taciturnitas non arguit consensum in iis, quae sunt oneris ac laboris. Salm. cap. I. n. 117.

Itaque vota haec non sunt dicenda invalida aut nulla; nam recto sensu accepta, quo nempe explicavimus, sunt plene valida (a).

(a) Cf. tr. IX., c. 1. sub §. XXXVII. E.

XXXI. 6. Cum heres teneatur solvere vota realia defuncti, non tenetur vi voti, sed ex iustitia; sicuti tenetur alia illius debita, legata etc. solvere. Ibid.

633. Videlicet heres, sive necessarius sit sive voluntarius, recipit bona eo onere obligata.

Nec potest vovens deobligare heredem a voto implendo, sicut non potest eximere ab aliis debitis solvendis.

Tenetur heres solvere vota ante alia pia legata; quia legata sunt libera et gratiosa dona testantis: solutio autem voti debita est ex obligatione.

Praeferenda tamen sunt debita ex iustitia; quia vovens non potuit vota facere, quae bonis alienis implerentur: sed implenda sunt ex bonis ipsius voventis. Non sunt autem bona voventis ea bona, quae aliis ex iustitia debentur. Salm. cap. 1. nn. 124. 125.

Addit s. Alph. n. 215. omnino tenendum, non posse patrem *in morte* per vota minuere legitimam filiorum; quia legitima iure debetur nec voluntario debito potest gravari sicuti neque legatis etiam piis. Ergo solvi debent vota non quidem ex cumulo totius hereditatis, sed ex portione, de qua disponere libere parentes possunt. Vid. Sanch. *in Decal.* lib. 4. cap. 15. n. 38.

Dicitur *in morte;* quia sicut modicas donationes et eleemosynas per decursum factas prudenter ac pro modo substantiae et qualitate personae, non tenentur parentes computare in parte, de qua disponere libere possunt in morte; ita si ageretur de voto prius iam facto, eadem ratio habenda eius esset, ac donationum per vitae decursum; neque enim dici posset votum factum *in Morte*. Vid. Sanch. *de Matr.* lib. 6. disp. 36. n. 11.

XXXII. 7. Eodem modo, si communitas aliquid vovit, in quod posteri non consenserunt, non tenentur id servare vi voti, sed interdum ratione pacti, statuti vel longae consuetudinis. V. Laym. hic c. 3.

634. Dum Auctor dicit « vi *pacti* aut *statuti* aut *consuetudinis* » teneri communitatem servare vota, indicat varios modos a DD. excogitatos ad duo concilianda, id est 1° obligationem ex religione implendi votum, quam communitati incumbere omnes fatentur: 2° generale principium, neminem teneri voto alterius.

Hanc quaestionem tractat Suarez *de Voto* lib. 4. cap. 9. et 1° reiicit n. 6. sententiam dicentium, in casu non obligari unum voto alterius sed ipsam personam, moralem scilicet, qualis est communitas, vovere et implere votum: tum 2° dicentium, n. 7., successores obligari vi pacti seu promissionis quae in universalem successorem transit: tum 3° dicentium, n. 9., haec vota obligare ex consuetudine. Tum vero suam aperit sententiam: haec vota non obligare propria obligatione voti,

nisi a singulis personaliter fiant; esse tamen in communitate potestatem ad obligandum singulos praesentes et futuros successores in vi *praecepti humani*, vel ad acceptandum tale votum quoad voti obligationem, vel saltem ad observantiam actus promissi, n. 19. Et quoniam, ut ipse dicit n. 11., laici non possunt praecipere spiritualia; hinc inducit *auctoritatem* et *approbationem Episcopi*, qui potest eadem vota etiam revocare. Violantes autem votum dicit peccare contra obedientiam vel contra virtutem, quae est materia, voti v. gr. ieiunii.

Fateor: haec parum satisfacere posse mihi videntur. Nam 1° distinguendum videtur v. gr. ieiunium ex praecepto Episcopi et ieiunium ex voto communitatis. Certe nemo sic vota ista apprehendere solet ceu ab Episcopo imposita. 2° Quandonam Episcopi voluere praecipere ieiunium? Suarez utitur verbis ambiguis *approbationis* et *auctoritatis* n. 11. At approbatio non inducit obligationem; laici autem imponere non possunt. Unde ergo demum obligatio? Hinc placet magis Navarri doctrina apud Suarez n. 6., comparantis haec vota aliis pactis, quibus communitas se ligat et quorum obligatio ad posteros transit. Magistratus autem possunt, ut caput communitatis, etiam hoc obligationis genere eam vincire; quia ex natura communitatis oritur ut membra capiti se conformare debeant obediendo et obedientia transfert obligationem ad genus virtutis, cuius intuitu indicitur, prouti loqui solent DD., cum de lege caelibatus ecclesiastici loquuntur; est ergo obligatio ex virtute religionis. Unde obligatio inde orta, ut dicebat ipse Suarez, est obligatio ad *acceptandum tale votum quoad voti obligationem*, ut scil. opus fiat ex religione.

XXXIII. 8. Cum quis vovet factum alterius, sensus est, se curaturum id eo modo, quo licite potest, ut verbi gratia, rogando, persuadendo, vel etiam praecipiendo, si sit Superior, vel etiam aliquando paciscendo et suppeditando sumptus. Sic parens, qui filium devovit religioni, ad nihil aliud tenetur, quam ut conetur eam filio persuadere: sic qui Missas vel peregrinationem alterius curandam vovit, quando stipendium ac sumptus ei persolvit, non tenetur alium substituere novis sumptibus, si prior non praestet, ad quod se obligavit. Sanch. Laym. n. 7.

635. Secunda pars, ab iis verbis: *Sic parens* etc. continet resolutionem casus; quando enim quis curavit id quod in se erat, implevit iam votum nec de effectu ipse tenetur.

XXXIV. 9. Vota personalia non implentur, nisi per voventem: unde qui vovit peregrinationem Romam v. gr., non satisfacit, si conducat alium: neque ad id tenetur, si ipse non possit. Ibid.

636. Res clara est. Obligatio est propria voventis, quae desinit, si ipse non possit ideoque nulla est obligatio substituendi sibi alium: nisi tamen ex voto prorsus in se ita onus aliquod assumpserit, ut grave sequatur incommodum, nisi aut per se aut per alium illud impleat, hoc enim tunc intendisse videtur.

XXXV. 10. Vota realia solvenda sunt ex proprio: unde qui nequit ex suo, non tenetur ab alio mendicare. Quod si possit ex suo et tamen alius sive rogatus sive sponte pro ipso velit solvere, id valet; quia tunc quod alter dat, fit ipsius: non autem actio alterius personae potest fieri alterius. V. Ibid.

637. Addunt DD. sufficere ratificationem, quando alius pro alio, hoc inscio satisfecit: consensus enim et ratihabitio sequens operatur idem ac si prius scivisset.

Certe, ut inquit s. Alph. n. 217., hoc modo censentur impletae promissiones factae homini; ergo et promissiones Deo factae possunt sic impleri.

Gury tom. 1. §. 328. n. 1. addit heic. « Excipe, si materia voti realis fuerit determinata; tunc enim in *individuo* eroganda est ».

Intellige, quando peculiaris ratio movit ad rem hanc in individuo vovendam. Secus enim voto satisfiet, si vel ipse vovens vel alius aut parem aut aequivalentem rem tribuat. Et citat Gury s. Ligorium n. 217. Atqui s. Alph. hoc loco nihil tale habet. Ceterum valere poterit haec animadversio, si alter non possit aequivalenter supplere; secus si possit. Ita v. gr. si voveris duo candelabra quae domi servas, profecto si aequalia alter det pro te, cur non valebit solutio, si ratam habeas?

XXXVI. 11. Vota conditionalia non obligant, cessante conditione, etiamsi ipse vovens causa fuerit, ut conditio non poneretur; dummodo id non impediverit per dolum, vim aut malitiam: ut verbi gratia, vovisti peregrinationem, si eam Petrus approbet; deinde submittis, qui persuadeat, ut non approbet: illo igitur non approbante, non teneris. Imo, etsi malitiose per fraudem, dolum etc. impediveris, adhuc probabile est, te voto non teneri, ut habet Laym. c. 6. ex Suarez, et aliis. Interim Laym. recte hic advertendum monet ad intentionem voventis: ut v. gr. si filius vovit se ingressurum religionem, nisi pater contradixerit, videtur eius intentio fuisse, nisi contradixerit ex se, sua sponte sibi relictus etc.

638. Prima pars deobligat ab impletione voti conditionati, quando vovens solum per preces aut alio modo non fraudulento impedit conditionis implementum.

Secunda pars addit, probabiliter idem tenendum, etiamsi vi aut fraude conditionem quis impediat. Et s. Alphonsus post Salmanticenses cap. 1. n. 173., vocat hanc sententiam probabiliorem.

Ratio primae partis; quia preces v. gr. aut suasio liberam adhuc facultatem relinquunt alteri consentiendi vel non. Hinc qui poenitentia voti ductus id praestat, inconstans utique erit: at non violator voti, cuius obligatio nulla est ante conditionem impletam. Aliunde vero vovens non obligare se censetur ad promovendam conditionis positionem vel ad eam nullo modo impediendam. Laymann cap. 6. n. 2. corol. 3. Si vero cogas alium vel dolo circumvenias, non relinquis eum liberum ad ponendam conditionem et sic peccas et quidem peccato infidelitatis, quae propria est voti violationis.

639. Verum aliud est peccare, aliud est obligari deinde voto. Et hoc est, quod s. Alph. dicit probabilius, videlicet non obligari hunc ad implendum votum. Qua de re Laymann l. c. n. 4. generale principium servandum tradit, quod *transgressio voti non obligat ad compensationem.*

Nempe contra promunt heic quidam illud ex l. *In executione* §. ult. Dig. *de Verbor. obligat.* « Quicumque sub conditione obligatus curaverit, ne conditio exsisteret, nihilominus obligetur ». Adde l. 24. Dig. *de conditionibus* etc. « Iure civili receptum est, quoties per eum cuius interest conditionem impleri, fit quominus impleatur, ut perinde habeatur, ac si impleta conditio fuisset ». Tum promunt illud Reg. 66. Iur. in 6.: « Cum non stat per eum, ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset ». Adduntque exemplum: Promisisti alicui centum aureos te daturum, si te domi tuae invisat: ille autem ingredi domum tuam paratus, a te per vim et fraudem repulsus est: haud dubie, aiunt, perinde ei obligatus eris, ac si ingressus fuisset.

Reponit Laymann lib. 4. tr. 4. cap. 6. n. 4. Hoc discrimen est inter violationem promissionis Deo factae et violationem promissionis factae homini, quod illa obligat ad poenitentiam et satisfactionem pro peccato et iniuria Deo illata; haec vero ad compensationem sive reparationem damni homini illati.

Quia homini per violationem iuris sui damnum infertur in bonis et utilibus, quod compensari potest ac debet; Deo autem per transgressionem voti nulla utilitas decedit, quae restitui possit ac debeat: sed tantum honor et debitus cultus aufertur; qui per poenitentiam et satisfactionem eidem restituitur. Quare generalis illa regula tradi potest, quod *transgressio voti non obligat ad compensationem:* v. gr. si vovisti certo die te ob specialem devotionem ieiunaturum atque tunc omittas sive culpate sive inculpate, non teneris alia die compensare; ut ex communi docet Suarez lib. 4. cap. 15. et Sanchez *Decal.* lib. 4. cap. 14. n. 25. Hoc autem nemo dixerit de promissione facta hominibus.

Quod vero ultimo loco Auctor monet ex Laymann l. c. n. 4., habet, hunc sensum, quod impedire non debet impletionem voti nisi *spontaneus* dissensus Patris. Quocirca si dolo, vi, fraude consensum impediat, qui alioquin affuisset, *conditio debet censeri impleta,* atque adeo voto obligabitur. Dixi *fraude, vi* etc.; nam si solum precibus aut suasionibus id fiat, iam non tollitur libera patris facultas dissentiendi.

640. Non idem iuxta Laymann dicendum est, quando conditio, licet ex culpa seu fraude impediatur, non pendet ab alterius consensu. Cuius

rei exemplum affert et s. Alph. n. 218., v. gr. vovisti te ingressurum Religionem in gratiarum actionem, si Deus per annum te praeservaverit a peccato fornicationis, vel si valetudinem recipias. Peccas si de industria vivas intemperanter unde valetudo non recipiatur, aut forniceris, ne religionem ingredi tenearis. Laymann l. c. n. 2. Non tamen teneris ad ingressum religionis, ex regula supradicta n. 56.

Imo Suarez *de Voto* lib. 4. cap. 17. n. 11.-14. addit non esse improbabile, eum, qui religionem promisit, si a peccato praeservaretur, non *peccare contra votum,* si ideo peccat, ne voto teneatur. Nam conditio erat, si Dei gratia et ope extraordinaria scil. efficaci a peccato praeservaretur: imo haec videri potest intentio voventis; neque enim fieri votum censetur ad obtinendam gratiam mere sufficientem, quia hanc quisque iam habet. Et aliunde etiamsi ea mente peccet, ut non ingrediatur religionem: tamen verum est, eum non recepisse a Deo beneficium, quo praeservaretur.

Suarez n. 14. dicit haec probabilia; tamen addit probabiliorem ac securiorem aliam sententiam communem. Veruntamen ratio, quam declarat ex Palacio, non videtur invicta. Utitur nempe exemplo Titii, qui Sempronio promiserit centum aureos, si eum visitaverit domi suae et dein Sempronio venienti iubeat fores occludi. At disparitas est et si a Sempronio penderet efficere, ut Titius non occluderet fores, diceremus reipsa Titium non esse reum impeditae conditionis. Atqui in casu in potestate Dei erat efficere, ut vovens non consentiret pravae illi voluntati peccandi sive ad vitandum religionis ingressum sive ob meram fragilitatem.

641. Addit heic s. Alph. n. 219. duo quoad conditiones. Ac 1° quod conditiones turpes ac impossibiles reddunt vota nulla: intelligendum autem hoc de turpi conditione, quae sit veluti finis: nam in votis poenalibus conditio certe est quidpiam mali.

2° Quod ad obligationem voti non sufficit, ut conditio impleatur *aequivalenter,* sed debet impleri specifice: v. gr. vovisti religionem, si soror tua nupserit; non sufficit quod illa moriatur. Quoad hanc tamen non omnes consentiunt. Et certe si unquam alias, heic spectanda voventis intentio. Et si voventis intentio eo ferebatur, quod non deceret sororem solam in periculo constitutam deserere, profecto, illa moriente, voto obligari ille censebitur. Ita si quis vovet religionem, nisi pater contradicat aut aegre ferat et interim pater moriatur, illusorium foret censere eum excusatum a voto ob conditionem non impletam. Conditio enim erat: nisi ego impediar ex dolore patris aegre ferentis discessum meum.

XXXVII. 12. Qui vovit rem certam et determinatam, v. gr. hunc calicem, si ea res pereat, non tenetur ad alium, cum id non soleat intendi: si autem eam rem vendiderit, probabilius videtur esse, teneri dare pecuniam, quam accepit; quia qui vovet rem, censetur promittere omnem eius utilitatem.

642. Quoad 2^m^ partem, A. dicit, *probabilius* teneri ad dandam pecuniam, quam ex vendita voti materia accepit. Id verum videtur, si intentio ferebatur in aliquod donum tribuendum, quod dein in ea re determinatum fuerit; at si intentio in rem determinatam cadebat et praesertim si specialem scopum res illa habebat, secus alii iudicabunt; v. gr. planetam vel mitram, quam habet quis pulcherrimam, vovet, qua utatur Episcopus in sollemni quodam festo; si distraxerit, aegre obligari videbitur ad aliud offerendum. Ita si pro festo voves apparatum faciendum et dein fieri non potuit.

XXXVIII. 13. Qui vovit aliquid faciendum certo tempore, ut ieiunare hoc vel isto die, illo transacto, sive cum culpa sive sine culpa eius, ad nihil tenetur et neque, si praeviderit impedimentum eo tempore superventurum, tenebatur praevenire, cum haec non soleat intentio voventis esse. Suar. Nav. l. 1. Bon. p. 5.

643. S. Alph. n. 220. putat adhibendam regulam, de qua sup. in resol. 1.; inspiciendum scilicet, an dies praefixa sit ad finiendam obligationem aut ad non differendam. Quae regula optima est. At non ita certa est regula, quae subdi solet, *vota personalia censeri alligata diei ad finiendam obligationem; realia vero ad non differendam.*

Spectanda est scil. voventis intentio, scopus, ratio voti etc.; quia et personalia possunt esse elicita ex causa, quae non pendet a die, cui alligantur v. gr. quae fiant in gratiarum actionem et vicissim realia possunt habere causam in die aut tempore quopiam, ut si sex candelas pro ultima die mensis maii voveas ad maiorem sollemnitatem. Hanc animadversionem habet etiam s. Alph. ibidem.

XXXIX. 14. Qui vovit aliquid sine certo tempore, verbi gratia peregrinationem, tantum tenetur implere, cum commode primum potest; quia sic moraliter quisque censetur intelligere suam promissionem, ut habita commoditate non nimis diu differat, quamvis minor causa sufficiat ad differendum, quam ad omittendum. Fill. c. 4. q. 10. Suar. Laym. c. 3. Bon. etc.

644. Regula Auctoris est, quod qui vovet aliquid sine certo tempore v. gr. peregrinationem, Missam etc., tantum tenetur implere, cum commode potest; quia moraliter sic quisque censetur intelligere suam promissionem, ut habita commoditate, non nimis diu differat; quamvis minor causa sufficiat ad differendum quam ad omittendum. Haec regula videtur esse generalis, quae amplectatur tum vota, quae in perpetuum duratura sunt, tum illa quae durant ad aliquod tantum tempus, vel etiam quae unico actu implentur.

Diversas tamen haec regula admittit interpretationes, pro diversa natura et materia voti, v. gr. peregrinationis, aedificandi ecclesiam, confitendi, sumendi habitum religiosum.

645. Quaerunt DD., quae dilatio voti censeatur mortalis, quando nullum praefixum est a vovente tempus et nullam imminutionem ex dilatione res patitur, v. gr. votum peregrinationis, eleemosynae etc.

Et s. Alph. n. 221. ad fin. refert sententiam s. Antonini, moram eiusmodi non esse mortalem, nisi quando fit dilatio per longa tempora et ex ipsa dilatione est periculum oblivionis vel impotentiae implendi. Et hanc doctrinam dicit teneri a Tamburini et probabilem censeri a Sporer. Subdit tamen: « Sed verius dicendum peccare mortaliter, qui sine iusta causa notabiliter votum differt implere, nempe ultra duos vel tres annos ». Et allegat Croix, Salmantic., et tres alios.

Verum sincere dicendum, nullam firmam rationem afferri pro hac doctrina, quam primus invexit Palaus *de Vot.* disp. 1. punct. 13. n. 7. sed *opinando* scribens: « In reliquis votis ex dilatione non imminutis *censerem,* dilationem duorum vel trium annorum esse notabilem. Nam licet res promissa exsequenda sit; eius tamen exsequutionem tanto tempore contra voluntatem Dei creditoris differre, gravem deordinationem continet: quod probari potest ex dilatione debiti hominibus promissi, quod nullus negabit, gravem culpam constituere ». Pro qua sententia Salmantic. tr. 15. cap. 2. n. 32. falso allegant Sanchez, qui imo *Decal.* lib. 4. cap. 14. n. 2., ex s. Alph. sententia, favet doctrinae Tamburini.

Dixi haec parum firma. Et primo mitto singularem limitationem *duorum* vel *trium annorum:* quasi vero discrimen unius anni vix quidpiam sit; verum haec ostendunt incertitudinem ratiocinantium.

Sed ut ad rem veniamus, 1° nego paritatem cum creditore humano; nam hic ex dilatione damnum patitur, quod respectu Dei non contingit.

2° Nego rursus paritatem; ut enim paritas adesset, fingere deberes promissionem factam homini v. gr. de donando anulo vel libro, nulla temporis mentione iniecta, v. gr. *hic anulus erit tuus.* Et tunc falsum est, gravem culpam esse differre; responderet enim promissor: Pollicitus rem sum, sed non promisi quoad tempus hoc vel illud; ut idcirco, qualibet dilatione intercedente, alius queri non posset, quasi de iniuria.

3° Nego dilationem fieri *contra voluntatem* Dei creditoris. Nam Deus non plus vult (voluntate obligatoria), quam quod ex voto debetur. Nihil autem debetur ex voto nisi id, ad quod se quis propria voluntate obligavit; nam votum est lex, quam quis sibi inducit. Atqui eo ipso quod vovens non determinat tempus, videtur ad nullum determinatum tempus se arctare voluisse, sed solum ad rem aliquo tandem tempore exhibendam. Ergo.

4° Denique, ut bene arguit Tamburini *Decal.* lib. 3. cap. 12. §. 3. n. 11., nemo, cum dat totum, quod promisit et nullum damnum ex dilatione creditori gignit (quod ex sua promissione teneretur cavere), condemnandus videtur de gravi errore, sed levis solum negligentiae. Atqui ita in casu. Ergo merito Sporer probabilem dicit sententiam s. Antonini, nec apparet cur opposita doctrina probabilis dici queat, nisi attenta auctoritate, sed destituta vi rationum.

646. Si votum est in perpetuum Dei obsequium, certum est, inquit s. Alph. n. 221., ex communi sententia, sub gravi obligare ne nimium differatur; nam sic rapinam facit de re Deo devota. Sic qui vovet se ieiunaturum singulis sabbatis, et dein incipit post annum. Hoc tamen intelligendum secundum mentem voventis, qui potest utique hoc votum fecisse, sed aliquando solum incipiendum.

Et hac regula (sc. intentione voventis) omnino utendum in controversia, quam movent de eo, qui ingressum religionis voverit. Varias sententias videre est apud s. Alph. n. 221. et alii quidem putant graviter peccare, si quis iam natus annis 40. differat sex menses, aut si iuvenis 16. annorum differat ultra tres aut quatuor annos: quae sententia etiam nimis laxa videtur s. Alphonso, nisi adsit iusta dilationis causa.

Non videtur tamen res definienda ex solo illo principio: inspiciendum scilicet, quantum detrahatur servitio divino per dilationem; sed potius, quomodo haec accipi communiter soleant: et hoc patebit inspecto quid habeat sensus communis circa *propositum* ingrediendi religionem. Haec scilicet proposita aut promissiones admittunt latiorem interpretationem, ut ille solum censeatur deesse proposito, qui nullam causam habet cur differat; non autem qui opportunum tempus eligit pro fine, quem proponere sibi potuit.

XL. 15. Qui vovit aliquid sine certo loco, v. gr. ingredi religionem s. Benedicti, satisfacit intrando quodcumque Monasterium illius Ordinis, in quo serventur substantialia regulae. Neque tenetur pro admissione peragere provinciam, sed satis est adire loca aliquot non nimis dissita. Et satisfacit voto, si, postquam ingressus est, remittatur, aut egrediatur (saltem cum iusta causa, qualis est v. gr. gravis ac diuturna tristitia et anxietas, sive ex natura ipsa sive aliunde nata Escob. ex Sanch. t. 1. l. 4. c. 16. n. 100.) ante professionem. V. Trull. l. 2. c. 2. d. 20. n. 7. et 8.

XLI. 16. Qui vovit aliquid sine certa qualitate, v. gr. religionem in genere, potest ingredi quamcumque, etiam laxiorem, modo serventur essentialia et sit approbata. Similiter, si quis vovit triticum, etc. non tenetur dare optimum, quod habet, sed satis est (loquendo de obligatione praecise) ut det, quod non sit plane ineptum.

XLII. 17. Qui vovit aliquid sine certa quantitate, v. gr. eleemosynam, pecuniam, frumentum etc. satisfacit dando quantum voluerit, modo non tam parum, ut videatur potius irridere suum votum, quam implere. Ratio horum omnium petitur ex intentione voventis,

qua nemo censetur se obligare, nisi ad id, quod commode potest et communiter est decens. Suar. Sanch. l. 4. c. 13.

XLIII. 18. In dubio de mente voventis, debet fieri interpretatio secundum verborum, quibus usus est, proprietatem, vel potius communem et usitatam acceptionem. Fill. t. 26. c. 2. Laym. c. 3.

647. De hoc argumento alia essent addenda; verum Auctor reservat alteri loco, ubi de statu Religioso agitur; ubi et nos de his disseremus.

Generatim servanda est regula ex s. Alph. n. 224.: vota in benigniorem partem esse interpretanda.

Iuxta hanc regulam, si voves audire sacrum per mensem, non teneris die festo duo audire. Si voves Rosarium, sufficit tertia pars: vovens ieiunium, potest uti lacticiniis. Si vovet ieiunium per mensem, non tenetur die dominica. Si vovet in vigilia alicuius Sancti et haec incidat in dominicam, potest transferre ad praecedentem diem. Item si voveat ieiunium in sabbatis potest transferre ad praecedentem diem, si festum sabbato occurrat. Dicunt non obligari si in sabbatum incidat festum Nativ. Christi.

S. Alphonsus eodem n. 224. resolutionem habet a Salmanticensibus compendio sumptam, quae nunc aegre admittenda forte videbitur. Scribit enim: *Si vovens ieiunium, comedit carnes, non tenetur ad ieiunium: ad differentiam ieiunii praecepti ab Ecclesia, quae duplici praecepto imponit et ieiunium et abstinentiam a carnibus, iuxta Salmanticenses* cap. 1. n. 137. tr. 17. *cum Sanchez, Azor, Silvest. etc.* et *prout declaravit regnans Pontifex Bened. XIV. Vid.* lib. 3. n. 1013. Quinimo compendiosissima haec brevitas effecit, ut s. Doctor ne Salmanticensium quidem sat clare sententiam exhibuerit.

Nam Salmanticenses l. c. uti certum principium praestituunt: *eum qui voto promisit ieiunium, teneri illud observare eo modo, quo alia ieiunia ab Ecclesia praecepta.* Deinde vero iuxta opinionem tunc temporis satis receptam, ieiunii essentiam in unica comestione et abstinentia a carnibus individue ita consistere, ut alterutra sublata nullatenus servaretur ieiunii substantia, hanc subdunt resolutionem: *Qui iam fregit ieiunium, per votum promissum, esu carnium aut repetita comestione, non amplius ad illud tenetur et potest amplius comedere; quia illi iam est impossibile ieiunium observare, Laymann, Palaus.* Et hinc quidem s. Alphonsus suam illam sententiam deduxit, inquiens. *Si vovens ieiunium, comedit carnes, non tenetur ad ieiunium.*

648. Quod vero addit s. Alphonsus *de duplici praecepto* etc., ad resolutionem penitus diversam pertinet, quam Salmanticenses ex Laymann et Sanchez, sed minus clare et exacte sumpserunt. « Imo (aiunt) qui semel per comestionem carnium ieiunium fregit, non peccat postea carnes comedendo, sed solum in illa prima carnium comestione; quia

abstinentia a carnibus est accessorium in ieiunio per votum promisso et sic fracto ieiunio, non amplius obligat, quia, deficiente principali, deficit accessorium ». Mox autem addunt: « Dispar est ratio in lege ecclesiastica, in qua duplici praecepto praecipitur ieiunium et abstinentia a carnibus et sic potest unum ab alio separari; proindeque qui fregit ieiunium, tenetur abstinere a carnibus, quia fracto uno praecepto, remanet aliud: quod in praesenti (ieiunio scil. per votum promissio) non accidit ». Dixi, *minus clare* haec ibi proponi. Debuissent nimirum cum Laymann et Sanchez dicere: qua die Ecclesia praecipit ieiunium, simul abstinentiam a carnibus praecipit tum ieiunantibus, tum non ieiunantibus; ergo si ea die quis esu carnium fregit ieiunium, licet impossibile sit ipsi ieiunium servare, peccat tamen, si iterum carnes manducet; quia Ecclesia etiam non ieiunantibus abstinentiam praecipit ab esu carnium. Porro nimis difficile est hanc resolutionem et haec sensa cernere in s. Alphonsi verbis, quae supra sunt descripta.

Quidquid vero de hoc sit, aegre omnino admitti nunc posset prior illa s. Alphonsi resolutio, nempe: *Si vovens ieiunium, comedit carnes, non tenetur ad ieiunium.* Praestituto enim illo principio, quod omnibus commune est, *ieiunia votiva* (nisi aliter vovens promissionem suam restrinxerit) *servanda eo more esse, quo ieiunia praecepta ab Ecclesia,* profecto postquam Benedictus XIV. ab ipso s. Alphonso allegatus, declaravit, dividuam esse ieiunii materiam seu substantiam, adeo ut ad unicam comestionem teneantur illi quoque, qui utcumque, sive culpate sive inculpate carnes manducaverint, sustineri iam amplius non potest, eum, qui voverit ieiunium, si carnes comederit, ad ieiunium nullo modo teneri. Melius post Apostolicae Sedis declarationes dicendum est, eiusmodi voventem, siquidem ea die finiebatur obligatio voti, saltem ad unicam comestionem servandam teneri; si vero obligatio illi diei non erat affixa et ideo ea die non finiebatur, illum ad ieiunandum alia die obligatum manere.

XLIV. 19. Qui vovit, si ludat chartis, dare decem imperiales, tenetur secundum Sanchez dare toties decem, quoties ludit; quia poena est actui accessoria. Videtur tamen negare Laym. l. 4. tr. 4. c. 5. n. 4. Vide Trull. Dian. p. 5. c. 9. r. 60.

649. * Agit heic A. de voto poenali. Votum poenale species est voti conditionalis et est illud, in quo res sub conditione promissa solum intenditur in poenam illius actus per quem conditio impletur, ut si quis voveat dare eleemosynam, si luserit. Hoc votum id habet peculiare, quod non sit ex affectu ad rem sub conditione promissam, imo per se, ex quadam aversione ad illam; quia assumitur ut poena: porro duplici modo fieri potest hoc votum. Prima, vovendo utrumque, scilicet abstinere a conditione et poenam ferre, si ea ponatur: ut si voveas

te non lusurum et ieiunaturum, si luseris; reapse est duplex votum, sed est quaedam accidentalis unio inter ea. Secundo, vovendo solum poenam, si quid minus honesti fiat. Ex intentione vero voventis pendet utro modo votum fiat. Haec Suarez l. 1. c. 19. n. 13., qui monet etiam n. seq. id quod in voto poenali promittitur, ordinarie intendi sub ratione poenae, posse vero etiam intendi solum ut remedium ad vitandum relapsum; quam distinctionem utilem esse ait ad materiam dispensationum et commutationem votorum.

Iam vero quod pertinet ad resol. A., spectanda est voventis intentio. Si enim poena solum sit *fracti propositi*, semel poena debebitur: si autem sit poena *fracti voti*, ita ut proinde duplex sit votum, debebitur poena toties quotier violatur votum, ait s. Alph. n. 223.: quamvis id nequeat reapse absolute statui; nam res pendet a mente voventis.

Monet Roncaglia *de Poenit.* q. 7. c. 2. q. 4. « si quis voveat subiturum aliquam poenam, ex. gr. si ludat, non teneri eam subire quoties ludat oblitus voti; eo quod per oblivionem fit, quod tale votum nequeat eum retrahere a ludendo, qui est finis huius legis poenalis sibi dictae. Quia non incurritur poena ignorata vel quam non advertis », si sit saltem extraordinaria.

650. Quid si dubites an votum impleveris? Si dubium sit negativum, teneris adhuc voto: si vero sit positivum, ut probabiliter censere possit te voto satisfecisse, valere tunc debet principium quod proponit s. Alph. l. 1. n. 99. *Quid in dubio an legem impleveris? in dubio negativo, teneris implere, secus in positivo.* Sane in dubio positiva lex (votum est particularis lex) evadit dubia: lex autem dubia non obligat. Cf. Lugo *de Poenit.* d. XI. nn. 59. 60.

Quid de voto facto ex metu iniuste incusso? Cf. dicta de iuramento sub §. XXXVI. *

651. * Votum praeterea potest esse *disiunctivum* seu *alternativum;* ut scilicet voveas aut hoc illud dare aut facere. Et quidem si altera pars est apta, altera inepta votum est, ut diximus n. 620. Si vero utraque est apta et deinde aliquam eligas irrevocabiliter, haec praestanda, est etsi post electionem altera pereat vel fiat impossibilis. Si vero antequam eligas, una pars perit aut fit impossibilis, videreris teneri ad eam, quae restat, iuxta dicenda *de obligationibus alternativis* in tr. VIII. p. ubi *de obligationibus generatim;* s. Alph. tamen heic n. 224. cum nonnullis aliis, ex quadam aequitate, te absolvit ab ea, quae reliqua est, danda, nisi tamen tua ipsius culpa contigerit ea iactura. Ratio forte est, quia non amplius exsistit obiectum tui voti, quod in alterutrum ferebatur et electionem liberam relinquebat. Cf. Sanchez *in Decal.* l. IV. c. 13. a. n. 20. deinceps. *

652. Cum in hoc dubio egerimus de obligatione votorum, non erit abs re duas attingere quaestiones, quas s. Thomas tractat. Prior est: an expediat sive utile sit vovere seu obligationem voti suscipere. Respondet s. Thom. a. 4.: quoniam vovendo voluntatem nostram immobiliter firmamus ad id, quod expedit facere, expediens est vovere. Haec firmitas voluntatis voto inducta est quaedam necessitas bene agendi, similitudinem quandam habens cum confirmatione beatorum, quae necessitas non diminuit libertatem et est perfectio quaedam: ad 1m.

Votum autem, quod dicitur expedire, est votum prudenter factum, servatis nempe prudentiae legibus: quae tamen non debet esse tantum secundum hominem, sed magis secundum Deum, ut non plus de humana fragilitate timeat, quam de divina virtute confidat. Suarez l. 1. c. 18. n. 7.

Periculum vero huius voti per se nullum est, nisi periculum obligationis: hoc autem, per se loquendo, moraliter nullum est; secus nullum praeceptum positivum esset imponendum hominibus nec ulla pacta essent ineunda inter homines, nulla fides danda, nec coniuges deberent se invicem obligare, ut ait ibid. Suarez.

Constat tandem vota commendari in Scripturis cf. *Matth.* XIX. 12., a Patribus universaque Ecclesia, quae vota e. gr. religionis maxime probat.

Altera quaestio est: an opus ex voto factum sit magis laudabile et meritorium, quam factum sine voto.

Respondet s. Thomas a. 6., melius et magis meritorium est facere idem opus ex voto, quam sine voto idque ob triplicem rationem. 1° Quia tunc opus est etiam actus religionis seu latriae, quae est praecipua inter virtutes morales: idcirco actus aliarum virtutum moralium meliores evadunt magisque meritorii, cum imperantur a religione. 2° Quia qui vovet aliquid et facit, magis se Deo subiicit, quam qui solum facit; subiicit enim se Deo, non solum quantum ad actum sed etiam quantum ad potestatem ideoque plus Deo dat, quam alter, et sic plus est Deo acceptus et plus meretur. 3° Quia per votum immobiliter voluntas firmatur in bono: facere autem aliquid ex voluntate firmata in bono, pertinet ad perfectionem virtutis, ut patet per Philosophum in 2. Ethic. c. 4. *

653. S. Alph. subiicit huic dubio hoc notandum. Fractiones votorum ait esse omnes eiusdem speciei, violatio nempe sunt fidelitatis erga Deum. Hinc infert, quod qui habens votum castitatis, fornicatur, potest seorsim fornicationem et violationem voti confiteri.

Verum si votum sit sollemne v. g. in presbytero, res non caret difficultate; quia adest sacrilegium, nec satis esset confiteri praeterea se

sacrilegium admisisse, quia sacrilegia non sunt eiusdem speciei. Cf. s. Alph. l. 3. n. 34. *

654. Heic tandem breviter est expedienda quaestio, quam, de iuramento agentes, innuimus, utra scilicet maior sit obligatio, iuramentine an voti? Agit eam s. Thomas q. 89. a. 8. et proprie loquitur de iuramento promissorio. Et quidem, ut ait Lessius lib. 2. c. 42. d. 11., si aliquid iuramento promittas Deo, certum est te magis obligari, quam si solum voveas Deo; intercedit enim tunc duplex obligatio, iuramenti et voti. Si autem promissio iuramento firmata fiat solum homini, quaeritur an talis iuramenti obligatio sit necne maior obligatione voti, quo simile promittas Deo. Affirmat s. Thomas maiorem esse obligationem voti, quam iuramenti. Quia obligatio voti causatur ex fidelitate, qua standum est promissis: obligatio iuramenti causatur ex reverentia, qua tenemur verificare id quod nomine Dei promisimus. Iam vero maior est obligatio ex fidelitate quam ex reverentia, seu maius peccatum est agere contra fidelitatem, quam contra solam reverentiam. Quia omnis infidelitas erga Deum irreverentiam continet; videtur enim infidelitas subiecti ad dominum esse maxime irreverentia: non autem e converso irreverentia per se includit infidelitatem. Idcirco votum ex ratione sui est magis obligatorium, quam iuramentum.

Alii tamen aliter sentiunt (cf. Lessium lib. 2. c. 42. d. 11.). Quia periurium contra praesentem veritatem censetur communiter gravius peccatum, quam fractio voti: ergo et iuramentum promissorium videtur magis obligare ad verificandum promissum, quam votum ad solvendum promissum; tum quia in eo iuramento est duplex obligatio, scil. religionis erga Deum et iustitiae erga proximum: in voto sola est obligatio religionis. Haec sententia Lessio est probabilis.

Quid si iuramento confirmes propositum simpliciter faciendi aliquid in Dei honorem, ut ex religione sola iuramenti te velis obligare? Haberi solet id ut aequivalens voto. *

DUB. V.

Quot modis tollatur obligatio voti.

XLV. Resp. Dupliciter tolli potest. 1. Nullius auctoritate interveniente idque vel materiae mutatione, ut si materia ante honesta fiat turpis, indifferens vel impeditiva maioris boni, ratione novae circumstantiae vel prohibitionis: vel si fiat impossibilis absolute aut moraliter: vel desitione conditionis, a qua pendebat. 2. Interventu auctoritatis humanae idque tripliciter, irritatione, commutatione vel dispensatione: de quibus, sequentibus dubiis. Est communis. Sanch. l. 4. c. 24. Less. l. 2. c. 24. Suar. Fill. t. 26. c. 8.

655. Exempla mutationis materiae secundum A. Si *materia honesta desinat esse honesta aut fiat turpis:* e. g. si post votum religionis,

parentes sint in necessitate: si obstrictus obedientiae voto iubeatur facere quid illicitum: si vovisti ieiunium et hoc graviter dein noceat valetudini: si eleemosyna ex voto promissa deserviat ad ebrietatem aut libidinem alterius: si voves Missas pro conservatione, salute et prosperitate Principis et dein hypocritam et hostem rei christianae detegis.

Si ex *honesta* fiat *inutilis aut indifferens,* e. gr. votum militiae post victoriam, votum Missarum ad sanitatem, si haec recuperata sit, votum subveniendi, si cessat necessitas.

Si sint vota *impeditiva maioris boni:* 1° ratione novae circumstantiae v. gr. si voveris peregrinationem quae impediat, ne deservias infectis peste inopinato saeviente: vel votum argenteae lampadis, quae impediat, ne periclitanti puellae dotem tribuas etc.: 2° ratione prohibitionis v. gr. si post votum religionis Pontifex praecipiat, ut episcopatum suscipias: si post votum peregrinationis Episcopus praecipiat, ut parochiam suscipias, vel ne discedas a parochia.

Si fiat *impossibilis* materia e. gr. votum agni, qui moritur postea: votum peregrinationis et dein aegrotas vel alia occupatione distineris: votum religionis et dein valetudine laboras: votum oblationis et dein in paupertatem laberis etc.

Si *cesset conditio*, a qua pendet votum: exempla obvia.

* Porro 2ª pars Responsi non est nisi argumentum dubiorum sequentium.

Iam vero cessare votum h. e. eius obligationem interveniente huiusmodi mutatione materiae, evidens est. Vel enim non est amplius quod facias, vel eius observatio non esset amplius bona, quod est contra naturam voti et intentionem voventis. Cessante autem per se obligatione voti, nullius auctoritatis actus requiritur, ut quis sit reapse solutus ab ea obligatione. Quia *obligatio extinguitur, si in eum casum incidat, a quo incipere non potest.* l. *Pluribus §. etsi placeat.* Dig. *de Verbor. obligat.* Cf. Laymann *de Voto* c. 8. n. 3.

Quaerere licet cum s. Alph. n. 224. in fine, an cesset obligatio voti, si quis immemor voti praestitit rem promissam: et respondet s. Doctor affirmative ex generali regula, quod quisque censeatur habere voluntatem satisfaciendi prius suis obligationibus: secus, si opus fecerit, intendens expresse non satisfacere; quia tunc voluntas voventis est ut obligatio maneat: est autem in eius potestate id efficere, sicut fuit ut inciperet. Cf. s. Alph. *de Legibus* n. 128. et dicta super *de Legibus* c. 3. Dub. 3.*

Unde resolves.

XLVI. 1. Etsi tua culpa materia facta sit impossibilis, inutilis etc.; tamen, postquam iam talis facta est, cessat obligatio et sufficit poenitere de culpa.

656. Ita qui post votum religionis, duxit uxorem. Ita qui frangit ieiunium cum ex voto deberet Eucharistiam ea die sumere.

Huc spectat axioma, de quo sup. n. 640., vota non obligare ad compensationem. Sufficit proinde, ut habet A., poenitere de culpa. Sic et Suarez l. 4. c. 19. n. 7. « In hac enim materia culpa praecedens non relinquit obligationem faciendi recompensationem, sed tantum poenitentiam et postea non excusat culpa praecedens, sed impotentia praesens ».

*Nihilominus advertendum est, impedimentum illud, quo materia voti fit impossibilis, posse esse vel perpetuum vel temporale. Si perpetuum est, habes doctrinam A.; si temporale est, votum proprie non cessat, sed suspenditur: ut eius obligatio denuo urgeat, cum desierit impedimentum. Perpetuum autem impedimentum dicitur illud, quod durat toto illo tempore, pro quo votum poterat obligare. Vovisti templum te aedificaturum, sed postea in paupertatem incidis, cessat pro eo tempore obligatio voti: si autem ad meliorem fortunam perveneris, voto iterum teneberis, quod etiam in civilibus debitis observari constat ex §. *ult. Instit. de action.* Ita Laymann l. c. cf. et Suarez l. c. n. 5. *

XLVII. 2. Si concurrat obligatio duorum votorum incompossibilium, implendum est id, quod est praestantius et Deo gratius et alterum cessat. Quod si vero sit aequale aut nescias, utrum sit melius, implendum est quod prius vovisti, et ruit posterius: si et hoc nescis, libera est electio. V. Trull. l. 2. c. 2. d. 9.

657. * Vota incompossibilia sunt primum ratione temporis, quorum exemplum ponit Laymann *de Voto* c. 2. n. 4. Vovit Titius se peregrinaturum triduo Rogationum ad montem sanctum: postea iterum, seu memor seu immemor prioris voti, vovit se eodem triduo serviturum aegrotis. Scilicet haec vota incompossibilia sunt; quia eorum impletio, secundum intentionem voventis, eidem tempori affigitur et ea simul impleri nequeunt. Idcirco minus perfectum cessat. Secus si alterutrum non sit certo tempori affixum: sic qui habet vota tum peregrinandi, tum deserviendi aegrotis, erumpente peste, servabit alterum, praeferens opus caritatis, servaturus deinceps, si fieri poterit, prius votum.

Identidem vota sunt incompossibilia, praecisione facta a tempore. Sic vovisti donare casulam ecclesiae s. Petri et calicem ecclesiae s. Andreae, sed pecunia superest solum pro alterutra re. In hac hypothesi doctrina secundae partis resolutionis apud A. clara est. *

XLVIII. 3. Si materia voti fiat impossibilis quoad partem tantum, tunc, si commode talis materia dividi non potest aut non solet, ad nihil teneris: v. gr. vovisti aedificare templum, si totum non potes, non teneris ad partem.

658. Ratio resolutionis clara est: vi enim voti teneris tantum ad totum, quod tamen impossibile evasit.

XLIX. 4. Si vero dividi commode potest et solet, manet obligatio ad illam partem, quam potes: ut v. gr. 1. qui non potest ieiunare tota hebdomada, potest autem aliquot diebus, ad hoc tenetur: 2. qui matrimonium contraxit et consummavit post votum castitatis, tenetur non petere debitum; cum eatenus votum adhuc sit possibile (reddere enim debet). V. Bon. p. 7. §. 2.

659. Si materia sit partim possibilis, partim impossibilis, s. Alph. n. 202. dicit voventem teneri ad partem possibilem, si est divisibilis, v. gr. si coniux voveat castitatem, teneri ad non petendum. Item si possibilis sit pars principalis, impossibilis vero accessoria.

Haec s. Alph. allegans Salmantic. tract. 17. cap. 1. n. 74. Verum non erat omittendum, quod n. 74. praemonent iidem Salmanticenses cum aliis DD.: « In quo certissimum est, quod si de animo voventis constaret, se per modum unius voluisse ad utramque partem obligare et indivisibiliter utramque prae oculis habuit, nullum esset votum. Ratio quia votum est lex particularis, quae non extenditur ultra intentionem voventis, et ideo si vovens collective promisit utramque partem atque unam dependentem ab altera, si una sit impossibilis aut quomodocumque materia inepta voti, totum irritum manet: v. gr. votum aedificandi ecclesiam cum suo adiecto monasterio vel turri campanaria, aut organum cum quolibet possibili genere instrumentorum.

Si vero non huc ferebatur animus voventis, tunc valebit doctrina a s. Alph. memorata.

Exempla ex Salmantic. tract. 17. cap. 1. nn. 75. 76. 1° Si vovit castitatem et nupsit, tenetur ad quod potest, scil. non petendum (nisi tamen grave id accidat alteri coniugi). Praestaret certe tunc dispensationem petere tum ad vitanda pericula aliorum peccatorum, tum ne grave sit alteri coniugi. Adverte hoc votum posse suspendi ab alio coniuge, ut videbimus. 2° Vovisti virginitatem et corrupta deinde es; teneris ad continentiam (s. Thom. 2. 2. q. 88. art. 3. ad 2.). Intellige, si statum hunc vovisses; non si mere illam perfectionem. 3° Vovisti mille in eleemosynam et non potes nisi 200., haec dare teneris. Intellige, nisi scopus fuisset talis, qui solum per 1000. obtineatur, v. gr. dotatio monialis. 4° Vovisti ieiunium quotidianum et non potes nisi bis in hebdomada, ad hoc teneris. 5° Vovisti ire Ierusalem pedestri itinere et hoc non potes, teneris ire alio modo. 6° Vovisti peregrinationem induto sacco et non potes cum sacco, non liberaris ab obligatione. 7° Vovisti

ieiunium in pane et aqua; si hoc modo non potes, teneris modo communi. 8° Vovisti peregrinationem ad Sanctuarium nudis pedibus; si hoc modo non potes, teneris alio.

Secus, si res vota sit individua. Nam 1° si vovisti peregrinationem Romae; si non potes agere nisi dimidium viae, non teneris. 2° Vovisti erigere turrim campanariam; si non potes nisi fundamenta perficere, non teneris. 3° Vovisti aedificationem altaris; si potes solum candelabra, non teneris.

Huc facit si accessorii impossibilitas reddat nimis difficilem exsecutionem principalis. V. gr. vovisti peregrinationem equitando; si equus moriatur, grave foret, pedestri itinere eam perficere.

L. 5. Quod si votum dividi quidem possit, sed unum in eo sit principale, reliqua vero accessoria tantum, non per se seorsim intenta, sed dependenter a priori, tanquam illius appendices et modi; tunc, si principale fiat impossibile, ruit etiam obligatio accessorii, non autem contra: ut v. g. vovisti peregrinationem Romam in cilicio et ibi certi aliquid offerre; si peregrinatio impossibilis fiat, non teneris cilicium ferre et oblationem mittere. V. Sanch. l. 4. c. 10. Bon. d. 4. c. 2. p. 4. §. 4 Trull. l. 2. c. 1. d. 10.

660. Pariter s. Alph. n. 223. advertit quoad votum poenale, cum duplex est, si relaxatur prius ex. gr. non ludendi, relaxatur etiam secundum, quod est de poena; quia hoc est accessorium prioris.

Notetur heic tandem universalis doctrina, quam tradit n. 226. s. Alph. quoad materiae mutationem seu supervenientem notabilem circumstantiam, qua praevisa quis votum non emisisset. « Est communis sententia, inquit, quod in omni promissione, prout est etiam votum, mutatio materiae de se notabilis obligationem aufert. Ratio, quia per mutationem res fit diversa, ac promissa. Atque allegat auctoritatem s. Thomae in 4. d. 38. q. 1. a. 3. ad 1um docentis: *Id liberare a voti vel iuramenti obligatione, quod, si a principio notum fuisset, ea fieri impedivisset* ». Et infra: « Ratio generalis est, quia, superveniente circumstantia non praevisa, qua votum onerosius redditur, materia voti fit diversa quam promissa ». Exinde concludit ceu probabilius, quod si quis voverit, se ieiunaturum singulis feriis sextis, non teneatur ad ieiunium, si in 6. feriam incidat Nativitas Domini; quia scil. si praevidisset, non vovisset pro ea die.

Et multae aliae solutiones addi similiter possunt. Ita v. gr. si quis vovit aut donarium argenteum, aut candelas, aut eleemosynam, aut expensam aliam quamlibet, quia putabat sibi eam summam, reliquis detractis, superfuturam et dein vel ob morbum aut deficiens lucrum aut furtum summa illa deficiat.

Ita alius vovit se aedificaturum ecclesiam, aut capellam, quia putabat se sine liberis moriturum et dein nascitur filius etc.

Dub. VI.

De voti irritatione.

661. Bene Suarez *de Vot.* lib. 6. Prologo monet, « non fuisse conveniens, obligationem voti ita esse perpetuam, ut semel inhaerens removeri non posset. Nam considerata mutabili conditione humanae naturae, esset valde dura et perniciosa talis conditio. Pertinuit ergo ad convenientem gubernationem et quasi necessariam providentiam erga homines, ut aliqua via et modo haec obligatio auferri posset, si expediret » : prout etiam expediens fuit, ut adesset potestas, qua solvi possent humani contractus, v. gr. sponsalia. Vid. quae diximus in Tract. *de Legibus,* ubi de dispensatione.

Et haec est materia, quam A. innuebat in 2ª parte Responsionis Dubii praec., tolli scilicet obligationem voti interventu auctoritatis humanae, idque tripliciter, *irritatione*, *commutatione* vel *dispensatione*.

662. Quid differant irritatio et dispensatio voti, melius ex dicendis patebit. Brevi dici potest, quod conveniunt in effectu auferendi votum, in quo differunt a commutatione, quae non pure tollit obligationem sed unam in aliam transfert. Differt vero irritatio a dispensatione (et pari modo fere a commutatione), 1° in habitudine ad votum, quia *dispensatio* cadit in votum, prout hoc pendet ex acceptatione Dei; est enim quaedam remissio seu condonatio nomine Dei facta erga eum, qui per promissionem a Deo acceptatam factus fuerat debitor erga ipsum Deum : *irritatio* vero respicit ipsum votum, prout aliunde quodammodo conditionatum vel ex parte voluntatis ipsius voventis, quae alteri voluntati superiori subiicitur, vel ex parte materiae, quae ex alterius potestate pendet aliqua ratione. 2° Differunt etiam in potestate a qua manant; nam *dispensatio* semper pendet a potestate speciali a Deo concessa, qua quis bona Dei ut ita dicam dispensat seu administrat; *irritatio* vero non pendet semper a potestate speciali a Deo concessa, sed etiam potestate, quae exurgit ex personarum vel rerum conditione, v. gr. ex potestate mariti in uxorem vel in res domesticas, et si quando provenit ab illa potestate, non ab ea pendet uti est condonans debitum, sed prout est praecipiens seu prohibens, seu uti habet quandam in alios dominationem. 3° Dispensatio semper requirit iustam causam : non item irritatio. 4° Denique irritatio fieri potest invito vovente, minime autem dispensatio; quia est beneficium, quod non fit invito et fit in levamen dispensati et ideo non debet fieri in eius gravamen; maxime quia si dispensatus non acceptat dis-

pensationem, eo ipso quasi confirmat votum ipsumque iterum emittit. Differt dispensatio a voto a dispensatione a lege; quia quoad legem vis ligandi est in superiore, et obligationem, sublatam semel a superiore, subditus non potest eam sibi imponere: at non ita est de obligatione voti. Quare si Praelatus velit subditi votum auferre etiam ipso invito, necesse est, ut irritatione utatur, prohibendo materiam vel resistendo obligationi voti et quasi auferendo conditionem (scil. honestatis), sine qua validum esse non potest. Suarez lib. 6. cap. 1. n. 13.

De irritatione, quid sit.

663. Votum dicitur irritabile, quando in suo valore et obligatione et quodammodo in suo fieri et conservari pendet a voluntate alicuius tertiae personae extra promittentem et promissarium. Unde tale votum semper est conditionatum expresse vel tacite, non quidem conditione, quam libere adnectat promittens, aut quae pendeat a voluntate promissarii, Dei scilicet aut etiam tertii, in cuius favorem votum cedat, sed quatenus conditionem involvit positivi consensus aut saltem non repugnantiae ex parte illius, a quo vovens pendet et ideo ab isto a quo pendet, est irritabile. *Irritatio* itaque *dicit actum liberum voluntatis quo is, a quo votum dependet, facit ut non sit seu non obliget.* Suar. lib. 6. cap. 1. n. 3.

Duplex irritationis ratio.

664. Dependentia voti ab alterius voluntate multiplex esse potest: sed ad duo capita reducitur, nempe 1° ex parte personae seu voluntatis ipsius voventis: 2° ex parte materiae voti ipsius.

Priori modo pendet votum ab alterius voluntate, quando *voluntas voventis* ita est subordinata voluntati alterius, ut in sua obligatione includat conditionem « *si alter consenserit aut non repugnaverit* »: ita filius impubes pendet a patre et religiosus a suo Praelato.

Posteriori modo pendet votum ab alterius voluntate, quando ab ista pendet materia voti in aliqua conditione necessaria ad voti valorem, ut v. gr. in *honestate*, quia potest ab alio prohiberi vel non prohiberi, aut in *possibilitate*, si materia voti est sub alterius potestate. Suar. lib. 6. cap. 1. n. 3.

Hinc duplex modus irritandi votum: alter ex parte actus vovendi seu voluntatis voventis, revocando et quasi dissolvendo ipsum actum, et hic modus est et dicitur *directus* et *proprius*; quia immediate cadit in votum ipsum et habet propriam et specialem rationem auferendi illud. Alter ex parte materiae, quasi subtrahendo et mutando illam, et dici

solet *indirectus* et *communis;* quia non cadit immediate in votum ipsum, sed fit per subtractionem materiae: unde similis est illi ablationi vel cessationi voti, quae contingit ex materiae mutatione (Suar. l. c. n. 4.), qua scil. fit vel inhonesta, vel impossibilis.

Differentia inter duos irritationis modos.

665. Prima valde notabilis differentia est, quod *directa* ex parte obligationis est *irritatio simpliciter et quasi totalis destructio voti: indirecta* vero ex parte materiae potest dici irritatio *secundum quid,* quantum ex se est.

Secunda est, quod votum, *directe* irritatum, nunquam amplius reviviscat; quia per irritationem obligatio exstincta fuit: hinc si impubes faciat votum religionis et a patre irritetur, factus pubes non obligatur tali voto. *Indirecte* vero irritatum, prohibitione ablata vel illa cessante, votum incipit obligare, nisi per accidens votum factum fuerit pro illo solum tempore, pro quo materia eius prohibetur. Nam si obliget solum pro certo tempore et pro illo negetur licentia vel prohibeatur materia, per accidens exstinguitur votum: at si votum sit indefinite factum, vel sit perpetuum, non exstinguitur, sed solum impeditur ad tempus eius exsequutio atque ita mutato statu poterit obligare. Hinc si v. gr. servus faciat votum religionis et a domino exsecutio prohibeatur, hic dicitur irritare votum, nec tamen illud aufert; nam si dominus moriatur, vel servus alia via fiat liber, voto obligabitur; quod si nunquam fiat liber, nunquam obligabitur, non quia votum fuerit exstinctum, sed quia semper fuit impeditum. Suar. ibid. nn. 4. 5.

Tertia differentia exsurgit a potestate, a qua irritatio profluere potest; sed de hac melius ad singulos articulos, in quibus seiunctim de duobus irritationis modis agitur.

Art. I.

An et quomodo tollatur obligatio voti per directam irritationem.

LI. Respond. Cum non debeat violari cuiusquam dominium ac quilibet dominus possit uti sua libertate, hinc si potestati dominativae alterius sit subiecta alicuius voluntas, potest is subditi istius omnia vota, qualiacunque sint, ad suum libitum sine ulla causa valide irritare directe, hoc est, potest velle et pronuntiare, ut illa vota nulla sint, ita ut nullo etiam casu obligatio postea reviviscat (etsi peccent, si absque causa irritent, ut docent Less. l. 2. c. 40. n. 75. Navar. Suar. Fill.). Porro hoc ius provenit ex iure positivo, quo datur alicui legitima potestas dominativa in voluntatem alterius. Ita communiter DD. V. Sanch. l. 4. c. 24. n. 30. et 31.

666. Ratio, cur ille qui habet potestatem dominativam in voluntatem alterius, possit directe vota irritare, manifesta penes Auctorem

est. Scilicet ille, cuius *voluntas* est in dominio alterius voluntatis, nullam potest sibi obligationem imponere, quae vim habeat si obstet ille, sub cuius dominio est ea voluntas: id ipsa ratio dominativae potestatis exigit. Utique sermo non est de proprie dicto dominio; huius enim homo capax non est in alterius voluntatem: sed intelligitur ea potestas, quae alterius voluntatem ita sibi subiicit ut valor huius actuum ab illius consensu dependeat, ita ut saltem valor subsistere nequeat, ea potestate contradicente (a).

Cur vero vota non reviviscant irritata, ratio est; quia huiusmodi *directa* irritatio non est impedimentum positum exsecutioni voluntatis actus, qui alioquin ex parte sua validus manere possit; sed est subtractio cuiuslibet valoris ab ipso actu, ac veluti eius exstinctio et annullatio.

An vero peccet irritans sine causa, respondet optime s. Alph. n. 228.: « Certum est, PRO VALORE irritationis nullam requiri causam. ». Deinde idem ibid addit. « Commune est, quod *non sit mortale* ». Suarez limitat lib. 6. cap. 1. n. 10.: « Nisi vel prava intentio, vel grave nocumentum subditi ex notabili praelati negligentia intercedat, quod raro eveniet, seclusa directa malitia ». Quae referuntur ad praelatum Religiosorum. Idem dicendum de patre, qui id faceret ex odio seu invidia profectus spiritualis suorum filiorum aut ex contemptu religionis.

Pergit s. Alph. ibid.: « Dubium est an sit veniale... Sed *de se loquendo* verius est nullum esse peccatum, quia vota subditorum sub conditione consensus superiorum emittuntur; unde obedientia pro causa sufficit... Dixi *de se loquendo,* quia difficulter aliunde poterit excusari a veniali, vel quia facit actum otiosum, vel quia irrationabiliter profectum alterius impedit... Sufficit vero quaevis causa rationalis ad excusandum a veniali ».

Clarius cum Suarez lib. 6. *de Voto,* cap. 1. n. 10. nota 1° sermonem esse non posse de peccato contra religionem voti, quod sit quasi iniuriosum Deo; votum enim cessat ideoque non esse peccatum in irritatione, quale invenitur in dispensatione voti sine causa. Ratio, quia illud votum est conditionatum et positum in arbitrio irritantis. 2° Considerandum, an irritandi potestas data sit in bonum voventis, uti praelato

---

(a) Id vero dignitati humanae voluntatis non repugnat; cum et sociali auctoritate contingat, actus liberos irritari ita ut nullum ius, nullam obligationem gignant. Et sicut ab ipsa natura confertur auctoritati sociali potestas aliquos actus irritandi, hinc nil mirum, quod ab ipsa natura, inchoate saltem, haec potestas vota irritandi quibusdam tribuatur. Cf. n. 667. Sed et potestas legislativa, quae hac potitur potestate irritandi actus, non est cur non possit eandem aliis erga privatas personas communicare. E.

Religioso, an in commodum irritantis ut domino respectu servi, an intuitu utriusque, ut patri respectu filii. Si primum, ut licite irritatio fiat, opus est, ut haec censeatur utilis aut voventi aut Religioni, aut quod pensatis omnibus censeatur maius Dei obsequium... Si secundum, nullum erit peccatum id facere intuitu proprii commodi; quia dominus utitur re sua... et solum oportet, ut adsit finis honestus et insuper ne fiat contra caritatem, quae etiam servo debetur. Si tertium, idem dicito ac in secundo; nisi quod maiori obligatione pater tenetur consulere bono filiorum, aut vir uxoris, ut bene sua potestate utatur.

667. Ius irritandi vota Auctor dicit provenire ex iure positivo: s. Alph. autem heic n. 227. addit provenire etiam ex iure naturae.

Utrumque quoad filiosfamiliae bene conciliatur dicendo cum Suarez *de Voto,* lib. 6. cap. 6. n. 2. hoc ius fundari in ratione naturali; addi autem legem positivam quoad temporis determinationem. Ratio ergo est, inquit Suarez, quia filius iure naturae ita est sub potestate patris, ut ante usum rationis voluntate patris regi debeat, ita ut voluntas patris filii voluntas censeatur. Postquam autem incipit filius uti ratione, licet iam possit libere operari, habet pro aliquo tempore usum rationis nimis imbecillem ac tenuem et ideo ratio naturalis dictat, ut pro aliquo tempore pendeat a voluntate patris, saltem quoad firmitatem obligationis, ita ut non sit omnino firma, donec pater illam approbet et maxime in negotio gravissimo, quale est obligationis in Deum, quae per votum contrahitur.

Et quanquam ex generali regula, spectato iure naturali, sufficienter iam constaret de libertate sufficienti ad obligationem erga Deum, quoties constet de sufficienti libertate ad graviter peccandum; tamen quia, regulariter loquendo, illa aetas non est sufficiens ad deliberandum perfecte in negotio tam gravi et quia vinculum voti, quatenus in futurum obligat, arduum et periculosum est et in eo emittendo, quando et quomodo expedit, potest parvulus facile errare; ideo valde consentaneum est rationi naturali, ut pro aliquo tempore voluntas parvuli filii, etiam post comparatum usum rationis, pendeat a voluntate patris et ab eo tolli possit vel confirmari. Suar. ibid. n. 3.

Necessaria vero fuit lex positiva, quae definiret, quousque ob eam filii imperfectionem duraret haec paterna potestas; cum enim alii celerius, alii tardius ratione utantur, nec ius naturae id definiat nec debuerit id relinqui arbitrio parentum; debuit hoc certo aliquo aetatis termino definiri. Ideo lex humana, observans quod frequentius accidit, pro masculis designavit an. 14^{m} expletum, pro feminis vero 12^{m}, prout factum etiam videmus ad firmum habendum sponsalium contractum.

Textus autem iuris, unde haec norma desumitur, habes apud Suarez *de Vot.* lib. 3. cap. 3. n. 3.

Quod attinet ad vota coniugum, pendet ex facto quopiam humanae voluntatis liberae, quod in eo statu versentur. Sed semel ac in eo statu fuerint, lex naturae postulat eam voluntatis subordinationem, ut alter in alterius voluntatem eiusmodi potestatem habeat.

668. Quod vero attinet ad Religiosorum vota, si inquiras, quomodo potestas ea irritandi sit de iure naturali, cum status ipse religiosus sit de iure ecclesiastico, respondent DD., saepe contingere, ut supposita institutione aliqua ecclesiastica, sequatur obligatio aliqua ex iure naturali: sicut licet consecratio calicis sit de iure positivo, nihilominus debetur illi reverentia ex iure naturali et vendere illum ut consecratum est simonia contra ius naturale. Id explicat Suarez *de Voto* lib. 6. cap. 7. n. 5. advertens, per voluntariam professionem ac promissionem obedientiae ita subdi religiosum suo praelato, ut respectu dominii suorum bonorum et sui ipsius sit tanquam servus: respectu vero suarum actionum et dispositionis suae voluntatis sit tanquam pupillus sub tutore, ita ut (prout dicitur in cap. *Si religiosus* 27. *de Election.* in 6°) *eius arbitrium non ex sua, cum velle et nolle non habeat, sed ex illius, quem vice Dei supra caput suum posuit et cuius imperio se subiecit, voluntate dependeat.* Quo spectat et illud (in can. *Non dicatis* 11. q. 1. caus. 12.): « Cum huius nostrae Congregationis fratres non solum facultatibus, *sed voluntatibus propriis* in ipsa ordinationis (a) susceptione renuntiaverint et se per promissam obedientiam penitus aliorum potestati et imperiis in Christo et pro Christo subdiderint etc. ».

Usus praeterea et consuetudo omnium Religionum ita interpretata est hanc subordinationem Religiosi ad suum praelatum, ut sine ordine ad consensum illius nullam firmam obligationem facere possit. Quod maxime fuit in votis necessarium, tum quia maxime subordinatur subiectio religiosi ad directionem eorum, quae ad salutem spiritualem conferre vel obstare possunt, inter quae maxime computantur votorum obligatio et observatio; tum etiam quia non possent religiosi convenienter in spiritualibus gubernari, nisi hoc modo voluntas inferioris esset praelato subiecta. Ita Suar. l. c. (b).

(a) Sermo est de clericis vitam communem agentibus illudque decernitur, ut nihil proprii in bonis habere possint. E.

(b) Si praecisio fiat a iure positivo, non apparet sane vera demonstratio huius potestatis factae patri, viro, praelato irritandi directe vota: imo quod spectat ad virum, non pauci eam prorsus negant, rationibus certe non contemnendis. Cf. Lessium l. 2. c. 40. dubit. 15. et Schmalzgr. l. 3. t. 34. n. 90. seq. Verum et ius positivum talem potestatem conferens difficile est invenire; videtur enim esse solum declarans. Quocirca cum ius positivum canonicum hanc potestatem recognoscat, non videatur tamen eam voluisse statuere, illud solum tenendum erit quod certa ratione vere demonstratur. E.

Unde resolves.

LII. 1. Quivis pater et in eius defectu avus paternus, tutor, imo etiam mater, non tantum si tutrix sit, sed etiam in priorum defectu et secundum quosdam, reliquis deficientibus, etiam magister vel herus, ut Suar. Less. d. 10. n. 78. contra Sanchez, potest directe irritare vota liberorum impuberum, ut colligitur ex cap. 14. *Mulier*. 32. q. 2. (a) et *Si quis, Re Regular*. Impubertas autem secundum iura finitur in masculis anno decimo quarto completo, in feminis duodecimo completo, a die nativitatis computando, ut Sanch. l. c. Laym. t. 4. c. 7. n. 10. Bon. disp. 4. q. 2. p. 6. §. 2.

669. Ex s. Alph. lib. 3. n. 229. nota 1° Facultatem irritandi extendi ad omnia vota tum realia, tum personalia, etiam alioquin Pontifici reservata, uti vota perpetuae et omnimodae castitatis ac Religionis etc. et licet reale sit de bonis castrensibus aut quasi castrensibus. Ergo votum s. Gertrudis poterat a patre irritari.

2° Facultatem hanc extendi etiam ad filios illegitimos. Addit s. Alph. n. 232. probabile esse, id valere de patre (idem dic de aliis personis) qui talis sit solum per *errorem communem*, seu mere putatitius. Monet tamen Sanchez *Mor.* lib. 4. cap. 32. n. 16. cum aliis apud Salmantic. *de Vot.* cap. 3. n. 71., irritationem non tenere, si postea detegatur error. Et (nos subdemus) tunc potestas fiet vel matri vel aliis etc.

3° Si plures sint tutores, quemlibet eorum eadem facultate pollere. Suar. lib. 6. c. 6. n. 22.

670. Ad matrem quod spectat, Auctor docet, matrem id posse 1° si tutrix sit, 2° in aliorum defectu, etiamsi non sit tutrix: quod et probabile dicit s. Alph. n. 230.

Sed s. Alph. ibid. addit, probabile esse matrem hoc posse, etiam praesente patre vel tutore, etsi cum subordinatione ad patrem, ita ut non possit irritare, patre contradicente. Ratio, quia talis potestas, licet non civiliter, at naturaliter est in matre. Et huc afferunt verba s. Thomae, opusc. 17. *Contra Retrahentes ab ingressu Religionis*, cap. 13. ad. 10., ubi dicit: PARENTES posse huiusmodi vota impuberum retractare.

Notat s. Alph. n. 231. probabilius habenda ut valida vota impuberum et aliorum subditorum donec irritentur. Et hoc contra aientes, nullam esse iis vim nec indigere relaxatione, si sine consensu positivo superiorum sint emissa: quae sententia a quibusdam defenditur et ab nonnullis aliis censetur probabilis.

(a) Canon iste est lex positiva Dei in V. T. ex Num. XXX. 4. 6., quae desiit, sed ab Ecclesia recepta est. E.

Suarez *de Vot.* lib. 3. cap. 5. egregie confutat hanc opinionem, quae reipsa non innititur, nisi 1° s. Thomae verbis male intellectis. Nam s. Doctor 2. 2. q. 88. art. 8. et 9. solum dicit, vota impuberum et Religiosorum *non esse firma,* quod solum significat, ea *posse irritari* et isti (Valent. in 2. 2. disp. 6. q. 6. punct. 6.) perperam intelligunt, quod *non obligent* ante *positivum* consensum superioris. 2° Nituntur axiomati; quod Religiosus non habeat *velle aut nolle proprium.* Atqui reponit Suarez l. c. n. 7.: hoc « non est ita intelligendum, ut nihil possit licite et valide velle, nisi quod illi positive ordinatur aut conceditur; quia nec Religiosus hoc voluit, nec est conveniens, imo nec humano modo possibile. Debet ergo ita intelligi, ut nihil possit licite velle contra voluntatem praelati, neque sibi ita proponere aliquid agendum, ut non sit paratus ad omittendum illud, si superior velit ». Et omittemus inane argumentum ductum ex quodam *putatitio* canone, de quo Suarez ibid. n. 6., qui reipsa non est canon Decreti Gratiani, sed sunt verba per errorem a Navarro allegata quasi esset Canon. Heic adverte, ex quinque DD. qui a s. Alph. allegantur pro hac sententia, quatuor loqui *solum* de Religiosis (vid. Suar. l. c. n. 4.) ob sophisma 2° loco heic relatum, non vero de filiisfamiliae aut uxoribus; sed Salmanticenses tract. 47. cap. 1. n. 182. has allegationes ita subiecerunt, quasi referantur *ad omnes subditos.* Auctores a s. Alphonso post Salmanticenses allegati sunt *Valerus, Angelus, Marcantius, Riccius, Rosella,* et probabilem vocant *Leander, Torres,* apud Salmanticenses cap. 1. n. 92.; alii duo, qui de solis Religiosis agunt, sunt *Richardus,* et *Paludanus.*

671. Quod A. dicit de magistro et hero, intellige, si desint alii. Ita de hac re Suarez *de Vot.* lib. 6. cap. 6. n. 23.: « Inquiri potest, an si parvulus sit servus v. gr. et orbatus parentibus, possitne dominus vota illius irritare non solum indirecte et ex parte materiae, titulo servitutis, sed etiam directe ratione impubertatis et quasi titulo tutoris? Idem quaeri potest et de quovis parvulo, qui parentibus caret et tutorem non accepit, an illi, sub quorum cura esse contingit, habeant in hoc vicem patris et tutoris? Aliqui affirmant et est consonum pietati et rationi. Et de domino respectu servi videtur certius, quia ratione dominii ad illum spectat cura servi. In aliis vero, qui non succedunt quasi suo iure in huiusmodi cura, sed voluntarie et ex quadam miseratione illam suscipiunt, res est magis incerta. Potest vero fundari in praesumpta voluntate parentis. Ad maiorem autem securitatem consulendum videtur, ut ad utendum tali potestate proprium munus tutoris ab eo, qui legitima potestate illud conferre potest, suscipiant». Sed hoc est *consilium.*

LIII. 2. Vota religiosorum (non tamen novitiorum) etiam sub praedecessoribus emissa irritare possunt directe, praeter Papam, Abbates, Guardiani, Priores et Rectores ac probabiliter etiam Abbatissae, ut habet Suarez l. 7. *de Voto* c. 7. n. 19. Regin. l. 81. n. 342. Fill. q. 9. Bon. l. c. n. 76. Excipitur tamen votum transeundi ad religionem strictiorem. V. Binsfeld. 8. p. Ench. c. 9. Less. n. 73. Sanch. c. 24. n. 3. Bon. l. 5.

672. Intellige omnia, licet nullam mutationem res subeat et licet votum sit de materia, quae nullum praeiudicium facit et quae prohiberi non potest; atque adeo licet vota in illa religione impleri possent et alioquin deberent, v. gr. de operibus supererogatoriis regulae consentaneis. Suar. *de Vot.* lib. 6. cap. 2. nn. 3. 7. 8., vel de actibus mere internis, v. gr. tot actibus Dei amoris quotidie etc.

Non tamen vota constituentia statum, sive simplicia sint sive sollemnia, aut vota, quae in aliquibus Religionibus sunt adnexa tribus substantialibus. Nam nulla lex aut res praebet facultatem ad sui destructionem nec professio religiosa, e qua surgit capacitas irritationis, ipsa potest esse materia irritationis. Salmantic. *de Vot.* cap. 3. n. 38.

Non tamen possunt directe irritare vota novitiorum. Cum enim tota potestas irritandi fundetur in pacto et voto professionis, omnes et soli professi sunt capaces huius irritationis. Suar. l. c. n. 10. Atqui in novitiis deest ista subiectio ex sui traditione et obligatione obedientiae, in qua fundatur haec directa irritatio. Ergo, Suar. ib. n. 11.

Addit s. Alph. n. 233. novitiorum vota suspendi. Qua de re Suarez lib. 6. *de Vot.* cap. 11. n. 8. docet: « Praelatum habere potestatem in novitium ad suspendendam exsecutionem omnium votorum, quae vel opera Religionis impediunt, vel ea nimis aggravant; quia tunc novitius commissus est regimini praelati, ut eum gubernare possit, prout oportuerit, ad finem probandi eum et ut ipse probare possit religionem; habet ergo omnem iurisdictionem in hunc finem necessariam. Ergo debet habere potestatem moderandi alia opera vel onera, quae vel impedire possunt exercitia Religionis vel onerosa ea reddere; ne scil. hac occasione vel difficilior reddatur Religio et perseverantia in illa, vel omittenda sint exercitia Religionis propter peculiaria onera votorum. Quae ratio locum habet sive talia vota facta sint ante assumptum Religionis habitum, sive post. Itaque sive hoc fiat per modum *indirectae irritationis* (de qua in art. seq.) prohibendo materiam voti, sive per modum *commutationis*, sive per modum *interpretationis*, declarando pro eo tempore et in eo statu non esse *melius* et *Deo gratius* exsequi talia vota, sive per modum iustae dispensationis; *certum videtur*, hoc genus suspensionis esse licitum et in potestate praelati Religionis ». Ita Suar.

Nota. Cum dicitur *omnes professos* esse capaces irritationis, intellige,

si habeant Praelatum Superiorem. Hinc v. gr. vota Episcopi Regularis non poterunt irritari a praelatis propriae Religionis, quia illis non subiicitur, sed solum a Rom. Pontifice. Suar. ibid. n. 10.

673. Papa itaque potest *directe* irritare omnia vota omnium religiosorum *tanquam supremus Praelatus cuiuscumque Religionis*, non autem ex communi titulo supremae iurisdictionis in Ecclesiam; neque enim omnes fideles, sed soli religiosi ex vi professionis religiosae (quam ipse Pontifex principaliter acceptat, alii vero in virtute concessionis et approbationis ipsius) hoc pacto illi subduntur. Suar. lib. 6. *de Vot.* cap. 7. n. 18. (a).

Disputant DD., an *Legato a Latere* fiat haec potestas. Et certe potest eam Summus Pontifex delegare. At quod ei insit vi officii, non constat, nec praxis hoc videtur habere. Vid. Salm. *de Vot.* cap. 3. n. 39. Hoc certum est, non habere hanc facultatem Cardinales Protectores; neque enim proprie et stricte sunt praelati Religiosorum. Salm. ibid.

Idem erat olim cum proportione de Episcopis, quando Religiosi erant illis immediate subiecti et in eorum manibus profitebantur et fere ipsis commissa erat approbatio Religionum pro suis dioecesibus. Nunc vero non habent Episcopi hanc potestatem in Religiosos exemptos; quia nec sunt sub eorum iurisdictione, nec illis specialem obedientiam vovent. Habent tamen illam *in moniales sibi subiectas* et in alios, si qui sint, qui in manibus eorum profiteantur et sub eorum obedientia immediate versentur. Eiusmodi sunt quaedam Congregationes etiam nostra aetate in Galliis.

Quoad Superiores religiosos generalis formula est: Quilibet Ordinarius praelatus a proximo usque ad supremum habet hanc potestatem. Tales sunt Abbates, Priores, Guardiani, Rectores et huiusmodi. qui in unoquoque Conventu, Collegio etc. praelati sunt. Praelati deinde Superiores, qui universaliorem habent potestatem, ut Generales ac Provinciales et si qui sunt intermedii. Nam hi omnes sunt Ordinarii pastores et universaliorem habent potestatem, quae principaliter in Generali residet (*exsecutivam* intellige) et deinde aliis proportionaliter communicatur.

Non habent tamen hanc potestatem ordinariam vicarii vel ministri aliique, quos praelati habent sub se ut coadiutores regiminis. Hi enim potestatem ordinariam aut iurisdictionem non habent, nisi delegatam accipiant vel quando in absentia praelati vicem illius gerunt cum tota iurisdictione iuxta cuiusque religionis consuetudinem.

(a) Cf. sis quae dicimus in tr. IX. c. 1. sub. §. XXXIII. E.

674. De Abbatissis quoque quaestio fit. Suarez lib. 6. cap. 7. n. 10.: Probabilius est: hanc potestatem habere etiam Abbatissas; quia etiam illis subditae vovent obedientiam et ab illis ita pendent, ut sine earum consensu firmiter obligari non possint: nec ad hanc potestatem est necessaria iurisdictio, sed sufficit obligatio professionis. Et si mater tutrix potest irritare vota filiarum impuberum, cur non poterit Abbatissa, licet femina sit, cum ratio obedientiae religiosae ad hoc sufficiat?

Habetur tamen quaedam exceptio. Votum scilicet transeundi ad strictiorem religionem omnes DD. excipiunt, et negant posse irritari a praelato Religioso.

De hac re ita Innoc. III. in cap. *Licet* 18. *de Regularibus.*: « Licet quibusdam monachis et canonicis... a Sede Apostolica sit indultum, ne postquam aliquis professus fuerit apud eos, ad alium locum possit, ipsis invitis, arctioris etiam religionis obtentu, transire...: quia tamen ubi Spiritus Dei est, ibi libertas..., ea ratione videtur hoc illis fuisse concessum, ne quis ex temeritate vel levitate in iacturam vel iniuriam sui Ordinis sub praetextu maioris religionis ad alium Ordinem transvolaret, sicut frequenter a multis constat esse praesumptum: non quidem ut ei transeundi licentia denegetur, qui eam cum humilitate ac puritate duxerit postulandam et non ficte sed vere ad frugem melioris vitae valeat transmigrare. Talis ergo postquam a praelato suo transeundi licentiam postulaverit, ex lege privata (quae publicae legi praeiudicat) absolutus, libere potest sanctioris vitae propositum adimplere, non obstante proterva indiscreti contradictione praelati; quia privilegium meretur amittere, qui concessa sibi facultate abutitur etc. ».

Ratio ex Suarez lib. 6. *de Vot.* cap. 7. n. 9. est, quia professio religiosa... semper includit conditionem, ut liceat ad meliora vota transire ac propterea illa materia reservata seu excepta etiam est, ut de illa possit Religiosus absolute vovere et sine dependentia a praelato, et inde est, ut ab eo irritari non possit.

Addit s. Alph. n. 233.: neque Papam posse hoc votum irritare. Et ratio est Salmantic. *de Voto* cap. 3. n. 38., quia ipsi competit potestas irritativa solum quatenus est supremus praelatus huius Religionis. Atqui ut praelatus huius Religionis non est supra ius commune tollens a praelatis facultatem haec vota irritandi.* Quae ratio est nimis debilis. Nam ita Papa supremus praelatus Religionis cuiusque censendus est, ut non sit intra Religionem sed extra et supra ipsam: non est ergo, cur Papa iure communi Religiosorum teneatur. Sed cf. de hac re quae dicemus tr. IX. c. 1. sub §. XXXIII. et XLIII. *

LIV. 3. Idem potest, secundum Sanchez l. 9. *de Matrim.* d. 39., maritus respectu votorum uxoris: licet probabilius id alii limitent ad ea vota, quae mariti iuri praeiudicant. Laym. hîc c. 7. Fill. tr. 26. c. 8. q. 8. Less. c. 40. d. 15.

675. Auctor dicit, probabilius facultatem mariti restringi ad vota quae praeiudicant eius iuribus.

E contrario s. Alph. n. 234.: « Probabilior, saltem extrinsece, videtur contraria sententia, quod vir possit *directe* omnia vota uxoris irritare, licet non praeiudicent usui matrimonii vel prolis educationi vel gubernationi domesticae ». Et huc faciunt verba s. Thomae 2. 2. q. 38. art. 8. ad 3., qui uxorem comparat hac in re cum subdito praelati: « Ad 3. dicendum, quod religiosus subditus est praelato, quantum ad suas operationes secundum professionem regulae. Et ideo, etiamsi ad horam aliquid facere possit, quando ad alia non occupatur a praelato, quia tamen nullum tempus est exceptum, in quo praelatus non possit eum circa aliquid occupare, nullum votum Religiosi est firmum, nisi de consensu praelati, sicut nec votum puellae exsistentis in domo, nisi sit de consensu patris, nec uxoris nisi sit de consensu viri ».

Rationem addit s. Alph. l. c., quia expedit valde ad pacem familiae ad mutuum amorem fovendum, quod uxor voluntatem totaliter a viro dependentem habeat et sic impetus feminarum retundantur. Quod intellige de votis emissis *tempore subiectionis;* nam *directe* emissa antea irritare nemo potest.

Et hanc sententiam probabilem habent etiam patroni oppositae: licet nimirum exaggerent Salmanticenses *de Vot.* cap. 3. n. 58., dum dicunt ab his censeri hanc probabilissimam; nam sic non tenuissent oppositam, nisi voluissent praeferre opinionem vix tenuiter *probabilem,* quam tenerent, *probabilissimae* (a).

676. Quoad uxorem vero respectu mariti, s. Alph. lib. 3. n. 235.: « Uxor nequit irritare vota viri, nisi sibi praeiudicent, ut votum longae peregrinationis, magnae abstinentiae, vestiendi habitum eremitae et similia et etiam votum non petendi debitum, ut *probabilius* tenent Sporer, Laymann etc. Talia vota docent DD. communiter, esse irritanda; at potius videntur semper invalida..., sicut sentiunt Salmanticenses *de Vot.* cap. 3. n. 56. ».

Sane sic habent Salm.: « Illud est certum, tale votum (non petendi), sicut et votum castitatis et continentiae, ab uxorato emissum, esse indiscretum et *illicitum,* tum quia alteri coniugi molestum, tum quia

---

(a) Facultatem viri irritandi vota uxoris probant Theoll. ex c. *Noluit,* caus. 33 q. 5. quod legem veterem continet ex Num. XXX. 7.-11.; quam legem Ecclesia adoptasse censetur. Verum utrum de quolibet voto uxoris sit, nunc saltem, lex intelligenda, an de iis, quae iuribus mariti adversantur et rectam domus administrationem impediunt, disputant Theologi. Certe prior potestas necessaria non est. E.

valde periculosum et sic minime consulendum ». Quod evidens profecto est, si votum sit illicitum; imo est reprobandum.

Verum, uti patet, haec referri debent ad potestatem *indirectam* irritandi ratione materiae. Idcirco Auctor de his in seq. artic. resol. 2. agit.

LV. 4. Qui semel votum irritavit, si postea nolit, non ideo revalidatur: vid. Sà v. *irritatio voti.*

677. Ratio resolutionis est, quia per irritationem votum exstinguitur. Ut autem revalidetur, requireretur praeter poenitentiam irritantis etiam voluntas voventis, qui se *iterum* voto obligaret.

S. Alph. hoc loco n. 236.: non legit *V. Sà*, sed: *ut vult Sà ;* quibus videtur adscribere Emmanueli Sà oppositam sententiam, nempe, quod vota eiusmodi reviviscant. Verum Emmanuel Sà non generatim dicit reviviscere vota, sed solum de *servo* loquitur. Ita ille V. *Voti irritatio* n. 3.: « Votum impuberis de faciendo aliquid tempore libertatis (scil. exemptionis a subiectione irritantis, ut uxor post mortem mariti, filius post emancipationem etc.) semel irritatum, non reviviscit. Quidam tamen *servum* excipiunt ». Quae referri videntur ad eos DD., qui dominis negant facultatem *directe* irritandi vota servi etiam *impuberis*. Non est ergo Sà contrarius doctrinae communi, ut sonant ea s. Alphonsi verba.

Ceterum Sà ibid. n. 4. generatim definit: « Irritans votum, si postea consentiat, non ideo revalidat ».

S. Alph. n. 236. ad h. l. A. subdit intra parenthesim: « Sic Salm. cap. 3. n. 70. cum Soto etc. contra aliquos ». At enim Salmanticenses sic definiunt: « Hanc assertionem statuimus contra aliquos, qui quoad hoc discrimen ponunt inter vota, quae a patre vel a praelato irritantur et ea, quae a marito respectu uxoris, vel a *domino respectu servi.* ». Porro doctrinam de domino *respectu servi*, prouti Salmantic. tradunt ibid. n. 62., quasi irritare possit *directe* vota servi puberis, nemo adhuc admisit. Unde perperam n. 70. pro se allegant Sanchez aliosque, qui non *de servo*, sed utique *de uxore* id dicunt et Salmanticensium assertio de servo est contra doctrinam *communem*. Vid. Suar. *de Vot.* lib. 6. cap. 3. n. 1. Et sane ius irritationis directae ex eo est, quod eum quis est subiectus alicui, quantum ad id, in quo est subiectus, non est suae potestatis facere quod vult, sed dependet ex voluntate alterius. Ita s. Thomas a. 8. Atqui, subsumunt Theologi, servus non est subiectus domino in spiritualibus, sed tantum in corporalibus; quia non est servus secundum animam, sed secundum corpus: ergo.

Igitur ista notula s. Alph. caute accipienda, ne hanc quoque absonam opinionem Salmanticensium admittamus: nisi forte intelligatur de *servo impubere*, qui alterius curis careat praeter herum; qua de re cf. Suarez l. 6. c. 6. n. 23.

LVI. 5. Nullus supradictorum potest directe irritare vota emissa ante subiectionem, v. gr. ante matrimonium: facta vero intra tempus subiectionis, de re implenda post tempus subiectionis, v. gr. in pubertate, vel post obitum mariti, possunt irritare. Bon. l. c.

678. Excipe vota, quae praecesserint religiosam professionem. Nam haec professione ipso facto, si profitens commutare intenderit, exstinguuntur, ut dicitur cap. *Scripturae* 4. *de Vot.*: « Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur religionis observantiam commutare ».

An si a statu religioso deficeret, vota reviviscunt? Quod exstinctum est, per se ipsum non reviviscit: at ita quoad profitentes vota simplicia cautum est in Constitutionibus nostrae Societatis, ut si scholasticus dimittatur, dum auctoritate Praepositi Generalis auferuntur vota simplicia, quibus se in Religione obstrinxerat, ipsi tamen declaretur, reviviscere obligationes votorum, si quae habebat, cum Religionem ingressus est aut vota religionis emisit. Cf. tr. IX. c. 1. n. 60.

Altera pars patet; quia, cum persona adhuc subiecta sit, ea vota sunt materia, in quam directe cadit potestas irritandi.

LVII. 6. Votum, de quo dubium est, utrum emiseris tempore libertatis an subiectionis, non posse irritare Superiorem, docet Salas l. 2. q. 21. et Caram. l. 8. c. 1. d. 1. Sed contrarium tenent Suar. Sanch. Bon. etc. cum Bard. l. 6. c. 1. §. 28.

679. Claritatis gratia distingue triplicem casum.

1° De filio et sit dubium, an excesserit pubertatem, dum vovit. Et de hoc casu etiam s. Alph. lib. 3. n. 229. et 237. concedit, patrem posse irritare, quia possessio stat pro potestate patris.

2° De Religioso et sit dubium, an votum fuerit ante vel post professionem.

S. Alph. n. 237. negat, praelatum posse haec vota irritare. Sed videri potest quaestio inutilis. Nam diximus vi professionis omnia praecedentia vota per commutationem exstingui *sup.* n. 678. Reipsa tamen non est inutilis; quia potest quis a statu religioso deficere ac proinde possunt reviviscere identidem praecedentia vota, ut ibid. diximus. Quid itaque, ad propositam quaestionem? Nimirum quod in seq. q. dicetur.

3° De uxore et dubium sit, an votum fuerit ante vel post matrimonium contractum.

S. Alph. n. 237. negat, virum posse haec directe irritare; quia (inquit) votum est certum et possessio viri est dubia.

At Sanchez non acquiescit, qui *Moral.* lib. 4. cap. 32. n. 7. contra arguit; quia possessio praesens voluntatis eius subditi est certa, cum certum sit, illam esse coniugem: exceptio autem ab illa quoad ea vota est dubia ac proinde dubia est possessio votorum quoad suam firmitatem et independentiam a voluntate superioris, aut sub sola opinione,

quod non satis est ad spolium possessionis certae. Hinc se remittit praeterea ad generalem doctrinam Suarez de votis dubiis.

Porro doctrina Suarez *de Vot.* lib. 4. cap. 6. n. 1. haec est: « In his probabiliter censeo, in casu dubio iudicandum esse votum infirmum seu irritabile. Ratio est, quia favores sunt ampliandi; pertinet autem ad favorem, ut talia vota sint irritabilia. Qui favor non solum personarum, sed ipsius etiam religionis et divini cultus censendus est; quia talia vota facile franguntur et ideo consultius est, ut irritari valeant. Et hoc confirmat exemplum de casibus reservatis, qui absolute dicti includunt tantum casus moraliter certos. Ita enim vota non irritabilia illa tantum censentur, quae *constat* habuisse tales vel tales conditiones; nam sicut reservatio, ita exemptio a potestate irritantis videtur odiosa et restringenda. ». Quae rationes suum plane robur habent. Unde necesse haud est adhaerere exceptioni s. Alphonsi.

LVIII. 7. Facta tempore subiectionis possunt adhuc irritari post illud, v. gr. quando filius iam est pubes. Quod verum est, etsi in pubertate ea ratificasset, putans ex errore esse firma: secus tamen, si infirma esse novisset et independenter a prioribus ratificasset, ut Less. l. 2. c. 40. dub. 14.

680. De hac re cum multiplex fieri possit quaestio, prodest advertere duplicem regulam a Sanchez lib. 4. cap. 30. nn. 7. 8. propositam: « Prior est: Quando potestas superioris, cuius tempore votum emissum est, non est omnino exstincta aut omnino suspensa, sed quoad aliquid manet, potest irritare votum subiectionis suae tempore emissum etsi illud iam transierit; dummodo eo transacto non sit denuo confirmatum ». Intellige confirmatum et ratificatum cum scientia infirmitatis voti ante pubertatem emissi, prouti Auctor quoque explicat. Posterior regula est: « Quando ea superioris potestas est omnino exstincta aut omnino suspensa, nequit irritare ea vota ». Istae regulae quaestionem omnem solvunt.

Consectaria regulae prioris. Id valet 1° de filio, iam facto pubere relate ad patrem. Id extendunt DD. ad tempus, quo filius iam emancipatus fuerit et licet uxorem duxerit et sit extra domum; nam solum conditionem requirunt, ne postea fuerint vota confirmata Sanch. *Moral.* lib. 4. cap. 30. n. 13.

2° Idque valet relate ad alium quoque, qui defuncti patris locum teneat, sive mater sit sive avus sive curator etc.

3° Ita dicendum est de votis impuberis sub tutore: exacto enim tempore subiectionis, irritare poterit curator, sive eadem persona sit quae prius erat tutor, sive alia. Sanch. *Mor.* lib. 4. cap. 30. n. 15.

4° Hinc si mulier nupta votis se absque licentia viri adstrinxit, quae ille poterat irritare nec irritavit, poterit sequens vir irritare. Sanch. *de Matrim.* lib. 9. disp. 41. n. 3.

5° Similiter si nondum nupta et impubes emisit votum *personale*, vel pubes, minor tamen, votum *reale* absque parentum consensu aut tutoris aut curatoris licentia, sub quorum erat potestate constituta, poterit vir, cui postea nubat, ea irritare, sicut poterant parentes aut tutores aut curatores; quia maritus succedit in locum patris aut tutoris curatorisve, ut gubernet eandem voluntatem eiusque defectus suppleat et votum illud utpote tempore subiectionis emissum, erat pendens a voluntate patris vel tutoris aut succedentis in eam potestatem. Sanch. ibid.

681. *Consectaria regulae secundae.* Scilicet 1° vota *realia puberum* nequit pater irritare, si filius sit emancipatus. Ratio, quia potestas nitebatur iuri administrationis paternae, quae cessat, quando filius fit sui iuris.

2° Non potest tutor, qui cessat ab officio, nisi forte ipse perseveret *curatoris* titulo esse superior, expleta pubertate. Cf. Sanch. l. 4. c. 30. n. 15.

3° Non potest irritare curator, postquam puber excessit minoritatem; quia cessat officium et omnis potestas.

4° Non potest maritus irritare vota uxoris post factum divortium et divortio manente; quia hoc durante est suspensa potestas. Sanch. *Moral.* lib. 4. cap. 30. n. 18.

5° Non poterit superior Religionis irritare vota a religioso emissa quando hic factus sit Episcopus vel Cardinalis; quia ex privilegio eximitur a quavis superiorum iurisdictione. Sanch. ibid. n. 21.

6° Nec item vota religiosi, qui dimittatur (intellige vota a religioso in religione emissa, alia ab votis propriis religionis), sive eiiciatur solutus penitus a religionis votis, ut fit cum scholasticis et coadiutoribus formatis Societatis Iesu, sive eiiciatur cum votis ut in seculo vivat, quod fit cum professus religiosus dimittitur aut eiicitur. Nam in primo casu desinit prorsus potestas superioris, in altero est suspensa, nisi eiectio sit iniusta. Sanchez ibid. nn. 23.-26.

LIX. 8. Supradicti possunt revocare ac directe irritare vota, etsi semel ea ratificaverint; quia non privarunt se dominio et potestate sua. V. Suar. *de Voto* l. 6. c. 6. Quod si tamen id sine causa fiat, erit secundum quosdam peccatum mortale, licet probabilius id negent Suar. l. c. c. 4. et Laym. hic.

682. Quaestio est, quando superior positive approbaverit et ratificaverit; nam si tantum permisit subdito votum vel permisit exsecutionem, nulla est quaestio, quod valide et licite revocet. Multo vero magis, si superior solum sciat et taceat, seu non impediat.

Ita cum A. et s. Alph. n. 239. Porro distingue validitatem revocationis a liceitate. Quod valide id faciant, inquit s. Alph. 239. « vi-

detur certum; quia ipsi etiamsi velint, nequeunt sibi adimere potestatem dominativam in subditos ». Ita Communis: et valet tum de patre respectu filii, vel de praelato respectu Religiosi, vel de viro respectu uxoris.

Quod attinet ad liceitatem, quaestio fit de irritatione *sine causa*. Namque si rationabilis causa adsit, irritans bene facit; quia et potestatem habet et per priorem concessionem non se obligavit ad non revocandum, interveniente causa iusta, vel re melius considerata.

Qua de re advertit Suarez *de Vot.* lib. 6. cap. 7. n. 16. ad irritandum *sufficere minorem causam, quam ad dispensandum.* « Quaeres, inquit, an Religiosus peccet, petens a suo praelato irritationem voti, quando non habet causam, quae ad iustam dispensationem sufficeret. Respondeo *ex omnium sententia* non peccare, quia utitur iure suo. Item quia votum non fuit absolutum, sed conditionatum et per illud non se obligavit ad cavendum, ne conditio impediretur, vel ad non procurandum, ut non poneretur, ut constat ex communi modo vovendi... Item non est peccatum, se ostendere propensum ad irritationem; quia hoc neque est contra votum, neque contra aliud praeceptum et quia dubium est, an id magis conveniat. Tandem qui sentit onera Religionis, sine peccato potest frui commodis illius. Ergo qui se subiecit potestati superioris, ut ab illo onera recipiat, non peccat procurando licitis mediis aliquod levamen per eiusdem potestatem. Sicut ergo non peccat praelatus irritando, ita nec subditus petendo ».

683. Si vero nulla rationabilis adsit causa, communis est sententia, irritationem non carere peccato. Sed disputant, an levi aut gravi. Auctor *probabilius* dicit, de levi damnandam. Et consentit s. Alphonsus, dicens n. 239. hanc sententiam *forte probabiliorem.* Porro ex generali principio, ubi gravitas culpae adeo est dubia, de gravi damnare non possumus.

Suarez *de Vot.* lib. 6. cap. 4. n. 22. advertit, grave peccatum dici in *legibus Hispaniae;* sed subdit, id *difficile esse creditu.* « Nam, inquit, primo non est contra iustitiam; quia maritus utitur iure suo, ideo enim valida est actio. Nec contra Religionem; quia nec ipse maritus violat votum, cum illud non fecerit, neque est causa violationis eius, cum nec uxor illud violet, sed solum est causa, ut votum non sit, vel non obliget; quod per se malum non est, ut per se constat, nec videtur fieri intrinsece malum ex eo, quod licentia praecesserit. Quare placet mihi regula, quam tradit s. Antoninus part. 3. tit. 1. cap. 12. in princip., ex Raymundo et eandem habet Maior et alii: si vir postquam dedit licentiam uxori ad votum v. gr. abstinentiae vel eleemosynae implendum, illud revocat ex rationabili causa motus, non peccat, sed bene facit... Si autem sine causa revocat, peccatum est,

non solum propter inconstantiam et levitatem, sed etiam quia est contra urbanitatem et convenientem gubernationem et videtur etiam esse aliqua irreverentia Dei. Raro autem videtur hoc peccatum esse mortale, nisi vel scandalum vel contemptus gravis intercederet... Neque lex Numeror. XXX. in rigore contra hoc obstat: nam cum dicitur: *Ipse portabit iniquitatem eius,* ibi iniquitas non sumitur formaliter, sed materialiter; quia revera in uxore non est formalis, sed ipsa non observatio voti materialiter ita vocatur. Est ergo sensus, maritum esse rationem redditurum de illa non observatione voti, ut, si sine iusta causa facta fuerit, illi imputetur ».

Ceterum scite monet s. Alphonsus l. c. ideo quosdam DD. gravem culpam in hoc reperisse, quia agebant de votis uxoris personalibus et alioquin tenebant, fas viro non esse directe irritare vota uxoris.

Adde, quod tum Sanchez lib. 4. cap. 27. n. 32., tum Salmanticenses *de Vot.* cap. 3. n. 62. utramque sententiam dicunt probabilem.

Aliam quaestionem proponit ibid. s. Alph.: quid, si coniuges mutuo consensu voverint castitatem? Sed de hac in seq. art. resol. 7.

LX. 9. Praelatus potest irritare votum subditi, a praedecessore aequali, vel inferiore confirmatum, non tamen a superiore. V. de his Bon. l. c. §. 3. Laym. c. 7.

Ratio est: si idem superior revocare potest datam facultatem, licet confirmaverit; idem poterit vel successor, vel potiorem habens auctoritatem.

Art. II.

De potestate irritandi indirecte.

LXI. Resp. Si alicui non quidem voluntas voventis, sed voti materia sit subiecta, ita ut in hanc ius habeat, is tale votum potest irritare, irritatione indirecta hoc est eius obligationem suspendere, inquantum suo iuri praeiudicatur idque ex lege naturae docente, quod nemo possit alteri promittere aliquid in praeiudicium tertii. S. Thom. in 4. d. 38. Suarez. Less. etc. ll. cc.

684. Materiam voti intellige non solum, si vovens disponit de re temporali, in qua ius habet superior, v. gr. eleemosyna respectu uxoris vel filii; sed etiam quidquid potest impedire, ne quis iustis superioris praeceptis praesto esse queat.

Adverte quod ait A., per irritationem indirectam *suspendi* obligationem: qua de re cf. quae ab initio dedimus n. 665.

Unde resolves.

LXII. 1. Sic irritare possunt, praeter supra nominatos, pater respectu filiorum puberum, quandiu manent in domo paterna nec sunt emancipati: item tutor puberis, usque ad annum vigesimum quintum, in iis, quae eorum potestati officiunt. Laym. c. 7.

Clara omnia. Male quidem dicitur *tutor* respectu puberis; nam *curator* appellatur et nunc annus 21us est terminus minoritatis.

LXIII. 2. Idem potest uxor respectu mariti, v. gr. si is voverit longiorem peregrinationem, habitare alibi, cubare seorsim, quae derogant vitae sociali et usui dominii, quod habet in corpus mariti. Less. n. 83. Fill. n. 273.

Huc revoca adnotata sup. n. 664. Cum uxor subdita sit viro, manifestum est eam non posse directe irritare vota viri; quia tamen et ipsa ius habet in corpus viri, potest indirecte ea vota viri irritare, quae iuri suo praeiudicant.

LXIV. 3. Item dominus et domina respectu famulorum, ut si ii voverint ieiunium, quo fierent inepti ad obsequia domini: quale votum non est castitatis vel brevis orationis. Less. n. 86.

685. Cum dominus nullum ius habeat in famulum, nisi ut hic officium suum expleat; propterea si qua vota famuli implendo officio nihil obsunt, ea dominus irritare non potest. Secus, si obsint, v. gr. ancillae vota diu manendi in templo, circumcursitandi ad sanctuaria, stationes etc.

Distinguendi sunt sane famuli a servis, si qui adhuc sunt. Servi sunt in dominio alterius: famuli sunt homines liberi non secus ac heri, qui contractu inito operas suas sub mercede aliis locant eorumque obsequio se mancipant, admissi in consortium quoddam eiusdem familiae.

LXV. 4. Item non tantum Pontifex respectu omnium fidelium, sed etiam Episcopi et Principes respectu subditorum, quando materia illis praeiudicat. Denique superiores respectu novitiorum in iis, quae impediunt novitiatus exercitia. Less. d. 13. n. 8.

686. Adde Rectorem respectu alumnorum Collegii ac demum omnes, qui ius habent exigendae obedientiae, in quantum vota obstare possunt huic eorum iuri.

LXVI. 5. Non possunt irritare indirecte vota de re alias praecepta, v. gr. non furandi: quia nemini praeiudicant. Item neque vota implenda tunc, quando materia voti non erit amplius subiecta, v. gr. vota servi implenda, cum erit liber, et coniugis, cum alter erit mortuus.

687. Quoad vota coniugis, merito s. Alph. heic contradicit quoad vota uxoris implenda post obitum mariti. Ratio, quia vir *directe* quoque irritare potest uxoris vota.

Ceterum nunquam possunt evadere contraria iuri superioris vota de re praecepta. Excipe, nisi superior posset praecipere, ut rem praeceptam omittas, v. gr. ut non ieiunes iusta de causa, v. gr. imponendo laborem itineris, magisterii, praedicationis etc.

LXVII. 6. Potest quis etiam indirecte irritare vota longe ante facta, quam sibi materia subiiceretur v. gr. facta a coniuge longe ante matrimonium.

688. Provocat heic s. Alphonsus ad Salmanticenses *de Voto* c. 3. n. 75. qui, sepositis votis ante professionem emissis, quae ipsa professione extinguuntur, de aliis votis sive uxoris, sive servi, sive minoris

emissis ante tempus subiectionis, affirmant ea non posse directe a superiore irritari, quia non fuerunt emissa sub tacita conditione eius beneplaciti. Concedunt autem quod superior possit exsecutionem eorum votorum suspendere h. e. indirecte irritare, quatenus sibi praeiudicant.

LXVIII. 7. Potest quis etiam vota a se, vel antecessore concessa et confirmata indirecte irritare, ut patet ex art. superiore. Excipe tamen, nisi suo iuri cessisset et hanc concessionem subditus acceptasset, ut v. gr. in voto castitatis, mutuo mariti et uxoris consensu facto. Secus tamen esset, si vel sola uxor, vel uterque independenter ab altero vovisset.

689. Habes heic doctrinam geminam resolutioni octavae praeced. art. n. 683. Difficultas est in exceptione, quam Auctor subdit, quando nempe aliquis cesserit iuri suo et exemplum ponit voti continentiae *mutuo consensu* ab utroque coniuge emissi. Nam si mutuum pactum absit, ipse A. concedit, irritari vota posse.

S. Alphonsus licet n. 236. affirmet, non posse coniuges invicem tum castitatis tum religionis votum eiusmodi irritare idque esse communem sententiam; monet tamen ibid. coniuges, si coeant, peccare contra votum, sed non contra castitatem. Unde sufficeret in confessione aperire voti violationem, silendo materiam. Post haec nihilominus n. 239. prope fin. addit etiam, se non invenire rationem certam, qua damnare possit oppositam aliorum sententiam et concludit, se hoc dubium sapientibus decernendum remittere. Non temere ergo hac de re disputabimus, praesertim 1° cum s. Alphonsus neget fulciri eam doctrinam solida ac certa ratione et 2° ipse indicet rationem pro sententia opposita: « si vir, inquit, prout concedit Sanchez, potest valide irritare votum uxoris, ipso approbante emissum, cur non poterit, si mutuo consensu ipse etiam castitatem voverit? » subdit: « attamen cum ista opinio sit contra communem et Tamburinus in hac difficultate involutus dubium indecisum reliquerit, ita et ego sapientibus decernendum reliquo » ac demum 3° non ita sit communis sententia illa, ut arguat certum quodpiam fundamentum.

Et sane non potest dici communis sententia, quando plerique aut certe multi principia quaedam praestituunt, quae communiter non admittuntur. Porro, ut Sanchez advertit *de Matrim.* lib. 9. disp. 40. n. 20., plures ex illis supponunt, virum ne tunc quidem irritare posse votum uxoris, quando ipsa sola, ex consensu tamen mariti, continentiam vovit. Consensus mariti non efficit, ut hic renuntiet iuri suo. Proinde uxor sic erit in eadem conditione ac ille, qui ligatus voto castitatis contrahit nuptias. Alii imo supponunt praeterea, maritum irritare non posse votum continentiae ab uxore, etiam sine viri licentia, emissum. Alii praeterea negant marito facultatem irritandi *directe* vota uxoris. Haec autem principia cum nos uti minus firma habeamus, iam non est ratio.

cur istorum suffragium veluti alicuius ponderis et idoneum ad communem quandam sententiam conflandam reputemus.

690. Sed inspiciamus intrinsecum causae meritum. Suarez tract. 7. *de Statu perfect.* lib. 9. cap. 9. n. 6. *de Relig.* tom. 3. statuit in casu neutrum coniugum posse alteri reddere debitum, utut maxime ille exigat et velit priorem consensum revocare. Ratio, quia licet alter consensum seu cessionem iuris sibi ab altera parte factam revocet, haec tamen revocatio seu remissio non invalidat contractum, quo uterque cessit iuri suo. Nimirum etsi vir remittat uxori cessionem iuris, quod illa habet exigendi debitum, quam cessionem vir acceptaverat, tamen uxor non tenetur condonare viro cessionem iuris in uxorem, quam cessionem a marito factam acceptaverat. Ergo alter ratione pacti licite negat debitum. Atqui si licite negat, tenetur iam ad negandum ratione voti; quia votum servare tenetur, quoties est de re licita. Ergo. Addit ibid. cum Navarro aliud esse, si nudum pactum praecessit, aliud, si pactum voto firmatum. Nam si nudum fuit pactum, licite possunt coniuges mutuo consensu ab illo recedere; quia unusquisque potest cedere iuri suo. Imo si alteruter coniugum petat et (post pactum) se ostendat propensum etc., alter deberet condescendere, sin minus ex iustitia, saltem ex debito honestatis, vel etiam caritatis, si alter in periculo versetur. At non ita, si accessit votum; per hoc enim coniux prohibetur iuri suo per pactum acquisito cedere, iuri nempe non reddendi debitum.

Addit ibid. nn. 7. 8. quod si, post votum, pactum revocent, non modo contra votum tunc peccant; quia nempe ad servandum votum, tenentur servare ius non reddendi: sed etiam petendo aut reddendo debitum, et uterque vi voti tenetur reiterare pactum et obligationem reddendi debitum invicem iterum remittere. Nihil ergo prodesset haec mutua collusio ad culpam vitandam. Si tamen, postquam revocaverunt pactum et ideo sibi remiserunt invicem obligationem non petendi, alter tantum istam revocationem pacti retractaret, alter vero nollet, non poterit quidem prior alterum ad eandem revocationem cogere; quia iam cessit de facto iuri suo et quidem valide quoad iustitiam, et ideo si alteri petenti reddat debitum, erit in eadem conditione, ac ille qui in coniugio ligatur voto castitatis, et reddendo non peccabit directe contra suum votum; quia iam non tenetur non reddere.

Haec Suarez; cuius sententiae nobis proderunt, licet alioquin ipse viro neget facultatem irritandi *directe* vota uxoris *de Vot.* lib. 6. cap. 4. nn. 1.-4. Quae quidem sententia, ut alias vidimus, est minus probabilis et minus recepta.

691. At eritne eadem conclusio, quando admittatur in marito facultas irritandi tum directe tum indirecte vota uxoris, in uxore vero facultas indirecte irritandi vota mariti, quae in incommodum ipsius cedant?

Sanchez *de Matrimonio* lib. 9. disp. 40. n. 20. dicit, etiam in hac hypothesi nihilominus virum non posse irritare votum uxoris et sic ratiocinatur: « Dum uterque coniux mutuo consensu vovet continentiam, cum per mutua pacta edita cedat iuri suo quoad quemcumque actum matrimonialem idque offerat Deo, vitam caelibem eligens, videtur *omnino renunciare iuri revocandi pactum,* ut vel sic finis ille vitae continentis obtineatur. Et quamvis contractus ille posset mutuo contractu rescindi, obstat tamen vinculum voti in eo inclusum ».

Ergo Sanchez cum Suarez convenit, posse coniuges *valide* rescindere mutuum pactum, quo renunciaverunt ius invicem in corpus alterius; at quominus id facere *licite* possint, obstare votum atque sacrilegii reos fore, si id faciant, ita Sanch. ibid. n. 22.: quasi nempe esset votum non revocandi pactum sive cessionem iuris.

At enim quaeremus cum s. Alphonso n. 233. cur non tolli poterit prius illud voti vinculum? « Nam, ut ait s. Alph., si vir (prout concedit ipse Sanchez) potest irritare votum uxoris, ipso approbante emissum, cur non poterit, si mutuo consensu ipse quoque castitatem voverit? » Cur v. gr. uxor rogare non poterit virum, ut votum eius de continentia perpetuo servanda irritet? Sane 1° non obstat pactum iuris in alterius corpus utrinque remissi; quia pactum stare potest etiam sine voto. 2° Non obstat uxoris votum, quia votum illa fecit de continentia, non autem de non petenda irritatione voti; quod si etiam hoc secundum votum fecisset, posset prius petere irritationem secundi huius voti et dein petere irritationem primi; et generatim evidens est, nullum vinculum sibi iniicere quempiam posse, a quo solvi non possit ab habente facultatem solvendi a quolibet voti vinculo. Vid. quae attulimus ex Suarez sup. 667. de petenda voti irritatione. Praeterea si nemo censetur facere contra votum, quando petit dispensationem; cur contra votum faciet, dum quaerit irritationem? Neque obstat, quod via aperiatur uxori, ut et ipsa irritare votum mariti possit. Quia vota non obligant ad praecludendam viam, ne alter aut dispensare queat aut irritare votum. Neque obest per se votum mariti, quia hoc potest stare cum irritato voto uxoris; neque enim uxor ob irritatum suum votum ius acquirit, ut maritus a pacto recedat, vi cuius potest ille votum suum servare; sed solum consequitur, ut vinculo religionis ea non ligetur: si autem maritus potest directe irritare uxoris votum de non mentiendo aut non furando, a fortiori potest hoc irritare, cuius materia non est tota alioquin prohibita, quia complectitur etiam casum secundi matrimonii.

692. Et Sanchez quidem l. c. n. 22. concedit, virum posse votum uxoris irritare: sed videtur praeexigere rescissionem mutui pacti. Ita

ille: « Quod si post id votum castitatis mutuo consensu emissum, coniuges dent sibi invicem facultatem in corpus (quod quamvis sacrilege, valide tamen fieri diximus disp. 37. n. 15., et deinceps teneri utrumque ad debiti redditionem), credo posse virum id votum castitatis uxoris revocare quia matrimonium restitutum est plene ad priorem statum et renuntiatio illa iuris irritandi est valide remissa. Solum igitur putat sacrilege pactum remitti ».

Atqui haec non est firma exceptio. Id enim valeret, si potestas irritandi vota uxoris inniteretur solum iuri, quod maritus habet in corpus uxoris; seu, quod idem est, si *indirectam* tantum potestatem irritandi hoc votum haberet. At cum sit ius in voluntatem uxoris, hoc ius et potestas prorsus independens est ab illo pacto, et cum innitatur vinculo matrimonii, tandiu durat haec subiectio uxoris quoad voluntatem et haec mariti potestas, quousque stat matrimonium. Exinde fit, quod si maritus concesserit uxori votum continentiae, iuri suo cedens, sed sine voto ex parte sui, ipse Sanchez ibid. n. 4. concedit, valide posse virum illud votum irritare et nihilominus nonne cesserat iuri suo? Et rationem affert Sanchez: *Quia adhuc superior retinet dominium voluntatis subditi:* quamvis peccet, si faciat sine causa. Hoc autem valet etiam in casu nostro.

Porro postquam uxor soluta vinculo sit voti, nihil impedit, quominus irritare valeat votum mariti de continentia servanda. Ratio est, quia tunc ipsa licite potest quaerere solutionem pristini pacti. Ergo licite potest uti potestate sua ad removendum id, quod obstaret executioni huius liciti desiderii. Atqui unicum impedimentum huius desiderii foret vinculum, quo maritus obstringitur. Ergo potestate indirecta, qua pollet, irritandi vota mariti, quae sibi gravamen inferunt, potest illud irritare.

Sublato autem hoc vinculo, nihil prohibet, quominus solvant pactum mutuum non utendi iure proprio. Ergo.

693. Neque obiicias, coniuges igitur non posse ita se voto ligare, ut non sit in potestate ipsorum vinculum abiicere et ita eorum vota esse semper conditionata, ut durent solum, *si ipsi velint.*

Hoc enim absonum non est, sicut absonum non est, manere semper in voventis potestate ut possit quaerere dispensationem, et sicut in superiore semper manet facultas dispensandi, etiamsi velit se ligare ita, ut videatur non posse dispensare. Hoc autem valet etiam de potestate irritandi. Et simile quid habes in Pontifice, qui velit praecludere aditum rescissioni alicuius sententiae iudicialis. Nam poterit utique decernere, ne reus possit postulare rescissionem (hoc dici solet, negare *aperitionem oris*) et decernere, ne audientia praebeatur. At nonne de-

inde poterit rogari, ut haec ipsa decreta princeps rescindat et concedat aperitionem oris aut audientiam? Nonne manet ipsi potestas rescindendi haec ipsa decreta? Et licet iurasset aut se ligasset voto non rescindendi, nonne haec vincula tollere a se potest, sicut ab aliis? Aut nonne possunt alii instare, ut vincula ista a se abiiciat?

Neque obsunt verba s. Augustini relata in can. *Quod Deo* 4. Caus. 33. q. 5.: « Quod Deo pari consensu ambo voveratis, perseveranter usque in finem reddere ambo debuistis. A quo proposito si lapsus est ille (scil. vir), tu saltem instantissime persevera ».

Haec enim verba nimis probant, sc. nec licite peti posse dispensationem (a). Quod si hoc non evincunt, neque probant usum alterius remedii. Ergo inde hoc solum colligitur, non licere, re integra scil. durante voto continentiae eiusque vi, uti iuribus coniugalibus et insuper non teneri nec posse cogi uxorem, ut per indirectam irritationem et spontaneam pacti rescissionem a proposito recedat. Quanquam forte honestas et caritas suadere posset uxori, ut a suo iure discederet, ut auctor est ipse Suarez sup. n. 139., ubi de rescindendo nudo pacto loquitur.

Et haec satis sint, ut appareat, non sine causa s. Alphonsum dixisse, se non invenire rationem firmam ac solidam pro sententia Auctoris.

LXIX. 8. Vota indirecte tantum irritata reviviscunt et obligant, quando alteri desinunt praeiudicare. V. de Bis. Bon. p. 7. Laym. c. 8.

Ratio, quia eatenus hi excusantur a voto quatenus ius alterius laeditur.

Dub. VII.

Quid sit voti commutatio.

LXX. Resp. Commutatio est substitutio alterius operis honesti loco eius, quod voto promissum erat, sub eadem obligatione. Circa quam, ut licite fiat, traduntur hae regulae. Prima, ad commutationem voti requiritur auctoritas Ecclesiastica: 1. quando commutatio fit in paulo minus bonum: quod si notabiliter minus sit, miscetur dispensatio: 2. quando dubium est de aequalitate boni: 3. quando fit in bonum aequale: licet aliqui tunc putent sufficere auctoritatem propriam. Haec tamen sufficit ad commutationem in melius; quia in meliori minus continetur. Voco autem melius, quod est tale in ordine ad utilitatem spiritualem voventis et Deo gratius.

Secunda. Ad commutationem voti in aequale requiritur causa, licet minor, quam ad dispensationem; quia dispensatio plane liberat ab obligatione voti, commutatio vero aliud subrogat. Unde si fiat in melius, nulla causa requiritur: si in aequale cum auctoritate superioris, sufficit maior in illud propensio. Si vero dubitetur, an sit aequale, sufficit notabilis molestia in implendo. Vide Less. l. 2. c. 40.

694. Quoad regulam priorem s. Alphonsus lib. 3. n. 243. monet esse communem sententiam, mutationem in melius fieri posse propria

(a) Videtur Augustinus spectare id solum, quod ex ipsa vi voti enascitur, non quod ab extrinseco advenire potest per possibilem dispensationem. E.

auctoritate. Et Suarez *de Vot.* lib. 6. cap. 12. n. 10.: « De commutatione in melius communis fert opinio, propria auctoritate fieri posse ». Excipiunt, nisi Ecclesia quandam commutationem prohibuerit propria auctoritate fieri, quemadmodum contingit in transitu ad arctiorem religionem c. *Licet, de Regularibus*. Cf. Suarez *de Voto* l. 6. c. 18. nn. 4. 14.

Quod attinet ad commutationem in aequale, duplex, ut inquit s. Alph. l. c., est sententia et licet ipse adhaereat affirmanti, requiri auctoritatem praelati, *ceu probabiliori;* tamen fatetur multos stare pro opposita et hanc sententiam a pluribus etiam adversariorum censeri ut probabilem. * Praesumitur enim Deus aeque acceptare opus aequale, re enim per se spectata aequalis est Dei gloria, maior vero est utilitas voventis, qui saltem maiore hilaritate offert: ex alia vero parte obligatio voti manet. *

Et pro prima certe stat s. Thomas in 4. dist. 38. q. 1. art. 4. ql. 1., qui scribit: « In commutatione est quidam contractus, qui non potest perfici sine consensu utriusque partis. Unde cum homo per votum se Deo obliget, non potest fieri immutatio voti, nisi interveniat consensus eius, qui vicem Dei gerit in terris, scilicet praelati, nisi forte unum votum includatur in alio ». Et huius auctoritate fatetur s. Alph. se permoveri, ut cum priori stet.

At enim reponunt adversarii, auctoritatem s. Thomae nimis probare, quippe qui exigat praelati auctoritatem etiam pro commutatione in melius. Et inutilis est subtilitas Suarez *de Vot.* lib. 6. cap. 19. n. 3. aientis, s. Thomam intelligendum de commutatione *in aequale;* quia tunc solum vera dicitur adesse commutatio. Nam s. Doctor l. c. disserte loquitur, quando « auctoritate superioris minus votum praecedens *in maius sequens* (quis) commutaverit ». Neque s. Doctor sententiam mutavit in Summa; nam a. 12. q. cit. *de Voto,* nihil habet de commutatione voti facta propria auctoritate, nisi quod eam excludat.

Monet s. Alph. l. c. quod qui hanc sententiam sequuntur, non consentiunt in qualitate peccati: alii enim, inter quos Sanchez, censent peccatum esse leve hanc mutationem voti in aequale, propria auctoritate, quia est infidelitas in re modica: alii peccatum esse grave, quia votum reapse violatur.

Veruntamen admittendo etiam secundam sententiam ceu probabilem, suadendum est, ut adhibeatur consilium confessarii, ut scil. hallucinationis periculo obvietur. Qua in re nimis forte ardenter reiicit hoc Suarez, contendens non sufficere prudentiam et scientiam confessarii l. c. cap. 19. n. 6. Nam ipse ibid. n. 4. *communem* rationem adhibendi praelatum fatetur esse, « quia difficillimum est attingere aequalitatem

et ideo non esse verisimile, hoc fuisse concessum cuilibet voventi, maxime in propria causa ». Atqui reipsa suppletur per confessarium id, ad quod ipsemet maxime necessarium censet praelati interventum: ergo.

695. Secunda regula A. agit de causa commutationis. Nullam requiri causam, quod evidens in melius est commutatio, inde etiam evincitur; quia votum a principio nunquam obligavit ad omittendum melius bonum propter minus et ideo sine nova causa semper licet illud praeferre. Ita Suarez, *de Vot.* lib. 6. cap. 18. n. 9.

Quoad mutationem in aequale Suarez l. c. cap. 19. n. 5.: « Haec commutatio in aequale fieri non potest sine aliqua iusta causa, licet *parva* sufficiat ».

Auctor dicit, sufficere *maiorem* in illud *propensionem*: s. Alphons. n. 244. addit *minus periculum transgrediendi.*

Item ex Suarez cap. 18. n. 10. nulla causa requiritur, si tantum probabile sit, commutationem esse in melius; aliquid plus causae vero requiretur, si dubites an sit in minus et probabiliter tantum in aequale.

S. Alph. n. 245. ad quaestionem, an commutatio in minus sine iusta causa sit valida, dicit probabilem esse sententiam, validam esse, modo *defectus suppleatur.* Ratio, quia cum maior obligatio non sit erga homines, tanto magis id valet cum Deo, quocum mitius agitur, seu qui nobiscum mitius agit.

Subdit s. Alph. ibid.: « In dubio, an causa commutationis fuerit sufficiens, docet s. Thomas 2. 2. q. 88. art. 12. ad 2. posse voventem acquiescere iudicio commutantis ».

Unde resolves.

LXXI. 1. Quamvis oratio absolute sit melior ieiunio, non licet tamen propria auctoritate hoc in illam commutare; quia hic et nunc potest ieiunium esse Deo gratius, utpote utilius ad bonum spirituale huius hominis. Less. d. 16. Sanch. c. 56.

696. Si ieiunium heic et nunc est utilius ad bonum spirituale, eo ipso esset mutatio in minus.

S. Alph. n. 246. dicit, *generaliter*, se non acquiescere dicentibus, unam confessionem vel communionem valere pro rosario totius hebdomadae. Et bene addit *generaliter;* quia pro quibusdam erit melius, non item maius bonum pro aliis.

LXXII. 2. Omnia vota personalia propria auctoritate commutari possunt in votum religionis; imo ipso iure omnia vota realia sic mutantur in professione.

697. S. Thom. 4. Dist. 38. q. 1. art. 4. ql. 4.: « Quia votum religionis includit omnia alia vota tum ratione perpetuitas, tum ratione obedientiae, qua homo voluntatem suam Deo tradit, per quam sui et omnium

dominus esse potest; ideo ille, qui aliquod votum temporale fecit, potest non requisita alicuius praelati dispensatione religionem intrare, non obstante voto praecedente, quod ingressum religionis impediret, puta peregrinationis vel alicuius eiusmodi ».

LXXIII. 3. Qui habet votum religionis, non potest illud propria auctoritate commutare in susceptionem Episcopatus: tum quia hic non efficit hominem perfectiorem, quam religio, licet perfectiorem esse supponat: tum quia non constat, quod illud hic et nunc sit Deo gratius: tum quia sic respondit Innocentius III. apud Bon. in *Secundum praeceptum* d. 4. q. 2. p. 7. Idem docet Less. l. 2. c. 4. d. 16. a. 103. Azor, Sanch. Laym. l. 4. t. 5. c. 6. n. 15. Palaus, d. 3. t. 16. num. 2. Fagun. Dian. p. 6. t. 6. r. 62.

Res clara est nec opus erat tot argumentis.

LXXIV. 4. Qui habet facultatem dispensandi, habet etiam commutandi, non tamen contra; quia commutatio est pars dispensationis; qui autem potest maius, etiam minus potest. Qui autem habet facultatem commutandi tantum non potest mutare, nisi in aequale; quod moraliter et non scrupulose aestimandum est, ut monet Laym. c. 8. In qua aestimatione, ait Caiet., non negligenda sunt concomitantia: v. gr. in voto peregrinationis habenda ratio non tantum laboris, sed etiam expensarum, quas fecisset. Suar. Less. Vide Bon. p. 7. §. 3.

698. Sanchez *de Matrim.* l. 8. d. 2. n. 15. negans commutationem includi in dispensatione, negat quod primo loco A. docet. Concedit tamen probabilem esse hanc sententiam, suamque negantem solum ut probabiliorem tuetur.

S. Alph. n. 247. ad quaestionem: an habens *meram* commutandi facultatem possit commutare in opus aliquantulo minus, respondet duas esse contrarias sententias, quae tamen facile conciliari possunt. Nam quae negat et tenet commutationem fieri posse tantum in opus aequale, subdit, intelligendam esse *aequalitatem moralem*, non autem mathematicam, adeo ut *parva credatur esse differentia* et nullus excessus manifeste appareat; qui vero affirmant, addunt explicationem, *nisi excessus sit notabilis*. Quam postremam sententiam s. Alph. ait, *recte dici probabilem;* quia secus res esset scrupulis obnoxia atque adeo haec facultas inutilis evaderet. Deinde cum mutatio in aequale probabiliter fieri possit etiam auctoritate propria, probabile esse debet, quod aliquid plus possit, qui habet commutandi facultatem atque adeo potestatem commutandi in aliquid minus; secus talis potestas nihil operaretur.

Qui vero habet potestatem dispensandi simul et commutandi (quae est alia a potestate simpliciter dispensandi) potest commutare in multo minus; quia ex parte dispensat.

Duo subdit heic s. Alph. n. 247.: scil. 1° personalia vota posse mutari in realia et viceversa: 2° confessarium curare debere, ut talia opera substituat, quae magis videantur utilia et non nimis difficilia.

Addamus heic et 3m, quod s. Alph. n. 249. in fin. admonet, eum qui habeat potestatem commutandi vota pro aliis, eam habere et pro se ex communi sententia, prout etiam dicitur de facultate dispensandi: quemadmodum affirmant cum aliis Salmantic. *de Voto* c. 3. n. 128. coll. n. 79. Sanchez *Decal*. l. 4. c. 37. nn. 45. 46., qui tamen claritatis gratia, distinguens inter habentes iurisdictionem delegatam dispensandi in universum et habentes limitatam dispensandi potestatem cum certis personis aut certo personarum numero, illis, non his facultatem secum ipsis dispensandi in votis aut ea commutandi concedit. Suarez tamen id non nisi summo Pontifici asserit. Affertur a Salmant. auctoritas quoque s. Thomae ex 2. 2. q. 185. a. 8. ubi tamen agens s. Doctor de Religioso, qui factus est Episcopus, postquam affirmaverit eum adhuc teneri ad eas regulares observantias, quae non impediant pontificale officium, sed magis valeant ad perfectionis custodiam, non teneri ad eas, quae repugnant officio pontificali, subdit « in aliis potest dispensatione uti... per modum quo etiam praelati religionum in talibus secum dispensant ». Cf. dicta in tr. III. *de Dispensatione*.

LXXV. 5. Si is, cuius votum mutatum est, malit deinde implere primum, id potest; tum quia id est melius vel aequale, tum quia in eius favorem factum est, cum tacita conditione, si ei placuerit. Less. n. 97. Sanchez, Fill. tr. 26. n. 289.

699. Resolutio Auctoris supponit clare casum commutationis in minus aut in aequale. S. Alph. n. 248. monet, *probabilius* DD. *communiter* id affirmare, etiamsi mutatio facta in melius fuerit et acceptata; quia commutatio facta fuit in favorem voventis idque valere ait, etsi commutatio in maiorem Dei cultum facta fuerit; quia nisi accedat novum votum, quo haec commutatio accipiatur, illud semper valet, quod commutatio in favorem voventis facta est. Hinc addit ibid. s. Doctor, quod, si pluries commutatio in aliud et aliud opus facta sit, potest vovens eligere, quodcumque eorum malit.

LXXVI. 6. Si voti legitime a Superiore commutata materia, sive opus fiat impossibile vel indifferens, non tenetur redire ad prius; quia obligatio exstincta est. Vid. Laym. Bon. ll. cc.

700. Notat s. Alph. n. 249. ex sententia communissima, id valere, etiamsi res subrogata fiat impossibilis culpa voventis, vel si eam ipse omisit. Eadem valet ratio, quia prior obligatio exstincta est. Hinc v. gr. si mutatio facta in ieiunium *talis diei* et dein vel non possis, vel nolueris id praestare, non teneris amplius ad primam promissionem; sed si alterum nolueris, utique peccasti.

Bene tamen monet s. Alph. ibid. id valere, si alterius potestate facta sit commutatio, non vero si sola voventis voluntate; quia in hac hypothesi prior obligatio non extinguitur, sed solum suppleri supponitur per aequalem aut per meliorem.

Dub. VIII.

Quid sit dispensatio et quis possit dispensare in votis.

LXXVII. Resp. 1. Dispensatio est absoluta obligationis voti condonatio, nomine Dei facta. Ad hanc, ut valeat, iusta causa requiritur, qualis v. gr. est 1. bonum Ecclesiae, vel commune Reip. 2. notabilis difficultas in observatione voti. 3. imperfectio actus, vel levitas ac facilitas, ex qua processit votum. Suar. l. c. c. 17. Fill. n. 260. Sanch. l. 4. c. 45. Vide Bon. p. 7. n. 24. Laym. c. 8. n. 5.

701. Huiusmodi dispensatio non fit a legislatore circa suam legem, adeo ut valida dici debeat, licet sine causa fiat; sed fit semper veluti *ab inferiore,* nomine Dei. Et idcirco semper requiritur causa.

De his iam per se actum est in tr. *de Legibus.* Ad 1ª causam *boni Ecclesiae* vel reipublicae, bene s. Alph. lib. 3. n. 250. addit etiam bonum familiae vel maiorem profectum voventis.

De 2ª causa scil. difficultate exsecutionis s. Alph. ex communi DD. n. 252. haec habet: Sufficit autem pro causa ad dispensandum 1° periculum transgressionis ob indispositionem particularem voventis, vel ob communem fragilitatem hominum.

2° Sufficit etiam magna difficultas in exsecutione, non solum si non fuit praevisa (quia tunc posset cessare per se obligatio ex dictis n. 660.), sed etiam si praevisa fuerit, tum quia etiam tunc adest periculum transgressionis, tum quia res multo difficilior apprehenditur, dum instat exsecutio, quam cum mere deliberatur et hoc etiamsi difficultas oriatur ex fragilitate voventis.

3° Sufficit etiam, si vovens vexetur magnis scrupulis, quod contingit maxime, ubi multoties dubia incidant, quousque voti materia sese porrigat. Ideo requiritur ut materia voti sit clara determinata. Quod spectat ad 3ᵐ causam, quae est *imperfectio actus,* ait. s. Alph. n. 253.: « Etiamsi absit periculum transgressionis et magna difficultas in exsecutione, sufficit pro causa, quod votum emissum sit immature, scil. cum nimia facilitate, vel ex imperfecta deliberatione, vel sine perfecta libertate. Ob hanc rationem vota impuberum sine alia causa possunt absolute dispensari sine aliqua commutatione. Idem dicendum est, si votum emissum sit ob metum *levem* incussum ab extrinseco (dicit *levem;* quia si esset *gravis,* votum foret nullum). Idem, quando imperfecta deliberatio aut libertas in vovendo processit ex tristitia, sive ira, sive metu intrinseco naufragii, mortis vel alterius mali; quia tunc vota immature fieri solent et ideo possunt dispensari sine commutatione. Si autem constaret, tunc maturam fuisse deliberationem, dispensationi admisceatur aliqua commutatio; sicut etiam fieri debet, si cessat causa *impulsiva* voti » (*impulsiva* est quae per se non sufficit). Haec s. Alphonsus.

Movet heic s. Doctor n. 251. quaestionem, an valeat dispensatio, si bona fide credatur adesse iusta causa, quae revera non sit.

Nos alibi *de Legib.* n. 424. seqq. hanc quaestionem iam attigimus et ostendimus 1° valere, si error fuit circa *sufficientiam causae:* 2° non valere, si totaliter absit causa, quae adesse putabatur.

Unde resolves.

LXXVIII. 4. Cum causa non sufficit ad integram dispensationem, partim dispensari, partim commutari potest. Bon. l. c.

702. Quando causa non sufficit ad dispensandum, adverte addi posse aliquam commutationem.

Hoc saepe fit, quando iniungitur taxa pro dispensationibus, quae a S. Poenitentiaria vel Dataria petuntur.

LXXIX. 2. Praelatus videns ac (cum facile possit) non contradicens, videtur dispensare, ait Sà.

703. Diximus de hac re in tr. *de Leg.* n. 432. seqq.; ibique distinximus duplicem modum tacitae dispensationis, scil. 1° per scientiam et patientiam praelati: 2° per factum ipsius praelati, scientis legem voti et nihilominus concedentis vel praecipientis aliquid, quod sine voti dispensatione non est licitum, v. gr. habenti votum ieiunii superior det cibos et ad comedendum urgeat.

LXXX. 3. Potestas etiam delegata dispensandi in votis extendit se etiam ad vota iurata et iuramenta pia soli Deo facta. V. Suar. l. 6. *de Voto* Sanch. l. 8. *de Matr.* disp. 3.

De votis iuratis vel iuramentis Deo factis, actum est, ubi de modo tollendi obligationem *Iuramenti* cap. 2. dub. 7. resol. 3.

LXXXI. 4. Ante voti acceptationem a certa persona aut Ecclesia, non censetur ei ius acquisitum; ideoque sine eius iniuria potest dispensari, vel commutari.

704. Egregia sunt, quae ad hunc A. locum subiicit s. Alph. n. 255. et ex brevi indicabimus.

I. Quoad sententiam A., s. Alphonsus eam communissimam esse fatetur et quidem.

1° etiamsi promissio, nondum acceptata, non in solum Deum sed peculiariter etiam in personam directa fuerit, v. gr. promitto cum voto dare tali pauperi etc.

2° Et etiamsi promissio facta sit in honorem patroni alicuius ecclesiae; requiritur acceptatio ab illius rectore.

3° Et etiamsi acceptetur ab aliquo paupere promissio, quae alioquin fit soli Deo, dandi aliquid indeterminatis pauperibus. Ratio infr. n. seq.

4° Contra si promissio facta sit in utilitatem solius hominis et sit acceptata.

Sed si votum principaliter ac primario fiat in honorem Dei, secundario vero ac minus principaliter in utilitatem tertii, contra quosdam, qui negant, sine consensu eorum, qui acceptaverint, posse votum commutari aut dispensari, plures alii id licere affirmant; quia (ut ait s. Alph. l. c. ex mente horum DD.) licet promissio fiat personae particulari, fit tamen (unice) propter Deum; hinc Deus est tota promissionis causa et per accidens se habet, quod a tertio illo sit acceptata; qui si quid iuris acquisivit, acquisivit tamen dependenter a beneplacito Dei, cui servanda est promissio.

Adhibe exemplum Petri, qui promittat v. gr. favorem Paulino sed in gratiam Ioannis Archipresbyteri. Licet Paulinus acceptaverit, tamen obligatio promissionis innititur relationi Petri ad Archipresbyterum et siquidem hic tollat hanc relationem v. gr. per offensas illatas, eo ipso perit ratio dandi Paulino favorem, utcumque ipse acceptasset.

705. Ad quae s. Alph. ibid. tria notatu dignissima subdit.

Primum est, quod talis simplex promissio facta homini etsi obligaret non obligaret tamen sub gravi. Cuius dicti probationem remittit ad tract. *de Contractibus*, ubi scil. de contractu promissionis sub *mera fidelitate*.

Secundum est, haec, quae de voto dicta sunt, valere etiam de iuramento *principaliter emisso in honorem Dei;* scil. posse relaxari sine consensu tertii.

Tertium est, hoc intelligi de sola promissione *gratuita;* secus vero, si pars acceptans se ad aliquod onus obligaret in commodum promittentis. Tunc enim cum intercedat contractus utrinque onerosus et utrinque obligatorius, promissio et consequenter iuramentum seu votum relaxari non potest sine consensu alterius partis.

Quam doctrinam s. Alph. ibid. applicat voto *perseverantiae*, quod in quibusdam Congregationibus solet emitti simul cum aliis votis simplicibus; nam licet promittat quis principaliter in honorem Dei perseverantiam, attamen quia Congregatio eos acceptando se obligat ad illos sustentandos et instruendos, atque ad non dimittendos sine iusta causa (de qua tamen superiores non tenentur rationem reddere dimissis): ideo cum intercedat contractus utrinque obligatorius, commutari votum aut dispensari ab quovis non potest, nisi vel ab ipsa Congregatione vel a Rom. Pontifice, qui est primus Superior omnium Congregationum.

Quod s. Alph. confirmat duplici Constitutione Benedicti XIV., altera 25. Nov. 1749. *Convocatis,* ubi §. 32. dicit: « Quoad vota noverint (scil. confessarii), sibi abstinendum ab eorum commutatione, in quibus agitur de praeiudicio tertii. Quare in eo, quod pertinet ad vota, quantumvis simplicia, seu *perseverantiae* seu alia emitti solita in aliqua

Congregatione vel Communitate et in vota obligatoria a tertio acceptata, non se ingerant ». Et in Const. *Inter praeteritos* 3. Dec. 1749. §. 66. « Quod vero attinet ad commutationem votorum, in quibus de tertii praeiudicio agitur, quae quidem poenitentiariis interdicitur, apposite sane scribit Suarez (*de Relig.* tom. 2. lib. 6. cap. 15. n. 7.) circa vota *perseverantiae*, quae a quibusdam fiunt, dum aliquam Congregationem ingrediuntur quaeque naturam assumunt contractus et reciprocae obligationis inter ipsos et Congregationem, quae eosdem recipit, a quibus Poenitentiarii dispensare non possunt, etc. ».

706. * Restat tamen quaestio: quoniam voto accedente promissioni factae homini et acceptatae (ut si promittas eleemosynam alicui et voveas Deo dare hanc eleemosynam) duplex obligatio enascitur, altera fidelitatis erga Deum, altera iustitiae vel fidelitatis erga hominem, quaeritur an possit relaxari prior obligatio manente secunda et quaestio eadem fieri potest cum loco voti est iuramentum. S. Alphonsus *de Iuram.* n. 192. postquam ea dedit, quae nos retulimus *de Iuram.* n. 598. subdit: « Sed de hoc iuramento principaliter in Deum emisso magna vertitur quaestio, circa quam vide dicenda c. 3. *de Voto* n. 255., ubi ea exstant, quae nos recitavimus heic a n. 704. Certum est quidem, quod promissio facta alteri acceptata nequit sine huius consensu vel a Papa relaxari, idque utroque in loco affirmat s. Doctor: sed manente obligatione promissionis vel contractus, cur non poterit relaxari obligatio voti vel iuramenti, cum altera sine altera stare possit diversaeque sint rationis?

Suarez *de Voto* l. 6. c. 15. r. 7. 8. ita de hac re decernit, ut regulariter id fieri nequeat. Statuit tamen absque haesitatione, quod si votum vel iuramentum solum accedant promissioni acceptatae, possit relaxari prius, manente obligatione promissionis et monet posse intercedere iustam causam auferendi vinculum voti. Nihilominus, ait, regulariter non habet locum talis dispensatio; quia semper promissum praestandum est secundum rectam rationem et ideo vix potest dari iusta causa ad auferendam maiorem obligationem. Sed id gratis dicitur et, quidquid sit, vim solutionis datae non minuit. Subdit porro: idem fere esse, si votum cadat super promissionem humanam, ut in materiam suam. Ergo consequitur, quod per se etiam tum possit solvi vinculum voti, manente promissione. Pariter quaestionem solvit Sanchez l. 4. c. 41. n. 15. inquiens: « breviter respondeo cum Suarez (l. c.), id ex natura sua non repugnare, sive seorsim fiat utraque promissio sive coniungatur: at in priori casu dari facilius causam, quam in posteriore, in quo raro potest ea causa subesse ». Res ergo omnis huc redit, ut causa proportionata adsit, qua posita nihil prohibet auferri obligationem

voti, manent promissione. Et sane, si quis voverit rem iam praeceptam potest relaxari obligato voti, manente praecepto: cur ergo non poterit remitti obligatio voti, manente promissione? Ex his tamen non sequitur posse haec vota relaxari a quolibet habente potestatem dispensandi: sed habenda est ratio limitationum, quae apponuntur concessae facultati.*

Qui possit dispensare.

LXXXII. Resp. 2. Potestas dispensandi convenit omnibus Praelatis, qui habent iurisdictionem in foro externo, vel privilegium. Less. l. 2. c. 40. n. 12. Sanch. c. 37. et comm. Unde dispensare possunt sequentes 1. Papa respectu omnium fidelium in omnibus votis. 2. Episcopus respectu suorum subditorum, non autem Parochus; quia tantum habet iurisdictionem fori interni. Suar. loc. cit. cap. 12. 3. Praelati Regulares exempti respectu suorum Religiosorum et Novitiorum: idque circa vota, quae vel in seculo, vel etiam in novitiatu fecerunt. Less. n. 8. et 107. Sanch. l. 9. *de Matr.* d. 29. non autem praelati non exempti, neque Abbatissae Suar. Less. II. cc. 4. Ex privilegio Papae, Confessarii Ordinum Mendicantium secundum concessionem et moderationem suorum Superiorum, ut notat Less. d. 13. n. 108.

707. Quod attinet ad Pontificem, is dicitur posse dispensare *in omnibus votis*. Quaestio fit praesertim de duobus. 1° An possit dispensare in voto castitatis cum clerico. Et nemo dubitare potest eum posse; quia iure tantum ecclesiastico adnexum hoc votum est sacro Ordini. Vid. s. Alph. n. 256.

2° An possit dispensare in Professione religiosa. Et in tract. *de Legibus* ostendimus 1° sollemnitatem votorum, cum sit iuris ecclesiastici, subiici potestati Pontificis n. 407. seqq. 2° posse dispensare quoad contractum cum Religione n. 418.

Quoad Episcopos autem, Episcopus cum suis subditis potest dispensare in omnibus votis *non reservatis Pontifici.*

An vero dispensare possit cum peregrinis diximus in tract. *de Legibus* a n. 357.

Eadem facultas fit *Legatis a Latere* et Nuntiis Apostolicis in sua provincia.

Item Abbatibus habentibus Episcopalem iurisdictionem.

Quoad Regulares praelatos, non possunt ii dispensare in votis substantialibus vel illis adnexis, quae solent in quibusdam Ordinibus simul emitti.

Res est manifesta. Nihil autem attinet huc quaestio, an possint dispensare a reservatis. Quippe non est heic quaestio de Religionis aut castitatis votis, ut patet; quoad tria alia Papae reservata, notum est, voto ac statu religioso suppleri reliqua vota. Licet non possint irritare votum transeundi ad Ordinem strictiorem, possunt tamen ab eo dispensare. Possunt dispensare cum Novitiis, sed non a reservatis. Vide

tamen notata sup. ubi de irritatione. Delegare possunt hanc facultatem etiam simplici tonsurato (s. Alph. n. 257.).

Quoad privilegia Regularium, notat s. Alph. l. 1. *de Privil.* n. 109. posse eos dispensare in omnibus votis fidelium, in quibus valent de iure ordinario dispensare Episcopi: l. 3. autem n. 257. notat posse eos dispensare cum omnibus fidelibus tum in confessione, tum extra confessionem; quia facultas dispensandi extra confessionem exerceri potest, nisi in certis casibus disserte vetetur.

LXXXIII. Resp. 3. Supradicti omnes Papa inferiores possunt dispensare in omnibus votis, exceptis quinque soli Papae reservatis, scilicet voto Castitatis perpetuae, Religionis approbatae, Peregrinationis ad limina Apostolorum, ad s. Jacobum Compostellam et Ultramarina sive in terram Sanctam. V. Bon. Less. Laym. ll. cc.

708. Nota sedulo cum s. Alph. n. 258. casus, in quibus ea vota non censentur reservata.

I. Si sint emissa sub obligatione levi.

II. Si sint emissa ex metu, etiam levi, ab aliis incusso; quia tunc non censentur facta cum sufficienti libertate.

III. Si votum non sit perfectum ex parte materiae. Hinc quoad votum castitatis, hoc non est reservatum, nisi sit votum perpetuae et omnimodae castitatis. Ergo non est reservatum votum *non nubendi*, non *fornicandi*, generatim non *peccandi contra castitatem* (hoc enim votum non excludit matrimonium eiusque usum) *non petendi debitum, servandae virginitatis*, si intelligatur mere carnis integritas; secus si abstinentia ab omni actu venereo et omni quoque (adde) actu interno contra eandem virtutem, item *castitatis temporaneae*, seu non perpetuae, item *castitatis coniugalis*.

IV. Item ex defectu materiae non est reservatum votum emittendi votum castitatis, aut religionis, aut suscipiendi sacros ordines; quia non est votum castitatis etc. factum, sed faciendum.

Ita nec votum *Religionis nondum approbatae:* quia Religio, de cuius voto fit reservatio, approbata intelligitur. Unde nec reservatum erit votum ingrediendi aliquam Congregationem, in qua non fiunt vota sollemnia.

Item nec votum peregrinationis Romanae, ut ait s. Alph., nisi fiat sola devotionis causa et praecise illorum locorum scil. liminum Apostolorum: unde non erit reservatum votum adeundi Romam ad invisendam v. gr. imaginem s. Mariae Maioris, aut sepulchrum s. Stanislai, item votum pergendi in Palestinam ad inserviendum infirmis seu peregrinis.

V. Licet reservata sint vota, non tamen reservatae sunt ipsorum circumstantiae, v. gr. peregrinandi mendicando, vel nudis pedibus, vel cum cilicio.

Item reservato voto religionis non est reservata circumstantia Ordinis strictioris; unde ab hac parte potest dispensatio fieri etiam ab Episcopo aut habentibus generatim facultatem communem.

Item circumstantia *temporis* ingrediendi religionem non est reservata.

VI. Item non censentur reservata ea vota disiunctive emissa, v. gr. votum aut ingrediendi religionem, aut peregrinandi more s. Alexii. Et s. Alph. n. 258. prop. fin. censet *probabile*, hoc valere etiam post electam partem reservatam.

VII. Item non est reservatum votum factum sub conditione, quando conditio nondum sit impleta; quia reservatio intelligitur de obligatione consummata. Et hoc, ut ait s. Alph. n. 261., *certum est et commune.*

Item, ut ait s. Alph. ibid., *communior* et valde *probabilior* est sententia, quodlibet votum conditionale de futuro, non esse reservatum etiam post impletam conditionem. Ratio, quia reservatum votum debet emitti ex solo affectu ad rem promissam. Atqui in voto conditionali principalis affectus est ad conditionem, v. gr. ad sanitatem propriam vel alterius etc.

Et idem dicunt de voto poenali; quippe non emittitur ex solo affectu ad rem promissam. S. Alph. ibid.

Secus vero dicendum de conditionibus, si sint de *praesenti* vel *praeterito;* quippe conditio haec non suspendit obligationem; unde votum potius absolutum quam conditionatum dici debet. Ita s. Alph. n. 261.

Hoc ipsum dicendum circa conditiones *de futuro,* sed futuro necessario, vel de contingente, quod sit commune cuilibet promissioni v. gr. *si vixero, si potero.* Vel si conditio apponatur non ad suspendendam obligationem, sed determinandam exsecutionem voti, v. gr. si morietur mater, quam alere debeo, si attigero vigesimum annum, si cursum studiorum explevero etc., in quibus formulis vox *si* potius indicat *quando.*

709. Cum sint reservata vota castitatis, religionis, peregrinationis etc. mota est quaestio, an sint reservata etiam *iuramenta* de iisdem rebus facta.

Et s. Alph. n. 259. posthabita sententia, quae dicit esse reservata, ut minus firma, itemque alia sententia, quae distinguit inter iuramentum includens vel non includens votum, tenet ut magis congruam sententiam aientem, iuramentum tale non esse reservatum. Quod si in ipso sit inclusum votum, erit quidem reservatum votum, sed non iuramentum.

Ceterum tunc merum iuramentum adesse sine voto s. Alphonsus

recte censet, quando iuramentum quis emisit ad firmandum nudum propositum per se non obligatorium; secus si iuramentum addidit ad confirmandam promissionem obligatoriam Deo factam.

710. Quoad facultatem *dispensandi ab votis reservatis:* quanquam haec vota reservata sint Sedi Apostolicae; tamen in casu urgentis necessitatis, quando videlicet non patet facilis aditus seu recursus ad ss. Pontificem et alioqui in mora periculum adest gravis damni spiritualis (v. gr. *violationis voti, scandali, rixarum aut alterius peccati*), vel temporalis proprii vel alieni (v. gr. gravis infamiae mulieris etc.), tunc dispensare possunt etiam Episcopi, seu alii episcopalem iurisdictionem habentes.

Imo cum Episcopi tunc dispensent iure ordinario, s. Alph. n. 258. not. 2. dicit, *valde probabiliter* posse dispensare etiam Mendicantes. Et hoc intelligitur quoque de voto castitatis etiam ad matrimonium contrahendum; nam alioquin post contractum matrimonium tum Episcopi tum Mendicantes *citra ullum periculum in mora* dispensare possunt in voto castitatis ad debitum petendum: ita et in voto continentiae emisso post contractum matrimonium. S. Alph. ibid. in fin.

Nota tamen, hanc a voto castitatis dispensationem in casu praedictae necessitatis non esse concedendam, nisi quatenus necessitas illa exigit. Unde si sufficiat suspendi votum, non poterit dispensari: item si dispensetur cum habente castitatis votum, ut nubat cum aliqua ad reparandum eiusdem honorem, nequit ille cum alia nubere. Ita s. Alph. l. c.

Tandem, ut de commutatione horum votorum dicamus: si quodpiam ex votis reservatis in aliud opus commutetur, materia subrogata ex communi et probabiliori sententia habet utique vinculum voti, sed non reservationem, quae primae tantum materiae adstricta erat. Ita s. Alph. n. 260. Et ratio patet, quia vinculum reservationis per ipsam commutationem legitima auctoritate sublatum est.

SECTIO III.

DE TERTIO PRAECEPTO

QUID TERTIUM PRAECEPTUM.

I. Praeceptum hoc, quatenus vult tempus aliquod sanctificari sive impendi cultui divino, est naturale et adhuc obligat: quatenus vero tempus id designatur die Sabbati, est ceremoniale et in Novo Testamento abrogatum ac pro eo ab Ecclesia designatus dies Dominicus et festi praescriptusque modus colendi, ut quaedam opera illis diebus fiant, quaedam non: haec prohibentur, illa praecipiuntur. Bonac. Laym. ex d. Th. 2. 2. q. 122.

711. Postrema verba A., hoc praecepto *quaedam praecipi*, *quaedam prohiberi*, ostendunt, quid respondendum sit quaestioni: *An hoc praeceptum sit affirmativum, an negativum.* Respondebitur enim *affirmativum* esse qua parte aliquid agendum praecipit, *negativum* vero, qua parte quidpiam faciendum prohibet.

Salmanticenses de 3. Praecepto c. 1. n. 15. statuunt praeceptum hoc esse affirmativum, dum non obligat *semper et ad semper* citantque Suarez etc. contra Caietan. etc., qui tuentur esse negativum, cum in eo nihil positivum Iudaeis praecipiebatur, quod Salmant. negant n. 20. citantes ad hoc etiam Catechismum Romanum.

In quibus tria sunt, quae non placent. Primum est ratio definiendi praeceptum *affirmativum, quia non obligat* PRO SEMPER, quam rationem quidem ita explicant: « cum plures sint causae ab eius observatione excusantes »: quo pacto probationem non possumus recipere; ponis enim negativa esse solum praecepta, quae nullam admittunt causam excusantem; sic autem negativa ne praecepta quidem erunt ieiunii, abstinentiae vel etiam homicidii, ut patet. Admittere causas excusantes vel dispensationem commune est omni praecepto positivo, sive affirmativo sive negativo. Ceterum praeceptum hoc obligat pro semper, h. e. pro omnibus diebus festis, quos tantum respicit.

2º Quia ad praesentem quaestionem traducunt ea, quae DD. disputabant de praecepto hoc, *prout Iudaeorum proprium erat* et id quidem ita, ut opponant Doctores Doctoribus, qui facile conciliantur cum Suarez aiente *de Relig.* tr. 1. lib. 2. cap. 1. n. 5.-7., *affirmativum* videri praeceptum, quatenus praecipitur cultus Dei in sanctificatione Sabbati, negativum vero si inspiciatur modus, quo haec sanctificatio exsequenda erat, abstinendo scil. ab operibus. Et tamen Suarez opponunt Caietano, cum Suarez pro se Caietanum alleget. « Formaliter, inquit Suarez l. c. n. 7. nihil ibi praecipitur, nisi dedicatio quaedam illius temporis ad cultum Dei, quae vocatur sanctificatio illius... Haec

autem dedicatio formaliter fit per cessationem ab opere, quae pertinet ad externum cultum per signum negativum declaratum ».

3° Quia dicentibus, hoc praeceptum, prout *Iudaeis* iniungebatur, esse *negativum*, opponunt Catechismum romanum, qui loquitur *de Christianis*.

712. S. Alphonsus lib. 3. n. 264. q. 2. contra quosdam, qui praecipi hoc praecepto cultum internum docuerunt atque inde inferebant, vi huius praecepti nos teneri ad eliciendos ea die actus caritatis etc., tradit, communissimam esse DD. sententiam, quae id negat et allegat s. Thomam 2. 2. q. 122. art. 4. aientem: « Quia ad interiorem cultum, qui consistit in oratione et devotione, magis inducitur homo ex interiori Spiritus Sancti instinctu, praeceptum legis dandum fuit de exteriori cultu etc. (a) ».

Et Catech. Rom. *de* 3° *Praec.* n. 1. « Hoc legis praecepto externus ille cultus, qui Deo a nobis debetur, recte atque ordine praescribitur ».

Nota. Saltem dum praecipitur auditio Missae, praecipitur consequenter ut *velimus* audire Missam; quia debet esse actus humanus.

Ceterum addit ibid. s. Alph., sanctificationem animae esse finem praecepti, qui ex generali regula non cadit sub praeceptum. Vid. s. Thom. 1. 2. q. 100. art. 9. ad 2.

713. An vero observatio Dominicae sit iuris divini nec ne, vera solutio est (s. Alph. lib. 3. n. 265.), quod hoc praeceptum, quoad cultum aliquem Deo exhibendum, est naturale et divinum: quoad determinationem temporis et modum eo tempore colendi, est ecclesiasticum. Porro ait s. Th. 2. 2. q. 122. art. 4. ad 4.: « Dicendum quod observantia diei dominicae in nova lege succedit observantiae sabbati non ex vi praecepti legis, sed ex constitutione Ecclesiae et consuetudine populi Christiani ».

Quoniam de ecclesiastica institutione sermo factus est, quaeritur quid in hac re possint Episcopi. Responsio est, posse Episcopos festum aliquod instituere, saltem cum consensu cleri et populi, qui sufficienter adesse censetur, si non contradicant. Ex c. *Conquestus, de Feriis*. Urbanus tamen VIII. in Bulla *Universa* anno 1642. monet Episcopos, ne facile ad nova festa instituenda inducantur. Vid. s. Alph. lib. 3. n. 266.

Tempus autem obligationis ex usu hodierno Ecclesiae Romanae se extendit a media nocte ad aliam mediam noctem. Monent tamen DD. posse institui festa usque solum ad meridiem vel vesperam. Vid. s. Alph. lib. 3. n. 267. Servetur consuetudo.

(a) Exinde infirma ratio est quae ex necessitate orandi tempore Missae vult inferre, non satisfieri praecepto Missae, si tunc quis confitetur sacramentaliter.

Gravem esse obligationem huius praecepti habes ex damnatione prop. 52. damnatae ab Innocentio XI.: « Praeceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus ».

714. Quoad eos, qui hoc praecepto teneantur quaestio duplex fieri solet: prior de Regularibus, an teneantur ad festa specialia alicuius dioecesis. Habemus hac in re decretum Concil. Trid. Sess. 25. *de Regul.* cap. 12.: « Censurae et interdicta nedum a Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo, a Regularibus in eorum Ecclesiis publicentur atque serventur. Dies etiam festi, quos in dioecesi sua servandos idem Episcopus praeceperit, ab exemptis omnibus etiam Regularibus, serventur ».

Altera quaestio est de pueris. De his vero diximus, ubi *de Legib.* n. 336. seqq. et s. Alph. disserit lib. 3. n. 270. Summa est, probabiliter ante expletum septennium pueros non teneri; quia, ut ait s. Thom. 2. 2. q. 147. art. 4.: « Statuta communia proponuntur secundum quod multitudini conveniunt et ideo legislator in eis statuendis attendit id, quod communiter habetur et in pluribus accidit ».

Bene tamen parentes facerent, si filiolos etiam antea pietati assuefacerent etc.; quia pueruli magis factis erudiuntur, quam verbis etc.

S. Alph. ibid. merito ab obligatione audiendi Missam eximit eum, qui simul sit caecus et surdus; quia hic non potest praestare Missae moralem assistentiam.

715. Quaerit s. Alph. n. 271. an liceat in festis iniungere opera servilia infidelibus. Sententiam affirmantem non improbabilem idem affirmat et sane non apparet ratio cur id negetur. Nam infideles possunt certe his diebus haec opera exercere, cum legibus Ecclesiae non teneantur: qui ergo ea ipsis praecipit, nullum peccatum eis praecipit imo opus honestum: cur ergo peccabit id praecipiens? Etsi vero quis censeatur per se facere quod facit per alium, id verum est *moraliter*, non *physice;* heic autem res prohibita christianis est ipsum corporale opus servile et nihil aliud. Cf. inf. n. 771.

Dub. I.

Quae opera tum hoc praecepto tum ab Ecclesia prohibeantur.

II. Resp. 1. Die festo prohibentur omnia opera servilia, hoc est quae et versantur circa materiam externam et vel mechanica et illiberalia sunt, v. gr. suere, fabricare, vel requirunt tantum laborem corporis et ab operariis tantum et servis fieri solent. Ita DD. communiter. Vid. Laym. l. 4. tr. 7. c. 2. Suar. *de Relig.* tr. 2. l. 2. Fill. tr. 27. c. 9. etc. ex s. Th. l. c.

716. Praemittere licet, quod Ecclesia, mater benigna, subinde, ut conciliaret cultum cum utilitate temporali, permisit fidelibus quorundam

locorum, ut in quibusdam festis opera servilia possent exercere et solum audirent Missam.

Hanc veniam factam esse regnis utriusque Siciliae a Benedicto XIV. 22. Dec. 1748. memorat s. Alph. lib. 3. n. 268., ut opera servilia exerceri possent in festis, « exceptis diebus dominicis paschatis resurrectionis, pentecostes et aliis dominicis per annum nec non diebus Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis, Corporis Christi et Nativitatis Domini, diebus Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis B. M. V. Immaculatae, Festi ss. Apostolorum Petri et Pauli, omnium Sanctorum ac praecipui quorumcumque locorum et dioecesum patroni »: pro aliis diebus festis praecepta fuit tantum auditio Sacri. Idipsum pro quibusdam festis indultum fuit ditioni Etruriae, quae nunc alibi sunt suppressa.

Doctrinam autem A. brevibus paragraphis explicabimus. Itaque.

Distinctio operum.

717. Distingui solent 1° *servilia,* 2° *liberalia,* 3° *media* seu *communia.*

Servilia bene describit A. Alii addunt, ea dici, quae utilitati corporis inserviunt et corporis potius, quam animi viribus exercentur. Suarez *de Relig.* tr. 2. lib. 2. cap. 23. n. 7. opus servile dicit, « quod corporale sit et circa materiam et effectum corporalem versetur et non sit quasi connaturale opus ad conservationem, propagationem et vegetationem corporis ab ipsa natura datum, sed industria hominis vel arte adiunctum et ordinatum principaliter ad sensibilem seu corporalem usum ». Cuius descriptionis rationem Suarez reddit praec. cap. 20. et nos tangemus ex iis nonnulla in Resolutionibus.

Liberalia, quae viribus potius animi peraguntur et ad animum potius excolendum pertinent, uti legere, docere, canere etc. et liberalia dicta sunt, quia a liberis (qui aliis nempe non famulantur; alio sensu ab eo, quo haec vox olim usurpabatur) potius exercentur.

Media, quae a liberis aeque ac a servis exercentur, ut iter facere etc.

Suarez porro lib. 2. cap. 23. excludendam putat tertiam hanc classem, quippe quae nihil in rem nostram facit et invecta ab iis est, qui quaedam opera volebant servilia vel non servilia censenda esse, prout fierent vel non ob lucrum seu stipendium: quam sententiam infra videbimus reiiciendam.

Ex resolutionibus patebit, hanc distinctionem aliquid, modicum tamen, prodesse ad definiendum, quid liceat aut non liceat. Et quidem in hac re plurimum deferri debet consuetudini; ex qua fit, ut quaedam alicubi licite fiant, quae alibi scandalo non carerent, ut suo loco notabimus.

An peccata die festo patrata sint contra hoc praeceptum.

718. Probabilior sententia et longe communior, ut ait s. Alph. lib. 3. n. 273., negat, peccare contra hoc praeceptum, qui die festo peccat. Doctrinam autem s. Thomae 2. 2. q. 122. a. 4. ad 3.: « Magis contra hoc praeceptum agit qui peccat in die festo, quam qui aliud corporale opus facit » interpretatur de fine praecepti, non de praecepti obligatione.

Nihilominus hoc pacto forte non integre exhibetur sententia DD. Nam ut habet Lugo *de Poenit.* disp. 16. n. 515., quaestio fiebat, an circumstantia temporis sacri esset necessario explicanda in confessione. Et respondet Lugo ibid. n. 516., communius fere omnes id negare. At enim isti sic non negant, peccari etiam contra reverentiam diei festo debitam, sed solum negant tam grave esse peccatum, ut necessario ea circumstantia sit exprimenda.

Itaque ait Lugo ibid. n. 519.: « Adverto, negari non posse, quod circumstantia illa, per se loquendo et seclusa ignorantia vel inadvertentia, aggravet aliquantulum ac per consequens det malitiam specialem sacrilegii saltem levem ». Et n. 520. subdit: « Licet aliqualiter opponatur reverentiae debitae tali diei, non tamen videtur continere notabilem irreverentiam, nisi forte fieret in contemptum diei sacrae, aut ex industria ut profanetur dies sacra; tunc enim non est dubium, quod esset necessario explicandum ».

Quae doctrina innititur communibus principiis, non necessario esse explicanda peccata, nisi sint *gravia.*

Pariter Suarez *de Relig.* lib. 2. cap. 18. n. 12.: « In priori quaestione evidens est mihi pars negans, an scil. peccare in die festo sit speciale peccatum directe ac formaliter pugnans cum praecepto de die festo servando ». At n. 14. 15.: « Satis probabile censeo, peccatum ex hoc, quod in festo fiat, malitiam aliquam seu malitiae augmentum suscipere... ». Et n. 16. « Constat, hanc circumstantiam non esse de necessitate fatendam ». Idem autem Suar. tr. 3. lib. 3. qui est *de Sacr.* cap. 4. n. 1. 3., consentit, hanc malitiam ad sacrilegium reduci (licet incertum relinquat, an reduci debeat ad locale, an ad reale sacrilegium, cum probabilem dicat utrumque dicendi modum).

Spectato ergo praecepto abstinendi ab operibus servilibus, dicemus, peccatum opponi huic praecepto, si ipsum per opus servile exerceatur v. g. effodiendo domum et asportando res furto ablatas etc., secus, nequaquam, ut v. gr. legendo turpia vel turpia colloquendo etc.

Unde resolves.

III. 1. Impertinens est ad rationem operis servilis, utrum fiat ex lucro, an ex recreatione: ex hac, an ista intentione, pia, vana et turpi. Caiet. Suar. Laym. l. c. etc. contra Sylv. et Canonistas.

719. Duo hac resolutione statuuntur consectaria praemissae definitionis operis servilis.

Primum est, impertinens esse, an opus fiat necne ex lucro. Et exinde sequitur 1° opus, quod vere servile sit, non exuere hanc sui conditionem, licet fiat gratis aut ex recreatione. Peccat ergo, qui ex recreatione v. g. fodiat terram aut arte fabrili quodpiam opus e ligno vel ferro compingat etc.

2° Contra si opus non est servile, non peccas, licet illud ex lucro exerceas. Ita v. gr. qui die festo in platea litteras scribit pro idiotis, vel qui ad epistolam ferendam longam viam currit.

Idem dicito de intentione. Nam utcumque haec vana sit aut etiam prava, non facit ut opus evadat servile, si tale per se non sit. Ita v. gr. qui scribat aut discat aut recitet turpem comoediam.

Contra violas praeceptum, si opus servile facis, licet intentio bona imo sancta videatur. Ita v. gr. si arare velis agros ecclesiae alicuius, convehere lapides aut ligna pro sacro aedificio aut vestes gratis consuere aut calceamenta facere pro pauperibus.

De his tamen limitationes vide infr. sub Dub. II. Ideo sume potius exemplum arantis terram aut laborantis, ut honestum alioquin lucrum reportet et eleemosynas faciat, vel faciat celebrare Missas...

Quocirca in his requiritur dispensatio, quae concedit facile solet, quoties absit scandalum. Vid. Suar. *de Relig.* tr. 2. lib. 2. cap. 2. n. 7.

IV. 2. Impertinens quoque est, sive fiat cum defatigatione et labore, sive non, sive brevi, sive longo tempore etc.; quia nihil horum mutat naturam operis.

720. Ratio resolutionis est, quia dantur opera laboriosa, quae servilia non censentur, v. gr. vehemens et diuturna declamatio, scribere, cantare, pulsare organa, saltare, iter facere etc.

Contra vero sunt opera servilia, quae hiusmodi defatigationem non important, ut v. gr. radere barbam, tondere capillos, vestes consuere, frumenti grana a granis lolii secernere etc. Vid. Suar. tr. 2. lib. 2. cap. 20. n. 2.

V. 3. Servile non est, ideoque nec prohibitum, festo ludere, choreas ducere, instrumenta musica pulsare, iter facere pedibus, equo, curru vel navi: unde etiam ad haec necessaria sunt licita. Navarr. c. 13. Tolet. et Laym. Suar. l. c. h. e. *de Fest.* c. 27.

De itinere.

721. Per se non est opus servile et praeterea consuetudo universalis sufficiens esset ad derogandum legi, si qua lex iter prohibuisset.

Neque in V. Test. omnino vetabatur, sed solum die sabbati mensura itineri praefigebatur. Sed idipsum evincit non esse opus servile: quia hoc non mutat naturam ex eo quod parvum sit aut magnum.

Et quidem generale principium est (Suar. l. c. cap. 27. n. 2.), opus, quod non est servile, parvo tempore vel parvo labore factum, non fieri servile propter durationem aut laborem; quia semper est eiusdem rationis. Porro agere iter modicum et suavi modo non est servile opus; ergo licet augeatur et duret, per se non fiet servile ac proinde nec prohibitum ex generali prohibitione operis servilis.

Nec refert, quod si sit nimium iter vel cum celeritate vel defatigatione corporis, impediat, ne possit mens Deo vacare; quia hic est finis praecepti, qui non cadit sub praecepto (praescindimus ab hoc quod possit impedire auditionem Missae, ut patet).

De accessoriis itineri.

722. Quando homines curru vel lectica feruntur, licitum est, omnia necessaria facere ad illos iuvandos, vel imponendam mulis lecticam etc.; quia ordinantur tantum ad iter personarum. Ed eadem ratione erit licitum, onera necessaria ad usus itineris deferre, ut... necessaria ad mensam et cibum etiam iumentorum,... sive quia haec omnia censentur accessoria itineri sive quia parva reputantur vel certe quia consuetudine recepta sunt (Suar. l. c. n. 3.).

Et s. Alph. n. 275. ex eadem consuetudine licitum dixit, uti lectica ab hominibus portata. Sane Venetiis v. gr. licet certe remigiis agere naviculas, quibus deferatur quis ad ecclesias, ad visitandos consanguineos, ad solatium etc.

De musica et choreis.

723. Haec opera non sunt servilia et musica quidem; tum quia musica inter artes liberales computatur, tum quia per se non est opus servorum neque ex genere suo fit ad serviendum, tum quia ordinatur solum ad animi oblectamentum et de se excitat mentem estque actus quasi sermocinationis certo modo factus. Nec naturam mutat, quod interdum fiat ob mercedem.

Choreae vero seu saltationes, etsi magis corporale quid videantur, solum consistunt in quadam corporis agitatione ac motione ad eius

levamen et ut sic ipsum cooperetur exultationi et gaudio animi et ita etiam pertinent choreae ad liberalem actionem. Suarez l. c. cap. 27. n. 5.

Nec refert, quod forte intentio sit vana aut etiam turpis etc.; quia inde actus poterit habere malitiam alterius generis non tamen pertinebit ad violationem huius praecepti.

Neque continuatio per totum diem (secluso contemptu aut scandalo) faciet peccatum mortale... Si vero actiones illae fiant cum excessu et otio, erunt venialia in genere peccati et forte aliquam venialem malitiam induunt ex circumstantia diei festi, ut sup. n. 718. dictum est.

VI. 4. Nec servile est, ducere iumenta sine onere; cum id sit iter facere, ut ait Fill. hic c. 9. n. 170. Ducere autem iumenta, currus vel navigium onustum mercibus est servile. Suar. l. c. Fill. l. c. Quod si tamen ante festum talia itinera incepta sint, continuatio eorum permittitur, vel ob publicam utilitatem vel ob damnum, quod alias sequeretur.

724. Tres partes habet resolutio: prima scilicet de ducendis iumentis sine onere et haec nullam habet difficultatem; quia est simplex iter: altera de inchoando cum iumentis aut curribus onustis itinere: tertia de incepto tali itineri continuando.

Et quoad tertiam, id licere concedunt illi quoque DD., qui secundum licere negant, uti Suarez l. c. cap. 27. n. 3., ob rationes ab. A. allatas scilicet ob publicam utilitatem aut ad vitandum damnum. Inspiciendum tamen foret, an reipsa damnum eiusmodi adsit, quod excuset.

Quoad inchoandum vero iter, DD. non consentiunt. Nam (vid. s. Alph. lib. 3. n. 276.) alii negant licere non quidem re in se spectata, sed ratione laboris necessarii in imponendis aut levandis oneribus. Quod valet, si v. gr. saccus frumenti dorso mulorum sit imponendus etc.; cessat vero, si ducatur currus et onera praecedenti die imposita sint.

Alii licere absolute negant, etiam praeciso labore, quam sententiam sequi A. videtur; quia (ait) est opus servile.

Alii (iuxta s. Alph. *probabilius*) licere absolute dicunt, etiamsi labor ille adsit; quia, inquiunt, in tali labore muliones non insumunt notabile tempus et si aliquando sit notabile, excusatur vel ob evidens damnum grave, vel ob publicam utilitatem, vel denique quia adest universalis consuetudo: quod et de nautis dici s. Alph. refert.

Utrum ista consuetudo sit universalis, videat quisque in loco ubi degit. V. gr. Romae non est consuetudo vehendi farinas sive mulis impositas sive curribus, item nec marmorum moles aut trabes transferre iunctis bubalis. Profecto si agatur de magno labore in curru

onerando, vel navi, multo difficilior creditu erit haec consuetudo. Nec multum ad rem facit, quod dicitur de damno vitando aut publica utilitate. Nam loquimur modo de re in se spectata et alioquin ratio damni etc. est excusatio communis pro quolibet opere servili.

De molendo.

725. S. Alphonsus lib. 3. n. 277. admittit doctrinam Sanchez, quod liceat molere, si mola agitetur aqua vel vento vel (adde) vapore.

Imo addit, *probabile* esse, quod liceat, etsi mola agatur bestiis, quando cooperatio et labor hominis sit modicus, ac saltem non esse grave.

Inspicienda et in his erit consuetudo.

VII. 5. Item nec servile est, sive gratis sive pro pretio docere, studere, scribere, transscribere et secundum quosdam, ut Medin. Lopez et Armillam, quorum sententiam probabilem docet Laym. contra Fill. Azor, et alios multos, pingere etiam coloribus, (nam de rudibus lineamentis plerique concedunt): terere tamen colores et non pingere, sed tingere, ut v. gr. colorare asseres vel pannos, dealbare parietes, illiberale est.

De docendo et studendo.

726. Utut laboriosa haec esse queant, tamen liberales actiones sunt ad excolendum animum ordinatae nec naturam mutant suam, si pretio fiant.

De scribendo.

727. Nulla quaestio est, quando de eo agitur, qui aut per se proprios conceptus exprimit, aut alterius dictata excipit pro sua disciplina, ut scholaris; sed de eo disputant quidam, qui sit quasi instrumentum alterius seu amanuensis, praesertim vero, si non intelligat ea, quae scribit.

Verum, ut ait Suarez l. c. c. 24. n. 7., potius spectanda est natura actionis, quam accidentalis conditio scribentis. Actio autem ex natura sua est mentalis et spiritualis nec magis est opus servile, quam si quis verba ignoti idiomatis ore pronunciet. Praeterea licet non intelligat scribens, at scribit ut alii intelligant et sic ista quoque scriptio ordinatur ad mentem non ad corpus. Quod vero amanuensis ob lucrum scribat, non mutat naturam actus. Et durum et asperum foret dicere, non posse doctorem uti amanuensi die festo ad scribenda ea, quae sancte et utiliter concipit pro se aut pro aliis ». Ita Suarez ibid. n. 8. de se certe etiam loquens.

De transscribendo.

728. Quod liceat transscribere die festo, s. Alph. n. 279. dicit communissimam sententiam.

Et, ut ait Suar. l. c. cap. 25. n. 6., nulla sufficiens ratio differentiae assignatur inter scriptionem et transscriptionem »; cum utrumque ordinetur ad instruendam mentem.

Et merito s. Alph. ibid. id extendit ad transscribendas notas musicas et rationes (i conti).

De pingendo.

729. Haec controversia, inquit Suarez cap. 26. n. 4., non est parvi momenti et fateor, rem mihi dubiam videri; quia hinc verendum est, ne nimia licentia his artificibus tribuatur: aliunde vero non sunt scrupuli iniiciendi ».

DD. dissident, ut videre est apud s. Alph. n. 280. et alii volunt esse liberale opus, quo conceptus mentis exprimantur et ordinatum vel ad instruendum vel ad oblectandum *animum;* alii volunt esse mechanicum, et servile; quod tamen *infirmis*, fateor, rationibus vel ipse Suarez conatur evincere l. c. Alii liberalem volunt, quando fit recreationis causa, quas limitationes iam diximus excludendas; quippe intentio non mutat naturam actionis.

S. Alphonsus l. c. testatur 1° primam sententiam dici probabilem etiam ab aliis, quia eam absolute non tradunt. 2° Ipse subdit: « negari non potest, praedictam opinionem satis esse probabilem » et saltem non constare esse opus servile atque adeo prohibitum.

Hac tamen in re aliquid deferendum videtur sensui communi, qui exhibet etiam consuetudinem et consuetudo optime legem explicat.

Porro sensus communis fidelium non damnat generatim opus pingendi ut servile; abhorret tamen ab quodam apparatu, qui exhibet artificis occupationem mercenariam (il lavoro di mestiere), praesertim in pingendis parietibus sive domorum sive templorum.

Limitationes autem Auctoris omnino recipiendae, nempe 1° quod rudibus delineamentis rem effingere liceat idest ducere lineas potiores (fare il disegno): 2° quod non liceat terere colores, colorare asseres, dealbare muros vel pannos tingere etc.

De sculptura.

730. Ars sculptoria, inquit s. Alph. n. 281., communiter, saltem in aestimatione hominum, inter artes mechanicas computatur.

Aegre id audient sculptores figurarum; nam quoad alios, qui marmora pro aedificiis expoliunt, nulla esse debet quaestio. Et quidem qui

servile volunt esse opus pingendi, argumentum sumunt ab arte sculpendi, adeo ut, si de pictura id negamus, minus cohaerenter id affirmare videamur de sculptura. Nonne sculptura figurarum, non secus ac pictura, conducit ad quandam mentis institutionem?

Proinde egregie s. Alph. iniecit mentionem *aestimationis hominum;* quippe communis sensus et consuetudo inde proveniens optime explicat legem et melius servile opus definire solet, quam descriptio quaelibet a DD. laboriose excogitata. Habenda est ergo ratio consuetudinis. Cf. et Gury tom. 1. §. 357. q. 2.

De picturis acu fabrefactis.

731. « Communiter, inquit s. Alph. n. 281., admittunt, non esse opus servile delineare, retrahere imagines vel exemplaria acu, ut solent feminae: haec magis referuntur ad exercendum ingenium, quam ad operandum ». Cf. Tamburini *Explic. Decal.* l. 4. c. 3. n. 8.

Tum alios addit, qui saltem excusant puellas acu pingentes, ut *addiscant.*

Veruntamen cavendum, ne a retrahendis imaginibus transitus facile fiat ad quoslibet vestium ornatus.

Tum hac quoque in re multum sibi vindicare debet sensus et usus fidelium.

Auctor ad finem Resol. 8^{ae} dicit excusari puellas, quae id faciunt ad otium vitandum, sed haec erit alia quaestio; de qua infra.

VIII. 6. Videntur etiam excusari posse in Typographiis litterarum collocatores, quando post divina collocant neglectum pensum, ut habet Laym. hic. Imprimere tamen servile habetur. Escob. E. 5. 4. Suarez, Laym. etc.

De typographis.

732. Allegationes Escobar, Suarez etc. in fine resolutionis pertinent ad eiusdem partem secundam, scil. *quod imprimere praelo sit opus servile.* Escobar autem allegatio fallax est: quia in Exam. 5. cap. 4. tract. 1. nihil de his habet, sed utique in *Teol. Moral.* lib. 30. cap. 4. n. 154.

Ceterum quoad primam partem de componendis litteris, si ratio intrinseca spectetur, quae solet afferri ad demonstrandum opus non esse servile, valde debilis videtur. Aiunt enim, ordinationem illam characterum non esse opus servile; quia per eam manifestantur mentis conceptus, vel quia compositio ista ad id ordinatur.

At enim, reponunt alii (vid. Escobar lib. 30. n. 156.), illa ordinatio caracterum non est ex se conceptuum expressio aut expressionis con-

ceptuum transscriptio; sed est fabricatio quaedam instrumenti mechanici, quod inservire debet ad mechanicum opus. Dum enim typographi characteres componunt, fabricant, quas vocitant, formas, quibus deinde utuntur ad cudendas seu imprimendas litteras, non autem ad conceptus exprimendos; quod patet ex eo, quod characteres inverso ordine et situ apponuntur, ut scil. non ad lectionem aut sensus manifestandos ordinati appareant, sed potius ita dispositi, ut sint congruum instrumentum ad litteras cudendas.

Hinc non immerito Escobar l. c. n. 157. concludit, A. sententiam externa potius auctoritate, quam intrinseco merito dici posse probabilem. Atque ideo A., ut videtur, usus est phrasi illa « *videtur etiam excusari posse* » remque cum Laymann lib. 4. tr. 7. cap. 2. n. 3. fin. coarctat ad explendam pensi partem, quae neglecta per hebdomadam fuerit, licet alii cum Diana tom. 4. tr. 5. res. 31. n. 3. hanc limitationem non apponant; ea autem in re concordat sensus fidelium communis, utut Laymann aetate et regione sua aliter habuisse consuetudinem dicat.

Cum tamen s. Alph. n. 282. et clarius 279. non improbet et probabilitatem tribuant huic opinioni plures DD., neganda non foret absolutio et causa exigente indulgendum foret, ut id fiat.

IX. 7. Excusat etiam Fill. hic n. 169. distillationem, quae sine corporis fatigatione potius ad experientiam et peritiam fit, quam ex officio et arte.

De distillando.

733. Limitatio *si fiat ob experientiam* etc. forte non cohaeret cum principio alias inculcato, quod servilitas operis non pendet ab intentione. Concedendum est tamen, quod ex communi sensu fidelium aliud iudicium fit de actione, quae alias est ars propria et iugis occupatio aliorum dierum, aliud de actione suscepta per accidens, ut in casu nostro.

De generali principio resolutionis.

734. S. Alph. n. 282. in notula huic A. loco interiecta, ait, resolutionem praesentem admitti a Croix lib. 3. part. 1. n. 578., si modica sit applicatio.

Croix revera l. c. generatim sic statuit: « Simpliciter loquendo licita est occupatio modicissimae applicationis; hinc si cooperatio cum animalibus, ventis, aqua, igne etc. nullam vel modicam habet applicationem, est licitum illi cooperari et ita licitum est voce, strepitu, baculo excitare animal ferens onus (quid si nihil ferat?) molere, di-

stillare die festo. Quod si notabilis applicatio vel cooperatio servilis requireretur (quid valet heic τὸ *servilis?*), ut si onus esset saepius imponendum et deponendum, animal saepius exuendum et induendum (sed solet ne id contingere?), mola saepe obvertenda, ligna findenda ad nutriendum ignem etc. foret illicitum ».

Aliae occupationes.

735. S. Alph. l. c. addit, in dubium vocari, an liceat manibus emendare triticum et innuit, a quibusdam permitti ad otium vitandum leves labores, ut decerpere rosas, decorticare poma etc. Et subdit: « Sed in his potius dicendum puto, quod requiratur maius temporis spatium ad materiam gravem ».

Verum haec postrema regula quidpiam novi habet; quippe ex ipsa natura operis est iudicium ferendum, an liceat necne et si servile sit, sequetur regulam communem; sin minus, diuturnitas operis non faciet illud servile. Sed et in his plurimum sensui ac praxi fidelium tribuendum. Cf. animadversionem similem in seqq.

X. 8. Servile aliqui non putant (alii contrarium tenent et excusant per consuetudinem, ad otium aliaque peiora vitanda) venari, Granat. 2. 2. c. 3. t. 12. d. 4. s. 7. n. 65. aucupari, militare, gladiari, piscari (saltem in fluminibus recreationis gratia) et similia; piscatio tamen moderata esse debet. V. Laym. et Fill. t. 27. c. 9. q. 12. Bon. d. 5. qu. 1. p. 2. n. 25. Escob. qui docet, laboriosam et ex officio non licere. Similiter quidam excusant puellas ad otium vitandum acu pingentes, Arm. Azor, Palaus, Sà, Marchant. V. Dian. p. 6. t. 6. r. 15. et p. 4. tr. 4. r. 62.

De venatione et piscatione.

736. S. Alph. n. 283.: « Communior et probabilior (sententia) negat, esse prohibita, etsi fiant causa lucri; vel quia non sunt opera servilia... vel quia saltem excusantur consuetudine, ut recte alii tenent... Intellige modo haec fiant sine magno labore: alias frustra videretur Pontificem dispensasse in piscatione halecum in cap. 3. *de Feriis* ».

Ubi videtis, subinferri aliam regulam, scil. esse occupationes, quae pro parvo vel magno labore videantur mutare naturam: licet alias viderimus, in aliis actionibus defatigationem non mutare naturam operum. Quae ostendunt, praxi et consuetudine ac sensu communi plurima diiudicanda potius, quam theoriis generalibus.

De rosariis et scapularibus etc.

737. Gury §. 356. n. 2. statuit, « non licere ea facere, quae levem laborem exigunt et quae a monialibus fieri solent, v. gr. rosaria,

scapularia, imagines cereas, flores artificiales etc.; quia in usu communi haec servilibus accensentur. Attamen, inquit, cum isti labores et alii similes leviusculi sint nec animum valde occupent neque corpus admodum defatigent, iuxta plures permitti possunt, modo *ultra duas horas non producantur* ». Non contradicemus; at rationes 1° quod non defatigent, 2° quod non occupent animum, quid valent? Deinde 3° si non est servile, cur non licet ultra duas horas? Et si servile est, cur culpa caret, duas horas impendere? Ergo ad sensum fidelium seu consuetudinem recurrendum erit.

XI. Resp. 2. Prohibentur praeterea quaedam opera non servilia, quae dicuntur forensia, ut sunt mercatus, placitum, iudicium ad mortem vel poenam et strepitus omnis iudicialis, idest actiones, quae ad decisionem causarum tam civilium, quam criminalium, tam secularium, quam ecclesiasticarum spectant. Ita commun. DD. ex cap. 2. *de Feriis*.

De quibusd. operibus iure positivo speciali prohibitis.

738. Actiones enumeratas habes ab A. Ecclesia in iure canonico istas actiones prohibuit; quia licet non sint serviles nec mechanicae, sed ad cognitionem et convictum humanum ordinatae, prohibentur tamen propter iurgia et dissensionem et secularem distractionem, quam secum afferunt; unde quietem et vacationem in die festo intentam maxime impedirent. Suar. *De Rel.* tr. 2. lib. 2. c. 29. n. 1. Prohibitio horum habetur in cap. *Omnes* I. *de Feriis*, ubi inquit; « Omnes dies dominicos a vespera in vesperam (sic usus ferebat in Galliis ubi apud Compendium est latum decretum) cum omni veneratione decernimus observari et ab omni illicito opere abstinere: ut in iis mercatus minime fiat, neque placitum, neque aliquis ad mortem vel ad poenam iudicetur, nec sacramenta (nisi pro pace aut necessitate) praestentur.

Quoad actus ab A. recensitos, ii melius explicantur in Resolutionibus. Nomine *Placiti* communiter intelligitur sententia iudicialis in negotio *civili* (Suar. l. c. cap. 29. n. 9.); cum sequentes voces referantur ad causam *criminalem*. Vid. Schmalzgr. lib. 2. tit. 9. n. 25. coll. n. 26.

Unde resolves.

XII. 1. Festo non licet citare, adducere testes, idest exigere iuramentum iudiciale, proferre aut exsequi sententiam, quae, si feratur, est irrita. V. Laym. l. 4. t. 7. c. 2. n. 7.

De actibus iudicialibus.

739. Inter actus ab A. recensitos debet accenseri etiam formatio processus. — Quoad iuramenta iudicialia notat s. Alph. n. 284., licitum tamen esse iuramentum praestare Inquisitoribus. Addit Schmalzgr.

lib. 2. tit. 9. n. 24. tunc illicitum esse iuramentum, quod additur contractui vel actui qui ea die vetatur; contra licitum esse quando licitus est actus, cui adiungitur, v. gr. in Doctoris inauguratione. Nam accessorium sequitur principale.

Actuum irritatio.

740. In cap. *Conquestus* 5., *de Feriis* sic Gregorius IX.: « Quibus sollemnibus feriis (nisi necessitas urgeat vel pietas suadeat) usque adeo convenit ab huiusmodi abstinere, ut, consentientibus etiam partibus, nec processus habitus teneat nec sententia, quam contingit diebus huiusmodi promulgari ».

Nota exceptionem: nisi *necessitas urgeat* aut *pietas suadeat.* Alterutro enim postulante, et licite et valide res peragetur.

Quae necessitas excuset.

741. Causae necessitatis enumerantur 1° si res vel actio tempore sit peritura: 2° quando debitor suspectus est de fuga, dilapidatione vel deterioratione rei, super qua est conveniendus: 3° si partes litigantes, ut plerumque pauperes et rusticani homines, aliis diebus sine notabili incommodo comparere aut in iudicium vocari nequeant: 4° si contra latrones sit procedendum et periculum sit in mora ex l. *Provinciarum* 10. C. *de Feriis*, ubi ratio redditur, *ne sceleratorum differatur proditio consiliorum:* 5° si delinquentem propter atrocitatem criminis, ad exemplum et terrorem aliorum, in magno populi concursu plecti publice interesset, v. g. contra haereticum: 6° cum periculum est damni publici aut privati, spiritualis aut corporalis; quia huiusmodi damnum imponit necessitatem moralem: necessitas autem non habet legem. Schmalzgr. lib. 2. tit. 9. n. 52.

De pietatis causa.

742. Ratione pietatis et misericordiae festis diebus expediri possunt 1° causae alimentorum, carceratorum, pupillorum, viduarum, pauperum et miserabilium personarum; quia in operibus misericordiae dierum distinctio non est habenda, ut habet glossa ad h. vocem hoc cap. cit.: 2° quando alioquin, si causae cognitio differretur, pia causa pateretur incommodum; quia summa ratio est, quae pro Religione favet: 3° cum hoc exigit pietas et observantia erga patriam: 4° si causa sit matrimonialis et periculum adsit incontinentiae, nisi diebus feriatis iudicetur de valore matrimonii et impedimenti illius. 5° Quolibet die feriato expediri possunt quae pertinent ad pacem et concordiam; unde eodem tempore etiam transactiones et pacta fieri possunt. Schmalz. l. c. n. 53. Cf. Dubium sequens.

XIII. 2. Nec licet emere et vendere res non necessarias, negotiari publice vel privatim, inire contractus emptionis, locationis, permutationis etc. (nisi ex consuetudine vel aliis iustis causis excusentur); quia intelliguntur nomine mercatus, qui prohibitus est c. 1. *de Feriis*, ut docet Bon. ex Suar. c. 13. et Fill. t. 27. c. 10. q. 2. n. 180.

De mercatu. Quid significetur.

743. Nomine mercatus hei duo cmaxime veniunt, 1° scil. contractus emptionum, venditionum, locationum etc.: 2° publicae et sollemnes nundinae, quae certis temporibus bis vel semel in anno, negotiationis causa, in certis locis instituuntur vel quae certo quodam die fiunt singulis hebdomadis.

Quoad nundinas.

744. Nundinae annuae alicubi ex consuetudine permittuntur die festo. Neque deest iusta causa talis permissionis, maior scil. commoditas populi praesertim rusticorum et pauperum, qui aliis diebus aegre possunt operas suas deserere. Egomet tamen adverti, sublatas has nundinas fuisse, sicubi antiqua consuetudine non defenderentur.

Quoad hebdomadarias vero, reipsa non consueverunt die dominica haberi, sed alia quadam die infra hebdomadam. Quod si in eam diem festum aliquod incideret, transferri consueverunt in praecedentem vel subsequentem diem.

Veruntamen multis in locis, praesertim in pagis, quos circumstant plurimae familiae rusticanae in agris incolentes, consuetudo inolevit, ut sin minus nundinae, species quaedam tamen nundinarum saltem ad aliquas horas haberentur, per quas prostarent ea rerum genera, quibus rusticani indigere solent sive pro alimento et vestitu, sive pro instrumentis ad terram colendam ad aliasve necessitates. Ubi autem concursus est populi, etiam mercatores suas merces afferre solent. Hinc non mirum, si quaedam minus necessaria admisceantur, v. gr. iocalia pro pueris. Gury §. 356. n. 5. dicit tolerari etiam publicas venditiones sub hasta diebus festis, peractis divinis officiis; quia aliis diebus pauciores essent concurrentes. At apud nos hoc non viget.

De negotiatione et contractibus.

745. S. Alphonsus n. 287. testatur, communius apud DD. nomine *mercatus* non venire contractus emptionum, venditionum, locationum etc., nisi fiant publica sollemnitate, scil. cum instrumentis et auctoritate iudicis. Et reipsa, inquit Schmalzgr. lib. 2. tit. 9. n. 23., magna ex parte huic praecepto, scil. non celebrandi contractus huiusmodi (pro quo s. Alph. l. c. n. 286. innuit decretum s. Pii V. et ss. Congreg.

ss. Rituum) derogatum est per consuetudinem contrariam, consentientibus et conniventibus praesulibus Ecclesiae; videmus enim passim et sine scrupulo diebus festis conduci operarios, celebrari locationes et venditiones privatas etc. idque tum in favorem emptoris, qui alio die adesse non potest tum in gratiam vendentis, qui alio die non posset vendere ob defectum ementium.

Imo notat s. Alph. l. c. ferre consuetudinem, ut contractus celebrentur etiam per istrumenta, dummodo non requirant strepitum iudicialem, v. gr. testamenta, instrumenta sponsalium, venditionum etc.; quanquam advertat, alicubi notarios solere ad hoc petere generalem licentiam, quae ceterum communiter conceditur. Hac porro in re spectandae sunt cuiusque loci consuetudines.

Tandem monet s. Alph. n. 286., licere vendere calceas, candelas et similia; item vendere domum, equum, merces, quamvis multum temporis impendatur; qui sic fert timoratorum usus. Venditio tamen in publicis officinis prohibita est ab Ecclesia propter scandalum; non vero venditio privata.

Notandum, quod etsi mercatus, contractus, emptio aut venditio die festo forte contingat contra prohibitionem iuris, per hoc tamen contractus non fit invalidus; quippe lex prohibens mercatum, nuspiam ipsum irritat.

XIV. 3. Festo licet excommunicare, dispensare, iudicem privatim informare, advocatum consulere, consilia conficere, eligere etc.; quia non requirunt strepitum iudicialem V. Bon. l. c.

Actus forenses liciti.

746. S. Alph. n. 287. actibus ab A. enumeratis addit, licitum esse conferre beneficia, iurisdictionem exercere sine strepitu iudiciali, emancipare et etiam appellationem interponere, ut habet etiam Schmalz. lib. 2. tit. 9. n. 49., idque omnes DD. iuristas docere affirmat Suarez l. 2. c. 38. n. 13.

* Ex ratione allata ab A., *quia non requirunt strepitum iudicialem,* intelligitur quod liciti sint ii omnes actus, qui alieni sunt a strepitu iudiciali. « Dicitur autem esse iudicialis strepitus, ait Suarez l. c. n. 10., ubi causa est contentiosa et litigiosa, atque ubi *quaestiones* et *iurgia* tractantur et quidem in citatione, a qua causa maxime incipere videtur in processus formatione et causae cognitione ac in sententiae prolatione strepitus iudicialis consistit », ut ait idem ibid. n. 1. Itaque patet actus voluntariae iurisdictionis non esse prohibitos die festo: cf. ibid. n. 10. neque actus, qui dicuntur extraiudiciales n. 14., neque excommunicationem, ut habet Caietanus 2. 2. q. 122. a. 4.; quia non fit cum strepitu iudicii. *

Dub. II.

Quae causae excusant, ut liceant opera servilia seu vetita.

XV. Tales praecipuae sunt septem: 1. Dispensatio Episcopi, vel habentis potestatem quasi episcopalem, uti Superiores Religionum, imo et Parochi, quando non datur facilis accessus ad Episcopum. Suar. c. 33. Laym. c. 4. n. 2. Bon. p. 1. n. 20.

747. S. Alph. n. 288. fuse disputat, quis possit dispensare. Nos ea ex generalibus principiis heic supponimus; ubi vero de statibus particularibus agemus, de potestate dispensandi, quae Episcopis et Parochis competat, disseretur. Recolatur porro doctrina, quod ad dispensandum non requiritur causa tam gravis, quae per se excuset.

XVI. 2. Consuetudo; nam sic licent nundinae illae in festis passim haberi solitae et praeparationes deliciarium non necessariarum, ut cupediarum, placentarum et similium ciborum artificiosorum: item emptiones et venditiones rerum parvi momenti. Bonac. l. c. Laym. l. c.

748. De *nundinis* et de *emptione* ac *venditione* rerum parvi momenti, iam superius dictum est nn. 743. segg.

Quoad praeparationem deliciarum notanda est doctrina, quae deserviet etiam ad ea, quae infra dicentur de excusatione ob causam necessitatis.

Supponendum est ergo, ut notat Suarez *de Relig.* tract. 2. lib. 2. cap. 17. nn. 4. 5., cessationem ab operibus die festo aliter praecipi christianis, quam praeciperetur Iudaeis nec tam arctam prohibitionem, quae Iudaeorum fuit propria, christianis fieri ac proinde multa christianis permitti, quae Iudaeis interdicebantur ac facilius concedi christianis licentiam laborandi die festo. Ratio vero est, quam tradit s.Thomas 2. 2. q. 122. a. 4. ad 4. « Nec enim huiusmodi observatio (christianorum) est figuralis, sicut fuit observatio sabbati in veteri lege... Quia figura pertinet ad protestationem veritatis, quam nec in modico praeterire oportet (per sabbatum vero repraesentabatur quies Dei): opera autem secundum se considerata immutari possunt pro loco et tempore ».

Hinc Patres praecipiunt, christianis cavendum, ne more Iudaeorum in die dominico otientur. Ita in Concil. Aurelianensi III. an. 538. cap. 27. notatur, quosdam « persuasisse populis, die dominico cum caballis et bobus et vehiculis itinerari non debere, neque ullam rem ad victum praeparare etc., quae res (inquiunt PP. Synod.) ad Iudaeum magis, quam ad observantiam christianam pertinere probatur ». Proinde s. Gregorius lib. 11. *Epist.* 3. docet, contra fidem esse, otium

sabbati ad litteram custodire non solum quoad diem, sed etiam quoad modum otiandi et specialiter damnat quosdam, qui dicebant, non licere die dominico lavari toto corpore etiam pro corporis necessitate.

Et ex his elucet, consuetudinem in hisce non ita accipiendam esse, quasi exstiterit derogatoria praecepto Ecclesiae, sed potius quatenus est interpres.

De barbitonsoribus et hortulanis.

749. S. Alph. n. 290. dicit, iuxta Salmanticenses vi consuetudinis excusari eos, qui in area vertunt et separant segetes et hortulanos rigantes olera. Sed reipsa haec non consuetudine, sed necessitate precavendi damni excusanda sunt.

Potius consuetudini adscribendum, quod licite barbitonsores exerceant artem suam. Et quidem rationabilis videri debet consuetudo, quando plerique v. gr. rusticani, operarii, artifices, vix alia die tonderi possent. Hinc nil mirum, si ad alios quoque consuetudo pertransiit.

Quid tamen cuiusque loci consuetudo ferat, quisque ipso in loco videbit.

Quae consuetudo excuset.

750. S. Alph. eod. n. 290. in fin. admittit doctrinam Viva, quod scil. ad excusandum sufficiat consuetudo *probabilis*, adeo ut satis sit testimonium unius doctoris eximii, testantis seu afferentis consuetudinem. Et addit: « Bene autem Mazzotta advertit, quod in dubio de consuetudine possidet praeceptum, unde petenda est dispensatio; secus si probabile sit adesse consuetudinem ».

XVII. 3. Pietas in Deum, per quam licent opera, quae proxime (non quae remote) spectant ad cultum Dei, ut pulsare campanas, circumferre imagines vel cruces in supplicatione. Ornare autem et verrere templa ac similia, quae ad ipsum officium non spectant, si absque ratione in festum differantur, venialia habentur. Fill. n. 218. Bon. l. c.

751. Quoad pulsandas campanas aliaque ab. A. recensita in prima parte, nulla est controversia.

Quoad alia, scil. ***verrere templa, coquere hostias, ornare altaria*** aut ***ecclesias tapetis, tabulata erigere necessaria*** ad ***festivitatem, sepulcrum*** etc., s. Alph. n. 292. relata sententia eorum, qui haec illicita dicunt graviter, (quam sententiam ait esse contra communem), tum eorum, qui cum A. dicunt esse venialia, si absque ratione differantur ad diem festum, subdit, satis probabilem esse sententiam tertiam quae

ne sub levi quidam haec vetari tenet; tum quia ita fert *generalis consuetudo,* tum quia haec opera per se *proxime* concurrunt ad Dei cultum.

At enim *generalis ista consuetudo,* quod *absque ulla ratione* haec ad diem festum differantur, ubi sit, nescio. Et quidem putaverim, postremam hanc sententiam a secunda non differre; quia si quando haec differuntur ad diem festum, ad id aliqua ratio (saltem ne praecedenti die distrahantur ab aliis operibus, quae aut urgent aut sine aliquo incommodo omitti non possent) solet impellere.

Quaerit s. Alph. post alios n. 293. an ob solam pietatem liceat conficere vestes pro pauperibus, colere agros ecclesiae, vehere lapides et ligna ad eius aedificium, dealbare parietes templi et huiusmodi.

Sed commodius seiungetur quaestio de vestibus pro pauperibus et reservabitur ad seq. *causam caritatis.* Nunc de reliquis.

S. Alph. l. c. fatetur, non spernendam rationem, qua plures docent ea licere; quippe in cap. *Conquestus* fin. *de Feriis* sup. n. 50. exceptio fit « *nisi necessitas urgeat, aut pietas suadeat* ». Cum tamen id *de iudicialibus actibus* dicatur, non de iis, quae in se spectata apparent servilia, s. Alph. *certo probabiliorem* sibi videri ait negantem sententiam, haec licere.

Tamen idem s. Alph. admittit ibid., licitos esse eiusmodi labores, si ecclesia pauper sit. Tum notat cum Salmantic., «quia fere ecclesiae et monasteria his temporibus egestate laborant, idcirco pro his et pro hospitalibus, confraternitatibus et similibus posse licite homines laborare, templa extruendo, segetes metendo, agros colendo etc.

In praxi autem duo in oculos incurrunt: 1° reipsa non solere hos labores suscipi, nisi cum loca pia laborant paupertate: 2° facultatem ab Ordinario peti consuevisse, etiam ad scandalum populi vitandum.

Ornamenta Ecclesiae conficere.

752. Refert s. Alph. l. c. sententiam aientem, licere die festo laborare ad conficienda ornamenta necessaria pro ecclesia *indigente.* Huiusmodi foret flores componere sericos, tapeta, mappas, purificatoria, corporalia conficere, planetas et alia paramenta consuere etc.

Qua in re consuetudo et sensus fidelium rursus contradicit principio, quod attulimus ex Suarez ab initio, perinde esse, si gratis fiant, aut ex mercede. Nam nemo admittit, licere haec fieri pro mercede ab artifice, cum admittant gratis fieri posse. Ratio est, quia in altero casu merum opus pietatis apparet, in altero nequaquam.

XVIII. 4. Caritas erga proximum, per quam licent et valent actus iudiciales pauperum orphanorum, viduarum et miserabilium personarum, ne expensis graventur. Sic etiam possunt rusticanorum, in parvis oppidis, si aliis diebus adesse nequeant, causae civiles agitari. Similiter licet pauperibus et infirmis pro tunc egentibus subvenire. Item emere et vendere rusticis, qui aliis diebus impediuntur. Laym. c. 2. n. 7. V. Dian. t. 1. r. 34.

753. De actibus iudicialibus pro pauperibus, dictum est dub. praeced. resol. 1. resp. 2.

Itemque de vendendis quibusdam rerum generibus pro rusticanis, dictum est paulo ante.

Quod liceat subvenire infirmis tunc egentibus nulla quaestio est; neque excusatio haec dici debet, quia ad ista praeceptum Ecclesiae sese non porrigit, sicuti nec ad opus sepeliendi mortuos.

Itemque quoad exhibenda pauperibus quaedam officia, quae praestare sibi vel aliis quisque potest, nulla potest esse controversia, v. gr. pectere crines.

Et cum pauperi liceat sibi resarcire pannos aut eos purgare, nec habeat quo operam aliorum ad id solvat, licebit et aliis haec servitia ipsi exhibere.

Quaestio fit solum, an liceat vestes pro eis conficere, quae v. gr. dandae sint ipsis in eleemosynam, vel saltem gratis consuere pro ipsis, si pannum habeant aut telas, vel contexere caligas etc.

Porro s. Alph., cum quaestionem fecerit n. 293. ut vidimus sup. n. 751., an liceat *vestes pro pauperibus conficere,* respondet, probabilius non sufficere necessitatem pauperum communem, sed requiri, ut actu urgeat necessitas, cum nempe pauper qui in particulari cognoscitur, actu graviter indiget: quam sententiam tribuit Viva, Tamburini, Sporer, Roncaglia etc.

Verum non quaestionem faciunt isti DD. de veste conficienda aut resarcienda pro paupere; sed de eo, qui laboret opere servili, ut faciat deinde eleemosynam, v. gr. si faber lignarius aut sartor aut terrae fossor aut typographus die festo suam quisque artem exerceat, ut proventum in pauperes vel loca pia elargiatur: ubi solum finis operantis, non vero finis operis ad caritatem tendit, seu pietatem.

Itaque distinctione res forte clarior fiet. Scilicet 1° si sermo sit de necessitate communi, non licet laborare pro pauperibus in genere, nisi agatur de conficiendis vestibus aut aliis eiusmodi, quae usui pauperum deservire debent, non vero ad lucrandam pecuniam, quae pauperibus erogetur. Qua distinctione conciliantur DD. specie tenus dissidentes; cum quidam videantur ad quaedam pro pauperibus opera suscipienda exigere extremam aut certe gravem necessitatem, alii vero communem censere satis esse. Hi nempe de rebus v. gr. pannis in

eorum usum concedendis agunt, illi vero de conficiendo opere cuius merces iis in eleemosynam tribuatur. 2° Si vero quis pauper in extrema vel gravi necessitate versetur, ut ad subveniendum ei opus sit die festo laborare, id profecto licet quemadmodum et ipsi pauperi, si posset, liceret.

XIX. 5. Necessitas propria vel aliena, corporis vel animae: si nimirum sine gravi incommodo aut detrimento aliquid omitti non possit. Quo modo excusantur 1. Iudicia, quae celeritatem requirunt, v. gr. si latro sit fugitivus, nisi tunc capiatur. 2. Servi et ancillae coacti a dominis laborare nec audentes recusare: quod si tamen frequenter contingat, eos deserere debent. Suarez, Laym. loc. cit. 3. Iidem et similes reficientes suas vestes, cum id aliis diebus non possint. 4. Pauperes, qui se suosque alere non possunt, operantes privatim, sine scandalo, maxime quando multi dies festi concurrunt. Bonac. n. 13. 5. Coqui et culinarii. 6. Pistores, laniones et similes in oppidis populosis et concursu festorum. 7. Chirurgi et Pharmacopolae. 8. Conflatores ferri et vitri, coctores laterum, calcis etc. et quicumque, quorum opus semel coeptum non potest interrumpi sine damno. 9. Molitores et naucleri pendentes a ventis. 10. Piscatores halecum, thynnorum etc. qui certo tantum anni tempore id possunt. 11. Instauratores fontium, pontium, viarum publicarum et similium, quae moram non patiuntur. 12. Sartores in operibus necessariis, ut funeribus, nuptiis etc., si aliter fieri non potest, ut satisfaciant. 13. Agricolae ad cavendum damnum ruri laborantes, ut si ob pluviam imminentem segetes vel foenum congregent. Bon. n. 13. Fill. n. 211. 14. Denique excusantur etiam mercatores, qui clausis tabernis quaedam vendunt cum praesupponere possint, emptoribus ea tunc esse necessaria nec alias commode emere posse. De supra dictis V. Suar. Fill. n. 210. Laym. Bon. ll. cc.

754. Generalem principium est, quando agitur de gravi incommodo et damno. Quam in rem s. Alph. n. 295. affert sententiam s. Thomae 2. 2. q. 122. art. 4. ad 3.: « Quilibet autem tam servus, quam liber tenetur in necessariis providere non tantum sibi sed et proximo, praecipue quidem in iis, quae ad salutem corporis pertinent...; secundario autem etiam in damno rerum vitando ».

Auctor autem subiicit 14. applicationes ad casus frequentiores, quas breviter enucleare praestat.

1. *De iudiciis brevi expediendis.*

De hoc iam diximus sup. ubi de actibus iudicialibus.

2. *De famulis coactis ad laborandum.*

755. Intellige de laboribus alioquin illicitis. Nam multa sunt laboriosa, quae et diebus festis a famulis praestanda sunt et praestantur sine peccato.

Verba A. *nec audentes recusare,* intellige *rationabiliter,* nempe, uti communiter aiunt DD. apud s. Alph. n. 296., si ad id cogantur timore gravis indignationis domini aut gravis incommodi. Grave autem in-

commodum, quod frequentius adesse potest, erit, si dimitti timeant, cum ad manum non habent alios dominos, quibus se addicant; sed praeter hoc alia possunt esse damna, quae timeant vel sibi vel suis, ut cogitanti huius mundi vices facile patet, et inter haec s. Alph. recenset, *si sint addiscentes* vel *obligati ad famulandum usque ad certum tempus*, unde salarium amissuri essent etiam temporis elapsi.

Et quidem cum eadem limitatione intelligi debet, quod A. subdit: *si tamen frequenter contingat* etc. Neque enim idcirco etiam in hac hypothesi tenerentur grave damnum pati: sed hortandi forent, ut interim de alio domino requirant.

Bene subdit s. Alph.: « Idem, quod de famulis, dicitur de filiis aut uxoribus, quae cogantur ad laborandum a viris, si nequeunt renuere sine timore gravis damni (id non adeo frequens) aut gravis indignationis (id frequentius) ». Finge sutorem aut sartorem, qui etiam die festo ad laborandum familiae membra cogat.

3. *De reficiente suas vestes.*

756. Haud infrequens est iste casus in operariis sive masculis sive feminis, qui per alios hebdomadae dies operam suam aliis locant et etiam subinde in ancillis, quibus tantum die festo aliquae horae conceduntur otii. Ea enim die et lavare et reficere vestes suas solent, vel filiorum etc.

4. *De laborantibus ob defectum alimenti.*

757. Rarior forte hic est casus, sed aliquando tamen contingit, ut v. gr. mulierculae hac necessitate pressae vel nendo vel caligas conficiendo etc. debeant laborare, ne victus desit sibi aut familiae aut ut vestes emant etc.

5. *De Coquis.*

758. Bene Suarez lib. 2. cap. 21. n. 3.: « De actione coquendi cibos et aliis, quae ad praeparationem coquinae et mensae ordinarie fiunt, responderi potest, haec quidem servilia esse et *ex vi verborum* praecepti contineri sub illo, saltem quoad ea omnia, quae praecedenti die praeveniri possent; tamen ex consuetudine *populi christiani* exempta esse ab illa lege... Sed non est intelligendum, ex intentione et vi *ecclesiastici praecepti* haec esse prohibita et per consuetudinem esse ablatam prohibitionem; nunquam enim Ecclesia has actiones prohibuit, nec fuit intentio eius, ut Christiani ab his actionibus abstinerent in dominica vel festis, sicut Iudaei abstinebant in sabbato... Hanc ergo exceptionem

addidit Ecclesia in suo praecepto. Tamen quia non invenitur ita clare scripta, dicitur haberi ex consuetudine populi Christiani, non per derogationem sed per interpretationem, vel quia totum ipsum praeceptum traditione incepit, et *sic* incepit a principio et *sic* semper duravit ». Quocirca heic non habetur excusatio, sed est praecepti indoles.

Subdit Suarez ibid. n. 4.: « Addi etiam potest, exceptionem hanc consuetudine auctam esse; nam plura fortasse ex consuetudine licent, quae ex vi legis excipi necessarium non erat. Nam ad ordinarium victum non erant necessarii pastilli et alii cibi artificiosi, qui non sine magno labore fiunt et tamen consuetudine permittuntur et praeparatio ciborum ad omnes has delicias ampliata est ».

Quae quidem admittenda sunt, sed non, ut videtur, ex omni parte. Nam quod Suarez quodammodo supponit, exceptionem illam primitus constrictam fuisse ad id, quod necessarium erat, non vero ad cibos artificiosos, qui non fiunt sine magno labore (diceres potius *longo*, quam magno), id prorsus incredibile est. Nunquid enim putabimus, cibos artificiosos recentiori tantum hac nostra aetate inventos? Aut existimabimus, Christianos diebus festis (secus ac fere etiamnum usuvenit ac rei natura fert) quandam ieiunii speciem sibi imposuisse, ut artificiosos cibos abdicarent? Ergo aut neget Suarez, aliam ac Iudaeis disciplinam primitus Christianis fuisse propriam, aut concedat, fas illis fuisse, ut consuetis cibis etiam die festo uterentur.

759. Exinde s. Alph. n. 298. 1° concedit licere facere pastillos, qui sint pro usu et venditione illius diei, aut opus sint ad publicam abundantiam: quae limitatio congruit naturae rei; neque enim sine causa reservari diei festo debet confectio ciborum, qui deserviunt deinde per hebdomadam.

2° Licere parare cibos etiam superfluos et ad delectationem.

3° Licere etiam animalia occidere et excoriare; si pridie commode fieri non potuit.

4° Posse colligi licite fructus, licet non necessarios ad usum diei, ut integriores serventur. Habetur enim ratio damni.

5° Id permittendum, si periculum sit, ne ab aliis surripiantur, vel ob pluviam damnum patiantur: unde receptum dicit multis in locis, ut die festo colligantur olivae, castaneae aliique fructus silvestres. Eadem est ratio.

6° Denique certe licere in festis praestare necessaria ad usum quotidianum, ut sternere lectos, purgare domum aut vestes, utensilia culinaria lavare et similia.

N. B. Consuetudo in his quoque optima est legis interpres.

6. *De pistoribus et laniomibus.*

760. Venditio carnium saltem ad quasdam horas censetur necessaria pro victu.

E multis, quae s. Alph. refert ex DD., haec notentur.

1° Quoad pistores: quatenus deservit recens panis pro usu ementium, licite ab iis conficitur et haec consuetudo etiam Romae viget.

2° Quoad alios, licite conficiunt panem, si pro ea die inserviat, aut alia iusta causa adsit, quae multiplex excogitari potest.

7. *De chirurgiis etc.*

761. De his nulla esse potest quaestio et ratio patet. Quoad pharmacopolas intellige de iis rebus, quae opus sunt ea die, non vero, si servilia sint et nulla sit causa exsequendi die festo.

8. *De conflatoribus ferri, vitri, calcis etc.*

762. Ratio patet ob damnum ex intermissione secuturum.

S. Alph. n. 300. addit, hoc opus posse etiam die festo inchoari, si alias grave instaret damnum.

S. Alph. ex communi sententia addit, licere ferrare iumenta aut actu itinerantis, aut mox ingressuri iter.

Itemque reficere vomeres atque alia instrumenta eorum, qui secus die sequenti non possent laborare.

Quod vero dictum est de ferrandis iumentis, dicatur de resarcienda rota vel temone etc., si ad iter sit necesse etc. Quod tamen opus, utpote diuturnius et laboriosius, urgentiorem causam postulat, ut ex communi sensu patet.

9. *De molitoribus et naucleris.*

763. De molitoribus superius dictum est dub. praec. resp. 1. resol. 4. quomodo eorum opus a censu servilium operum possit expungi.

Nunc consideratur molendi necessitas, licet haberetur ut servile opus. Necessitas autem adesse potest 1° quia opus est farina: 2° quia exspectare quidam sine damno non possunt, ut rustici: 3° ratione damni circa aquae opportunitatem non amittendam.

De naucleris ratio patet. Deinde hoc est iter facere.

10. *De piscatoribus halecum etc.*

764. De piscatione generatim dictum est super l. c. resol. 8., quam s. Alph. excusabat a servilitate, si modico cum labore fieret.

Nunc vero, utcumque laborem importet, considerabitur ratio damni sequuturi. Eadem prope est ratio, ac pro coquenda calce vel conflando vitro.

11. *De instauratoribus fontium, pontium, viarum.*

Res per se patet, dum conditio adsit ab A. notata.

12. *De Sartoribus.*

765. Nulla est difficultas in iis, quae A. recenset.

Idem approbat s. Alph. n. 303. quod scilicet liceat urgente necessitate funerum, nuptiarum et similium, nec die antecedenti potuerint ii opus absolvere.

Idem probat, si advena careat vestibus decentibus. Quod extendendum est etiam ad incolam, si sorte careat; quia nulla potior ratio est pro alterutro.

Potior difficultas est, si alii exspectent vestes promissas: qui casus est frequentior. Communiter DD. excusant, si secus sartor passurus sit grave incommodum, ut limitat s. Alph. n. 303. Et grave hoc incommodum subinde aderit, quia qui vestes exigunt et graviter dolent de fracta fide, pretium negant, detrahunt sartori apud alios etc.

Quoad praxim totus cardo in hoc vertitur, ne sartores semet scienter coniiciant in hanc necessitatem, assumendo scil. opus, quod sciunt se ante festum praestare non posse: isti a peccato excusari non possunt, nisi forte recusando illud opus grave subituri essent damnum.

Si vero casu id contingat, quod subinde fieri potest, vel quia operarii desunt, quibus sartor confidebat, vel quia casu fuit a laborando impeditus etc., tunc hac culpa caret. Vid. Gury §. 361. n. 10.

De sutoribus.

766. Merito haec eadem de sutoribus dicenda inquit s. Alph. quibus, inquit, ex inducta consuetudine permittitur, ***novos calceos calceare:*** in quo non video, ubi sit difficultas; calceare enim est ***calceis vestire:*** agitur scilicet de periculo faciendo novorum calceorum.

Excusari possunt, qui calceos purgant seu tingunt. Hoc enim pertinet ad purgandas vestes. Et cum quisque licite id faciat sibi, poterit et pro aliis facere (a).

13. *De agricolis.*

Resolutionis ratio patet, ad vitandum nempe damnum.

(a) At si totam diem insumant tingendis calceis praetereuntium, ut plures nunc conspiciuntur in viis publicis, ratio servilis et illiciti operis satis se prodere videtur. E.

14. *De mercatoribus.*

Satis de his dictum fuit sub dub. praec. Et consuetudo in hoc et similibus inspicienda.

De lucro amittendo.

767. S. Alph. n. 301.: Sententia affirmans excusare ab opere servili occasionem quaerendi magni lucri satis et forte est magis probabilis (prae negante); quia communiter illi, qui laboribus se sustentant, raras habent occasiones talis lucri magni acquirendi et censent, se magnum damnum pati, si occasionem amittant... Saltem videtur dicendum: praeceptum utpote ecclesiasticum, non obligare cum tanta iactura. Ita ad sensum s. Alph.

Finge v. gr. quod inundantes aquae deferant plura ligna per flumina; ne istud lucrum amittatur, poterit pauper colligere: pauperem dico heic *non opulentum.*

Inferius videbimus, eadem de causa quempiam excusari a praecepto audiendae Missae.

De otio vitando.

768. Plures sunt DD. (vid. s. Alph. n. 302.) qui docent, excusari eos qui laborant ad otium vitandum, si otium *probabile* periculum peccati inducat. Hanc doctrinam videtur coarctare s. Alph., dum id concedit solum, si aliter tentatio vinci non possit: unde consequitur, raro talem necessitatem laborandi accidere. Sed et ea posita limitatione, haec sententia in priorem plurium DD. recidit. Etenim quomodo habebitur certitudo quod aliter vinci nequeat tentatio aut quid ipsa est, nisi *probabile illud periculum?* Agitur enim de libero consensu, qui nexum non habet necessarium cum adiunctis, in quibus versetur homo, ut idcirco solum probabile periculum a quopiam cognosci possit.

XX. 6. Utilitas, non simpliciter necessaria, sed ad communem laetitiam vel splendorem: sic enim licet in adventu vel ortu Principis laborare, ut perficiantur theatra, ignes, vestes etc. Quamquam monet recte Suarez, praestare in hoc casu petere veniam a Pastoribus. V. Bonac.

769. Haec refertur maxime ad publica festa, v. gr. quando illuminanda est civitas, parandae machinae pyrotechnicae etc. etc. Haec, inquit, s. Alph. n. 304. pertinent ad moralem quandam rei publicae necessitatem et consuetudo satis permittit.

XXI. 7. Excusat item, saltem a gravi peccato, parvitas operis seu temporis. Unde grave non videtur una hora laborare, ut habet Suar. l. 2. *de Fest.* c. 32., maxime, ut notat Laym., si labor non sit nimis servilis et fatigans corpus. Imo durum videtur mor

talis damnare, si quis duas, aut tres horas impendat. Vid. Fill. t. 27. c. 1. q. 1. n. 105. In forensibus autem et iudicialibus materiae quantitatem non ex quantitate temporis, sed qualitate operis desumendam, monet Escob. E. 5. c. 3. n. 14. ex Palao l. 1. tr. 9. d. 2. p. 3. n. 4. Sic grave peccatum esse asserit venditionem rei magni momenti, cum magna sollemnitate, licet brevi tempore fiat. Quod intellige (secundum praedicta) nisi consuetudo vel necessitas excuset.

770. Multi multa dixerunt, alii laxius, alii rigidius. S. Alphonsus n. 305. concludit, *communiorem* et *probabiliorem* sententiam nunc esse, non peccari mortaliter, nisi laboretur multum ultra duas horas, v. gr. duas horas cum dimidio.

Si aliqua autem causa seu necessitas (per se non sufficiens ad excusandum) accederet, sine gravi culpa aiunt esse trium horarum laborem.

Iuxta regulam A., si labor non sit nimis servilis et defatigans, aliquid laxius quidam generatim concedunt. Valde servile et defatigans aiunt esse caedere lapides, arare terram etc. Quoad gravitatem in re forensi, nihil A. addendum.

Censet probabilius et dicit communius s. Alph. n. 306., quod qui praecipit pluribus laborem in die festo, non peccat graviter, si singuli laborantes ratione materiae excusantur a mortali, sive hi simul eodem tempore, sive successive laborent. « Ratio, quia operae famulorum non uniuntur in unum; nequit autem dominus peccare magis, quam ipsi famuli, qui tantum leviter peccarent ». Ita s. Alph.

Dub. III.

Quae opera die festo praecipiantur.

XXII. Resp. Praecipitur 1. Auditio concionis, non tamen sub mortali, nisi quatenus quisque tenetur discere necessaria ad salutem. V. Triden. sess. 24. c. 4. *de Reform.* Fill. *hîc*, c. 8. Bon. t. 1. d. 5. q. 1. p. 2. n. 27. Suar. etc. Dixi, *nisi quatenus* etc.; quia homines rudiores ignorantes praecipua mysteria fidei, ea praesertim, quae sub gravi obligatione eos scire teneri dictum et supra *de Praecept. Fidei*, teneutur lege caritatis (si alias ea commode addiscere non possint) sub gravi peccato concioni, vel potius catechesi interesse. Bon. d. 3. in praec. 5. n. 28. addens eo casu concionem etiam Missae praeferendam esse. Trull. l. 1. c. 1. d. 4. n. 12. Fag. etc. 2. Praecipitur speciali praecepto obligante sub mortali, audire Missam, hoc est morali et humana assistentia sive praesentia ei interesse. Est communis ex cap. *Omnes fideles* et ex cap. *Missas, de Consecrat.* dist. 1. contra Ang. et Rosellam, qui semel vel iterum negligere, dicunt esse veniale. *Est praeterea damnata haec Propos. ab Innocent. XI. Propos. 52. *Obligat hoc praeceptum omnibus Festis omnes baptizatos usum rationis habentes: non autem infantes, amentes vel catechumenos. Ratio primae partis est, quia est universale. Ratio secundae est, quia assistentiam humanam habere non possunt. Ratio tertiae est, quia non sunt Ecclesiae subiecti. C. Lugo d. 22. s. 1. et 2. ex Nav. Sanch. et Conin.

771. Quod spectat ad audiendam concionem, adverte, non teneri fideles sub gravi, nisi si ignorent ea, quae sub gravi scire tenentur et

alias commode ea addiscere non possent; unde est obligatio audiendae potius catechesis. It et a s. Alph. n. 308. Sane, ut monet Suarez ab eo citatus, l. 2. c. 16. n. 8., per legem positivam, non imponitur alia obligatio, quam episcopis et parochis praedicandi.

S. Alph. l. c. occasionem arripit disserendi de obligatione parochi ad pascendum gregem suum verbo Dei. De hac re agemus in tr. IX. c. 2.

Quod spectat ad praeceptum audiendae Missae et gravitatem eius violationis, affertur quoque propos. 52. damnata ab Innocentio XI.; ea tamen est generalis de observatione festorum: « Praeceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus ».

Quid requiratur, ut Missa audiatur rite, explanatur in Resolutionibus.

Unde resolves.

XXIII. 1. Non est obligatio audiendi concionem in Parochia propria: tum quia DD. multi nullum hac de re praeceptum agnoscunt; cum Trident. sess. 24. c. 4. *de Reform.* dicat, *teneri, ubi id commode fieri potest,* tum quia, si qua obligatio fuit, ei derogatum est per privilegia Regularium et generalem consuetudinem contrariam. Suar. *de Rel.* t. 1. l. 2. cap. 16. Azor, Navarr. Cened. Zerol. p. 1. v. *praed.* Trull. l. 2. c 1. d. 4. Vide Barb. *in Trident.* sess. 24. c. 4. Imo Fratres Praedicatores et Minores et qui cum ipsis in privilegiis communicant, concionantes in suis ecclesiis quovis anni tempore possunt auditoribus suis concedere 18. annos et 320. dies indulgent. nomine Papae. Dian. p. 4. t. 4. r. 22. ex Rodriq. etc.

Constant haec etiam ex iis, quae A. ex professo in Dub. IV. agit.

An fratres Praedicatores et Minores facultatem habeant, de qua loquitur A., qui certior fieri velit, ab ipsis sciscitetur.

XXIV. 2. Non est obligatio ad audiendam Missam feria quinta et sexta et Sabbato maioris Hebdomadae neque diebus Rogationum. Azor, Henriq. Suar. d. 83. sect. 5.

XXV. 3. In die Nativitatis Christi tantum teneris audire unam Missam. Navar. Suar. Fill.

772. Res clara est. Praeterea in die Nativ. D. N. etiam Sacerdos potest unam celebrare Missam.

XXVI. 4. Satisfacit, qui recitat sub Missa (ex obligatione) Horas Canonicas vel poenitentiam iniunctam in confessione, ut contra Caietan. Sylv. Ang. Armill. docent Suar. Sà. Rodriq. Fill. etc. Ratio est, quia duobus praeceptis potest simul satisfieri, ut v. supra *de Legibus*, cap. 3. dub. 3. Idem de eo, qui confitetur tempore Missae, affirmat Regin. l. 19 n. 14. dummodo intentionem habuerit audiendi Missam. Negat autem Suarez *de Euch.* d. 88. sect. 6. Azor, c. 7. q. 6. Gordonus, Card. Lugo l. c., si quidem possit differre Confessionem nec adsit necessitas praecepti confessionis. Idem dicit Bonac. disp. 4. a. ult. p. 1. Ubi contrariam praxim quorundam excusat, vel ob necessitatem communicandi vel intentionem audiendi Missam aliam vel denique ob bonam fidem.

773. De recitatione officii aut actione poenitentiae tempore Missae alias diximus, ubi *de Legibus* cap. III. dub. V. et s. Alph. lib. 3. n. 309. dicit sententiam A. esse communissimam. Quaestio tamen fit circa confessionem, quae peragatur tempore Missae.

Quoad sententiam negantem praeceptum impleri ab eo qui tempore Missae confitetur, Auctor confuse quaedam congerit, quae distinctione indigent. Nam vel 1° quaestio est, an necessitas confitendi ob praeceptum, vel necessitas dein communicandi, vel etiam ratio non manendi in statu peccati excuset ab audiendae Missae praecepto, sicut etiam an excuset bona fides a peccato; vel 2° quaestio fit, an qui in ipsa ecclesia confitetur, dum Missa celebratur, simul satisfaciat praecepto audiendae Missae h. e. censendus sit simul adsistere satis Sacro.

Porro Suarez *de Euch.* disp. 88. sect. 6. v. *Septimum* et Azor part. 1. lib. 7. cap. 7. q. 8. quaestionem primo tantum sensu agitant et Suarez tantum negat licite omitti Missam, ut quis confiteatur, aeque ac illicite omitteret, ut concionem audiret. Eodem pacto quaestionem facit Tamburini (allegans Suarez) *in Decal.* lib. 4. cap. 2. §. 2. nn. 15.18. Azor vero licite dicit Missam omitti, si secus impleri praceptum confessionis non posset; quae si necessitas absit, id dicit illicitum. Quo quidem sensu etiam s. Alph. n. 332. scribit: « Non excusatur autem ex communiori... qui omitteret Sacrum ob aliud bonum spirituale, quamvis maius (Suarez l. c. affert exemplum illius, qui domi maneat, ut contemplationi insistat cum magno profectu spirituali). Probabiliter tamen admittit Illsung, excusari, qui omitteret Missam pro se confitendo, si alias deberet aliquandiu permanere in peccato mortali. Item excusatur a Missa, qui alias non posset impedire blasphemias, rixas, furta etc. ». In quibus non quaeritur de impedimento attentionis ad Missam, quod afferat actio confitendi peccata, sed utrum licite quis absit a Missa penitus, ut possit confiteri. Etiam Escobar lib. 42. cap. 9. dub. 35. n. 182. monet, Suarez et Azor abs re allegari. Ergo ista non faciunt ad rem praesentem, sed ad quaestionem seq. in Dubio V. = *Quae excusent ab auditione Sacri.* =

Item quod A. dicit ex Bonacina, excusari quosdam bona fide, parum ad rem facit; quia id commune est omni praecepto. Ita si quis bona fide putet se posse non audire Sacrum, ut comitetur Eucharistiam ad infimum delatam. Solum adverte, id, quod fatetur Bonacina, reipsa contingere, ut fideles bona fide putent, se satisfacere obligationi Missae audiendae, licet eo tempore confiteantur. Qui sensus communis fidelium non modicum confert ad interpretationem eiusdem praecepti.

774. Quaestio ergo huius loci est in secundo sensu, nempe an compossibilia sint audire Missam et confiteri.

Negat Lugo *de Euch.* disp. 22. n. 22., quia actio confitendi *excludit,* inquit, *externam attentionem.* Et hanc rationem s. Alph. n. 314. praefert rationi Bonacinae, quam imo, ut videbimus paulo post, ipse reiicit: quod nempe Ecclesia praecipiat, ut quis adsistat per modum orationis;

itemque Tamburini *in Decal.* lib. 4. cap. 2. §. 1. n. 15., *quia*, inquit, *excluditur moralis assistentia;* quae ratio eadem aliis verbis est cum ratione Lugo: male tamen Tamburini allegat in id Suarez et Azor, quorum primum sui immemor (vid. sup. n. 773.) de alia re disputare fatetur. Et Gordonus ab A. allegatus item defectum attentionis accusat *Moral.* lib. 6. q. 7. cap. 2. n. 13. in fin.

S. Alph. lib. 3. n. 314. allatis pro affirmante opinione DD., subdit: « Haec secunda sententia non videtur omnino probabilitate destituta et olim probabilem ipse censui; sed quia postmodum observavi, eam a gravibus DD. reiici, modo non audeo probabilem dicere ».

Verum ergo non video, ubinam sit iste excessus *externae probabilitatis* pro negante, cum etiam pro affirmante non pauciores nec minus graves ipse s. Alphonsus indicet et abs re viderimus quosdam allegari, uti Suarez et Azor.

Circa rationes ne ipse quidem s. Alph. l. c. reperit argumentum ullum decretorium: imo advertit, negativae adhaerentes in ratione afferendo non sibi cohaerere et alias ab aliis afferri. « Utuntur autem, ait, diversis rationibus ». Quod palam facit, rationem aliquam solidam ac manifestam deesse.

Nam 1° quod quidam aiunt, non posse eodem tempore personam geri hinc rei inde offerentis, id prope puerile est et probaret insuper, non audire Missam illum, qui tunc examinat conscientiam (et huc contra communem sententiam devenit Bonacina *de Euch.* disp. 4. ultim. punct. 11. n. 26.) ac multo minus illum qui peccata sua Deo confiteatur.

Bonacina (qui l. c. fatetur se prius affirmativae opinioni adhaesisse ceu probabili) moveri se dicit ad mutandam sententiam, quia *Ecclesia praecipit assistere Missae per modum orationis:* addens deinde (abs re, ut vidimus) auctoritatem Suarez et Azor.

At enim s. Alph. n. 314. advertit, hanc rationem non esse firmam nec orationem esse necessariam. Et quidem ad hoc allegat cum aliis Suarez, qui *de Euch.* disp. 88. sect. 3. « statuit, tantum requiri aliquam attentionem ex obiecto religiosam et ad cultum Dei pertinentem ».

775. Aliqui, ut vidimus, negant haberi in confitente attentionem *externam,* praesentiam scil. moralem, qua appareat, eum Sacro assistere. At enim cur in choro, scil. post altare maius erit praesens qui non confitetur, non erit praesens *ibidem* alter, quia genuflectit prope sacerdotem cui confitetur peccata? Recident ergo isti in primam difficultatem de diversa persona offerentis et rei. At vero numquid exterius gerit personam offerentis, qui tempore Missae circumit fideles, cum marsupio seu capsula vel patera, ut colligat eleemosynas pro animabus purgatorii? Aut melius externam attentionem praestat sacerdos celebrans,

quem concedunt apud s. Alph. n. 314. in fin. posse tunc aliam Missam audire? Imo nonne concedunt, sacerdotem, qui audit confessiones, satisfacere praecepto audiendi Missam?

Alii obiiciunt defectum internae attentionis, quia, ut ait Escobar lib. 42. n. 183. « continet narrationem peccatorum attentam ex parte poenitentis et ex parte confessarii interrogationem, admonitionem, reprehensionem et alia huiusmodi ».

At 1° etiamsi daretur, sic excludi, *attentionem requisitam* (ut ait Escobar) *ad impletionem praecepti;* tamen cum praedicta non semper contingant, male inde infertur generatim, non impleri praeceptum: ad summum id evinceretur pro eo tantum casu. Nonne admittunt, posse satisfacere confessarium? Et nunquid minus distrahitur hic, quam poenitens et non magis plus distrahitur?

2° Attentio, quae in praemissis excluderetur, foret *interna.* Atqui, ut inferius licet videre, sine ulla nota negari potest, eiusmodi attentionem esse requisitam.

3° Nonne concedunt, satisfacere praecepto tum illum, qui tempore Missae examinet conscientiam in ordine ad confessionem, tum illum qui librum spiritualem aut in eundem aut in alium finem legat, ubi sint et admonitiones et adhortationes et reprehensiones? Quomodo itaque excluditur ista attentio per confessionem attentam et attentam responsionem et non per attentum conscientiae examen? Quid differt inter monitionem auditam aut lectam?

4° Falsum est, eum, qui confitetur, non posse aliquo modo etiam interno Missae assistere, tum quia supponimus hanc in eo voluntatem, tum quia attentio *requisita* in eo residet, ut *aliquo modo* advertat, quid faciat sacerdos: tum denique, quia quod deest internae attentioni, supplet cultus per actus, quos ponit, non secus ac si examinando conscientiam aut legendo meditationem inferni absorberetur mente. Et mirum est, attentionem sufficientem reperiri, ut videbimus, in eo, qui confabulatur de re vana et negari de eo, qui peccata sua confitetur.

776. De affirmativa sententia s. Alph. n. 314. scribit: « Absolute autem illam tenet et consulit Croix lib. 3. part. 2. n. 656. cum Lessio, casu quo obligati ad Missam essent famuli, qui aliter non confiterentur: tunc enim (ut ait) saltem praesumitur, quod Ecclesia consentiat ». Ac dein remittit ad §. 332., quam recitavimus sup. n. 773.

At aptius, quam Croix, Leonardus Lessius hoc revocat ad consuetudinem, quae non distinguit inter famulos et reliquos. Ita ille in *Auctario* ad Comment. in 1. 2. seu ad *Tract. de Actibus Human.* V. *Missa* cap. II. n. 8.: « Omnino videntur excusandi, quibus, ratione negotiorum vel quia sunt in obsequio aliorum, non est integrum aliud Sacrum

audire. Idque ex duplici vel triplici capite. *Primo* per ἐπιείκειαν. Si enim legislator esset praesens et omnes circumstantias nosset, non vellet illos obligare. Nam haud dubie mavult s. Pontifex illos tali modo Sacro interesse, cum tanto fructu spirituali, quem ex confessione percipiunt, quam sine illo fructu perfectius ad sacrificium Missae attendere (et haec est ratio quoad famulos allata a s. Alph., qui praeterea limitat, si secus deberent *manere in peccato mortali* n. 332.) *Secundo* per *consuetudinem* legitime praescriptam. Haec enim sicut potest legem aliquam abrogare, ita multo facilius potest moderari eius observationem, ut patet ex cap. finali *de Consuetudine.* Utique autem in Belgio est consuetudo, ut illi, qui sub Sacro confitentur nec diutius manere possunt, ad aliud Sacrum non censeantur obligati. Quam consuetudinem puto etiam alibi vigere estque maxime rationi consentanea et secundum mentem Ecclesiae. Tertio *ratione lucri spiritualis,* quo alioquin privarentur. Si enim ob notabile commodum temporale licitum est etiam a Sacro abesse, si alia ratione obtineri nequit, ut omnes fatentur: cur ob ingens lucrum animae, quod alia ratione consequi moraliter non potes, non licebit tibi *imperfecto* illo modo Sacrum audire? »

Ad quae adverte, reipsa hanc consuetudinem ubique vigere, nisi sicubi importunus aliquis confessarius simplicium conscientias perturbet. Cumque per agros et in paroeciis ruralibus vix fieri possit, ut qui ad primam Missam accedunt, interesse possint secundae, quae multo serius celebretur, ratio patet cur non obligentur fideles illi utrique adesse: de qua obligatione alioquin ne suspicantur quidem.

777. Addit denique Lessius ibid.: « Addo ad satisfaciendum praecepto, absolute non opus esse audire verba aut videre sacrificantem; sed sufficere, ut intersit cum reverentia, ut sacrificium praesentia sua honoret. Unde sufficit attentio quaedam confusa, qua advertat ibi sacrificium offerri, ut docet Ioan. Medina *Cod. de Confession.* q. 44., quae attentio stare posse videtur cum actu confitendi; praesertim si ille actus dirigatur ad participandum sacrificio: tunc enim intendere illi actui est simpliciter intendere ipsi sacrificio et illud honorare ».

Et concludit Less. ib. n. 9.: « Ex quibus satis probabile iudico, etiam eos non teneri ad aliud Sacrum audiendum, quibus sat temporis suppeditatur, si bonam saltem partem extra confessionem audierint ac proinde sub peccato mortali non cogendos tanquam obstrictos, sed hortandos ad id, quod tutius est et decentius ».

Collatis vero solutionibus, quas dedimus argumentis contrariae partis nn. 774. seq., quae solutiones vim quoque argumentorum censendae sunt habere, concedendum est, sententiam affirmantem verissima pro-

babilitate gaudere; etiamsi toto tempore Missae confessio peragatur atque citra necessitatem.

Prudentia ergo suadet, ne quaestio haec fiat inter catechesim explicandam et poenitentibus in confessione confessarius non iniiciat conscientiam peccati.

XXVII. 5. Satisfaciunt etiam inservientes Missae, si recedant allatum necessaria v. gr. vinum, hostiam, thus etc.; quia, cum haec ordinentur ad officium, non censentur abesse, dummodo non recedant ab ecclesia, vel saltem non longe. V. Bon.

778. Bene Suarez *de Euch.* disp. 88. sect. 2. v. *Ex hac:* « Doctores advertunt, eos, qui Missae inserviunt, quamvis aliquas eius partes non videantur percipere vel audire, dum per ecclesiam discurrunt, vel ad sacellum accedunt, ut vinum, thus et similia ad Missam necessaria afferant, non tamen propterea esse censendos partem ullam Missae omittere, sed potius toti assistere, cum toti inserviant et ad hoc semper intendant ». S. Alph. n. 309. huic resolutioni A. hanc notulam addit: « Ita etiam Lugo et Salm. cum Sà, Nav. etc. Et sic tenendum cum Elbel, Palao et Bon., *si sit per breve tempus,* VEL *non exeatur ab ecclesia* (alias dicit: *et* non exeatur ab Ecclesia) contra Dic. Leandr. et Dian. apud Salm. de Sacr. Miss. cap. 6. n. 21 ».

Ob suam brevitatem haec s. Doctoris notula est obscura. Itaque adverte, Dicastillum, Dianam et Leandrum heic allegari non quidem contra communem doctrinam Lugo, Sà, Navarri etc., sed contra limitationem ipsi communi doctrinae appositam ab Elbel (ut ait s. Alph.), Palao et Bonacina.

Sed, quod maioris est momenti, limitatio apposita a Palao et Bonacina alia est ac referat s. Alph. dicens: « *si sit per breve tempus* VEL *non exeatur ab ecclesia* », sive, ut idem s. Alph. habet in prima editione anni 1748., « *ut sit per breve tempus* ET *non exeatur ab ecclesia* »; nam Bonacina *de Sacram.* disp. 4. q. ult. punct. 11. n. 18. et Palaus tr. 22. disp. unic. punt. 16. n. 7. dicunt: « *dummodo ab ecclesia non recesseris, nisi ad breve tempus* »: quod referunt etiam Salm. tract. 5. *de Sacrif. Missae* cap. 6. n. 22. a s. Alph. allegati. Idem habet Elbel conf. 12. in 3. praec. n. 356.: « Colliges, praecepto Ecclesiae satisfacere illos, qui dum ad aram deserviunt, brevi dumtaxat mora recedunt e templo, v. gr. ad campanas pulsandas, ad vinum et hostiam asportandam ». Ergo secus ac s. Alph. exhibet, non negant isti, recedi posse ab ecclesia, sed solum id ad breve tempus coarctant. Et deinde si in ecclesia manent, cur dubitabitur, utrum satis praesentes sint?

Solum Fagundez vidi affirmantem, ad aliam Missam audiendam teneri eum, qui, ut ait *de* 1. *praec. Eccl.* lib. 2. cap. 6. n. 10., « si deesset vinum et extra ecclesiam quaerendum esset, *aliqualem moram faceret* »:

in quibus ne loquitur quidem de mera recessione ab ecclesia, sed *de mora* (ergo non obstaret egressus et reditus sine mora), et quidem aliquali: *lepide!* Nam si deest vinum, sacerdos non *potest progredi*, nisi venerit is, qui ad quaerendum vinum abiit; ergo iste semper aderit, quando Missa celebratur. Ita Suarez *de Euch.* disp. 88. sect. 2 v. *Ex hac certa* in fin.: « Si oportet, *magnam* Missae partem omittere ex accidentali occasione, ut v. gr. si deesset vinum et extra ecclesiam quaerendum esset, tunc teneretur aliam Missam audire, si posset, si autem non posset, excusaretur ratione iusti ac debiti ministerii »: scil. excusatur, ut abesse possit a Missa; quia necessitas habendi vinum id exigit. Sed recurrit eadem animadversio: si deest vinum, sacerdos exspectabit; nisi forte agatur de quaerendo vino pro alia Missa.

Ceterum satis apparet, ipsam Bonacinae limitationem vix aliquam asseclam habuisse.

Cur vero ipsam disserte reiecerint allegati a s. Alph. post Salmanticenses, sic exponunt iidem Salm. post Diana tom. 2. tract. 3. resol. 15. n. 5.: « Quia non censeris praesens Missae ex eo precise, quod sis in ecclesia, in qua saepe sunt et possunt esse, qui non censentur corporaliter praesentes Missae (e. g. pictor aut apparator); sed tunc censeris praesens, quia servis in eo et cooperaris Missae, quod potes praestare etiam extra ecclesiam ».

XXVIII. 6. Peccat, qui non audit integram Missam et quidem venialiter, si omittatur parva pars: mortaliter, si notabilis, verbi gratia, media vel tertia pars. Laym. tamen et alii durum putant, mortalis damnare eum, qui ab Offertorio usque ad finem adsit. Additque, communiter excusari a mortali, qui audiunt a principio Epistolae vel secundum alios Evangelii usque ad finem, vel ab initio usque ad Communionem. V. Bon. l. 1. d. 4. q. ult. Card. Lugo d. 22. sect. 1. n. 3.

779. Haud frequens erit casus dubitandi, an quis graviter vel leviter peccaverit, eo quod actu voluerit sine causa omittere partem aliquam Missae; quippe fere quaerendum erit, an gravis fuerit negligentia, propter quam non affuit satis mature: in iudicanda autem gravitate peccati negligentiae (quod est peccatum in causa), potius quam effectus reapse sequutus, consideratur *praevisus* effectus. Ita Suarez *de Sacr.* disp. 88. sect. 2.: « Debent confessores esse solliciti, ut culpam discernant et non ab eventu, sed a negligentia et voluntaria mora cum periculo morali (*omissionis* scil.) de illis diiudicent ».

Frequentior ergo casus est, cum quis omiserit partem aliquam, an teneatur ad aliam Missam audiendam; cui quaestioni alia adnectitur, an omissa (sive culpabiliter sive inculpabiliter) quadam parte, quis teneatur vi praecepti ad assistendum parti, quae superest, et cui solum interesse potest. Hac ergo de causa quaeritur, quae omissio sit gravis.

S. Alph. n. 310. circa gravem omissionem tres memorat sententias, quarum prima grave dicit omittere ab initio usque ad epistolam exclusive: secunda habet grave, si omittatur inclusive usque ad epistolam: tertia tenet, non esse grave, si omittatur ab initio usque ad evangelium inclusive sive usque ad offertorium exclusive (nam *credo* non censetur pars regularis ac proinde eiusdem non habetur ratio): dummodo dein audiatur usque ad finem et sic audiatur unum ex duobus evangeliis.

De his s. Alph. sic pronunciat ibid.: « Secunda sententia mihi est probabilior; sed hanc ultimam (scil. *tertiam*) quis neget esse probabilem... cum sit fulcita tot et talibus doctoribus? ».

Pergit s. Alph. ibid. « Qui autem omnia omittit post sumptionem, non peccat graviter: *est commune...* Neque si omittat omnia ante epistolam simul et omnia post sumptionem ». Cui resolutioni quidam addunt, idem tenendum, licet omittatur etiam epistola.

Adduntur aliae quaestiones, quas s. Alph. tangit eodem n. 310. circa alias partes Missae. Sed (plane dicamus) ipsarum solutio forte apparere poterit arbitraria et minus forte cohaerens cum resolutionibus praecedentibus. Referemus eas post s. Alph. l. c.

780. S. Doctor, praemisso, quod gravis communiter censetur omissio consecrationis simul et sumptionis vel si omittatur a consecratione usque ad *Pater noster* exclusive, subdit dubitari, an grave sit omisisse tantum aut consecrationem aut sumptionem. Et allatis hinc inde oppositis sententiis (eo quod non constet, in quo resideat essentia sacrificii) concludit, *probabiliorem videri* affirmantem, quia certe utraque pertinet ad *integritatem substantialem Missae.* Veruntamen addit, non *videri improbabilem negantem;* quia (inquit) non constat, an Ecclesia praecipiat sub gravi, ut audientes utrique parti intersint.

Ex his elucet potius, non constare, quibusnam ex principiis ratiocinatio peti debeat. Nam 1° constatne, an Ecclesia necne sub gravi praecipiat praesentiam quoad alias partes, v. gr. usque ad offertorium inclusive? 2° Si de hoc Ecclesiae praecepto non constat quoad ullam Missae partem (ut s. Alph. ibidem concedere seu supponere videtur), quaenam aderit idonea regula iudicandi de gravitate omissionis? — 3° Si gravitatem ponis in omissione partis essentialis sacrificii, ecce tibi DD. dissentientes, in quo essentia illa resideat. Praeterea pertinetne ad essentiam sacrificii pars praecedens consecrationem? Cur ergo gravem omissionem censent? 4° Si gravitatem desumis ex eo, quod quaedam pars spectet ad *integritatem substantialem,* non quidem Sacrificii, sed *Missae;* quis definiat, quae pars pertineat ad hanc substantialem integritatem? Insuper nonne ipse s. Alph. in dubium revocat

(sup. n. praec.), an omnes partes integritatis substantialis ab Ecclesia praecipiantur sub gravi?

Concedamus ergo oportet, 1° non proferri ab AA. certa quaedam principia, quae normam iudicandi praebeant: 2° inde fieri, ut conclusiones minus cohaerentes sibi et principiis appareant.

781. Apte Suarez *de Euch.* disp. 88. sect. 2. 1° distinguit in Missa duplicem veluti Missam, alteram catechumenorum, alteram fidelium.

2° Tenendum omnino non posse fideles voluntarie et sine legitima atque excusante causa omittere aliquam partem Missae, etiam minimam, sine culpa; quanquam ultimum evangelium non videatur ad integritatem Missae pertinere. Id sonat praeceptum de Missa audienda.

3° Ex omnium consensu omissio levior esse potest vel gravior. Nec DD. nisi in hoc convenire videntur, quod grave sit omittere tertiam partem Missae; quia nempe proportio tertiae partis ad totum videtur gravis.

4° Tertia tamen pars Missae non materialiter videtur intelligenda. Et iam vidimus (sup. n. 780.) probabilem esse sententiam, non esse gravem omissionem Missae catechumenorum, scil. praecedentis offertorium.

5° Quoad omissionem in parte Missae substantialis, quae nempe est *Missae fidelium* et ab offertorio ad sumptionem se protendit, bene Suarez l. c. « In his partibus Missae non tam est consideranda temporis mora, quam dignitas et propinquitas vel necessitas ad substantiam sacrificii. Et ideo Auctores facilius permittunt omitti ea, quae antecedunt vel sequuntur canonem Missae; *in quo maxime necessaria sunt, quae a consecratione usque ad consumptionem continentur*. Et ideo valde est *probabile,* non impleri praeceptum etiam quoad *substantiam eius*, si quid eo tempore omittatur vel intermittatur, etiamsi tempus breve esse videatur, v. gr. si quis egrederetur ecclesia, quando sacerdos vult consecrare et finita consecratione statim ingrederetur; nam omitteret substantiam sacrificii et idem *fortasse* esset, si ante communionem discederet; quia vel est de substantia vel maxime pertinens ad perfectionem sacrificii ».

Denique addit ibid.: « Sed quamvis haec tutiora sint, non est tamen semper scrupulus iniiciendus, quando tempus est admodum breve: dummodo consecratio et sumptio simul non omittantur; quia res haec moraliter iudicanda est et adhuc non satis constat, in quo praecise consistat substantia sacrificii ».

782. Ex quibus deducitur satis, duplici de causa praeceptum etiam graviter violari posse, scil. 1° si omittatur pars notabilis, licet non omittatur id, quod pertinet ad substantiam sacrificii: 2° si certe omit-

tatur, quod pertinet ad substantiam, licet ratione temporis non sit pars valde notabilis: 3° quod si quis adveniat peracta iam consecratione, non teneatur reliquae parti interesse, quippe ea non satisfacit: quod consentit et s. Alph. n. 310. q. 2. S. Alph. addit ex Collet, valde probabiliter teneri ad audiendam hanc partem, utpote partem ceremoniae praeceptae ab Ecclesia. Sed *probabiles* obligationes imponi non possunt, quod advertere debuisset et Gury §. 243. q. 3.

Obiiciuntur s. Alphonsi verba *Hom. Ap.* tr. 6. n. 33.: *Dicimus oppositum tenendum cum Contin. Tournely et P. Zacharia in Croix. Ratio, quia cum sit satis probabile, quod essentia Sacrificii in sumptione consistat, dicimus illum bene obligari.* — Resp. 1° Tenendum est ceu satis probabile, quod essentia Sacrificii in sumptione consistat, nego, vel transeat: tenendum est, fundamentum, quod mere sit satis probabile, sufficere ad inducendam obligationem, nego. Resp. 2° Collet innititur rationi, quae, ut inquit idem s. Alphonsus, *non suadet:* Croix autem (non vero Zacharia, qui ne verbum quidem de hac re habet) cum ad praeferendam ceu probabilem hanc opinionem, inducatur eadem illa ratione, quam in Collet s. Alph. reiicit, concludas licet, eos nullum pondus isti opinioni addere.

Adduntur haec alia s. Alphonsi verba lib. 3. n. 310.: *Sententia haec affirmativa est valde probabilis et in praxi tenenda, ut ait P. Zacharia* (idest Croix) *ex alia ratione, scilicet quia audiri potest pars notabilis ceremoniae ab Ecclesiae praeceptae.* Resp. 1° Praecipit Ecclesia, ut fideles intersint sacrificio et ceremoniis simul cum sacrificio connexis, concedo; praecipit, ut intersint solis sine sacrificio ceremoniis, imo etiam alicui tantum ceremoniarum parti, nego. Resp. 2° Sententia haec affirmativa est valde probabilis, transeat; ergo in praxi tenenda, distinguo: ut res boni consilii, concedo: ut res praecepti, nego. S. Alphonsus lib. 3. n. 132. in Epistola ad R. Ab. Bartholom. de Marco, inculcat illud (cap. *Cum iure* 32. *De Offic. et Potest. iudic. deleg.*): *Nisi de mandato certus exstiteris, exsequi non cogeris, quod mandatur.* Et paulo post idem s. Alphonsus: *Hinc sapientissime Benedictus XIV. in suo Opere de Synodo in plerisque capitibus nihil aliud episcopos monet, quam ne unquam peccati gravis eas damnent opiniones, quae uti probabiles Doctores utriusque partis defendunt.*

Ceterum opinio, quod essentia sacrificii sita sit in sumptione, nulla solida gaudet intrinseca probabilitate. Sumptio enim, cum sit participatio rei sacrificatae, quemadmodum et in pluribus V. L. sacrificiis fieri solebat, supponit sacrificium peractum.

783. S. Alph. n. 310. q. 3. censet, eum, qui partem non notabilem omisit, *probabilius* teneri ad supplendam illam partem, si potest: s. Al-

phonsum sequitur Gury n. 343. q. 4° qui tamen addit, levi ratione excusari ab hac obligatione.

Sed rationabilius Suarez l. c.: « In his casibus existimo non peccare etiam venialiter; quia illa partialis omissio tunc non solum est levis, sed etiam, ut supponimus, est involuntaria et casualis, vel habet sufficientem excusationem, neque necessarium est ad hanc culpam venialem excusandam, quod ille defectus suppleatur in alia Missa, etiamsi fieri possit; quia praeceptum est iam substantialiter impletum et ille defectus involuntarie admissus est illeque modus illum supplendi est valde imperfectus et non multum conducens ad Missae integritatem ». Et mox ibid. de defectu voluntario: « Postquam vero hic defectus commissus est, non est obligatio illum supplendi in alia Missa propter rationes insinuatas et quia res morales non sunt adeo rigorose expendendae, praesertim quando leviores sunt ».

XXIX. 7. Non peccat, saltem mortaliter, qui a duobus Sacerdotibus successive duas dimidias Missas audit, ut habet Navar. c. 21. Sà, Sot. Henriq. Dian. t. 1. tr. 3. r. 18. Bon. d. 4. q. ult. p. 11. Hurt. contra Suar. Con. Fag.; quia audit integram Missam. Ob quam causam est probabile, *nunc improbabile, ob damnatam ab Innocent. XI. propos. 53.* etsi simul audiat, ut habet Bon. l. c. Hurt. et Dian. contra Regin. Con. Card. Lugo, etc., quorum sententia videtur probabilior.

784. Quoad primam resolutionis conclusionem (scil. quod non peccet, saltem mortaliter, qui a duobus sacerdotibus successive duas dimidiatas partes Missae audit) recte Suarez *de Euch.* disp. 88. sect. 2. « Propter haec (cf. n. seq.) suspecta mihi semper fuit illa doctrina, quam nonnullis etiam modernis Theologis et Iurisperitis displicere video; quia revera est parum consentanea intentioni Ecclesiastici praecepti et religioni ac reverentiae debitae huic Sacrificio. Et saltem censeo valde pertinere ad substantiam huius praecepti, ut tota Missa fidelium, ab oblatione scil. usque ad consumptionem, continue et per modum unius Sacrificii audiatur... quoad accidentalia vero facilius admitterem, posse praedicto modo suppleri, maxime ob aliquam probabilem causam seu necessitatem: nam sine illa res est reprehensione digna. Nihilominus propter auctoritatem dictorum Auctorum non potest practice condemnari contraria sententia et ideo qui ex illa fuerit operatus, non peccabit mortaliter ».

In quibus adest ratio resolutionis A. et levis culpa de eo debet intelligi, qui id faciat sine causa.

Sapienter s. Alph. doctrinam A. hoc pacto recipit, si ab uno sacerdote audiatur usque ad consecrationem exclusive, ab altero a consecratione ad finem; secus enim non interesset Sacrificio. Quod confirmat Lugo *de Euch.* disp. 22. n. 8., licet probabilem, ob extrinsecam auctoritatem, dicat oppositam.

Secunda pars resolutionis non potest amplius haberi probabilis; cum proscripta sit ab Innoc. XI. n. 53. haec propositio: « Satisfacit praecepto Ecclesiae de audiendo Sacro, qui duas eius partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit ». Et bene Viva ad h. prop. n. 9. ostendit, proscriptionem ferire etiam casum auditae Missae a duobus simul sacerdotibus.

Absurditas porro huius propositionis ipsa est, quae deterrebat Suarez (ut innuit in allato suo textu n. praec.), ne admitteret doctrinam de partibus etiam successive auditis; nam ex illa velut corollarium pronum videbatur et istam statuere ex generali principio, quod et nihil vetet pluribus sacerdotibus attendere et uno tempore possit pluribus obligationibus satisfieri, si una alteram non impediat.

XXX. 8. Non satisfacit, qui sub Sacro dormit, pingit, docet vel qui est post murum aut aliam rem, tali loco, unde nihil audiri, videri vel notari possit, quid fiat: quia non censetur moraliter praesens. Satisfacit tamen surdus, caecus et quicumque (licet sit post ostium aut columnam vel in fenestra vel procul a templo) ita est praesens, ut ex signis externis colligere possit, quid a celebrante agatur spectata loci natura (etiamsi per accidens nihil audiat, videat aut intelligat) sitque pars per moralem coniunctionem eius multitudinis, quae dicitur praesens et est in conspectu altaris. Bon. l. c.

785. Duo solum heic notabimus ex s. Alphonso n. 312.

1° Sine causa dici a quibusdam, illum non satisfacere praecepto, qui in magna basilica esset in aliqua cappella, dum in altera distantissima fit Sacrum; nam si potest respicere celebrantem aut advertere, quid agat, certe satisfacit; nam quisquis in templo est, satis praesens est Missae. Unde improbabilem eam opinionem dicit.

Admittit 2° s. Alph. ceu satis probabile et a pluribus admissum, posse audiri Missam a quopiam, qui in domo sua, interiecta via, respicit altare, dummodo distantia (scil. inter domum et templum) sit parva. Lugo vero censet, non obstare si haec distantia sit triginta passuum.

XXXI. 9. Audiens debet esse attentus, saltem virtualiter et in confuso, ut aliquo modo advertat, quid fiat. Hinc si quis nunc attendat, nunc fabuletur, ut tamen semper advertere possit, quid fiat, licet peccet irreverentia, non tamen damnandus est mortalis. Imo Con. 3. p. q. 83. cum Sylv. Rosel, et Med. docet eum satisfacere, qui voluntarie toto sacro est distractus, modo sibi sit praesens et cum reverentia externa assistat. Quoad probabile esse, docet Laym. contra Suar. Bon et alios. V. Con. l. c. et Card. Lugo n. 26. et 27. Plura de tota hac materia vide supra *de Legibus* c. 3. dub. 2. 3. et 4.

786. Distinguunt heic DD. intentionem et attentionem.

Et quoad intentionem patet non requiri intentionem implendi praeceptum; sed sufficere aliquam intentionem assistendi actui religioso seu faciendi actionem religiosam.

Neque obstat prava intentio adiecta. Qua de re notat Suarez *de Euch.* disp. 88. sect. 3.: « pravam intentionem adiunctam voluntati audiendi

Missam, non esse contrariam impletioni huius praecepti, si aliunde non excludat sufficientem attentionem. Itaque quamvis quis eat ad ecclesiam ex libidinosa intentione videndi feminam, vel etiamsi officio Missae cum eadem assistat intentione, tamen, si non excludit voluntatem implendi hoc praeceptum ecclesiasticum et sufficienter sit attentus, implet illud ». Eadem habet Lugo *de Euch.* disp. 22. n. 23.

Duplex autem est attentio: altera externa, alia interna. Lugo *de Euch.* disp. 22. n. 25. *Externa* consistit in negatione distractionis externae, quae ex se distrahere debeat mentem ab auditione Missae: v. gr. si quis in Missa depingere vellet vel legere historias aut quaestiones speculativas, confabulari, ludere et similia, tunc non haberet attentionem externam. Attentio *interna* consistit in applicatione interna mentis ad Missam (a).

Quaestio fit, an sufficiat sola attentio exterior, coniuncta utique cum supradicta intentione. Et affirmativam acriter defendit Lugo cum aliis pluribus, neque solum quoad audiendam Missam, sed etiam quoad orandi praeceptum vid. *de Euch.* disp. 22. a n. 29.; quinimo huc maxime vim argumentorum dirigit, Suarez impugnans, qui *de Hor. Canon.* lib. 4. cap. 26. n. 13. oppositam sententiam dixerat, sibi moraliter certam videri. Et sententiam suam confirmat Lugo l. c. n. 35. exemplo illius, qui exerceat actum externae adorationis, quae est nota submissionis internae; nam etsi distractus sit per alias cogitationes, tamen si velit prosequi actum externum adorationis, v. gr. genuflexionem vel capitis humiliationem ad significandam submissionem internam, hic certe exercet verum et substantialem actum adorationis. Quod sane exemplum magis quadrat in auditionem Missae ad quam, ut ait s. Alph. n. 313., non opus est orare, sed sufficit velle adsistere intendendo Dei cultum, quam in orationem, pro qua tamen illud Lugo affert.

Et ipse s. Alph. n. 313. postquam notavit, negari non posse, quod sit satis probabile, sufficere externam attentionem ad orandi praeceptum implendum, concludit, a fortiori id valere quoad Missam audiendam, cui sufficit praestare praesentiam moralem.

787. Ceterum si inspiciamus, quid alii requirant ad attentionem internam, vix differt alia ab alia opinione. Nam Suarez v. gr. scribit *de Euch.* disp. 88. sect. 3.: « Alia est enim attentio ad ea, quae Sacerdos dicit vel facit, non ultra progrediendo nec distincte intelligendo, sed solum attendendo ut ad rem quandam sacram, sicut supra dicebam, et haec attentio est infima omnium, tamen sufficiens; quia illa satis est, ut illa Missae auditio seu praesentia sit humana, moralis et ex obiecto religiosa ».

(a) Cf. dicenda tr. IX. c. 2. de attentione in recitando divino officio. E.

Paulo ante autem hanc rationem reddit: « Quia qui ibi dormiret, vel attentissime studeret legendo aut scribendo, sine ulla controversia non haberet hanc praesentiam necessariam; at vero perinde se habet qui nullo modo attendit, sed omnino mentis attentione voluntarie est in aliis rebus occupatus ». Unde paulo post exigit, « ut saltem attendat ad ea, quae sacerdos facit, tanquam ad res sacras ».

Et Salmantic., qui Suarez opinionem tenent *de Sacrif. Missae* cap. 6. n. 41.: « Nihil aliud exigit (hoc praeceptum) nisi quod quis incipiat audire Missam... intentione attendendi, seu quantum in se est, vacandi Deo et in contrarium animus iste non mutetur. Unde quoties dedita opera mentem a dicta *intentione* (audiendi Missam) non dimovet, licet inter audiendum Sacrum sit distractus, satisfacit praecepto ». Et n. 42.: « Et quod plus est ac pro tollendis multorum scrupulis maxime notandum, licet qui praedicto modo incepit audire Missam... postea dum audit..., ultro et advertenter circa alia mente divagetur, si non advertat per hoc distrahi a Missa, satisfacit praecepto; quia hic non voluntarie distrahitur a Missa... ». Hinc generatim monent DD., non facile arguendos de gravi culpa fideles ob defectum internae attentionis. Ita et Gury n. 345. Atque idem §. 347. resol. 5.: « Satisfaciunt quoad substantiam, seu a gravi culpa excusantur, qui voluntarie distrahuntur etiam toto tempore sacri, modo simul attendant: hoc enim fieri potest, si distractiones non sint valde vehementes, cum homo simul de pluribus possit cogitare ».

De dormitante vero haec habet s. Alph.: « Si post debitam intentionem audiat Sacrum... ea attentione, qua saltem advertat non omittere audire..., satisfacit et saltem non peccat graviter ».

Quod spectat ad confabulationes, aiunt Salmant. *de Sacrif. Miss.* cap. 6. n. 50.: Si confabulatio sit discontinua et per parvam partem Missae, vel non de re seria, sed de levi, quae non impedit attentionem necessariam, sed solum facit remissiorem, excusantur a mortali, seu aliis verbis peccatur irreverentia, sed satisfit praecepto.

Tandem de eo qui quaerit eleemosynas per ecclesiam, bene ait Lessius in Auctario V. *Missa* cas. 4. n. 10: Est opus tale, cum quo possit stare attentio confusa. Adde consuetudinem. Et consentit s. Alph. n. 317. non esse actionem incompossibilem. Contemnenda igitur sophistica quorundam opinio contraria.

XXXII. 10. Praeceptum audiendae Missae impletur quocumque in loco, sive in Parochiali aut Cathedrali sive in Regularium ecclesia sive in oratoriis privatis sive extra ecclesiam audiatur. Ratio est, quia Ecclesia tantum auditionem Missae praecipit, non autem locum; ergo quovis loco impletur. Tol. l. 9. c. 7. Azor, c. 6. Rodr. Nav. Fill. tr. 5. c. 7. Nug. Con. Bon. d. 4. qu. ult. c. 32. n. 4. et plures. Quae doctrina, licet certa satis sit, nihilominus, quia post omnes supra citatos Auctores a quodam moderno, viro alias

docto, in dubium vocatur, peculiari dubio examinanda est, ne cui, quia liber obvius est, scrupulus aut conscientia nascatur erronea.

788. Duo heic maxime notanda occurrunt. Alterum circa obligationem audiendi Missam in parochia, quae negatur: de quo argumento tractat et sequens dubium quartum. Alterum de oratorio privato, de quo heic praecipua notanda veniunt. In eo non nisi Indultarii satisfaciunt praecepto, secus ac sentit A. Sed ab his privatis Oratoriis secernenda ea quae, quoad praeceptum audiendi Missam ad instar sunt publicorum, in domibus Episcoporum, Cardinalium, locorum piorum etc. de quibus cf. vol. 4. *de Eucharistia*, ubi *de loco celebrandi*.

Generalis norma pro Oratoriis privatis est, ut diligenter considerentur formulae seu clausulae Indulti. Ab his enim pendet ratio concessionis.

Quoad locum.

Clausula I. — *Tibi NN. Dioecesis Mediolanensis.*

789. Bene notat Gatticus *de Orator. priv.* cap. 22. nn. 17.-23. et s. Alph. probat n. 318. ad Claus. 1. inspiciendum esse, an nomen Dioecesis apponatur tantum ad determinandam personam privilegiatam, an vero ad determinandum locum, in quo est oratorium.

Nam in casu priori, quocumque quis transferat habitationem, erigere ibi poterit oratorium. In secundo autem casu si determinetur *dioecesis*, non poterit extra illam dioecesim; si insuper determinetur etiam civitas, non poterit erigere extra illam civitatem, v. gr. ruri.

De nobilitate privilegiati.

Clausula II. — *Qui (ut asseris) de nobili genere procreatus exsistis.*

790. Inspiciendum, an indultum fiat homini, qui vel *nobili genere procreatus* dicatur, vel mere *nobili exsistenti*, vel *viventi more nobilium* aut alio modo. Nam clausula ista non supponitur, sed expressa esse debet.

Notentur verba s. Alph. 318. Claus. 2.: « Censeo semper distinguenda esse loca: nam qui forte nobilis aestimabitur in aliqua civitate, non aestimabitur talis in alia ».

Quod extruatur murus.

Clausula III. — *Ut in privato domus tuae solitae habitationis Oratorio, in civitate N. exsistente, ad hoc decenter muro exstructo, ornato, ab omnibus domesticis usibus libero.*

791. Ex s. Alph. ibid. Claus. 3. non opus est quatuor muris cum porta, sed pro quarto muro potest aptari aulaeum aut velum, quod reseretur vel claudatur ad commoditatem audientium Missam.

Imo s. Alph. censet sufficere ampla armaria intra cavitatem parietis, quae lignea tabula post absolutam Missam claudantur: modo tamen altare ligneum ita sit parieti alligatum, ut non sit amovibile et praeseferat imaginem altaris portatilis.

De ornatu.

Dicitur in Indulto, quod oratorium debet esse *ornatum*. « Omnes conveniunt, ait s. Alph. l. c. not. 2., locum oratorii debere ita esse constructum, ut diversus discernatur ab aliis ad profanos usus designatis et ex ornatu sacer appareat ».

Sit locus liber ab aliis usibus domesticis.

792. Monet post alios s. Alph. l. c. not. 3.: quod occurrente necessitate sicut permittitur comedere, dormire etc. in ecclesia etiam consecrata, tanto magis id licet in privato oratorio, quod ad sacrum usum deputatur tantum ad tempus.

Illae vero actiones, si absque necessitate ibi fierent, non excederent culpam venialem. Intellige, nisi altare clausum sub armariis maneat.

Communius autem docent, supra tectum oratorii non esse illicitum ponere lectos aut alia profana exercere. Vid. s. Alph.

De visitatione praevia Ordinarii.

Clausula IV. — *Per Ordinarium loci visitando et approbando ac de ipsius Ordinarii licentia, eius arbitrio duratura.*

Debet oratorium ab Episcopo aut Vicario aut Episcopi delegato visitari et approbari *semel* et gratis: nec deinceps potest Ordinarius impedire, ne ibi celebretur.

Quod vero in Indultis dici solet « *de licentia Ordinarii, eius arbitrio duratura* » intelligi debet, quod iusta de causa potest celebrationem suspendere. Vid. s. Alph. n. 318. Claus. 4.

De una Missa celebranda.

Clausula V. — *Unam Missam pro unoquoque die, dummodo in eadem domo celebrandi licentia, quae adhuc duret, alteri concessa non fuerit.*

793. Communis facultas est, ut una tantum Missa eadem die celebrari queat.

Clausula « *dummodo in eadem domo celebrandi licentia, quae adhuc duret, alteri concessa non fuerit* » non impedit, quominus si domus re quidem una, sed aequivalenter multiplex sit, in segregatis partibus

possint duo privilegium exercere, v. gr. in palatiorum partibus segregatis: licet unica sit ianua aut scala.

Id extenditur ad partes, quarum altera superior, altera sit inferior, dummodo tantus sit habitationis propriae locus, quantum altera decens domus suppeditaret. Vid. Gatticus *de Orat.* cap. 22. nn. 25.-28.

Et in hoc limitandus s. Alph., qui negat valide impetrari, si alter in altera parte (appartamento) privilegium habeat lib. 3. n. 318. Claus. 5.

Per quemcumque sacerdotem.

Clausula VI. — *Per quemcumque sacerdotem ab eodem Ordinario approbatum secularem, seu de superiorum suorum licentia Regularem.*

Non requiritur ulla specialis deputatio sacerdotis; sed satis est, ut idoneus sit ad celebrandum in aliis sacris locis, sive secularis sit, sive regularis. Vid. s. Alph. l. c. Claus. 6.

Sine praeiudicio iurium parochialium.

Clausula VII. — *Sine tamen quorumcumque iurium parochialium praeiudicio.*

Videlicet celebrans nequit annuntiare matrimonia, ieiunia etc., quae spectant ad parochum.

Benedictus XIV. prohibuit, ne Eucharistia ministraretur. Vid. s. Alph. ibid. Claus. 7., absque licentia Episcopi. Vid. lib. 6. n. 359. in fine.

Dies excepti.

Clausula VIII. — *Paschatis Resurrectionis, Pentecostes et Nativitatis D. N. I. C., nec non aliis sollemnioribus festis exceptis.*

794. In formula Indulti dicitur « Paschatis Resurrectionis, Pentecostes et Nativitatis D. N. I. C., nec non aliis sollemnioribus festis exceptis ».

Iuxta s. Alph. lib. 6. n. 359. sollemniores alii dies sunt dies Epiphaniae, feriae V. in Coena Domini, Ascensionis D. N., Annuntiationis et Assumptionis B. M. V., ss. Petri et Pauli et omnium Sanctorum, ut patet ex decreto S. C. Ritum 17. nov. 1607.

Adde, si qui aliis dies Indulto excipiantur; nam regula praecedens valet communiter, nisi quid aliud exprimatur.

Haec tamen dierum exceptio non valet, quando oratorium conceditur, propter infirmitatem, ut patet ex decreto eiusd. s. Congr. apud Croix lib. 6. p. 2. n. 271. et solum cavetur, ut die Nativitatis Dom. una tantum Missa celebretur. Vid. s. Alph. lib. 3. n. 318. Claus. 8. et l. c.

Praesentia personae privilegiatae.

Clausula IX. — In consueta Indulti formula haec habentur. *In tua ac natorum ac familiae tuae nec non hospitum tuorum nobilium praesentia celebrare facere etc.*

795. Porro proposito dubio, an sufficeret praesentia v. gr. filii aut alterius e familia, an vero requiratur praesentia *domini*, Benedictus XIV. 3. Dec. 1749. duo declarat ac statuit, 1° requiri praesentiam alicuius personae ex illis, quibus particulariter Breve conceditur; has autem personas esse illas, quibus Breve dirigitur et quorum nomina a tergo eiusdem Brevis exprimuntur: 2° reliquis vero concedi solum, ut valide satisfaciant ibi praecepto audiendi Missam.

Ita s. Cong. Concilii (apud s. Alph. *Theol. Mor.* vol. 2. in fine, inter decreta RR. PP. decreto 5.) « cum exorta esset dubitatio, an ex vi huius indulti (concessi duobus coniugibus) liceret, Missam celebrari facere in privato oratorio etiam sine praesentia alterutrius (h. e. neutro praesente) ex dictis coniugibus, ad quos indulti concessio directa erat..., die 3. dec. 1740., censuit *non licere*. Deinde vero ss. Dominus noster, reprobata contraria doctorum sententia, praedictam s. Congregationis resolutionem nedum approbavit, verum etiam decreto publice evulgando voluit omnibus notum fieri, non posse vigore similis Indulti celebrari Missam in privatis oratoriis, quando eidem Missae actu non intersit aliquis ex iis, quibus *principaliter* indultum concessum est; indultum vero *principaliter* concessum intelligi iis tantum, quibus Breve dirigitur, nimirum personis illis, quae a tergo eiusdem Brevis proprio nomine nuncupantur, adeo ut sine praesentia alicuius ex dictis personis minime liceat Missae sacrificium peragi, etiamsi praesens sit aliquis sive ex filiis sive ex consanguineis sive ex affinibus sive ex familiaribus sive demum ex hospitibus nobilibus in eodem Brevi memoratis, quippe quibus nil aliud per eiusmodi Brevia conceditur, quam quod unusquisque eorum (dummodo, quod attinet ad familiares, iuxta clausulam in iisdem Brevibus insertam, non sit ex illis actu non necessariis) assistens Missae quae celebratur in oratorio privato in praesentia alicuius ex personis a tergo Brevis proprio nomine nuncupatis, satisfaciat obligationi audiendi Missam diebus festis de praecepto ».

De aliis personis. De filiis.

Quoad *Natos*, intelliguntur et nascituri. Gattic. cap. 25. n. 4.

Quamquam vero s. Alphonso ad Claus. 9. placeat sententia duorum qui negant satisfacere filios spurios et nondum legitimatos, tamen non magni momenti sunt rationes allatae. Vid. Gattic. cap. 25. n. 4. et 6., qui admittit, quoad adoptivos.

De consanguineis.

796. S. Alph. n. 318. Claus. 9. quoad affines et consanguineos censet constringi debere privilegium ad 4. usque gradum.

S. Alphonsus negat l. c. frui posse privilegio eos cognatos sive affines principaliter privilegiati, qui licet maneant in eodem habitationis loco, in separatis tamen eiusdem domus partibus vivunt et propriis expensis ac sumptibus. Ratio, quia non sunt de familia. At enim, ut notat Gatticus cap. 25. n. 11., in consuetis Indulti formulis discernuntur nati, consanguinei et affines a *familiaribus*. Ergo licet exigatur, ut insimul habitent in eadem domo, non tamen exigitur, ut unam constituant familiam. Unde falsa est ratio s. Alph. quod exigatur, ut *sint de eius familia.*

De nobilibus hospitibus.

Accedit s. Alph. l. c. sententiae illorum, qui hospitibus accensent illos quoque, qui ad prandium a privilegiato invitantur. Non tamen gaudent privilegio famuli hospitum; quia non sunt de familia privilegiati.

De familiaribus.

Clausula X. — *Volumus autem, quod familiares, servitio tuo tempore dicto actu non necessarii, ibidem Missae huiusmodi interessentes, ab obligatione audiendi Missam in ecclesia diebus festis de praecepto minime liberi censeantur.*

797. Familiaris, quando distinguitur a consanguineo, dicitur ille, qui alterius servitio incumbit eiusque impensis vivit.

Et quoad primum nota 1° sufficere, ut vere domino famulentur, sive immediate illi serviendo, sive mediate, quaedam officia peragendo ad eius famulatum ordinata ut oeconomus; etsi 2° deserviendo propriis dominis cogantur extra eius domum manere, ut villicus: proinde ad conditionem *familiaris* non est absolute necessaria assidua mora cum proprio domino in eadem habitatione: sed 3° sufficit, ut quis sit per se continuo addictus domini servitio in aliquo munere, licet munus ipsum assiduam aut frequentem occupationem non requirat, sicut ratiocinator. Et sic a *domesticis* distinguuntur, qui praeterea in eadem domo manere censentur. Gattic. cap. 25. nn. 13. 14. Hinc s. Alph. lib. 3. n. 319. probat, quod valide hi assistunt Missae (si aliae adsint conditiones), licet habitent extra domini domum.

Quoad alterum adverte, nihil referre, qua ratione vel immediate vel mediante pecunia cibus subministretur. Etenim sive de proprio cellario, sive stipendio constituto dominus familiares pascat, semper domini sumptibus illi vivere dicuntur. Gattic. cap. 25. n. 16.

Debent esse necessarii tempore Missae.

798. Quod privilegium satisfaciendi praecepto Missae audiendae in oratorio privato concedatur solis familiaribus, quorum tempore Missae praesentia est actu necessaria, clare eruitur etiam ex aliis concessionis formulis, quas refert Gattic. cap. 25. nn. 23. 24.

Difficultas est, quaenam sit ista necessitas praesentiae familiarium seu quinam sit necessarius famulatus tempore Missae.

1° Gatticus recte observat cap. 25. n. 23. in primis haberi posse pro necessario illum, *qui Missae inservit,* quando neque ipse privilegiatus neque alius eis consanguineus seu affinis *sponte* suscipiat hoc officium; nam constringi aliquem ex his, nulla lex iubet; qui autem Missae serviat, necessarius est.

2° Praeterea, ut ibid. Gattic. advertit, alius famulus admitti debet semper tanquam necessarius servitio domini vel, si privilegiata sit femina, una ancilla ei conceditur, ut actu parata sit ad serviendum dominae, si forte eius opera indiguerit; in hoc enim necessarium praestant servitium, quod actu vigilent, si inopinate aliquid tunc temporis accideret.

3° Si plures adsint personae principaliter privilegiatae, Gatticus cap. 25. n. 24. ex indulto Clementis X. deducit, unamquamque ipsarum posse habere suum famulum vel ancillam.

4° Praeterea idem Gatticus ibid. concedit, dominum posse destinare alium famulum seu ancillam, quae advigilet pro servitio consanguineorum vel affinium, si quidem hi sub cura illius maneant: deservit enim domino quisquis deservit illis, pro quibus dominus ex munere suo excubare tenetur. S. Alph. n. 318. Claus. 10.: « Familiares cognatorum non gaudent hoc privilegio, nisi assumantur ab ipso privilegiato, ut assistant et sint necessarii modo praedicto cognatis, qui *sunt sub cura* privilegiati ». Proinde potest censeri necessarius educator seu pedagogus pro filiis, seu nutrix pro filiabus ac praeterea famulus vel ancilla pro iisdem.

5° Denique rationabile prorsus videtur, quod Gatticus cap. 25. n. 19. addit de quadam necessitate, quae exsurgit ex sola dignitate, gradu, conditione privilegiati. « Etenim, inquit Gattic., non minus grave saepe molestumque est viro matronaeque nobili quibusdam familiaribus, proprio decori convenientibus, carere, quam grave foret illis carere, qui servitiis immediate personam propriam afficientibus sunt necessarii. Hinc incredibile videtur, R. Pontificem, dum in suo privilegio respexit ad familiares necessarios servitiis privilegiatorum, simul non respexisse ad necessitatem, quae derivat ex propria condi-

tione et gradu illorum; maxime cum in concessione suarum gratiarum nolit aequale pene gravamen inferre, quam sit beneficium, quod indulget, nec in tanta necessitate privilegiatos constituere, ut si velint obtento uti privilegio, magnum incommodum, attenta propria dignitate, subire cogantur. *Nemo igitur dubitat*, quin familiares necessarium dominis praebentes servitutis officium, inspecto convenienti decore eorundem, vere participent de pontificio indulto et assistentes Sacrificio celebrato in privato oratorio coram principaliter privilegiato, praeceptum Missae audiendae adimpleant ».

Scio s. Alphonsum n. 318. ad Claus. 10. referre oppositam opinionem Fortunati a Brixia et forte in ipsam inclinare.

Sed ratio non videtur admodum efficax; quia scil. privilegium (ut aiunt) est strictae interpretationis. At enim si *necessitatem* stricte interpreteris, quando, quaeso, famulus erit tunc necessarius?

Praesertim cum Gatticus cap. 25. n. 18. id confirmet exemplo privilegiati tempore *interdicti;* nam si audire divina ipsi conceditur ex cap. *Licet de Privilegiis* in 6°: « eius familiares domestici ad audiendum cum ea (persona)... divinum officium admittuntur ». Adde, quod pluries Gattici opus Romae fuerit excusum nec ullus unquam hanc privilegii interpretationem nota adusserit: quod iudicium est, sic praxim tulisse.

Dub. IV.

De obligatione audiendi Missam in parochia.

XXXIII. Respond. Etsi id quidem decens sit, non tamen est obligatio. Est communis Auctorum (quos vide *superiore* dub. cas. ult.) et ut ait Card. Lugo disp. 22. sect. 1. n. 2. certa; etsi Marchantius in *Candelabro mystico* t. 4. c. 7. et in *Resolutionibus moralibus* in forma manualis editis cap. 8. in dubium vocet scrupulumque movere conetur. Ratio est 1. Quia nullum exstat ea de re praeceptum. 2. Quia cap. *Ut Dominicis,* iubetur Parochus ante Missam eiicere eos, qui, proprio Parocho contempto, istic Missam audire vellent; ergo sine contemptu formali licet. 3. Quia c. *Si quis, de Consecr.* iubentur ii, qui habent oratorium domi, in maioribus festivitatibus audire Sacrum in Parochia, vel in civitatibus. 4. Quia universalis fidelium et ipsorummet etiam Parochorum doctorum et confessariorum (qui poenitentes hac de re non interrogant) consuetudo id non tantum, ut loquitur Marchant. loc. cit., insinuat, sed manifeste docet. 5. Quia Trident. sess. 22. ante Decretum de Reform. tantum dicit, populum debere moneri (non autem teneri) ut frequenter adeat Parochias, saltem Dominicis et Festis maioribus. Vid. Fagund. Lugo, Barb. Zened. Trull. l. 3. c. 1. dub. 6.

XXXIV. Neque obstant, quae March. obiicit, ut:

1. Quod iura antiqua decernant contrarium, eo quod Sixtus IV. *De tregua et pace*, praecipiat, ne Mendicantes praedicent, non teneri audire Missam in Parochia Dominicis et Festis. Nam imprimis ex illo Sixti decreto nihil sequitur, cum is non dicat teneri, sed tantum prohibeat, ne publice *praedicetur, non teneri.* Cum enim honestissimum sit

populum audire Missam in Parochia idque suadere deceat, minime deceret, id (publice praesertim) dissuadere; nam inde scandala et proprii Parochi contemptus sequi possent. Et hoc est, quod Sixtus cavere voluit. Deinde, esto antiqua forsan aliqua iura id habeant, eis posterioribus temporibus, per varia privilegia receptamque consuetudinem universalem, est derogatum. Caiet. Lugo et ceteri Auctores cit.

Nec obstat 2. quod multos Canonistas eam opinionem secutos asserit. Esto enim olim quidam sic senserint: hoc tamen tempore, post tot et tam ampla privilegia, post tam claram et diuturnam consuetudinem, post Eminentiss. Cardinalium declarationes et ipsorum etiam Pontificum nota decreta contraria (ut vid. seq. Resp.), an aliqui id doceant, nescio.

Nec 3. locus Trident. paulo ante in resp. citatus, quem obiicit, ut patet ex ipsis verbis et declaratione Eminent. Cardinalium Auctorumque communi explicatione.

XXXV. Resp. 2. Episcopus non potest censuris, mulctis aliisque poenis cogere ad audiendam Missam in Parochia. Est contra March. l. c. ubi ait, *Regulares ita communiter respondere, ut privilegiorum suorum fimbrias magnificent et dilatent phylacteria* et contra Auctorem *Parochiani obedientis*. Ratio autem est, quia, ut ait Navar., Episcopus non potest tollere (nec restringere) ius commune et generalem totius orbis consuetudinem. Ita docent praeter Auctt. sup. citt. s. Ant. p. 2. tit. 9. c. 10. §. 1. d. 4. Sylv. v. *Missa*. Tolet. Laym. lib. 4. t. 7. cap. 3. etc. et commun. omnes Theologi et Canonistae moderni afferuntque Azor t. 1. lib. 7. cap. 8. quaest. 6. et Card. Lugo dis. 22. lib. 1. pro hac sententia declarationem Cardinalium in Tridentin. quae expresse habet: *Non posse Ordinarium mulctis et poenis cogere ad audiendam Missam vel Concionem in propria Parochia, etiam in casu negligentiae et contumaciae*. Et, si quis his duobus, tanquam Regularibus, minus fidat, legere potest eandem declarationem apud Barb. in Trid. sess. 22. cap. 8. *de Sacrif. Miss.* et sess. 24. *de Refor.* c. 4. n. 12. Item tract. *de Offic. et potest. Parochi*, ubi eandem sententiam Barb. ipse sequitur et pro ea supra viginti Auctores celebres partim Theologos, partim Canonistas, qua Regulares, qua non Regulares citat. Vide *eiusdem Remissiones* in Trident. impress. Antuerpiae Anno 1644. et Zerolam *in Praxi Episcopali* p. 2. v. *Parochia*, et p. 1. v. *Missa*, §. 6. Idem dissertis verbis confirmant Clemens VIII. Anno 1592. 22. Decemb. decreto suo, circa hanc ipsam controversiam Duaci excitatam, quo eam dirimit, his verbis: *Praesenti nostro decreto sancimus, licere secularibus Christique fidelibus universis, Missas diebus Dominicis et Festis aliis maioribus audire in ecclesiis tam Fratrum Praedicatorum, quam aliorum Mendicantium necnon etiam Collegi. Societat. IESU, iuxta eorum privilegia et antiquas consuetudines, dummodo id in contemptum Parochialium ecclesiarum non faciant et tam dictis Fratribus Praedicatoribus ac Presbyteris dictae Societatis, quam aliis privilegiatis, quibus id Sede Apostolica indultum est idoneis tamen et ab Ordinario approbatis, peccata sua, etiam Quadragesimali et Paschali et quovis alio tempore confiteri licite posse etc.* Quod si vero dicta privilegia et alia similia clarius cognoscere lubet, inspiciatur (ut alia taceam) Compendium Privilegiorum Societatis IESU, ubi praeter Leonis X., clara sunt verba Pauli III. in Extrav. data Anno 1549. Kalend. Novem. quae incipit: *Licet debitum:* qua *omnibus Christifidelibus, cuiuscumque conditionis, qui verbi Dei praedicationibus in templis eiusdem Societatis interfuerint, concedit, ut ibidem Missas audire et Sacramenta recipere libere et licite valeant neque ad id ad Parochiales Ecclesias accedere teneantur.* Porro, ne quis miretur, tam ampla privilegia Regularibus concessa a variis Pontificibus, placebit inspicere eorum Bullas, in quibus reperiet motiva gravissima: aut si nec inspicere lubet, recogitet saltem, Deum ipsum Innocentio III., dum vidit Ecclesiam Lateranensem iam iam ruituram, ostendisse eam sustentari a s. Dominico et s. Francisco. Consideret,

quod, sicut olim in varias orbis plagas et in ipsam Germaniam doctrina Christi translata est opera Regularium, ita sine eorum subsidio conservata diu non fuisset, vel saltem minus floruisset. Et denique, ne Regularibus succenseat quisquam, quod privilegia sua tueantur, sciendum est, quod sine consensu Sedis Apostolicae iis renunciare aut cedere non possunt, ut v. lib. 2. decret. titul. 43. *de Arbitr.* cap. 5. imo, etsi faciant, irritum fore et peccaturos; quia iniuriam inferrent Ordini et Ecclesiae toti. Nunc ad argumenta Marchantii breviter respondeo:

1. Affert auctoritatem cuiusdam P. Cappuccini, qui *Parochianum obedientem* scripsit. Et huic quidem me paulo ante sat multas gravesque auctoritates opposuisse existimo.

2. Ait, quorumdam Episcoporum praxim esse contrariam eamque fundari in iure antiquo et novo Trid. l. c. sess. 22. et sess. 24. ubi dicit, teneri unumquemque Parochiae suae interesse, ad audiendum verbum Dei et rudimenta fidei; haec autem in plerisque locis ruralibus docentur in Missa: ergo etiam ad Missam possunt compelli.

Resp. 1. Praxim istam (sicubi est) paucorum esse et contrariam praxi communi Episcoporum, in omnibus regnis et provinciis et insuper Praesulis summi.

2. Praxim istam nec fundari in iure antiquo, cum illi (si quod fuit) per privilegia sit derogatum et abrogaverit consuetudo, nec in novo. Tum quia Trident. loc. cit. loquendo de concionibus et catechesi, nullam facit mentionem Missae et in poenalibus non valet illatio. Tum quia Tridentin. expresse addit (quod Marchantius in sua citatione omittit, cum tamen ad rem plurimum faciat) *si commode fieri potest.* Tum quia nec illam quidem obligationem, quoad conciones, esse receptam ostendit universalis Ecclesiae consuetudo; eo quod forte regulariter *commode fieri non poterat,* ut notat C. Lugo loc. cit. Neque Catechesis communiter docetur in Missa, nisi forte in pagis, ubi rarius contendunt Regulares cum Parochis de re praesenti. Denique nescio, an non Episcopi, de quibus loquitur, ex numero forte sint eorum, de quibus Pius V. in Bulla, *Etsi Mendicantium,* queritur, quod etsi Episcopi Ordines mendicantes merito colere et adiuvare deberent, non solum id negligant, verum etiam Concilii Tridentini verbis in pravum sensum detortis, eos incommodis et perturbationibus afficiant.

3. Citat decreta Synodi Leodiensis et Namurcensis subiungitque: *Quis vero audeat haec contemnere et Patres istius Synodi, inter quos multi Theologi fuerunt?*

Resp. Decreta ista (et si quae forte sunt similia) intelligenda esse, ne cum contemptu proprii Parochi audiant Sacrum extra Parochiam: aut, si quae sensum alium habent, non esse recepta vel usu abrogata. Ita Auctt. citt. commun. Videri potest Cardin. Lugo l. c. Barbos. et Zerol. ll. cc. et dignissimus lectu libellus Francisci Pontani Concionatoris regii, cuius titulus: *Responsa ad quaesita cuiusdam primarii Praelati etc.* excusus primum Gallice Nancaei, anno 1625. postea vero latinitate donatus et recusus Viennae Austriae, typis Michaelis Rictii, anno 1634. Mitto rationes ceteras, quibus frequentationem Parochiae (sine obligatione tamen) persuadere conatur: cum eam, utpote honestam imprimis atque decentem, minime improbare, sed erroneam tantum conscientiam impedire intendam: ne videlicet cum persuasione obligationis Parochialia, vel cum apprehensione peccati Regularium templa frequententur.

799. Est quaestio penes nos inutilis; quocirca et s. Alph. verbis A. nihil aliud addidit, nisi quod « Benedictus XIV. *de Syn.* l. 7. c. 64. n. 7. ostendit (contra Iuenin et Van-Espen.) nunc non esse obligationem audiendi Missam in parochia ». At doctrina A. necessario est retinenda pro aliis regionibus, ubi non desunt anomali homines, qui has lites excitant et vexant conscientias.

Adde, neque esse obligationem, ad satisfaciendum praecepto, audiendi Missam in proprio ritu, puta latino vel graeco, ut declaravit s. c. P. F. 30. Apr. 1862. (Collectanea (P. F. n. 2023.).

Dub. V.

Quae excusent ab auditione sacri.

XXXVI. Resp. Duae sunt causae, quarum altera si adsit, non teneris curare celebrari privatim in portatili cum privilegio, neque (etsi id consilii sit) preces interim alias loco Missae dicere; ut habet Nav. c. 43. Suar. Fill. t. 5. c. 7. q. 11.

Prima causa est impotentia, vel simpliciter vel moralis, aut difficultas ex notabili incommodo proprio vel proximi, corporis vel bonorum vel etiam honoris: quia haec est mens Ecclesiae praecipientis instar discretae et benevolae matris. Bon. d. 4. q. ult. p. ult. Navar. Fill. t. 5. c. 7. q. 11. Suar. d. 85.

Secunda causa est quodcumque motivum rationabile, quo quis bona fide putat se excusari. V. Suar. in 3. p. s. 6. c. 5. Laym. et Bon. l. c.

800. Quaerit s. Alph. n. 319. dub. 3. an dominus teneatur uti privilegio Oratorii, si non possit adire ecclesiam et subdit, merito id affirmare Pasqualigum, Gatticum et Fortunatum a Brixia, si sacerdotem commode habere possit; quia omnes tenentur implere praeceptum, si id possint sine gravi incommodo.

At enim 1° Gatticus ipse fatetur cap. 20. n. 36., si DD^{m}. numero res definienda sit, plures stare pro opposita sententia.

2° Horum rationi, scil. *privilegia mere personalia pro lubito deseri aut usurpari posse* nihil solidi respondet.

3° Nam quod ait n. 37. privilegium transire in locum ipsum, adeo falsum pro re nostra est, ut ad lubitum locus ipse in alios usus converti queat.

4° Etiamsi locus foret vere sacer, undenam novum hoc principium prodit, quod quisquis die festo non potest pergere ad ecclesiam, in qua celebratur Missa, teneatur curare, ut Missa celebretur in alia ecclesia, ad quam potest accedere? Et tamen hoc a fortiori dicendum foret, cum heic non agatur de usu privilegii.

5° Quod vero ait n. 36. liberum esse quidem postulare vel non postulare privilegium, non vero post obtentum privilegium esse liberum usum, hoc est falsum. Et si is, qui per usum privilegii posset legem aliquam observare, incurreret obligationem, qua alioquin liber esset spectato iure communi, privilegium cederet ipsi non in commodum, sed gravamen.

A fortiori autem falsum dici debet, quod et s. Alph. l. c. subdit, teneri dominum uti suo privilegio, si non potest accedere ad ecclesiam

alius ex illis, qui vi privilegii possunt satisfacere praecepto in Oratorio, v. gr. affinis aliquis, vel hospes.

Quomodo ergo cohaerent ea, quae ad h. locum Auctoris n. 324. scribit s. Alph. scil. recte docere heic Busembaum cum communi sententia, non teneri quempiam curare, ut celebretur in suo oratorio privato etc., cum iis, quae s. Alph. ipse dixerat sup. n. 319. scil. RECTE *oppositum ab aliis affirmari,* habes ex limitatione ab ipso opposita doctrinae Auctoris, scil. si *conducere* debeat quis sacerdotem: et sententiam, quam sup. defenderat, intelligit, *si Missa dicatur gratis vel facile gratis haberi possit vel cum modico stipendio.*

Et tamen subdit, Suarez cum aliis pluribus apud Croix lib. 3. p. 1. n. 676. negare etiam in hoc casu obligationem; licet ipse putet cum Collet et Croix *probabilius* oppositum et quidem admittit cum *Collet,* id valere etiam in casu, quo stipendium modicum foret solvendum.

At plane dicemus, neque auctoritate neque ratione probari maiorem hanc probabilitatem. Non auctoritate, ut patet ex allegationibus ab ipso relatis.

Rationi autem, quod « si quis alias est excusatus, non teneatur etc.; quia privilegium datur ut favor et non ut onus, ideoque nemo tenetur uti privilegio » huic inquam rationi nihil solidi respondetur.

Bene s. Alph. n. 319. in fin. advertit, probabile esse, quod satisfiat praecepto ab eo, qui audit Missam in littore vel in castris. Et idcirco ille, qui aliam Missam audire non posset, hic teneretur huic adsistere.

801. Interim ex disputatis huc usque patet, antiquatam habendam opinionem, quae generatim asserit, praeceptum impleri audiendo Missam in Oratoriis privatis, aut certe id intelligendum esset de iis, qui facultate ista iuxta sup. dicta gaudet. Sane nunc decreto Urbis et Orbis 8. Iun. 1896. ss. Leo XIII. privilegium Cardinalium extendit ad omnes Episcopos catholicos, etiam titulares, nimirum ut Episcopi non solum in propriae habitationis oratorio, aut, ubicumque degant, super ara portatili Missam facere possint aliamque in sui commodum permittere valeant, sed praeterea ut fideles omnes alterutram ex iisdem Missis audientes, quoties opus fuerit, praecepto Ecclesiae satisfaciant, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Monet tandem s. Alph. ibid. Oratoria in domibus Episcoporum, religiosorum vel missionariorum privilegiatorum vel alibi erecta et benedicta ab Episcopo, cum ianua in via (intellige hoc pro domibus laicorum), non esse oratoria privata sed veras ecclesias quod spectat ad Missam, ita ut in iis audientes Missam bene satisfaciant et in omnibus festis.

S. Alph. n. 324. utramque causam, excusantem ab auditione Missae, recensitam ab A., ad hanc unicam normam revocat: « Excusat ab au-

dienda Missa quaevis causa *mediocriter* gravis, quae scil. involvat *notabile* aliquod incommodum aut damnum in bonis animae vel corporis proprii vel proximi ». Quam normam dicit communem. Sed melius intelligetur ex Resolutionibus.

Unde resolves.

XXXVII. 1. Excusantur, qui sunt in navigatione vel carcere. Item in morbo vel convalescentia, in qua obsit prodire foras. Item qui sunt in excommunicatione, vel interdicto: de quo suo loco.

802. Quoad detentos in carcere vel navigantes, habetur impotentia. Ubi tamen in carceribus pro detentis Missa celebratur, interesse debent. Quod idem dicito de infirmis in nosocomio, in quo Missa celebratur.

Quod spectat vero ad infirmos vel convalescentes, id quod ait A., « in qua (convalescentia) obsit prodire foras », s. Alph. n. 325. explicat quando prudenter timent non leve damnum vel moram notabilem ad convalescendum » idque quasi ex communi sententia DD. Haec quidem regula nondum est satis clara; quia non definitur, quodnam sit *grave* damnum vel *notabilis* mora: verum haec sunt ex iis, quae prudentum arbitrio definienda relinquuntur. Quocirca subdit idem s. Doctor de casu dubio: « Standum est (inquit) consilio medici aut superioris aut parochi vel alterius viri prudentis et etiam suo iudicio potest acquiescere infirmus, si prudenter ita iudicet ».

Addit, quod si post petitum consilium quis maneat adhuc dubius, iudicandum esse, matrem Ecclesiam in tali casu non obligare. Et accedit ratio, quia adest saltem *periculum* gravis incommodi.

Porro ad grave incommodum DD. (apud s. Alph. l. c.) revocant, si quis timeat exeundo notabile gravamen capitis, virium lassitudinem, cruditatem etc.

Struggl tr. 8. q. 1. art. 4. n. 41. addit ceu regulam, excusari omnes, « quibus propter debilitatem corporis aut infirmitatem e lecto vel aedibus ad opera aequalis laboris non licet egredi sine dispendio sanitatis vel augmenti doloris ».

803. Addi potest generale aliud principium, tunc excusari ab audienda Missa quempiam, quando tale timet incommodum, propter quod omitteret vel omitti prudenter solent alia negotia alicuius momenti.

Itaque qui ratione valetudinis prudenter omittit v. gr. visitationes amicorum, cursitationes ad quaedam emenda, ad quaedam negotia tractanda etc., censeri potest excusatus ab ecclesia adeunda. Ratio, quia non censetur Ecclesia speciale incommodum voluisse suo hoc praecepto imponere.

Ceterum praxis timoratorum hac in re quibusvis aliis regulis lumen afferet et in dubiis benignius agendum.

Adverte autem, vix occasionem adesse de his iudicandi nisi *post factum,* et post factum iam iudicium pendet a conscientia, qua quis usus est.

De excommunicatis vero aut interdictis s. Alph. n. 325. testatur, commune esse *contra paucos*, non peccare eiusmodi homines omittendo Missam, etiamsi negligant absolutionem (vel libertatem, si carcere detenti) quia non est obligatio auferendi impedimenta remota: modo non ideo negligant absolutionem, ne teneantur lege. Atque id profecto admittendum, si ea negligentia sit propter contemptum legis: sed quid, si ob levitatem, ut ex. gr. aliis occupationibus tempus impendatur, ne incommodum subeatur exeundi domo etc.? Si praeceptum non obligat auferre impedimenta remota, non videntur hi damnandi saltem gravis peccati, propter hoc praeceptum non servatum.

Quod vero s. Alph. l. c. cum Collet subdit, *probabilius* teneri ad absolutionem quaerendam illum, qui facile potest eam obtinere, iam pertinet ad sententiam paucorum contra communem.

XXXVIII. 2. Item, qui custodiunt castra, urbem, gregem, infantes vel puerum (qui in templo quietus et sine perturbatione aliorum contineri non potest) vel domum aut aegris solatio sunt, aut coquere debent et similia curare, quae omitti non possunt. Bon. Con. n. 86. et 314.

804. Clara sunt penes A.

Quoad eos, qui custodiant urbem, castra etc., vera est sententia Auctoris; sed si deobligantur qui illud officium exercent, non deobligantur tamen superiores, qui tenentur curare, ut liberum tempus omnibus, quantum fieri potest, concedatur.

Nota heic mores dignos atheis, qui vigent inter copias Gallorum et regni italici.

S. Alph. n. 326. notat, debere alternatim omittere, si plures sint, quorum aliquis custodire quidpiam debeat. Nec posse virum semper (in casu) cogere uxorem, ut domi ea de causa maneat: posse autem dominum manere domi, ut famulus Missam audiat.

Notat s. Alph. excusari adsistentem infirmo, licet alius adesset assistens, sed infirmus putaret illius assistentiam esse necessariam et alias gravem pateretur tristitiam. Ideo A. utitur verbis « *Si solatio sit* ».

Addit s. Alph. ibid. excusari et illum, qui veretur, se traductum iri in carcerem, si exeat domo, ubi latet. Et hoc evidens est.

XXXIX. 3. Item, cui periculum est gravis offensionis mariti, parentum vel dominorum. Henric. Suar. Fill. l. c. n. 226. Si tamen id fere semper fieret, de alio medio laborandum esset.

805. Monet hoc loco s. Alph. quod excusetur, qui a Missa abest, ut impediat rixas aut furta alienorum quoque bonorum: quod pater ad

correptionem possit filium domi clausum retinere, etsi hic Missam non audiat: quod excusentur famuli, qui alias cum gravi dominorum incommodo proprium ac necessarium ministerium omitterent. Haec certa sunt. Et circa hoc postremum id unum adverte, non consentire DD., quodnam ministerium in hac re dici debeat *necessarium;* cum v. gr. Mazzotta (apud s. Alph. l. c.) intelligat de eo obsequio, quod *iuxta communem vivendi* modum differri nequeat v. gr. iungere equos, comitari dominum, in forum ire ad res emendas necessarias etc. Nec censeo reipsa dissentire s. Alph., qui alioquin haec verba Mazzotta temperat, aiendo « intelligendum sine *notabili incommodo dominorum* ». *Notabile* enim in hac re dicetur, quod abhorret *a communi vivendi modo.*

806. Quaestio heic autem proprie fit, quando vel *nulla vel insufficienti* causa dominus famulum, vel paterfamilias uxorem aut filium vexat ita, ut hic non possit Missam audire, quin gravem indignationem illius incurrat.

Communis ergo doctrina est, dominum vel patremfamilias in eo peccare: non peccare autem eos, qui eiusmodi violentiam patiuntur; quippe gravem illam indignationem incurrere est grave incommodum.

Quando vero censenda sit gravis indignatio atque adeo grave incommodum, desumi debet ex circumstantiis personarum et aliorum adiunctorum, *prouti de metu dici solet;* aliis enim magis, aliis minus grave contingit habere superiorem offensum. Nulla ergo generalis regula desumpta ex conditione ipsius rei, quae incommoda dicitur, statui potest; cum gravitas sit *relativa.*

Auctor subdit, aliud medium quaerendum, si id fere semper contingeret; quae verba videntur supponere opinionem, famulos per aliquas vices semper excusari. Quae quidem opinio non videtur arrisisse s. Alph. l. c. post Croix, quando famuli possint alium dominum invenire.

Verum ea Auctoris opinio, quae est etiam Sporer, Salmantic. et aliorum, non est irrationabilis. Nam 1° quod possint deinde deserere dominum, non impedit praesentem vexationem: 2° Ipsa necessitas quaerendi alium dominum non est leve incommodum multis de causis.

Quando ergo non de aliqua vice, sed de more fere perpetuo agatur, famulus tenetur resistere et solum tunc excusabitur a domino deserendo (invitus aut sponte), quando non posset facile invenire alium dominum. Quae difficultas valde perpendenda est a confessario, antequam famulum ad id adigat.

Quod excusetur etiam uxor, si ex accessu ad ecclesiam timeat gravem indignationem viri iracundi aut zelotypi, communem doctrinam dicit s. Alph. l. c.; sed subdit: « *Sed hoc raro admittendum* ».

At ista verba non significant, uxorem in casu non excusari, sed

casum non esse frequentem. Ceterum *gravitas* ista etiam quoad uxorem est relativa; quia aliae aliis minus habent, cur timeant.

XL. 4. Item, si quis alioqui omissurus esset occasionem commodam itineris, v. gr. socios, cum viam ignoret vel pericula metuat. Alias vero tenetur ad Missam ante iter vel in itinere. Suarez sect. 6. Rodriq. Bonac. l. c.

807. S. Alph. n. 328. addit excusari quoque, si ita gratis vel minori expensa iter facere posset. Vel etiam, si societas cum aliis multum illum iuvaret et longae viae auferret taedium, quod sane est grave incommodum, vel saltem coniunctum est cum periculo gravis incommodi.

XLI. 5. Si sit gravis difficultas eundi ad ecclesiam ob distantiam, v. gr. unius vel alterius milliaris Germanici, vel etiam minoris spatii: maxime si via sit molesta, caelum pluvium. Ubi habenda est ratio personarum, loci, temporis et consuetudinis. Bon. Suar. Fill. l. c. March. *Hort. past.* t. 4. c. 6. n. 7.

808. Certum est 1° gravem distantiae difficultatem excusare: 2° hanc difficultatem esse relativam personis: 3° desumendam esse etiam ex adiunctis locorum, seu status viarum, temporis etc., quae omnia A. memorat.

S. Alph. n. 329. approbare videtur, quod distantia trium milliarium absolute omnes excuset: quae sententia ex allegatis ibid. ab ipso DD. dicenda videtur communis.

Contra s. Alph. ibid. tenet, *ordinarie* non excusare distantiam unius milliarii.

Sed scite dicit, *ordinarie.* Nam vel conditio personae debilis, vel aeris inclementia, vel tempus pluvium, vel praeruptae viae vel calores aestivi aliaque id genus efficere possunt, ut etiam brevior distantia excuset.

XLII. 6. Si ex consuetudine patriae feminae egredi non soleant tempore luctus, vel etiam post partum. Syl. Caiet. et Fill. n. 229.

809. Quoad mulieres post partum in cap. *Volens* unic. *de Purificatione post partum* statuit Innocentius III. eas statim post partum posse ingredi ecclesiam nec teneri abstinere per aliquos dies secundum legem mosaicam.

Subdit tamen: « Si tamen ex devotione voluerint aliquandiu abstinere, devotionem earum non credimus improbandam ».

Hinc s. Alph. n. 330.: « Consuetudo excusat puerperas domi se continentes post partum per aliquod tempus, v. gr. per sex hebdomadas ex communi usu, ut testantur Sporer et Elbel, etiam postquam convaluerint ».

Quid vero de tempore luctus? Primum generatim ait s. Alph. n. 330.: « Excusantur viduae ratione luctus ac etiam filiae et sorores ». Quoad

temporis vero spatium addit: « Sed talem consuetudinem aiunt (DD.), non esse extendendam usque ad mensem a morte viri. Mensem tantum permisit s. Carolus in Conc. l. Mediolanensi ». Ita et Scavini *de Praec. Eccl.* cap. 1. art. 3. q. 1. n. 4.: « Alicubi usu receptum est, ut excusentur viduae tempore luctus; quod mensem *non excedat* ex s. Carolo », ut et s. Alph. refert et probare videtur.

Subdit autem s. Alph. ibid., quod « si alia esset consuetudo in aliquo loco, non esset damnanda *de peccato gravi,* ut tenent plures ». Et merito; nam si ratio excusationis est consuetudo, haec ratio pari modo valet nec video, cur limitent excusationem ad limites *gravis culpae;* quia consuetudo excusat etiam a levi.

Monent autem DD., hoc valere, nisi mulieres domo egrediantur aliis de causis. Secus, non excusarentur et ratio patet.

Addunt DD. apud s. Alph. l. c. alicubi ex consuetudine a Missa excusari etiam virgines, ne in publicum prodeant: quam tamen consuetudinem dicunt moderandam, quantum fieri potest. Intelligunt puellas nobiles et nubiles. Et cum pudicitiae causa id fiat, vane excusarentur a Missa, si dein vias circumcursitarent etc. Vid. Salm. *de Euch.* cap. 6. n. 81.

Potius huc revocandam, quod possint excusari puellae, quando in Missa fiunt proclamationes pro earum matrimonio idque ob notabilem verecundiam. S. Alph. l. c. dicit, raro id admitti posse, licet concedat, revera excusari, si pudor hic magnum incommodum afferat. Supponitur autem non posse eas commode in alia ecclesia Missam audire.

XLIII. 7. Si quis non habet vestes statui suo convenientes. Navar. Heur. Sà, Azor. Bonac. l. c.

810. Interdum contingit, ut ob defectum vestis aut calceamentorum nimis grave sit prodire die festo (quando imo solent pompam praeseferre) ob rationem sui status.

DD. apud s. Alph. n. 330. extendunt ad defectum famuli aut sociae pro muliere, quae alias magno rubore suffunderetur.

Curandum tamen, ut (si fieri possit) audiant Missam aut summo mane aut in ecclesia a populi concursu remota, ubi causa cesset.

XLIV. 8. Si quae ex occulta fornicatione praegnans metuat, ne id advertatur si prodeat. Laym. l. 4. t. 5.

811. Salmantic. *de Euch.* cap. 6. n. 64. dicunt huiusmodi puellam inhoneste praegnantem teneri, si occulte et sine nota possit audire, et insuper limitant, si honestatis fama gaudeat.

Sed istae exceptiones aegre locum habent. Prima quidem; quia etiam levis suspicio periculi scil. infamiae grave inducit incommodum. Secunda vero; quia etsi mulier suspectae famae esset, imo vel famae

perditae, tamen prodire praeseferendo criminis notam est semper grave et praeterea non omnibus nota crimina existimantur, quae insuper per se dubiae sunt probationis. Vix ergo exceptiones illae locum ullum habent.

XLV. 9. Si quae sciret, alteri, a quo perdite amaretur, sequuturam occasionem peccati si prodiret. Sà, Fill. n. 227.

Haec de re egimus, ubi de scandalo et ubi retulimus sententiam s. Alphonsi. Vid. *de Caritate* n. 266.

Quasdam alias quaestiones heic licet addere, ad exhauriendam, si fieri potest, materiam.

812. Quaeritur an excuset omissio lucri notabilis. Alibi (sup. §. XIX. Dub. II.) cum s. Alph. dictum est, spem magni lucri excusare quoad abstinendum ab operibus servilibus. Iuxta eadem principia idem s. Doctor nn. 301. et 332. cum communiori DD. docet, valde probabiliter eandem causam excusare ab audienda Missa. Ratio generalis est; quia praecepta Ecclesiastica non obligant cum gravi incommodo. Grave autem est excidere spe magni lucri.

Hinc excusant pauperem, qui secus lucrum unius ducati, aut hominem tenuis fortunae, qui duorum ducatorum lucrum amitteret. Ex quo patet, quodnam lucrum censeatur *magnum* ex mente DD. Intellige autem lucrum *extraordinarium*, ut patet.

Eadem de causa et molitores et aurigas et vectores nauticos excusant DD., si notabile damnum paterentur. Vid. s. Alph. n. 332.

Sed communis doctrina negat, posse omitti Missam praetextu alterius boni spiritualis, licet maius hoc videri queat. Excipe casum confitendi, ne quis diutius maneat in statu peccati. s. Alph. ibid.

An alia praecipiantur praeter auditionem Missae.

813. Gury tom. 1. §. 339. scribebat: « *Per accidens* tamen tenentur fideles ad aliquid aliud, si *consuetudine* loci receptum sit, vel si ad *peccatum vel scandalum* praecavendum aut aliquam *obligationem implendam* necessarium sit. Tenentur etiam assistere concionibus diebus festis, si concio sit necessaria ad *instructionem christianam* vel *morum compositionem;* quia qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media ad hunc finem necessaria ». Quae indigent explicatione.

Et 1° dicit *per accidens;* quia §. 338. praemiserat, *per se* vi praecepti ad nihil aliud (praeter Missam et omissionem operum servilium) fideles teneri nec *sub gravi* certe nec etiam *sub levi*, ut habet communior DD. Quia licet prohibeantur opera servilia, ut fideles facilius di-

vinis vacent, tamen nil praescribitur et alioqui finis praecepti non cadit sub praeceptum.

2° Dicit si *consuetudine loci* receptum sit. At sedulo inspiciendum, num talis sit consuetudo, quae *habeat vim legis* et ideo sit obligatoria. Nam ad hoc requiritur, ut communitas frequentet actum aliquem non mero pietatis studio, sed cum animo inducendi obligationem. Vid. tract. *de Leg.* n. 50. Nec consuetudo inducitur, si id faciunt quia erronee existimant, se ad id obligari.

3° Quod dicit: Si necessarium sit ad *peccatum* vel *scandalum praecavendum*, est commune cuilibet actui humano. Scandalum autem (si actio non sit mala) provenire potest tantum ex aliorum ignorantia aut in eo esse poterit, quod exemplum moveat alios ad omittendum quidpiam boni, licet non praecepti. In quo quae et quanta culpa inesse possit difficile est definire.

4° Dicit, si necesse sit ad *implendam aliquam obligationem*, v. gr. si *Dominica in Albis* nondum sumpserit quis communionem paschalem, certe ea die tenetur insuper, si in statu peccati sit, confiteri; item si praescripta pro die festo fuerit satisfactio sacramentalis, aut si ex voto quis debeat opus aliquod pium. At haec non faciunt ad rem et aeque valent pro diebus non festis.

5° Denique *quoad concionem*, relate ad necessitatem *instructionis* diximus sup. Dub. III. sub n. XXII. Quoad *correctionem autem* morum nimis difficile est obligationem definire, quippe idem de lectione spirituali etc. dici posset et domi diebus etiam ferialibus, quod ad id opus esset, posset fieri.

De officio vespertino.

814. Haud levis controversia de hac re agitat provincias Galliae aut Belgii.

Gury tom. 1. §. 340. postquam statuit nullam adesse obligationem sub gravi et probabilius neque sub levi, subdit: « Attamen intervenire debent in locis, ubi ita fert consuetudo recepta, quae vigere *videtur* in variis Galliae et Belgii locis, aiunt Billuart et Bouvier; qui tamen sub veniali tantum ad id obligant et facile a tali obligationi excusant ».

Bene est, quod hi sub *veniali* obligant et *facile* excusant; quomodo enim levis obligatio non facilem haberet excusationem? at quomodo probant, adesse veri nominis consuetudinem obligatoriam? Nam cum desit lex, opus est, ut sponte fideles voluerint hanc assumere obligationem; atqui hoc non probatur nec probant seu probare possunt aut sua aetate Billuart aut Bouvier nunc. Ipse Gury dubitative seu opina-

tive scribit: « *vigere videtur* ». At *opinio* consuetudinis impar est ad inducendam obligationem et in dubio, ut ait s. Alph. lib. 1. n. 107.4., *requir.* benignior tenenda est.

Nec valet, quod forte parochi aliive plebi christianae maxime in oppidis seu pagis et ecclesiis ruralibus hanc persuasionem ingerant atque ita fideles quasi ex obligatione accurrant ad vesperas. Nam, ut diximus (tr. *de Leg.* n. 50. §. 5.) actus non debet procedere ex errore vel ignorantia, sed ex sciente, nullam adesse legem, qui velit per usum obligationem inducere.

Addit Gury: « In praxi quam maxime inducendi sunt fideles, ut officio vespertino interveniant, nec facile excusandi sunt ab aliqua culpa *indirecte*, qui absque ulla ratione absunt, siquidem in otio tempus terunt, *innumerisque tentationibus et peccatis* exponuntur ».

Esto de prima parte, scil. de exhortandis fidelibus ob multa bona spiritualia.

Sed secunda est concionatoria exhortatio nulli rationi innixa. Si peccat otiositate, erit peccatum otiositatis, non omissionis et si inde periculum est peccandi (quod quidem quodnam speciale sit in omissione vesperarum, nescio), pariter non est peccatum omissionis vesperarum. Et rationes istae probarent, tota die manendum in ecclesia; nam si quis alias occupationes non habet, iam otiatur et peccandi periculis (innumeris!!) exponitur. Sunt exaggerationes.

SECTIO IV.

DE QUARTO PRAECEPTO DECALOGI.

Dub. I.

Ad quid teneantur liberi erga parentes.

I. Resp. Tenentur vi huius praecepti, tum Genitoribus tum Superioribus, in iis rebus, in quibus quisque et quandiu subiectus iis est, amorem, reverentiam et obedientiam praestare, ita ut, si notabilis horum defectus sit in re gravi, graviter peccetur: quod facilius fiet respectu parentum, quam aliorum. Ita communiter. V. Fill. t. 28. p. 2. c. 1. Reg. l. 2. c. 1. etc.

815. * Iuvat afferre doctrinam s. Thomae ex 2. 2. q. 101. a. 1. Plures distinguit s. Doctor, quibus debitum pietatis praestandum est. Ait enim: « Sicut ad religionem pertinet cultum Deo exhibere, ita secundario gradu (post Deum nempe) ad pietatem pertinet exhibere cultum parentibus et patriae. In cultu autem parentum includitur cultus omnium consanguineorum; quia etiam consanguinei ex hoc dicuntur, quod ex iisdem parentibus processerunt. In cultu autem patriae intelligitur cultus omnium concivium et omnium patriae amicorum ».

Porro Caietanus monet, quod virtus pietatis habet plures actus quorum principalis est cultus et obsequium erga parentes. Secundarii autem actus pietatis sunt ordinati ad principalem vel ei annexi. Tales sunt actus pietatis inter virum et uxorem; « quoniam inter coniuges est cultus et officium ad invicem tamquam coadiutores ad conservationem consanguinitatis utriusque, quam quilibet coniugum a suis habet parentibus; conservatur namque propagatione filiorum utriusque parentis sanguis. Et idem dicimus de filiis (erga quos est pietas parentum); quia scilicet respiciuntur a pietatis virtute ut conservatores consanguinitatis a parentibus susceptae ». Et aliqualem cultum etiam filiis pietas defert, dum eos non ut servos tractamus et a servis et aliis volumus honorari. Ita Caietanus *.

Parentum vero nomine in hoc praecepto alios includi praeter genitores, sic exponit Catechismus Romanus *de* 4. *Praec. Decal.* n. 2.: « Praeter eos, qui nos genuerunt, multi praeterea sunt, quos in parentum loco colere debemus, vel potestatis, vel dignitatis, vel utilitatis vel praestantis alicuius muneris et officii nomine ».

Et dein ibid. n. 8. prosequitur, quomodo nomen patris etiam in s. Litteris aliis tribuatur. Sic « *Ecclesiae praesides et pastores et sacerdotes Patres dicuntur... Deinde* ii, quibus aut imperium aut magistratus, aut potestas commissa est, qui rempublicam gubernant, patres appellantur... Praeterea patres eos dicimus, quorum procurationi, fidei, probitati, sapientiaeque alii commendantur; cuiusmodi sunt tutores, paedagogi, magistri... Postremo patres dicimus senes et aetate confectos, quos etiam vereri debemus ».

816. At est differentia in gradu obligationis, ita ut facilius graviter peccetur, ut notat A., non colendo parentes, quam alios superiores. Quod ex eo probatur, quia ratio, cur debentur officia, tota ac plena est in genitoribus, imminuta autem in aliis, qui loco parentum succedunt, vel qui aliquid ad parentum officiis participant.

Praestare tamen haec obsequia non est unius eiusdemque virtutis. Subditos enim ad superiores obligat virtus *observantiae:* coniunctos vero sanguine obligat invicem virtus *pietatis*. Cum tamen obligatio ad quosdam actus, quam fundat relatio superioris et subditi, similis sit obligationi, quam parit coniunctio sanguinis; inde virtus observantiae reductive pertinet ad quartum praeceptum decalogi. Hinc s. Thom. 2. 2. q. 102. art. 1° « Sicut sub religione, per quam cultus tribuitur Deo, quodammodo invenitur pietas, per quam coluntur parentes; ita sub pietate invenitur observantia, per quam cultus et honor exhibetur personis in dignitate constitutis ».

Hinc amor et obedientia et obsequium seu reverentia, quae aliis

hominibus debentur ex virtute vel caritatis vel observantiae etc., prout parentibus exhibentur, pertinent ad virtutem pietatis, qui haec illis debentur specialiter, tamquam vitae et educationis nostrae post Deum auctoribus, adeoque adaequatio huius debiti pertinet ad virtutem specialem, quae dicitur *pietas*: quae tamen pietas specialis erga parentes differt a pietate erga Deum, quae consistit in studio interioris devotionis et pertinet ad virtutem religionis.

817. * Probat porro s. Thomas a. 3. pietatem esse virtutem specialem; quia « aliqua virtus specialis est ex hoc, quod respicit aliquod obiectum secundum aliquam specialem rationem, cum ad autem rationem iustitiae pertineat, quod debitum alii reddat: ubi invenitur specialis ratio debiti alicui personae, ibi est specialis virtus. Debetur autem aliquid alicui specialiter; quia est connaturale principium producens in esse et gubernans. Hoc autem principium respicit pietas, in quantum parentibus et patriae et his, qui ad haec ordinantur, officium et cultum impendit ». Et notat idem ibid. ad 3m discrimen inter pietatem, quae est erga patriam et iustitiam legalem. Nam pietas patriam respicit, secundum quod est nobis quoddam essendi principium: sed iustitia legalis respicit bonum patriae, secundum quod est bonum commune.

Actus vero virtutis pietatis, sicut et cuiuslibet alterius virtutis, debitis circumstantiis limitatur, quas si praetereat, iam non erit virtutis actus sed vitii. Ergo ad pietatis virtutem pertinet officium et cultum parentibus exhibere secundum debitum modum. Non est autem debitus modus, ut plus homo tendat ad colendum patrem, quam Deum. Quocirca si cultus parentum abstrahat nos a cultu Dei, iam non esset pietatis, parentibus obsequi contra Deum. Ita s. Thomas ibid. a 4.*

Unde resolves.

II. 1. Contra amorem graviter peccat filius, 1. si signa odii parentibus ostendat et aspere tractet: 2. si torvo oculo fere semper intueatur ac ita aspere loquatur, ac si odio haberet: 3. si non subveniat in gravi necessitate spirituali, vel corporali. 4. si non impleat eorum testamenta et legata, modo heres sit: 5. si grave malum, v. gr. mortem illis optet. Nav. Reg. l. 20. n. 8. Fill. t. 28. c. 1. q. 3. et 7.

818. Quod spectat ad sustentationem, docet s. Thomas q. c. a. 2. quod per se debetur patri, in quantum pater est, reverentiam et obsequium, quatenus ipse est principium filii. « Per accidens vero debetur patri quod decet eum accipere secundum aliquid quod ei accidit, puta si sit infirmus, quod visitetur et eius curationi intendatur, et si sit pauper, quod sustentetur et sic de aliis huiusmodi, quae omnia sub debito obsequio continentur ». Cf. dicta tr. V. *de Caritate* n. 53. seqq.

Porro circa subveniendum parentibus in necessitate etiam spirituali, s. Alph. lib. 3. n. 333. memorat recte obligationem curandi, ut parentes in periculo mortis non careant Sacramentis.

In nota autem inserta n. 3. Auctoris dicit: « Hinc etiam graviter peccant filii, negligentes preces et sacrificia offerri pro parentibus. Salmantic. tr. 24. cap. un. n. 4. »: Nempe, ut facile intelligitur, Salmanticenses id dicunt de suffragiis *pro defunctis*. Gravis culpa solum autem esset, si ratione habita circumstantiarum *conditionis* seu *facultatis* atque *consuetudinis* nullam haberent curam.

S. Alph. addit, peccare graviter filios, si impediant parentes, ne faciant testamentum. Sed mox id explicat, nempe si id *malis artibus* impediant; secus, si licitis modis id faciant, erunt immunes ab omni culpa: quae clara sunt.

III. 2. Contra reverentiam graviter peccat filius, 1. si percutiat etiam leviter, secundum Regin.: 2. si manum ad percutiendum deliberate attollat: 3. si graviter contristet Reginald. lib. 20. n. 24. Fill. n. 17. et 18.: 4. si animo deliberato ad gravem iram provocet verbis contumeliosis vel talibus, quibus sciat graviter offendendos: 5. si maledicta, convicia etc. in eos coniiciat. Navar. Fill. etc.: 6. si pauperes despiciat vel nolit agnoscere: quod si tamen exterius tantum dissimulet se nosse et nolit apud se habere, ex iusta causa, dummodo provideat de necessariis, Bonacina excusat a peccato gravi; eo quod rationabiliter non sint inviti: 7. si in foro externo etiam de vero crimine accuset, extra crimen haeresis, proditionis vel coniurationis in Principem, cum non est alius corrigendi modus. V. Bonac. d. 6.

819. Quoad 1^{m} advertunt DD., quod facile fieri potest, ut peccetur tum contra iustitiam tum contra pietatem. Tamen licet levis sit culpa contra iustitiam, gravis potest esse contra pietatem, ut in casu ab A. proposito tum n. 1. tum 2. seq.

Quoad 2^{m} merito s. Alph. heic dicit hanc sententiam communem et quidem licet manus ita attollat absque tamen animo percutiendi. Nam actus per se est gravis offensa etc.

Quoad 3^{m} intellige 1° de dictis, factis, omissionibus etc., quibus haec tristitia causetur. Obvia sunt exempla filii, qui frequentet ludos, domos, socios, negligat artem, studium, sero se recipiat domi etc... 2° Intellige, si filius non habeat causam sic agendi iustam et ob quam non teneatur impedire tristitiam, quae in casu foret irrationabilis. Huc revoca, quod ait s. Alph. n. 334., si filius parentes saepius torvis oculis aspiciat aut alloquatur verbis amaris, adeo ut videatur eos odio habere.

Quoad 4^{m} de verbis contumeliosis vel provocantibus ad iram, s. Alph. n. 334. ad h. l. intelligit Auctorem ita, ut graviter peccetur, etiamsi verba non sint graviter contumeliosa idque tanquam *probabilius* tradit contra Elbel, qui dixerat, non esse mortale, si iracundia parentum non oriatur ex dicto vel facto utpote leviter per se iniurioso, sed potius ex

sinistra apprehensione vel parentum indispositione: cui reponit s. Alph. laedi tunc graviter sin minus reverentiam, saltem amorem illi debitum, eos sine causa graviter contristando. Sed forte conciliandi sunt; nam si constat, iracundiam eiusmodi secuturam, grave erit, deliberate et scienter eam causare, ut ait s. Alph.; si deest ista praevisio, tunc vera est doctrina Elbel.

Ut quaedam afferamus exempla, s. Alph. ibid. advertit, non posse a mortali excusari, qui matrem dicat *pazza, ubbriaca, bestia, strega, ladra* et huiusmodi: non posse vero absolute per se de mortali damnari, quia eam vocet *vecchia, stordita, ignorante* et similia, scil. *inquieta, importuna, chiacchierona* etc.

Sed haec dicuntur, re in se spectata. Nam fieri potest, ut gravis offensa, habita ratione circumstantiarum, personarum, morum etc., sequatur ex secundis formulis, non vero ex prioribus.

Ad 5^{m} de maledictione et convicio: quod grave esse peccatum et Deus ostendit in V. L. morte plectens hoc crimen Ex. XXI. 17. Iam vero adverte cum s. Alph. 1° intelligi, si haec fiant animo plene deliberato: unde propter actus indeliberationem saepe a gravi filii excusantur.

2° Si fiat in eorum praesentia: intellige etiam, si contumelias proferat coram aliis, qui tamen rem referant; quia contumelia exigit manifestationem: excipe, nisi animus per se sit graviter malevolus. Nam si nesciant parentes, non accidit contristatio, ait s. Doctor. S. Alph. ibid. in fin. memorat, ut probabilem, imo veram doctrinam, non peccare graviter filium, qui parenti sive vivo sive defuncto maledicat, at solum oretenus sine animo malevolo. Sed vivum intellige absentem.

3° Convicium committi potest etiam mero gestu, seu visu subsannatorio.

Ad 6^{m} si dissimulet agnoscere parentes. Casus, in quibus non censentur hi graviter seu rationabiliter inviti, sunt v. gr. 1° si filius grave damnum passurus esset: 2° si parentes essent notati infami crimine: 3° si abesset interior contemptus et solum exterius quis dissimularet.

Ad 7^{m} * Crimina, quae A. excipit, ea sunt, propter quae permittitur a iure filio accusare patrem, causa boni publici. Quod de accusatione dicitur, aequum est et de delatione accipere iudiciali. Sed et conferenda specialia gentium iura. Ceterum prohibentur communiter accusare filii parentes, subditi praelatos, servi dominos. Cf. Lugo *de Iure* et *Iust.* disp. 38. n. 7. *

IV. 3. Contra obedientiam graviter peccat, 1. si in re gravi sit inobediens circa ea, quae pertinent ad gubernationem domus, bonos mores, vel animae salutem. Fill. q. 10. num. 20.: 2. si contra voluntatem parentis ducat uxorem se indignam: indigna autem dicitur, cum qua non potest contrahere sine dedecore iuxta suae regionis usum; non

tamen potest exheredari idcirco: 3. si sine iusta causa nolit eam ducere, quam vult parens, maxime si inde sopirentur odia aut parentum necessitas levaretur: erit autem iusta causa, v. gr. si sit impar familia, si infirma, deformis, fatua vel immorigera: 4. si, inconsultis parentibus, nubat, ut habet Sanch. Potest tamen, ubi consuluit, ipsis invitis prudenter contrahere cum se digna; cum circa electionem status sit sui iuris. Less. l. 2. c. 40. num. 43. Sanch. l. 4. c. 15. Fill. l. c. An et quomodo peccent liberi furando parentibus, vid. infra *de* 7° *Praec.* c. 1. d. 4. Item, an alienare possint. V. infra *de Contract.* c. 3. d. 2. et c. 4. d. 1.

820. Capita, quae A. enumerat, vel clara per se sunt, vel maiorem lucem habebunt, ubi in aliis tractatibus de iisdem materiis sermo redibit, e. g. de statu religioso, de matrimonio.

* Quod autem generatim ad obedientiam spectat, tenenda est doctrina s. Thomae 2. 2. q. 104. a 2. ad 1^m^ distinguentis duplicem obedientiam, *specialem* et *generalem.* Obedientia est virtus specialis, quatenus obediens respicit, per *intentionem,* formalem rationem praecepti, h. e. intendit implere praeceptum, qui nempe expresse aliquid facit, quia praeceptum est. Pariter inobedientia speciale peccatum est, quatenus quis actualiter contemnit praeceptum, scilicet praeceptum violat ea intentione, ut nolit obedire, subesse. Haec ab aliis vocatur obedientia vel inobedientia *formalis.* Cf. Lessium *de Iustitia* l. 2. c. 46. dub. 4. et 6. Si vero, ait s. Thomas, obedientia large accipiatur pro exsecutione cuiuscumque, quod potest cadere sub praecepto et inobedientia pro omissione eiusdem, *ex quacumque intentione,* sic obedientia erit generalis virtus, et inobedientia generale peccatum. Haec ab aliis dicitur obedientia vel inobedientia *materialis,* qua nempe servatur quidem vel violatur praeceptum, sed non propter intentionem implendi vel violandi praeceptum. Adverte cum Lessio l. c. n. 41. et 42. dari quidem legem quae vetet inobedientiam formalem, legem videlicet, ne contemnas praeceptum superioris, ne violes ex contemptu; hoc enim malum est: non dari autem legem, quae praecipiat obedientiam formalem. Ratio est; quia nunquam, ut bene agamus, necesse est ut faciamus opus eo quod praeceptum est, sed sufficit ut illud faciamus propter eius intrinsecam honestatem, propter quam et praeceptum est, vel ut Deo placeamus. Omnia sane praecepta iubent opus fieri simpliciter propter ipsius honestatem.

Ut vero quis peccet contra obedientiam, qua erga alterum tenetur, non opus est ut peccet peccatum inobedientiae formalis, sed satis, ut, ex qualibet intentione, libere violet praeceptum; sic enim facit quod non deberet facere ex obedientia, qua obligatur. *

821. Obedientiam filii parentibus praestare debent, dum sub eorum potestate versantur. Id per se patet. Iam vero ut inobedientia filii censeatur gravis culpa, materia primum debet esse gravis et praeterea

oportet, ut parentes expresso et serio praecepto id iubeant, ut ait s. Alph. n. 335.: secus, si solum moneant, hortentur, aientes e. gr. sibi placere, non decere, non expedire, haud censentur velle obligare ex auctoritate, quam habent.

S. Alph. ibid. refert ex Sporer et Elbel, quin improbet, tunc filium graviter peccare, cum ordinarie praeceptum transgreditur, non autem, si aliquoties ex negligentia. Quod quidem proprie habere locum videtur, cum agitur de praecepto, quod ad plures actus successivos se extendit.

* Cum filius contra obedientiam parentibus debitam graviter peccat, peccatum est speciale, in confessione aperiendum, ait s. Alph. l. c. Sane si res, quam praecipiunt parentes, sit res non alia lege praecepta, quae tamen materia gravis esse potest, cum ratio peccati tota sit in violatione praecepti, haec violatio est in confessione aperienda. Si vero quod praecipiunt parentes, iam est alia lege vel naturali vel divina vel ecclesiastica praeceptum et a parentibus sub eodem motivo praecipitur, quo ab aliis legibus: tunc forte est distinguendum. Nam si inobedientia filii erga parentes est *formalis,* habetur certe speciale peccatum: si autem est tantum materialis, sufficit peccatum ipsum admissum confiteri, nam non multiplicantur peccata eo quod actus sit contra plures leges vel praecepta, quae ex eodem motivo feruntur.

Monet s. Thomas 2. 2. q. 105. a. 2. quod « inobedientia, qua contemnitur praeceptum hominis, levior est peccato, quo contemnitur ipse praecipiens; quia ex reverentia praecipientis procedere debet reverentia praecepti ». In utroque contemptu est inobedientia formalis sed gravior est, si ipse praecipiens contemnatur. Qua de re haec habet Lessius l. c. n. 45. « Considerandum est, quomodo superior contemnatur. Si enim contemnas ipsam potestatem, tanquam nullius momenti vel ipsum hominem (etiam ob aliam causam) ita ut absolute nolis illi parere, erit peccatum mortale. Si autem non contemnas potestatem nec recuses parere in rebus maioris momenti, etiamsi contemnas personam ob defectum eruditionis, prudentiae, nobilitatis etc. et ex hoc contemptu aliquod praeceptum eius in re levi violes, forte non erit mortale ».

Vides, lector, nos heic quaedam generatim de obedientia tradidisse; quia alium opportuniorem locum in A. non reperimus. *

V. 4. Tenetur proles alere parentes egentes, adeo ut, si in gravi necessitate aliter iuvari non possint, teneatur manere in seculo (nisi tamen in hoc illi certum vel certe valde probabile periculum salutis immineret) et si religionem sit ingressus, tenetur egredi et iuvare parentes, dummodo eorum necessitas eius professionem antecesserit. Fill. q. 5. num. 9. Bon. q. 1. p. 6.

822. Recolantur quae *de Caritate* a n. 53. deinceps adnotata sunt de ordine caritatis inter coniunctos: ea de re multa quoque ex s. Thoma notata sunt ibi, quae hoc loco repetenda non sunt.

* Si parentibus desint necessaria vitae, teneri filium ad eis praestanda alimenta, cum potest, manifestum est: tenetur autem non ex caritate solum, sed ex pietate, qua obligatur erga eos a quibus vitam accepit. Diximus; *cum potest* h. e. nisi et ipse, dum succurrit, in eandem esset casurus necessitatem. Quisque enim ius habet, ut seipsum primo diligat sibique provideat.

Quid vero si in aliquo alio damno vel periculo versaretur parens, puta si captivus esset apud latrones, qui libertatem non promitterent nisi magno redemptam pretio et is non haberet, unde solveret; teneretuгne filius extraordinarias expensas facere pro libertate parentis?

Supponamus filium sine uxore esse et liberis. Si is dives sit et, extraordinaria quoque expensa exhibita, subiturus non sit aut periculum vitae aut grave simpliciter damnum, quod comparari possit damno parentis, puta non sit suum statum amissurus, certe ipse in communi hominum existimatione vilesceret et reprobaretur, qui noluerit cum magno etiam dispendio redimere parentem. Qui communis sensus innuere videtur, obligatione teneri filium in his adiunctis ad succurrendum parenti. Caritas quidem, ut diximus *de Caritate* n. 204. non obligat divites ad extraordinarias expensas etiam cum agitur de vita proximi servanda: sed pietas aliquid amplius exigit, quam sola caritas; tenet enim veluti medium locum inter caritatem et iustitiam. Iubet sane natura filium, cum opus est, aliquod retribuere parentibus pro beneficio vitae. Cum itaque gravis est necessitas parentis et filius ei succurrens, quantumvis expendat, non est e suo statu excisurus, videtur obligatus ex pietate ad subsidium praestandum. Quod si ex integro nequit, ex parte saltem tenebitur.

Si autem filius uxorem liberosve habeat, iam diximus *de Caritate* sub §. XV., hominem, extra vitae ipsius periculum, prius teneri erga uxorem suosque liberos, quam erga parentes.

Nisi ergo commode, ratione habita familiae, possit filius expensas magnas facere pro libertate parentis, non est dicendus ad eas ex pietate obligatus *.

Quae A. innuit de obligatione vel differendi ingressum in religionem vel ab ea discedendi, ut parentibus subveniatur, commodius ac fusius tangentur in Tr. *de Praeceptis particularibus* c. 1. dub. 5.

VI. 5. Si vero necessitas post professionem superveniat, si extrema sit, tenetur egredi, petita prius, licet non obtenta, venia. Si autem sit gravis tantum, in qua utcumque possint vivere, non tenetur quidem, potest tamen egredi, si Praelatus permittat. Quo casu tenetur, in quantum non obstat suo intento, deferre habitum et observare substantialia Religionis: at, postquam parentibus subventum est, redire. V. Less. l. 2. cap. 41. dub. 3.

Eadem animadversio occurrit ac in praeced. n.

Dub. II.

Ad quid teneantur parentes erga filios.

VII. Parentes, quo nomine etiam intelliguntur ascendentes, v. gr. avus, proavus etc. tenentur gravi obligatione iuris naturalis conservationem et educationem liberorum curare.

823. Intellige, teneri ascendentes in defectu parentum, sive mortui sint, sive vivi.

Quoad officia tamen, quae recensentur in Resol. 5., ita curanda forent, ut patriae potestatis, si vivus est pater, iura non laederentur.

Quid sibi velint conservatio et educatio, in Resolutionibus explanatur.

Circa quod ex Bon. disp. 6. *q.* 1. *Azor p.* 2. *l.* 2. *q.* 17. *Fill. tr.* 28. *c.* 2. *resolvuntur hi casus.*

VIII. 1. Graviter peccant parentes, qui sine iusta causa prolem hospitali, vel locis publicis exponunt. Vid. Bon. hic et Fill. 28. p. 2. c. 2. et infra de 7° praec. c. 1.

824. Ratio resolutionis est; quia sic parentes videntur filios deserere ac derelinquere contra naturalem pietatem, tum etiam ob damnum prolis; nam probrosum est et contumeliosum in hospitali ali et sustentari, et quidem si proles foret legitima, accederet damnum infamiae ex suspicione probabili spuriae originis. Vid. Bonac. *in Decal.* disp. 6. q. unic. punct. 6. §. 1. n. 6.

Iustam tamen habere causam exponendi (vel in hospitali vel in domo Episcopi, vel aliis locis publicis, v. gr. limine paroeciae aut alterius ecclesiae), censetur, qui secus laboret gravi periculo vel vitae, vel infamiae (ut si spurius sit filius) vel etiam qui versatur in gravi necessitate, v. gr. si lac desit matri aut haec moriatur et pater non habeat quo conducat nutricem. Bonac. ibid. Cf. tit. XI. lib. 5. in decretalibus eiusque interpretes.

Quaestio magna est, an pater *dives* exponens prolem hospitali teneatur resarcire expensas pro nutrienda prole. S. Alph. n. 656., ubi *de Restitutione*, fatetur, sententiam affirmantem esse communiorem; tamen oppositam, scil. negantem, probabilem censeri a gravibus DD., praesertim si hospitale sit opulentum. Tum subdit: « Sed universe praefatam sententiam ego puto probabiliorem. Ratio, quia huiusmodi hospitalia non solum sunt instituta ad subveniendum pauperibus, sed etiam divitibus in infamiae periculo, in quo ipsi solent vel procurare abortum, vel prolem necare, ne infamentur et huic malo intendunt hospitalia occurrere: imo dico, ista potiusquam pro pauperibus, erecta

esse pro pueris spuriis, ad eos liberandos a discrimine mortis aeternae, quam facile subirent ob infamiae timorem, si adulteri ex proprio deberent eos alere ».

Poterit quis sequi doctrinam hanc, praesertim si non modicam difficultatem reperiat in adigendo reum parentem ad restitutionem; at nunquam omittet graviter ad id hortari eos praesertim, quos facile id posse videt.

IX. 2. Mater tenetur (sub veniali tamen) lactare proprio lacte, nisi habeat iustam excusationem: tunc vero tenetur sub gravi peccato bonam nutricem quaerere. Bon. d. 6. q. 1. p. 6. Laym. Item tenetur secundum iura prolem alere ad finem anni tertii; postea educatio usque ad emancipationem spectat ad patrem. Excipe, nisi hic esset pauper et mater dives. Fill. Laym. l. 5. t. 10. c. 3. Regin. l. 20. n. 32.

825. S. Alph. n. 336. solum addit, ex communi, teneri patrem ad expensas lactationis, si mater lactare non possit.

Reliqua sunt plana: et solum hortandae matres, ne sine gravi causa aliis prolem tradant, quod cadere solet in damnum multis de causis.

* Gury vol. 1. §. 372. quaerit, *an mater filiolos proprio lacte nutrire debeat* et respondet: « Affirmative cum sententia communi; quia hoc postulare videtur ius naturale. Attamen haec obligatio non urget sub gravi; quia non apparet secus gravis deordinatio. Ab omni autem culpa excusat necessitas, notabilis utilitas aut consuetudo apud familias nobiles vigens etc.: sed tunc sub gravi mater bonam quoad mores et valetudinem nutricem sibi substituere debet ».

Si ius naturale non id *certe* postulat, sed postulare *videtur*, neque certa erit conclusio affirmans, matrem ad id teneri. Potius diceres, praeceptum hoc non esse ex primariis naturae, quae dimanant ab essentiis rerum, sed ex secundariis, quae quid sit congruentius naturae atque honestius docent. Unde necessitas non solum, sed et notabilis utilitas, ex communi hominum sensu, excusat.

Quis vero locus sit consuetudini ad excusandum in hac re, aegre intelligitur; quoniam contra naturae leges nihil potest consuetudo et cum respectu naturae omnes feminae sint pares iisdemque teneantur legibus, non est cur potius nobiles quam ignobiles excusentur. Sed eae facilius, cum notabilis utilitas intercedit, substituere sibi possunt nutricem, quod pauperibus non semper licet.

Verum nisi necessitas aut notabilis utilitas occurrat (iudicio prudentum pensanda), eadem lege tenentur nobiles et ignobiles, divites et pauperes. Consuetudo autem vigens tradendi, absque legitima causa, alienis nutricibus infantes, reprobanda est et non pauca detrimenta orta ex propagato hoc abusu tum proli tum societati, honesti medici conqueruntur. Capellmann *Pastoral-Medicin*. 6. edit. pag. 55. seqq.

Sedulo porro est advertendum quod Gury docet: *gravem* esse obligationem matris substituendi sibi nutricem bonam non tantum quoad valetudinem sed etiam *quoad mores,* qua in re non raro negligentes sunt matres aut ii, qui earum nomine nutrices quaerunt, ex. gr. medici. *

X. 3. Pater tenetur proli, non tantum legitimae, sed etiam (in quo ius civile a canonico correctum iuxta cap. *Cum haberet, de Eo qui duxit* etc.) spuriae curare alimenta, hoc est, cibum, potum, vestitum et honestas artes, iuxta suum statum, nisi tamen aliunde se alere possit et non indigeat: deinde etiam dotem filiae. Et quidem Clerici etiam ex fructibus ecclesiasticis possunt haec suis spuriis praestare. Fill. l. c. t. 28. c. 2. n. 28. Laymann l. 5. tract. 10. p. 3. cap. 5. vide infra de 7° praec. c. 4. d. 5. qu. 1. Hinc peccant, 1. si non adhibeant diligentiam saltem mediocrem, ut acquirant bona, quibus filii alantur habeantque hereditatem secundum suum statum: 2. si bona dilapidando impotentes se reddant ad liberos honeste secundum statum suum educandos ac dotandos. Bonac. d. 6. q. 1. p. 6. Azor, Filliuc. etc. 3. Si sine legitima causa filiae dotem negent (vel filium exheredent) v. gr. quia vult ingredi, vel est ingressa Religionem, vel quia ipsis invitis nupsit, licet se indigno. Bonac. l. c. §. 2. ex Azor, Reginald. etc. vel quia filius ordinem sacrum suscepit. Sicut enim Pater tenetur dotare suas proles pro matrimonio, vel ingressu Religionis: ita etiam ad suscipiendos sacros ordines. Neque haec donatio est revocabilis, imo sic donata non posse computari in legitimam aut divisionem cum fratribus, docet Barb. c. 17. Contrarium tamen tenet Molin. etc. cum Dian. p. 8. tr. 6. r. 91. et 92.

826. Cum A. dicit, post triennium ad patrem spectare educationem, id maxime de alimentis in praesenti resolutione dicit: nam de morali educatione infra dicitur resol. 5.

Porro nomine alimentorum intelligitur victus, vestitus, lectus, habitatio et alia ad vitam necessaria iuxta conditionem et qualitatem personae: imo et medicinae, cum quis non bona utitur valetudine; et alii addunt etiam expensas funeris et suffragiorum pro anima defuncti, licet, ut notat Bonacina *in Decal.* disp. 6. q. unic. p. 6. §. 1. n. 1. valde improprie haec alimentorum nomine designentur.

Quod vero alimenta debeantur etiam proli illegitimae, ius naturae exigit. In alleg. cap. *Cum haberet, De eo qui duxit in matrimonium, quam adulterio polluit* dicitur: « Sollicitudini tamen tuae intererit, ut uterque (adulter scil. et adultera) liberis suis, secundum quod suppetunt facultates, necessaria subministret ».

* De correctione iuris Romani facta a Canonico cf. dicenda tr. VIII. p. 3. *

S. Alphonsus n. 33. refert doctrinam Sanchez *de Matrim.* lib. 4. disp. 26. n. 21. aliorumque, quod pater teneatur alimenta dare etiam uxori filii, licet ductae sine dote et contra voluntatem patris.

Adverte tamen 1° id deduci ex Digesto *l. Si quis* 5. §. *Si vel parens, de Liberis agnoscendis,* ubi dicitur, patrem debere praebere tum alimenta tum *cetera liberorum onera;* ubi glossa v. *cetera* notat *pro se*

et pro suis liberis et uxore. Ergo leges cuiusque loci erunt inspiciendae pro conditione omnium adiunctorum.

2° Notat Sanchez l. c. n. 19., quod ubi matrimonium sit indignum, non tenetur parens nisi ad modicam quantitatem, quae conveniat ad necessaria alimenta: quod Sanchez dicit de filia nubente indigno, sed huc transferri potest.

Addit post nonnullos ibid. s. Alph., quod pater debet filium alere etiamsi hic portionem iam prius sibi traditam vitiose consummasset. Ex Azor part. 2. lib. 2. cap. 4. q. 12.

Sed haec caute accipienda: nam intelligenda videntur de subsidio indigentiae. Tum cavendum erit, ne damnum fratres patiantur.

827. S. Alph. n. 337. dicit, dandam a patre dotem, si filia maior sit 25. annis. Si vero sit minor 25., alii, inquit, itidem dandam contendunt absolute: alii, si digno nupserit, licet contra patris voluntatem: alii tantum alimenta danda dicunt, dummodo egeat atque hoc, etiamsi nupserit indigno. Hoc postremum, quod tantum pater teneatur alimenta praestare, s. Alph. probabilius dicit, atque, re per se spectata, acquiescere certe licet in hac sententia. Veruntamen in huiusmodi rebus consulendae sunt leges singulorum locorum. Cf. c. 3. art. 147.

De obligatione parentum ex iure naturae relinquendi hereditatem filiis, disputatur, sed, praeter alimenta, probabilissimum est, ex lege naturae ad nihil parentes teneri, neque ad alimenta, si filii ex seipsis habeant quod sufficit. Nullum constat fundamentum naturalis iuris filii ad haereditatem, neque enim ex eo quod unum beneficium obtinuit, ius habet ad aliud. Sane si natura id praecipit, an iubet relinqui eis totam hereditatem? hoc certe falsum: an partem? quam vero? lex naturae nihil dicit. Scilicet haerendum est in alimentis, si aliunde desint.

XI. 4. Parens tenetur proli subvenire, relicta religione, iisdem casibus, quibus proles parenti, quos vide superiore dubio cas. 4. et 5.

De his uberius, ubi *de Praeceptis particularibus* l. sup. cit.

XII. 5. Parentes gravi obligatione tenentur instruere liberos per se vel alios, in necessariis ad salutem. Hinc graviter peccant, 1. si, quantum in ipsis est, non curent, ut bonis moribus imbuantur, doctrinam Christianam seu fidei rudimenta addiscant, pravorum consortia vitent, mandata Dei et Ecclesiae observent; Sacramenta frequentent, a peccatis abstineant. Azor, Fill. Bon. l. c.: 2. si occasiones peccandi ab iis non avertant, vel in locis aut domibus suspectis habitare permittant. Trul. l. 1. d. 3. n. 4.: 3. si consilio vel exemplo malo depravent: 4. si non obiurgent puniantque dissolutos, moderate tamen; nam peccant etiam verberando immoderate, v. gr. ut notabiliter laedantur. Sot. Sylv. Bon. l. c. et d. 3. *de Contract.* q. ult. p. 3.

828. Haec materia sunt exortationum et bene nosse debent Confessarii, ut poenitentem coniugatum instruant.

* Quandoquidem ex praecipuis officiis parentum erga filios est recta

et religiosa institutio, quaestio nunc temporis suboriri potest et reapse suborta est: an mitti possint liberi ad scholas acatholicas. Exstat Instructio s. Congr. de Prop. Fide ad Episcopos Foederatorum Statuum Americae Septentrionalis, data 30. Iunii 1875. et approbata a Pio IX. 24. novembris eiusdem anni, quae quid non liceat et cur non liceat, cum de scholis acatholicis agitur, clare docet. Et in primis rationem instituendae iuventutis propriam et peculiarem scholis acatholicis describit ac periculi plenam et perquam adversam rei catholicae affirmat. « Alumni enim, subdit, talium scholarum, cum propria earundem ratio omnem excludat doctrinam religionis, neque rudimenta fidei addiscent neque Ecclesiae instruentur praeceptis atque adeo carebunt cognitione homini quam maxime necessaria, sine qua christiane non vivitur... In praedictis scholis... indiscriminatim ex omni secta magistri adhibentur, ita ut liberum sit errores et vitiorum semina teneris mentibus infundere. Certa item corruptela insuper ex hoc impendet, quod in iisdem scholis aut saltem pluribus illarum, utriusque sexus adolescentes et audiendis lectionibus in idem conclave congregantur et sedere in eodem scamno masculi iuxta feminas iubentur. Quae omia efficiunt, ut iuventus misera damno exponatur et circa fidem ac mores periclitetur ».

Quo posito, en regula, quam prudentia christiana suggerit et S. C. praescribit: *Hoc* autem *periculum perversionis nisi ex proximo remotum fiat, tales scholae tuta conscientia frequentari nequeunt.*

Non negat scilicet S. C. talia esse posse rerum adiuncta, ut parentes catholici huiusmodi scholis prolem suam committere in conscientia possint. Sed monet primo oportere ut « ad sic agendum sufficientem causam habeant ac talis causa sufficiens in casu aliquo particulari utrum adsit nec ne, id conscientiae ac iudicio Episcoporum relinquendum esse ». Ea vero « plerumque aderit, quando vel nulla praesto est schola catholica vel quae suppetit, parum est idonea erudiendis convenienter conditioni suae congruenterque adolescentibus ».

Exsistente autem huiusmodi causa, « in primis videndum, utrumne in schola, de qua adeunda quaeritur, perversionis periculum sit eiusmodi, quod fieri remotum plane nequeat: velut quoties ibi aut doceantur quaedam aut agantur doctrinae catholicae bonisque moribus contraria quaeque citra animae detrimentum neque audiri possunt neque peragi. Enim vero tale periculum, ut per se patet, omnino vitandum est cum quocumque damno temporali, etiam vitae ».

Tum suggerit quaedam media, quibus periculum remotum fiat: institutionem nempe christianam et educationem extra tempus scholae, catecheses et sollicitam curam parentum aut qui eorum loco sunt, ut diligenter adolescentibus advigilent.

Institutio autem praecipua, quam parentes filiis debent, est educatio seu efformatio morum ad veram virtutem et religionem et ii non solum *obligatione* tenentur, ut vel per se vel per alios, quos ipsi sibi substituant, id curent; sed ad id *ius* quoque habent, quod ex ipsa obligatione fluit et auctoritati paternae inhaeret necessario; cum matrimonium ideo etiam sit perpetuum, ut prolis educationi vacare possint. Idcirco non licet civili Potestati, hoc ius, parentibus semotis, sibi vindicare; ipsa sane eo spectat, ut singulorum iura a natura profecta tueatur, non ut iura nativa habentibus se substituat eademque sibi arroget aut se constituisse arbitretur. Munus proinde *Status* est, ea omnia suppeditare, quibus exercitium proprii iuris parentibus facile evadat. Parentes autem normam educationis accipere debent ab Ecclesia a Deo instituta, ut doceat omnes viam salutis: quae idcirco ius habet, negligentibus suum officium parentibus, committere ministris suis educationem suorum alumnorum. *

XIII. 6. Tenentur etiam proli relinquere libertatem circa electionem status. Unde peccant invitos ad matrimonium, vel religionem cogendo, vel abstrahendo. Et quidem Trid. sess. 25. de reg. 18. excommunicat cogentes ad Monasterium filias.

829. Haec non impediunt, quominus et parentes consiliis iuvent et filii audire teneantur.

* Docet s. Alph. n. 335. filium non teneri obedire parentibus in iis, quae pertinent ad statum elegendum, sive religiosum sive clericalem, sive coniugalem et reiicit pro ampliore rei declaratione ad eum locum, ubi de statu religioso agit. Sane etiam haec quaestio, ut iam generatim innuimus n. 820., in aliis tractatibus commodiorem invenit sedem. Nunc satis sit duo afferre principia ex s. Thoma. 1^{m} in 2. 2. q. 104. a. 4. « Si cultus parentum abstrahat nos a cultu Dei... dimittenda sunt officia pietatis in parentes, propter divinum religionis cultum ». 2^{m} ibid. q. 101. a. 5. « Non tenetur inferior suo superiori obedire, si ei aliquid praecipiat, in quo ei non subditur ».

Utrum vero et quatenus peccent filii, invitis parentibus, certum matrimonium contrahentes, disputabitur in Tr. *de Matrimonio*. *

* Putat Card. D'Annib. V. 1. n. 53. potestatem patriam parentum erga filios, in iis quae pertinent *ad salutem animae* finiri septennio, in iis quae pertinent ad *electionem status*, finiri pubertate, in iis quae pertinent ad *disciplinam vitae et curam domesticam*, finiri emancipatione. Scilicet filius, rationis usum adeptus, sui iuris est, an baptizari velit necne etc., pubertatem assecutus deliberare ex se ipso potest de statu capessendo: emancipatus est prorsus sui iuris. Alterum ex his verum est, spectato iure naturae et canonico: c. 12. *de Regul.* « Tunc

(in aetate nubili) quia liberum habet arbitrium, in electione propositi sequi parentum non cogitur voluntatem ». Verum id valet etiamsi annos tantum discretionis attigerit, ut statuit Caelestinus III. c. 14. ibid. Cf. dicenda V. 4. de statu Religioso. Ceterum aliud est, *potestas patria*, a quo nequit se subducere filius, aliud *obligatio* parentum curandi utile filiorum. *

XIV. 7. Etsi frater fratri vel sorori, saltem in extrema vel quasi extrema necessitate teneatur subvenire lege tum caritatis, tum pietatis; non tamen est ea obligatio, quae inter parentes et liberos; cum non sit ista dependentia. V. Less. l. 2. c. 31. n. 34. Unde, si professus est in religione, non tenetur egredi, ut eis succurrat. Trull. l. 2. c. 2. d. 24. n. 8. ex Suar. etc.

830. S. Alph. n. 340. notat, iuxta utrumque forum teneri quemque, si possit, alimenta et dotes praestare fratribus et sororibus non solum in extrema, sed etiam gravi necessitate et citat Salmanticenses cum aliis.

Idque DD. extendunt ad natos ex eodem patre, licet ex diversa matre: quoad mere uterinos, asserunt obligationem adesse alendi, sed non dotandi.

XV. Quaeres, An filius aliquando possit a patre privari hereditate?

Resp. Potest ex iusta causa, alias non, eaque in testamento debet exprimi. Auth. *Sed hodie*, C. *de inoff. Test.* Talis autem censetur.

1. Ingratitudo (nisi in gratiam patris redierit ipsumque poenituerit ante testamentum conditum) ut si affecit patrem gravi iniuria, vel eius vitae insidiatus est vel manus iniecit, vel maleficis se immiscuit. Bon. d. 3. q. 7. p. 3. ex Cov. Sanc. Azor, Mol. etc.

2. Si novercam seu patris uxorem cognoverit carnaliter: si parenti furioso, vel carcere detento noluit succurrere, fideiubendo: si impedierit patrem testari: si bona parentum dilapidaverit, cum gravi ipsorum dispendio.

3. Si filia minor 25. annis luxuriosam vitam elegerit etc.

Circa quas nota, valere has causas, quando filius aliunde habet, unde vivat; nam alimentis ad vitam necessariis privari non potest, cum debeantur iure naturae, quod a iure civili tolli non potest. Bon. d. 6. q. 1. p. 6. § 3. ex Sanch. Mol. Azor, Regin. Fill. Trull. l. 4. c. 1. d. 3. et t. 2. l. 7. c. 17.

831. S. Alph. postremis verbis A. subiicit intra parenthesim haec verba: « Secus de necessariis ad statum. Salm. n. 43. de 4. praec. cum communi ». Intellige patrem non teneri ad suppeditanda necessaria ad statum, sed solum necessaria naturae: quae communis videtur sententia.

Ceterum quoad ius et causas exheredandi, consulendae sunt leges propriae locorum et de his sermo redibit in tr. VIII. ubi de testamentis.

Dub. III.

Ad quid teneantur tutores et curatores, qui loco parentum sunt.

XVI. Tutor (idem est de curatore) tenetur curam gerere pupilli eiusque bona rite et fideliter administrare. Ratio est, quia in hunc finem constituitur et assignatur pupillo patris loco. Quare, si delinquat, vel notabiliter sit negligens hac in re, peccat graviter et ad compensationem damni, quod pupillus ex eo accepit, obligatur, saltem de dolo et culpa lata, imo si tutoris officium exercet pretio (quod tamen si ab initio non est constitutum, censetur suscepisse gratis), tenetur etiam de levi culpa. Bon. *de Contract.* d. 3. q. 19. p. 4.

832. Tutorem inter et curatorem discrimen est, ex iure romano. Tutor datur directe personae et per consequens bonis eius: curator datur per se bonis, ut eorum administrator exsistat et per accidens personae. Tutor usque ad tempus pubertatis datur, qua secuta, desinit tutela. Curator puberibus datur usque quo tempus minoritatis expleatur. Tutor proinde pupillo, curator minori datur.

Officia tutoris et curatoris bene exponit A. nec opus est alia addere.

Quid possit pupillus et minor quoad suscipiendas obligationes, iam quaedam diximus agentes de Voto, alia dicenda in tract. *de Contractibus.*

Quoad domesticam educationem, cum tutor loco patris sit, officia pupilli erga eum, cum ad aetatem discretionis pervenit, similia sunt iis, quae haberet erga patrem. Minor est obligatio minoris, cuius personam directe non regit curator et cui invito nec datur curator (cf. Laymann l. 3. tr. 4. c. 9. n. 2.): quod spectat tamen ad bonorum administrationem, curatori minor subesse et parere debet gratumque animum gerere.

Ceterum pro rite definiendis iuribus et officiis tutoris et curatoris, leges singulorum locorum, quod iam alias notavimus, inspiciendae sunt et rursus redibit sermo in tr. VIII. cf. ibid. p. 3. c. 3. dub. 1.

Unde resolves.

XVII. 1. Tutor tenetur tueri personam pupilli, dum opus est eumque bonis moribus imbuere et bene educare per se, vel per alios. Bon. l. c.

XVIII. 2. Tenetur bona pupilli fideliter administrare, ideoque (officium tutoris suscipiens) inventarium conficere; alioqui damna ex eius defectu secuta resarcire nec licet illi pupillo pecuniae nimium ad usus inutiles concedere.

XIX. 3. Tutor (uti et curator) tenetur conservare omnia iura, bona et actiones pupilli (vel minoris) et bona alias peritura vendere pecuniamque convertere in emptionem bonorum stabilium vel in censum etc. prout fuerit utilius. Ibib. ex Rebel. p. 2. l. 17. q. 17.

XX. 4. Si tutor, vel curator pecuniam pupilli convertit in suos usus, tenetur ad restitutionem totius lucri cessantis vel damni emergentis, quod inde accepit pupillus, vel minor. l. c. Rebell. q. 17.

XXI. 5. Tenetur item ad restituendos fructus (deductis expensis) quos ex bonis pupilli percipere poterat et sua culpa non percepit. Silv. v. *Tutor* §. Reb. l. c.

XXII. 6. Tenetur nomina debitorum exigere et debita pupilli persolvere, ita tamen ut, quantum fieri potest, bono pupilli consulat. Sylv. Reb. ll. cc. Tab. ibid.

XXIII. 7. Tutor vel curator non potest donationes vel remissiones gratiosas facere de bonis pupilli; quia non ad destruendum, sed ad tuendum est constitutus: ibid. Excipe donationem remuneratoriam; sic enim potest v. gr. stipendio debito pro liberali servitio aliquid addere ex liberali donatione. Mol. Lugo d. 23. sect. 10. Sanch. Trull. l. 7. c. 17. d. 8. Vid. Dian. p. 8. t. 6. r. 17.

XXIV. 8. Denique tenetur (officio finito) reddere rationes; quia hoc onus est commune eorum, qui bona aliena administrant. V. Bon. *de Contr*. d. 3. q. 19. p. 4. et infra de 7° Praec. in appendice ad contractus, dub. 1.

Dub. IV.

Quae obligatio dominorum et famulorum, aliorumque superiorum et inferiorum.

XXV. Respond. 1. Domini et Superiores tenentur habere curam famulorum aliorumque suorum subditorum. Patet ex 1. ad Tim. V. 8. *Si quis suorum* etc. et ratio est, quia sunt ipsorum caput et vices parentum gerunt; ideoque tenentur quodammodo ad eadem, ad quae parentes. Inprimis vero curare tenentur, quantum in ipsis est, ut servent praecepta Dei et Ecclesiae. Bon. dub. 16. q. 1. p. 8.

833. * Adverte duo. 1° Quaedam Scripturarum testimonia Ephes. VI. 5. Tit. II. 9. 1. Petr. II. 18. solent huc traduci, cum quaestio est de famulis, quae per se tamen proprie spectant ad *servos*, quales aetate apostolica reperiebantur in imperio romano: famuli autem, ut iam monuisse meminimus, non sunt servi, sed liberi, qui libere contractum ineunt. Nihilominus per analogiam licebit in nonnullis aptare famulis quae de servis dicuntur. 2° Cum de obligatione dominorum erga famulos sermo est, ii proprie famuli intelliguntur, qui sunt de familia ideoque familiares vocantur vel domestici in domini domo stabilem habentes sedem: non ii qui certas horas tantum diei officia praestant: isti enim sub gubernatione domini proprie non sunt. Nihilominus et erga hos quaedam officia dominorum sunt ex iis, quae enumerat A. ex. gr. ne impediantur famuli debitis religionis satisfacere. *

834. Quandoquidem de obligatione generatim superiorum loquitur A. s. Alph. n. 342. ad h. l. addit quaestionem eamque solam an Princeps teneatur *digniores* eligere ad munia publica et probabiliorem dicit affirmativam contra eos, qui solum exigunt, ne indignos eligat.

* Lugo quidem *de Iust. et Iure* disp. 34. n. 19. negativam sententiam probat re per se spectata: at n. 21. monens primo parum utramque sententiam in praxi differre, in affirmativam propensum se ostendit. Ratio est, 1° quia cum in omnium sententia elector debeat cavere, ne grave detrimentum res publica patiatur, ad id praecavendum oportebit

regulariter eligere digniores; si enim id communiter non fiat, experientia ipsa docet plerumque indignos eligi, qui digni videbantur. Ut ergo suo muneri satisfaciat elector, debet communiter digniores quaerere, ut indigni repellantur (saltem certius). 2° Quia si omittantur digniores, grave reapse detrimentum res publica patitur: quatenus necesse est in ea languere studia, quae praemiorum exspectatione aluntur cum videant subditi rationem non haberi maiorum meritorum, sed gratiae affectuumque privatorum. Id porro est quod ait Sanchez ab eodem Lugo citatus n. 13., munera haec officia esse bona communia, ad quae communitas et partes eius habent ius aliquod; sunt enim etiam in praemium idoneitatis, quam quis studio et arte sibi comparavit et idcirco pertinere ad iustitiam distributivam, ut bona haec distribuantur iuxta merita singulorum.

Monet tamen Lugo, quod si semel vel iterum dignus eligatur, praetermisso digniore, non videatur illud morale periculum adesse ut eligantur indigni, ut prior ratio affirmabat, quod saltem sub mortalis peccati reatu debeat impediri.

Refert etiam idem s. Alph. ibid. sententiam aientium principem licite posse vendere officia secularia, quod docuit s. Thomas opus. 21. Additur tamen ab eodem s. Alph. cum aliis (cf. Lugo disp. cit. n. 24.) limitatio: dummodo venditio haec sit necessaria utilitati reipublicae et dummodo fiat dignis et, quantum fieri potest, dignioribus atque moderato pretio, ut scilicet meritis non tantum divitiis ea munera possint patere. Profecto si bonum reipublicae hanc venditionem postulat, poterit ea fieri dignis, omissis dignioribus: hoc enim detrimentum compensabitur eo bono praestantiore, quod princeps ea venditione intendit. Monet Lugo l. c. n. 2. difficilius vendi officia, per quae immediate iustitia administratur, cuiusmodi est officium iudicis: nam difficilius est in his venditionibus grave reipublicae damnum cavere. Ceterum, cum haec praxis non sit per se reipublicae conveniens, sed solum ob evitanda maiora damna adhiberi possit, patet quod ea non debet esse ordinaria ratio distribuendi publica munera. *

Unde resolves.

XXVI. 1. Peccant domini graviter, 1. si sine iusta causa impediant famulos, ne festis Missam audiant, vel si festis opera servilia imponant, vel si iubeant ea, quae sine peccato fieri non possunt. Nav. c. 14. etc.: 2. si peccandi occasionem permittant, cum possint impedire, aut si graviter delinquentes non corrigant, vel negligentes necessaria ad salutem non moneant, corripiant. Bon. l. c.

835. Omnia clara sunt quoad primum. Ratio secundi est; quia providentia, quam dominus erga suam familiam habere debet, se porrigit quoque ad familiares.

XXVII. 2. Peccant item graviter, 1. si gravibus iniuriis afficiant, diabolos, canes etc. appellent. Bon. l. c. et Troll. l. 4. c. 1. d. 6. licet Dian. p. 7. t. 7. r. 47. excusent a peccato talem contumeliam, quod ex ira et indeliberatione soleat proferri: 2. si alimenta convenientia non praebeant, mercedem iustam (dummodo fideliter servierint) non solvant, vel differant absque rationabili causa ibid.: 3. si ante elapsum terminum temere domo expellant: in quo casu (nisi gravissima ex causa id fecerint) tenentur ad solutionem integrae mercedis. Less. Azor, c. 14. q. 1. Fill. n. 117. Regin. Mol. etc. Escob. t. 3. e. 9. n. 33.: 4. si eum, qui liberos aliosve domesticos verbis, exemplo vel moribus pravis corrumpit et reprehensione non emendatur, e domo non dimittant. Nav. c. 14. Azor, Troll. d. 61. n. 2.

836. Quoad iniurias, de quibus A., s. Alph. consentit heic communiter illas iniurias non censeri graves. Dicit *communiter;* quia pendet ex circumstantiis personarum et famulantes ista tribuunt saepius dementiae dominorum.

Ad n. 3. s. Alph. n. 342. post alios notat, famulum iniuste expulsum, si tempus non implevit quo serviendum erat et hoc iam sit elapsum, non teneri deinde ad complendum; teneri autem herum ad mercedem promissam.

Si vero famulus nullum damnum passus sit ex expulsione, tenetur nihilominus dominus maiorem saltem quam dimidiatam partem mercedis solvere (intellige, quae pro tempore explendo deberetur), imo integram, ut vult Lessius l. 2. c. 24. n. 8.: attamen, inquit s. Alph.; solum post sententiam iudicis; quia est quaedam poena et iniuria est solum violatio promissionis quoad servitium futurum.

XXVIII. 3. Herus non tenetur famulo infirmo (quandiu aegrotat) dare salarium; nisi in extrema vel gravi necessitate (tunc enim debet ex caritate) imo sumptus in eius curationem impensos potest repetere. Molin. disp. 505. Escob. t. 3. c. 9.

Omnia clara: sed confer dicenda in Tractatione de *Contractibus*, de Locatione.

XXIX. Resp. 2. Famuli ceterique subditi tenentur suis dominis et superioribus aliquo modo eadem, quae filii parentibus, nimirum amorem, reverentiam et obedientiam praestare. Ratio patet ex dictis, quia sunt illis quasi loco parentum. S. Th. 2. 2. q. 103. Regin. l. 20. n. 26.

837. * Doctrina A. clara est: locus s. Thomae ab eo citatus debet esse ex a. 4. q. 103. in 2. 2. Ibi enim ait s. Thomas loquens de dulia: « Alio modo potest (dulia) sumi stricte, prout secundum eam, reverentiam exhibet servus domino. Nam dulia servitus dicitur, ut dictum est. Et secundum hoc, non dividitur (dulia) in diversas species, sed est una specierum observantiae, quam Tullius ponit, eo quod alia ratione servus reveretur dominum, miles ducem, discipulus magistrum et sic de aliis huiusmodi ». Ubi nihil aliud habes, quam quod relatio servi ad dominum est quaedam dulia h. e. servitus: ut idcirco servus

certam reverentiam et honorem domino debeat et forte s. Doctor loquitur de servo proprie dicto. Potius citanda erant haec ex q. 102. a. 1. « Sicut carnalis pater particulariter participat rationem principii quae universaliter invenitur in Deo, ita etiam persona, quae quantum ad aliquid providentiam circa nos gerit, particulariter participat proprietatem patris; quia pater est principium et generationis et educationis, disciplinae et omnium, quae ad perfectionem humanae vitae pertinent. Persona autem in dignitate constituta est sicut principium gubernationis, respectu aliquarum rerum, sicut princeps civitatis in rebus civilibus, dux exercitus in rebus bellicis, magister in disciplinis et simile est in aliis » ideoque et herus respectu famulorum. Hinc his omnibus, concludit s. Doctor, debetur observantia, per quam cultus et honor exhibetur personis in dignitate constitutis.*

Unde resolves.

XXX. 1. Peccant famuli graviter, 1. si non laborent vel serviant fideliter tenenturque ad compensationem damni. Molin. Less. l. 1. c. 24.: 2. si grave damnum inferant vel inferri permittant, cum possint impedire. Nav. c. 14. n. 22. Fill. t. 28. p. 2. c. 3. q. 10. et 11. Regin. l. c. Et quidem, si damnum illud inferatur sive a confamulis sive ab extraneis in rebus, quarum cura ipsis commissa est, a restitutione non possunt excusari Molin. Less. l. 2. c. 23. p. 30. n. 65. Fill. t. 36. c. 6. q. 9. n. 114.: 3. si absque gravissima causa discedant a domino ante terminum elapsum, ultra hunc vero manere non tenentur, etiamsi morbo impediti servire aliquandiu non potuerint. Molin. l. c. Regin. n. 517. Escob. e. 7. n. 50.: 4. si domino in rebus magni momenti non obediant. Bonac. l. c.

838. Resolutio Auctoris sub n. 2. meretur additionem vel emendationem. Namque, ut ait s. Alph. lib. 3. n. 344., communius et probabilius DD. dicunt, quod si damnum fit a domesticis et res non est famulo specialiter commissa ad curam, non tenetur is ad restitutionem. Ratio, quia peccare potest tantum contra caritatem, non autem contra iustitiam ; quia famuli non tenentur ex iustitia res domini a domesticis tueri.

Si autem furtum fiat ab extraneis, tunc tenetur; nam et ad haec cavenda famuli adhibentur, licet res non sit specialiter curae eius commissa. Intellige tamen, si poterat famulus impedire per se vel aliis in auxilium accitis etc.

Sed de his rursus et forte melius, ubi de Restitutione Cf. tr. VIII. p. 2. sub §. XXXIX.

Quoad 3. de famulo discedente ante tempus. Addit s. Alph. n. 345. cum communiori, quod nisi grave damnum inde domino evenerit, potest petere stipendium pro tempore, quo inservivit. Ratio est quia servitus exhibita meretur utique suam mercedem, quamvis non totam conventam; unde dominus (inquit s. Alph.) tenetur famulo, qui operas

suas ad annum locaverat et ante expletum annum discedit, solvere saltem dimidiatam mercedem parumper diminutam, puto, si saltem post sex menses discessit. Atque haec nisi iudex aliud decernat.

Licet vero famulus non teneatur supplere tempus aegrotationis, non tamen potest salarium eius temporis exigere, ut notat s. Alph. n. 346.

Addit s. Alph. quaestionem n. 347., an elapso triennio, postquam famulus discessit a domino, salarium possit petere vel sibi compensare.

Et bene respondet, quod si constat, dominum legitime praescripsisse cum titulo et bona fide, nec dominus tenetur solvere nec famulus potest uti compensatione, licet certus sit de non facta solutione. Si vero non praescripsit, licet leges civiles negent actionem famulis (quia scil. praesumitur facta solutio), in foro tamen conscientiae ius retinent et dominus semper ad solutionem tenetur. Unde et compensatio licet.

XXXI. 2. Famuli non peccant, si sustentationem vel mercedem iustam domino negante, utantur compensatione occulta. Mol. l. c. Fill. tr. 36. c. 6. q. 3.: dummodo tamen alius modus non sit impetrandi nec plus accipiatur, quam debetur neque scandalum aut aliud incommodum grave timeatur. Vide Bon. de rest. d. 2. q. ult. p. 2. n. 16. *Hac tamen in re animadverte Prop. 37. inter damnat. ab Innoc. XI.*

XXXII. 3. Similiter pro obsequiis, ad quae non tenebantur, praestitis (si quidem illa non gratis et liberaliter, sed animo mercedis exhibuerint) licere ex rebus domini accipere compensationem, quae aliter obtineri non possit, docet Navar. c. 17. n. 108. Less. l. c. Plura de his v. infra *de 7° Praecepto* d. 4. et c. 3. d. 11. et Bon. d. 6. q. 1. p. 8.

839. De his sermo redibit, ut A. innuit, ll. cc. (Tr. VIII. p. 2. c. 1. d. 4. et p. 3. c. 2. d. 11. sed cf. et p. 2. c. l. sub §. V.) et ibi quaestio habebitur, an famuli possint sibi compensare pro maiori opera praestita.

Addit s. Alph. n. 348. quaestionem, an iustum stipendium saltem infimum possit petere aut sibi sumere ille, qui nulla statuta mercede inservit.

Et optime respondet s. Alph. generatim, inspiciendum esse, quid ea de re ferat consuetudo. Nam si fert usus, ut nulla detur merces v. gr. inservienti pictoribus, ut discat, nullam potest petere aut sumere. Secus si usus sit alius. Ubi s. Alph. recenset artes varias et pro diversitate, modo pueri ipsi solvunt magistro, modo ab ipso habent aliquid salarii, modo neuter quidpiam solvit.

Addit s. Alph. incidenter n. 350. licere servis in bello captis fugam arripere. Ita consuetudo. At isti non sunt famuli, sed homines bello in servitutem redacti iure gentium. Porro, ut notat cum aliis s. Doctor, hoc ius gentium ita est acceptatum, ut ipsis relicta sit, si possint, fugiendi libertas. Sed haec spectant ad tr. *de Iur. et Iustitia,* ubi de Dominio agitur.

Dub. V.

Ad quid teneantur coniuges erga se mutuo vi huius praecepti.

XXXIII. Resp. Uxor in iis, quae spectant ad domus gubernationem et bonos mores, tenetur obedire marito: hic vero uxorem, non ut servam, sed ut sociam tractare. Ratio est, quia maritus est caput et uxor commembrum. Navar. c. 14. n. 20. Trul. Fill. t. 28. p. 2. c. 9. q. 6. n. 144. et comm.

840. Quae dicit A. in responsione, utique respondent quaestioni, quid coniuges debeant *vi huius praecepti;* at non ita Resolutiones, quae amplectuntur officia ex aliis principiis seu praeceptis profluentia. Sequamur nihilominus A., plura tamen reiecturi ad tr. *de Matrimonio.*

Unde resolves.

XXXIV. 1. Coniuges peccant 1. Si debita intentione non contrahant matrimonium: 2. si sine dispensatione praetermittant proclamationes: 3. si sacramentum matrimonii in statu peccati mortalis recipiant: 4. si utantur matrimonio contra naturam, vel modo indebito, vel cum periculo abortus: 5. si debitum sine iusta causa negent: 6. si cum periculo pollutionis tactus habeant impudicos.

841. Ad 1. De intentione contrahendi. Multi sunt fines, alii intrinseci, alii extrinseci huius contractus et hi postremi possunt etiam esse pravi. Primo igitur tenentur, non habere pravum finem extrinsecum.

Intrinseci sunt 1° habere adiutorium, 2° habere successionem prolis, 3° remedium concupiscentiae. Non est autem necessarium positive eos intendere, sed satis est, ut non excludantur positive, iuxta alibi dicta (*de Act. Hum.* n. 116. seqq.) de intentione requisita, ut actus sit honestus.

Extrinseci plures esse possunt iique honesti, ut v. gr. reparare honorem puellae, ipsam tollere e miseria, periculis, vexationibus, inire pacem, rei domesticae angustiis providere etc. Et quidem honeste agis, si vel unico aliquo ex his finibus moveris, dummodo intrinsecos non excludas. In tr. autem *de Matrim.* sermo erit data opera habendus de eius finibus.

Quoad 2. De proclamationibus. De hoc ubi *de Matrimonio:* ubi apparebit, urgente necessitate aliquando omitti posse.

Quoad 3. De matrimonio ineundo in statu gratiae, ratio patet.

Ad 4. De usu coniugii. Triplicem casum A. proponit; sed alter ab altero diligenter distinguendus.

Nam 1° quod dicitur de usu matrimonii contra naturam, id certe est peccatum grave. Contingit id vero, quoties ita reipsa effunditur substantia seminalis, ut generatio sequi non possit.

2° Quod vero dicit de modo indebito, id generatim nunquam excedit culpam venialem et quidem solum in petente. Idcirco nulla interrogatio de hac re est facienda.

3° Quod dicit de periculo abortus, intellige si ipse usus matrimonii id efficeret; quod raro contingit et coniuges praecavere facile possunt et norunt. Unde nulla est confessario causa de his percunctandi.

Sed de his apposite in tract. *de Matrimonio.*

Quoad 5. De debito reddendo. Hoc absque iusta causa negare generatim censetur gravis culpa. Confessarius de hac re virum non interroget, uxorem utique; sed 1° si causa suspicandi subsit: 2° verbis eiusmodi, ut intelligat, si opus habet, secus ne intelligat quidem. De debito reddendo in tr. *de Matr.* sermonem esse oportebit.

Quoad 6. De tactibus (intellige extra usum matrimonii).

Resolutio A. intelligenda est 1° de tactibus, qui suapte natura, non vero per accidens, pollutionem causent: 2° si nulla iusta causa subsit tactus illos habendi: 3° si intendatur, vel adsit periculum consensus in pollutionem.

Sed de his melius in tract. *de Matrimonio.*

XXXV. 2. Peccat graviter uxor 1. si maritum rixis vel aliter verbis ad gravem iram vel blasphemiam provocet. Fill. l. c. n. 145. et Bon.: 2. si quid notabile expendat contra voluntatem viri et consuetudinem feminarum similis status, nisi tamen ex paraphernalibus, si habet: 3. si spreto viro sibi imperium vindicet: 4. si nolit sequi virum domicilium mutantem, dummodo possit sine periculo vitae et salutis et contrarium non sint pacti et maritus post nuptias non sit factus vagus. Navar. Tol. Bon. p. 7. V. infra *de* 7. *Praec.* c. 1. dub. 4.: 5. Si sine sufficienti indicio male iudicet de mariti continentia: 6. si sine iusta causa debitum neget: v. infra *de Matr.*: 7. si se ingerat in administrationem domus sine iusta causa, qualis est, si v. gr. maritus prodigus bona familiae dilapidet. Silv. Trull. c. 1. d. 4. n. 18.

842. Ad 4. De mutatione domicilii. Ait s. Alph. n. 363.: « Probabilius valet pactum non mutandi domicilii, nolente uxore... Sed hoc intelligendum, nisi nova et gravis causa superveniat. Et pariter (inquit infr.) si mulier, cogente necessitate, mutet domicilium, vir eam sequi tenetur; quia mutua est obligatio cohabitandi ». Ita Sanchez loco mox citando, n. 14.

Addit ibid. s. Alph. ex Sanchez *de Matrim.* lib. 1. disp. 41. n. 12. probabilius uxorem teneri ad sequendum virum *exulantem.* Ratio, quia uxor secundum iura debet sufferre non quidem poenam, sed infortunium viri: iure autem divino tenetur sequi abeuntem ex causa necessaria.

Intellige, si maritus postulet, vel nisi exilium foret gravis detrimenti, v. gr. in Siberia; aequiparatur enim morti.

Idipsum Sanchez l. c. n. 12. notat de sequendo viro excommunicato seu de cohabitando cum eo. Et Sanchez quidem id huc arcessit ob

meram paritatem cum obligatione cohabitandi cum viro perculso infortuniis: quemadmodum et Salmant. referunt *de* 4° *Praec.* c. 1. n. 62. aientes: cum Sanchez idem tenendum de viro excommunicato. Sententia proinde Sanchez haud clare refertur, cum dicitur uxor debere sequi virum, *si vir alicubi excommunicetur.* Sententiam suam probat Sanchez c. *inter alia, de Sententia excommunicationis.* Sed de his in Tr. *de Matr.*

Ad 7. Non prohibetur mulier, coadiuvare rem domesticam, sed agere partes dominantis. Excipitur, si maritus sit prodigus: adde si sit incurius vel ineptus ad familiam gubernandam.

843. Quod spectat ad praestanda opera servilia, s. Alph. n. 352. tenet probabilius, uxorem nobilem non teneri obedire viro praecipienti officia vilia, cibos parare, domum verrere etc.; quia uxor est socia, non vero ancilla. Et si praestaret, aiunt, posset sibi compensare (quae quaestio parum refert).

Adverte potius, nobilitatem heic late sumi pro conditione personarum, quae ex communi usu non solent talia praestare.

XXXVI. 3. Peccat graviter maritus, 1. si verbis contumeliosis vel infamatoriis afficiat uxorem: 2 si impediat illam circa praecepta Dei vel Ecclesiae sine iusta causa. Sayr. l. 7. c. 7. Nav. c. 14. Si vero impediat etiam sine causa circa ea bona, quae consilii tantum sunt, ut est confessio, communio etc., communiter tantum peccat venialiter, nisi constet, quod magnam ex iis utilitatem percipiat. Sayr. Fill. Bonac. q. 1. p. 7. Trull. 3. si caedat graviter: moderate tamen castigare verbis, vel etiam ex gravi causa moderatis verberibus, habita ratione conditionis et status, quandoque potest. 4. si alimenta neget, nisi tamen uxor a consortio mariti propria culpa discesserit: 5. si negligat gubernationem domus et rem familiarem: 6. si uxori non cohabitet, vel sine iusta causa diu absit: 7. si, cum possit, alimenta non procuret. V. Fill. n. 140. et 141. Nav. c. 14. n. 19. Tol. l. 5. c. 2. Sanch. l. 10. *de Matr.* disp. 18. n. 16. Bon. p. 7.

844. Ad 4., ubi de negandis alimentis, s. Alph. n. 356. ad h. l. addit, negari posse alimenta, si commisit adulterium.

Addit: « Nequit vir retinere dotem uxoris adulterae, si discedat ab ea ante sententiam iudicis propria auctoritate: quamvis ipse uxori repetenti dotem possit opponere exceptionem adulterii et petere, ut sibi applicetur ».

Sed in his diiudicandis inspiciendae sunt leges locorum.

Ad 6. De obligatione cohabitationis, videlicet ob ius alterius coniugis, eiusque pericula. De qua re in tr. *de Matr.*

DUB. VI.

De obligatione Parochorum.

XXXVII. Resp. Curatus sive Parochus iure divino tenetur 1. residere in sua Parochia. Trid. sess. 23. c. 1. de ref. Barb. *de off. Paroch*. c. 8. n. 1.: alioqui in conscientia fructus non facit suos tenetnrque pro rata absentiae restituere fabricae Ecclesiae vel causae piae. Potest tamen ex iusta causa et licentia Episcopi ad breve tempus abesse. V. Navar. c. 5. Azor, t. 2. l. 2. c. 4. Possev. Barb. Trull. l. 4. c. 1. d. 8.

His proprius locus est, ubi *de Statibus particularibus*. Idcirco heic nullum commentarium verbis Auctoris addemus, reiicientes hanc tractationem ad tr. IX. c. 2.

XXXVIII. 2. Tenetur administrare Sacramenta, quoties et quanto cum periculo, v. infra et Bon. tr. 1. d. 4. p. 5. p. 2. Possev. Barb. ll. cc.

XXXIX. 3. Orare pro populo et celebrare, ut populus audiat Missam: quam etiam teneri eum eidem applicare diebus saltem festis et aliquot aliis, docet Tol. l. 3. c. 5. Sed negant Suar. Con. in 3. p. q. 83. art. 1. d. 11. cum nullo iure id cautum sit. vid. Bon. q. ult. Barb. l. c.

XL. 4. Docere populum concionando, arguendo etc. per se vel per alios. Tol. 5. c. 5. Possev. Barbos. Trull. ll. cc. V. supra.

XLI. 5. Tenetur singulis diebus Dominicis et festis sollemnibus populis doctrinam Christianam explicare per se vel per alium, ut constat ex Trident. sess. 24. c. 4. de reform. idque sub gravi obligatione etiam iuris divini, ob summam necessitatem, propter quam eos ab Episcopis aliisque Praelatis ad id cogi posse sub poena excommunicationis (omnesque alios, ut eam audiant, discant et sciant) docet Trull. l. 1. c. 1. d. 4. n. 7. et 8. Bald. t. 2. l. 1. d. 48. Sanch. Pal. Barb. etc.

XLII. 6. Tenetur infirmos visitare, pauperum curam habere, peccata corrigere etc. de quibus Possev. Reg. Tom. 2. l. 20. c. 5. s. 3. Barb. c. 7. vide supra.

DUB. VII.

De obligationibus magistrorum et discipulorum.

XLIII. Resp. Inter praeceptores (idem est de pedagogis) et discipulos es quodammodo eadem obligatio, quae inter parentes et liberos.

845. * Ratio est, quia parentes, quibus potissimum incumbit onus educationis et institutionis filiorum, sibi substituunt paedagogos et praeceptores, qui locum proinde eorum hac in re tenent erga liberos. Haec tamen verissima doctrina non minimum detrimentum passa est, postquam, invitis parentibus et rationabilissime invitis, coacti sunt filii certas scholas frequentare, quarum magistri censendi non sunt tenere parentum locum, sed diaboli. *

Unde resolves.

XLIV. 1. Discipuli peccant, 1. si praeceptoribus et paedagogis non exibeant honorem et reverentiam: 2. si non obediant in rebus pertinentibus ad studia et bonos mores: 3. si eos conviliis vel contumeliosis verbis traducant: 4. si negligenter studeant, scholarum aut studiorum tempore lusui vacent vel otio: 5. pecunias parentum dilapident vel inutiliter expendant: 6. malo fine studeant: 7. Gymnasii sui leges vel Academiae statuta (si quidem ea ad peccatum obligent) non servent: 8. scientias superstitiosas aut vetitas addiscant vel libros prohibitos legant: 9. stipendium debitum doctori suo non solvant, cum possint. Vide Navar. c. 23. et 25. Fill. tr. 28. p. 2. c. 10. q. 1.

XLV. 2. Magistri et Pedagogi peccant, 1. si peccata discipulorum dissimulent et non corrigant, quando possunt: 2. profectum eorum in litteris non sedulo promoveant: 3. non doceant bonos mores: 4. si ex proposito falsa doceant ut vera, vel superstitiosa et saluti noxia: 5. non studeant ipsi, ut officio satisfaciant: 6. si stipendium exigant maius iusto, vel quam Gymnasii leges aut consuetudo permittat: 7. doctoratus insigna negent dignis, vel indignis conferant, quod Nav. dicit esse mortale, praesertim in Theologia, Iure Canonico, Civili et Medicina: nam in Philosophia forte veniale tantum esse censet Caiet. v. *Doctoratus:* 8. si discipulis malo sint exemplo: 9. si malis moribus imbutos et qui aliis perniciosi sunt, ad scholas admittant vel ex iis non dimittant. V. Trull. l. 4. c. 1. d. 11.

846. * Vides in Resol. 1ª, discipulorum peccata appellari, quin tamen de eorum gravitate semper iudicium feratur. Id tum ex ipsa rei gravitate vel levitate, tum ex circumstantiis singularum actionum, ratione habita finis, quem tenetur iuxta suam conditionem quisque prosequi, tum ex voluntate parentum, diiudicandum erit. Sic filius ditissimi viri, qui sit negligens in studiis, propter hoc solum, quod non studeat, non peccabit mortaliter, nisi urgeatur praecepto parentum: at filius viri mediocris, qui graves sibi et familiae expensas subit ad eius institutionem procurandam, ut deinceps is parentibus et familiae vicissim succurrere possit, graviter certe peccaret, si negligens esset studiorum. Sed frequenter haec non cogitant adolescentes.

In 2ª Resol. doctrina Auctoris clara est. Adverte magistros ac Pedagogos ex officio teneri et ex contractu. In primo et secundo casu peccatum magistri potest esse leve, si levia sint peccata discipulorum dissimulata vel si negligentia in promovendis studiis sit levis. In ceteris peccatum est per se grave et aliqua sunt gravissima. In septimo autem habere licet rationem exceptionis Caietani.

847. Quandoquidem s. Thomas inter actus pietatis ponit etiam cultum erga patriam et ad observantiam, quae est sub pietate, cultum revocat erga eius rectorem 2. 2. q. 102. a. 1.: quaeri potest, quaenam sit obligatio subditorum erga seculares potestates. De hac re doctrinam certam habemus Scripturarum 1. *Petr.* II. 19. *Subiecti igitur estote omni humanae creaturae, propter Deum, sive regi, quasi praecellenti,*

sive ducibus, tanquam ab eo missis. ad Rom. XIII. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi a Deo: quae autem sunt, a Deo ordinata sunt.*(graeca lectio, cui et Biblia romana concordant, teste a Lapide, habet: *Quae autem sunt potestates, sunt a Deo ordinatae* seu *constitutae,* nimirum: potestates, quae in mundo exsistunt, constitutae sunt a Deo). *Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi* (seu *constitutioni*) *resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt... Igitur necessitate subditi estote* (gr. *propterea necesse est subiici*), *non solum propter iram* (h. e. propter malum, quod princeps vindex inferre potest), *sed etiam propter conscientiam* (ut nempe coram Deo recte ambulemus). Idcirco obligatio est in conscientia parendi potestati a Deo ordinatae ideoque legitimae, nefas est rebellare atque obligatio gravis est per se: cuius violatio damnationem meretur.

Ita Catechismus romanus p. 3. *de* 4. *Mandato* §. 15. postquam docuit colendos esse debito honore parentes et superiores ecclesiasticos, subdit: « Idem de regibus, de principibus, de magistratibus et reliquis, quorum potestati subiicimur, dicendum est. Nam si quis eis cultum tribuit, is ad Deum refertur etc. ».

Quia vero obligatio obediendi potestati inde oritur, quod princeps minister Dei est Rom. c. XIII. 4. patet, quod si princeps quid praecipiat contra Dei legem, obediendum non sit: *obedire* enim *magis oportet Deo quam hominibus* Act. V. 29.: quemadmodum legitimis potestatibus responderunt Apostoli. *

Tandem adverte propositionem 63. damnatam in Syllabo Pii IX. « Legitimis principibus obedientiam detrectare imo et rebellare licet ».

Cf. dicta *de Legibus* n. 241. seq.

SECTIO V.

DE QUINTO PRAECEPTO

Quid quinto praecepto prohibeatur.

I. Prohibetur hominis occisio, mutilatio, verberatio aliaque similis afflictio iniusta, de qua quaeritur quae et quando sit iniusta.

848. Praeceptum, utut negative efferatur, habet tamen etiam partem, qua positive aliquid praecipit, uti patet ex resp. 2ª dub. I.

Itaque prohibetur homicidium, videlicet iniusta hominis occisio. * Iniustitia quidem non continetur in ipso nomine homicidii, sed in eo quod prohibeatur. Aliis verbis: *homicidium* grammatice acceptum praescindit a iusta vel iniusta hominis occisione; moraliter autem acceptum,

prout subest legi et prout de eo loqui solent homines, cum moralitatis rationem habent, est iniusta hominis occisio. Identidem et apud morales primitiva significatio comparet, ut *homicidium casuale.* *

Et quidem quatenus est negativum praeceptum, primario prohibet iniustam occisionem.

* Cum s. Thomas 1. 2. q. 100. a. 8. dixisset « praecepta secundae tabulae continere ordinem iustitiae inter homines observandae, ut scilicet nulli fiat indebitum et cuilibet reddatur debitum », mox ad 3. sic de homicidio loquitur: « Occisio hominis prohibetur in Decal. secundum quod habet rationem indebiti; sic enim praeceptum continet ipsam rationem iustitiae ». Unde Filliuccius tr. 29. c. 1. n. 1. ait, omnem et illam solam occisionem prohiberi, quae est contra rationem et iustitiam; et sane hoc praeceptum est iuris naturalis: at ius naturale nihil aliud est, quam recta ratio et iustitia ».

Non placet autem formula, qua hanc prohibitionem expressit Valentia tom. 3. disp. 8. p. 1. art. 3. « Occisio hominis ea ratione proprie est illicita, quod per eam privetur homo vita rationali contra rationem et voluntatem suam rectam, qua velit aut velle possit se vivere ». Nam, etsi vera sit haec definitio, si rite intelligatur, in eo tamen peccat, quod non in aperto ponat fundamentum illiceitatis occasionemque praebere possit aliud statuendi. Illicita enim est haec actio, quia est iniusta: iniusta porro est, quia est contra ius; ius vero primum est ipsum ius domini vitae, qui est Deus, non homo aut eius vel rectissima voluntas. *

Secundario praeterea prohibetur quidquid antecedenter vel concomitanter concurrit ad mortem inferendam, seu generalius omnis iniusta laesio corporalis personae, ut percussiones, vulnerationes, mutilationes, incarcerationes etc.

Quatenus est virtualiter positivum, praecipit vitae conservationem.

849. Claritatis gratia distinguitur homicidium *voluntarium* (*physice* vel *moraliter* seu physico vel morali influxu intentum) et *casuale*, quod sequitur aliquam actionem vel omissionem praeter intentionem estque vel *mere casuale* vel casuale *mixtum*, prouti praevideri poterat vel non.

Rursus distinguitur in *directum* et *indirectum*, prouti vel per *se et immediate* intenditur, vel in causa, ex qua saltem probabiliter secuturum praevidetur, uti si quis praegnantem percutiat.

Nos iuxta tradita in tr. *de Actibus Humanis*, de Voluntario, ita distinguimus homicidium voluntarium, ut 1° aliud sit *directum*, aliud *indirectum*: illud est, quod est a voluntate positive operante, hoc, quod eatenus est a voluntate, quatenus ipsa agere omittit quod potest et

debet: sic e. g. si tenebaris naufragium impedire, sed vel neglexisti, vel non adhibuisti conatum tantum quantum opus erat et poteras: 2° ut aliud sit voluntarium *in se*, aliud *in causa;* ad quod spectat exemplum superius allatum.

Nota 1. homicidium indirectum et in causa appellari quoque *interpetrativum:* 2. in homicidio directe aut in se volito intervenire dolum: dolus enim est omnis calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum: cum vero malum propositum habetur patrandi homicidii, aliquid ex his semper adest. Cf. Laymann l. 3. tr. 3. p. 3. c. 4. n. 1., qui deinde infert iuxta distinctiones traditas attendendum esse ante omnia a iudice in utroque foro, 1° an homicidium casu admissum sit, 2° an culpa, 3° an dolo factum.

Rursus homicidium vel est *simplex* vel *qualificatum.*

Simplex, quod nullam aliam specialem deformitatem habet ex circumstantiis vel personae occisae, vel loci, vel modi.

Qualificatum, quod ex circumstantia quapiam adnexam habet malitiam, quae peculiarem ei addit deformitatem. Numerari autem solent.

1° *Parricidium,* quod est voluntaria caedes ascendentis vel descendentis, ad quod spectat *matricidium;* ei autem accensetur quoque *uxoricidium,* item et *viri occisio, fratricidium* vel *sororicidium* et tandem aliorum coniunctorum usque ad 4ᵐ gradum. Cf. Laymann l. c., insuper *Regicidium.*

2° *Sacrilegium,* vel ratione personae occisae vel ratione loci.

3° *Latrocinium,* videlicet occisio cum animo praedandi.

4° *Assassinium,* sive ex parte *conductoris,* sive ex parte *conducti* ad occidendum.

5° *Proditorium,* scilicet factum sub specie amicitiae vel ex insidiis; ad quod reducitur procuratio abortus.

6° *Veneficium naturale,* sc. per propinationem vel ministrationem veneni.

7° *Veneficium magicum,* videlicet arte magica seu ope daemonis.

850. Porro Cappuccinus Francisc. Anton. a Goritia affirmat septem hisce modis ita speciem homicidii variari, ut necesse sit eas circumstantias disserte in confessione explicare tab. 59. *De natura et divisione homicidii* et consentire videtur Voit n. 656.

Verum heic latet confusio inter circumstantias mere aggravantes et eas, quae speciem mutant seu aliam addunt; seu potius confusio ex eo orta, quod qualificationes, quae utique deserviunt civilibus tribunalibus ad metiendam criminis gravitatem, incaute translatae sint ad distinguendas species morales homicidii.

Et I. quoad *parricidium* omnes consentiunt, *homicidium* induere

novam speciem ratione cognationis. Certa tamen ab incertis distinguenda.

1° Certum est addi peccatum adversus pietatem in occisione patris vel matris aut viceversa propriae prolis atque idem servari inter avos et nepotes et uno verbo inter ascendentes omnes et descendentes.

2° Certum est specialem pariter malitiam inesse neci fratris aut sororis.

3° Aeque certum est, speciem addi diversam ex circumstantia coniugii, sc. in nece mariti vel uxoris.

Duo vero controvertuntur, scilicet 1° an novam addat speciem mors illata aliis cognatis vel affinibus, quod a Goritia affirmat. At alii negant ut Tamburinus *Meth. exped. Confess.* lib. 2. cap. 5. §. 2. n. 9. et Lugo *de Poenit.* disp. 16. sect. 6. n. 308.; statuentes, esse circumstantiam mere aggravantem atque adeo non necessario explicandam in confessione. Intellige, adesse circumstantiam speciei diversae, quae tamen non pertingit ratione sui ad gravem culpam, uti dicunt DD. de prava cogitatione in ecclesiis, vel turpiloquio in locis sacris.

Consentire videtur et Bonacina *de Poenit.* disp. 5. quaest. 5. sect. 2. punct. 2. §. 3. diffic. 3. n. 15.; solam enim circumstantiam *Principis* et *Superioris* exprimendam dicit. Priores normam desumpserunt, ut videtur ex lege de impedimentis matrimonii; alii vero (ut Lugo cum aliis) normam desumunt ex obligatione, quam inducit pietas in coniunctos, quae specialis est solum in parentes, aut filios, inter coniuges et fratres sororesve.

851. Aliam controversiam movet Tamburini l. c. n. 6. an differant specie ultima parricidium, uxoricidium et fratricidium: cum heic propendere videatur in affirmativam sententiam, tamen infra ibid. cap. 7. n. 48. ubi statuit, quemlibet incestus sive ob consanguinitatem sive ob affinitatem, quisquis sit gradus, specie non differre, affirmat, ratione paritatis, probabiliter etiam iniurias illatas aut parentibus aut uxori aut fratri non differre specie morali. Ergo poenitens satis diceret, confitens se occidisse personam sibi arctissime coniunctam, tacendo, an sit pater, uxor, frater, soror, filius. Cf. dicenda, de incestu in Tr. X. *de Poenitentia* n. 356.

Monet vero sapienter Lugo *de Poenit.* disp. 16. n. 304. discrimen aliquod esse inter parentes ac filios; non quasi *gravis* iniuria (nam quod dicitur de laesione personae, dicitur etiam de contumeliis, de diffamatione ac reliquis, quae iustum dolorem afferunt) non contrahat utrobique speciem peculiarem malitiae adversus pietatem, sed quatenus conditio patris, qui paternam habet auctoritatem potestatemque ac

officium corrigendi, reprehendendi atque etiam puniendi, efficit, ut eadem actio facilius gravis sit cum iniuria filii adversus parentes, non vero vicissim. Verum, ut advertit idem Lugo, haec est differentia mere materialis, nam quando *gravis* est offensa, utrobique novam gravem malitiam induit.

Parricidio, quod spectet ad speciem peccati adnexam homicidio, aequiparatur crimen laesae Maiestatis scil. si quispiam occidit Papam, Imperatorem, Regem, Principem, et Voit n. 656. addit custodem, qui actu latus Principis stipat. Ratio est, quia eorum dignitas specialem imponit obligationem amoris et obsequii; ergo praeter iniustitiam intercedit violatio istius debiti.

Hinc Lugo concludit ibid. n. 309. reum esse laesae maiestatis etiam sacerdotem, qui occidat principem; licet enim exemptus ex iure canonico sit a laico tribunali, tamen subditus est principis quantum satis est, ut violet obsequium erga eum; hinc a iudice Ecclesiastico puniri deberet pro speciali ea delicti ratione.

852. Quod spectat ad *sacrilegium*, nihil dubitandum, haberi speciem hanc malitiae tum ratione personae, si sit sacra, tum ratione loci, videlicet si homicidium committatur in loco sacro.

At notandum (vid. Tamburin. *Meth. Confess.* lib. 2. cap. 7. §. 5. n. 39.), ad effectum *refugii*, nomine loci sacri intelligi non modo ecclesiam et coemeterium, sed partes externas, sacristiam, turrim campanariam, monasterium etc; at ubi de *sacrilegio* agitur presse intelligitur solus ecclesiae ambitus cum suis cappellis et coemeterium.

Addendum, circumstantiam hanc utique explicandam, cum res est de homicidio aut de gravi percussione cum effusione sanguinis. Quod si gravis intercedat percussio sine sanguinis effusione, merito Lugo *de Poenit.* disp. 16. sect. 10. n. 468. negat contrahi malitiam sacrilegii (intellige *necessario* exprimendam); quia prohibitio Ecclesiae non ulterius protenditur atque adeo sine fundamento extenditur ulterius. Notat autem Lugo, a Fagundez gratis heic contra allegari Navarrum, Silvestrum, Henriquez aliosque, *qui* (inquit) *id minime dicunt.*

Quoad *latrocinium* utique accedit malitia diversa specifice, quia latro malam habet voluntatem praedandi, ad quod assequendum vel occidit, vel vulnerat. At non erat, cur poneretur inter diversas homicidii species; nam si alius occidat ob alium pravum finem, utique contrahet huius malitiam nec tamen quispiam novas homicidii species excogitavit aut enumeravit. Sic qui occidit, ut possit moechari vel in odium religionis etc.

Adnexam pariter habet aliam speciem peccati *maleficium* seu veneficium magicum, quando scilicet ope daemonis alicui malum aut

etiam mors infertur; intercedit enim peccatum, quod appellatur *vana observantia.*

853. At quoad reliqua, scilicet *assassinium, veneficium simplex et homicidium aut proditorium per fictionem amicitiae aut per insidias*, habetur tantummodo circumstantia aggravans, non vero peccatum diversae speciei. Hac de re Laymann lib. 3. *de Iustit.* tract. 3. part. 3. cap. 4. n. 1.: « Aggravatur voluntarium homicidium ex modo occisionis 1° si quis ex insidiis hominem occidat, ut cavere sibi non possit; adimitur enim illi ius naturale sui defendendi (huc revocatur procuratio abortus). 2° Huc pertinet, si quis alium veneno interficiat, iuxta 1. cap. *de Malef.* ubi dicitur: Plus est hominem exstinguere veneno, quam occidere gladio. 3° Si quis ab altero, pretio vel praemio, conductus hominem interficiat; partim quia magis ignoscitur illi, qui ira et inimicitia instigante hominem invadit, quam qui pecuniae cupiditate in alterius gratiam... partim quia invasus plerumque ad sui defensionem imparatus est contra eum, quem, nulla cum ipso antecedente inimicitia, suspectum non habet ».

Denique Tamburini *Meth. Confess.* lib. 2. cap. 6. n. 2. malitiam specie diversa memorat, cum in ipso malo inferendo additur modus quidam inhumanus, crudelis ac ferinus, quod crimen idcirco nomine *feritatis* designatur. Sic cum aliquis membra etiam cadaveris vel semimortui discerpit, cor, iecur extrahit et similia.

854. Quoniam mentio incidit Assassinii, praestat heic advertere quae s. Ligorius hoc loco praemittit lib. 3. n. 363., scilicet ex cap. *Pro human. de homicidio in* 6° mandantes occisionem christiani per *assassinos*, sive eos *recipientes, defendentes aut occultantes,* incurrere ipso facto excommunicationem ac depositionem ab omni dignitate, officio et beneficio: insuper haberi ceu bannitos, ita ut amittant omnia bona sua et detur facultas cuilibet eos necandi: tamen id intelligendum post sententiam declaratoriam criminis, videlicet sine alia sententia decisoria circa poenas.

De his nota, 1° censura excommunicationis modo est sublata: 2° cognitio causae, si reus sit clericus, pertinet ad forum ecclesiasticum vid. Ferraris V. *Assassin.* n. 26.: 3° facultas eos occidendi et bona auferendi non datur quasi poena iniuncta a iure Canonico, sed ita res intelligenda est, ut quidquid praesidii esse possit ex legibus Ecclesiae ne reus has poenas reapse subeat, hoc omne adimatur. Hinc v. gr. non gaudent iure asyli et si sit clericus, potest occidi sine ulla ecclesiastica poena sine degradatione, atque ipso iure sunt degradati et relicti brachio seculari. Quocirca quoad illam facultatem conferendae sunt leges singulorum locorum.

Quaerit dein s. Ligorius n. 364. an poenae afficiant etiam assassinos seu mandatarios, allataque utraque sententia affirmante et negante, concludit probabilius negari; quia textus non loquitur de ipsis, sed iis, qui per *infieles* occidebant christianos: infideles autem non poterant coerceri hisce legibus, quia non sunt subditi Ecclesiae.

Ergo quae disputat Ferraris V. *Assassin.* a n. 30. minus sunt probabilia.

Ceterum etiam qui subdunt mandatarios hisce poenis, quasdam addunt conditiones, ut quis vere censeatur Assassinus. Nam 1° debet praecedere mandatum: 2° ut mandatarius conducatur ad occidendum pretio certo soluto vel certe promisso nec sufficit vaga quaedam promissio: 3° ut promissio sit acceptata et quidem pro pacta occisione. Ergo nec qui sponte occidit, ut alteri gratum faciat, nec qui solum precibus inductus, nec qui vagis promissionibus v. gr. ero gratus, tibi nunquam deero, liberabo a morte etc. movetur, censetur assassinus. Harum aliqua conditio si absit, ex omnium sententia, non incurrit v. gr. poenam exclusionis ab asylo.

Addit etiam s. Alphonsus n. 365. s. Pium V. sub excommunicatione *ipso facto* prohibuisse tum principibus, ne permitterent agitationes taurorum, tum christifidelibus, ne cum tauris congrederentur, tum clericis ne assisterent. Clemens tamen VIII. poenas hasce abstulit pro regnis Hispaniarum quoad omnes, exceptis *Religiosis*. Haec autem censura nunc est sublata.

CAPUT I.

DE HOMICIDIO

Dub. I.

De Suicidio.

II. Resp. Absque divina auctoritate non licet seipsum directe et ex intentione occidere. Ratio est, quia est contra caritatem sui et fit iniuria Reip. et Deo, qui est solus directus et absolutus Dominus humanae vitae. Dixi 1. *absque auctoritate divina*, propter Sampsonem et quosdam Martyres, qui seipsos occiderunt, vel ex divina inspiratione, vel inculpata ignorantia. Dixi *directe:* quia indirecte quandoque licet se occidere, hoc est aliquid facere vel omittere, ex quo praeter intentionem mors certo sequatur; quia praeceptum conservandi vitam, utpote affirmativum, non semper obligat, sed potest omitti propter bonum finem, necessitatem vel magnam utilitatem. S. Th. 2. 2. q. 64. V. Fill. hic t. 29. c. 4. q. 5. et Bec. 2. 2. t. 3. c. 7. q. 8.

855. Quod dicitur de Sampsone, forte non requirit divinam inspirationem; sed advocari potest communis doctrina de licita permissione effectus mali (*de Act. Hum.* n. 29. seqq.): licet scilicet permittere

mortem sui ex sua aliqua actione secuturam, si causa sufficiens adsit, scilicet damnum hostibus inferendum magni momenti. Augustinus tamen illam rationem attulit ut videre est apud s. Thomam 2. 2. q. 64. a. 5. ad 4. Sed Lessius illa alia quoque ratione excusat lib. 2. c. 9. n. 33. et cum eo Lugo *de Iustit. et Iure* disp. 10. n. 54.

Quod addit A. de inculpata ignorantia, bene explicatur a Lessio lib. 2. cap. 9. n. 23. Nam (inquit) se occidere ob patriae salutem et custodiam pudicitiae non ita est evidens esse malum, quin possit inculpate ignorari et Hieronymus in Ionae cap. 1. insinuat, ubi de periculo castitatis agitur. Ita Ambrosius et Eusebius (adde Chrysostomum) laudant mulieres, quae se occiderunt, ne violarentur et Sotus sic excusat s. Apolloniam. Et haec ostendunt, dari posse ignorantiam inculpatam.

Porro tenendum est quod Lessius l. c. n. 27. docet: *Licitum esse, quando causa sufficiens subest, aliquid facere vel omittere, unde certo noscitur secuturus interitus indirecte.* Ratio est, quia non est prohibitum homini, ne unquam vitam suam periculis exponat nec praecipitur, ut eam semper conetur conservare: sed tantum, ne illam quasi exosam auferat et ne absque causa illam periculis exponat aut conservare omittat; tunc enim censeretur illam ex proposito perdere. Sicut prohibitum est, ne quis se ex intentione polluat etc. vel procuret abortum et tamen licet vel medicinam sumere vel aliud quid agere, unde ista sequantur.

Alio modo: *Homo non tenetur vitam suam producere, sed tantum eam directe et positive non perdere,* se occidendo: quamvis enim non sit dominus vitae suae, sed tantum custos; habet tamen ratione huius custodiae usum illius, acceptum a Deo ad exercitium virtutum; unde quando adest bonus finis et exercitium alicuius virtutis, quae maius quoddam bonum praeferat, licite potest cessare a vita producenda, ratione huius finis.

Causas indirecte cooperandi ad mortem propriam licite, sic breviter proponit Lugo apud Ligor. n. 366. « Ob magnum bonum commune, vel ob specialem obligationem, ex pacto vel officio, quam habet v. gr. miles, gubernator, episcopus, pastor, licite possunt et tenentur mortem perferre, imo obire ».

Profectus quoque spiritualis liberumque sui ipsius obtinendum regimen est ratio sufficiens extenuandi corpus ieiuniis, flagellis; etsi exinde spatium vitae decurtetur.

Et generatim non teneor uti mediis extraordinariis pro conservanda vita, atque, rationabili exsistente causa, licet ea pati, quae remote concurrant ad vitae abbreviationem. Cf. nn. 867. 868.

856. Quoad rationes, queis probatur, illicitum suicidium, non aegre dandum est, debiles eas esse, quae petuntur sive ex obligatione caritatis erga semetipsum, vel ex obligatione erga societatem, cuius quisque sit quodammodo pars.

De hac re Lugo *de Iust. et Iur.* disp. 10. sect. 4. n. 2.: « Tota difficultas consistit in assignanda ratione; nam licet turpitudo (suicidii) statim appareat, non facile tamen est huius fundamentum invenire: unde (quod in aliis multis quaestionibus contingit) magis certa est conclusio (quia nempe aliunde certa est, puta ex fide), quam rationes, quae variae a diversis afferuntur ad huius probationem ».

Omnium probabilissima ratio videtur s. Thomae 2. 2. q. 64. a. 5., quod scilicet homo non est dominus suae vitae. Nam consequentia tunc clara est; quia destructio rei est actus proprius domini, qui potest pro libito de re sua disponere: qui est ergo non dominus sed solum administrator, non potest vitam destruere, sed eam debet modo debito administrare et conservare.

Porro probari potest, hominem non esse dominum vitae suae; quia licet homo potuerit accipere dominium aliarum rerum, quae sunt extra ipsum et ab ipso distinguuntur, non tamen potuit accipere dominium sui ipsius, quia ut ex ipso conceptu et definitione constat, dominus est aliquid relativum, non secus ac pater et magister; quare sicut nemo dicitur sui ipsius aut pater aut magister, ita nec potest esse sui ipsius dominus; nam dominus semper dicit superioritatem respectu illius, cuius est dominus. Potest ergo esse dominus operationum suarum et etiam semet vendere, idest operationes suas (nam nec servitus totum facit hominem alterius); sed non potest disponere de se ipso nec de vita sua, cuius non est dominus. Ita Lugo *de Iust. et Iur.* disp. 10. sect. 1. n. 9. et Molina tom. 4. disp. 1., n. 1.

Ergo hoc peccatum maxime est contra iustitiam, quatenus homo disponit de re non sua, sicut si esset dominus idque sine facultate et consensu Domini, qui est solus Deus. Cf. Lug. ibid. n. 17. seqq.: quamvis heic iustitia minus stricte sumatur: nam stricta iustitia non est hominis ad Deum. Porro ex eodem principio efficitur, illicitam esse mutilationem, qua quis membrum sibi irrationabiliter abscindit itemque laesionem irrationabilem, qua quis salutem suam ac membrorum irrationabiliter laedit. Cf. resp. 2^m^.

Alia ratio pro illiceitate suicidii. Quia vita praesens est conditio hominis Deo servientis et eius praeceptis obtemperantis ac legibus subditi, ex qua conditione dein in futura vita praemium vel poenam sortiatur. Atqui 1° non debet esse in potestate servientis Deo, ut pro suo arbitrio hoc serviendi tempus finiat: 2° multo minus debet esse in

potestate eius, ut praeceptis Dei forte sibi displicentibus subtrahere se impune et pro lubito possit. Porro utrumque hoc incommodum sequeretur, si liberum homini esset finire vitam suam, quandocumque ipsi libeat (ex Caretti).

Unde resolves.

III. 1. Miles potest, imo tenetur persistere in statione, etsi moraliter certus sit se occidendum C. Lugo d. 10. s. 1. Item potest ad evertendam turrim hostilem aut perdendos hostes, pulverem incendere, etsi sciat se obruendum, uti et navem mergere vel incendere, ne hostis ea potiatur, cum gravi Reipub. damno, ut docent Less. l. 2. c. 9. n. 32. Fagund. t. 1. l. 5. c. 11. Similiter licet se obiicere telo vel ictui ad servandam vitam Principis, amici ad mortem iniuste damnati vices subire. Less. l. 2. c. 9. n. 30. vel in naufragio tabulam cedere, ex Tol. Less. l. c. Lopez p. 1. c. 95. Item servire peste infectis, vel ad fugiendum incendium ex alto se praecipitem dare, cum certo periculo mortis. Less. et Fill. l. c. Laym. c. 1. n. 3. C. Lugo disp. 10. s. 1. Ubi tamen eversionem illam turris et combustionem navis (si quidem nulla sit spes evadendi) timide et nonnisi ex gravissima, v. gr. boni publici causa, videtur concedere, v. n. 51. 52. etc. Malderus r. 3. c. 1. dub. 19. Dian. p. 5. tr. 4. r. 26. Fagund. p. 5. c. 11. n. 6. et seqq.

857. Iusta scilicet est causa, cur miles vitae periculo se exponat, quae causa est bonum commune. Quod vero non solum militi liceat, sed etiam ipse teneatur, id oritur ex pacto seu contractu nec ad rem praesentem hoc pertinet.

Quod spectat ad eversionem turris per explosionem, Lessius rationem addit, quod miles se proprie non interimit, sed occiditur ab impetu ignis, vel turris ruina. Exemplum habes Eleazari, qui occidit elephantem, quo oppressus et ipse est 1. Mach. VI. 43. Sed addenda ratio, quod tu mortem tuam non intendis; sed hanc potes permittere, si, cum necessarium sit hostes perdere, praeter intentionem temet perimis, seu vitam amittis.

Quod additur de navi, quae incendatur, s. Alphonsus n. 367. ad quaest. 2. diversa sentientes adducit, addens et s. Thomam 2. 2. q. 64. 5. pro opposita, cui deinde opponit Lugo etc. Verum nec s. Thomam puto contradicere nec forte scriptores reipsa inter se de hac re dissidere. Ratio est, quia multiplici ratione potest casus proponi et pro variis circumstantiis variam habet solutionem.

Verba s. Thomae, quae huc faciant, haec tantum sunt: « Non licet homini seipsum interficere... ut quaslibet miserias praesentis vitae evadat; quia ultimum malorum huius vitae et maxime terribile est mors. Et ideo inferre sibi mortem ad alias huius vitae miserias evadendas, est malum maius assumere ad minoris mali vitationem ». Atqui haec verba s. Thomae, ut mox patebit, nihil pertinent ad quaestionem, cuius affirmativam partem alii tuentur.

Nam quidam, uti Lessius l. c. n. 34., supponunt nautas occidendos iam esse ab hostibus haereticis et eos se mari committere, utut vix

ulla sit spes evadendi, ne navis in hostium potestatem cum communi detrimento veniat. Hic non est casus propositus a s. Thoma, qui supponit, mortem vitari posse.

Ergo 1° si ageretur solum de morte sic sibi ab aliquo inferenda, ne in servitutem redigatur a piratis, a barbaris, locum haberet sententia s. Thomae.

Item 2° si ageretur tantum de impedienda praeda piratarum seu barbarorum, ubi nulla ratio intercederet boni communis procurandi, seu damni communis avertendi; pariter non liceret: v. gr. si nunc navis vel mercatoris, vel publico commodo deserviens, sive privati hominis sit sive Principis aut reipublicae, in aliquos piratas incideret.

Item 3° si solum praeoccupare hostem velles et mortem obire, ne eam tibi hostes inferant et quasi ad vindictam sumendam de morte tibi inferenda, navem incenderes, non liceret. In hisce utique valet doctrina s. Thomae.

Ast 4° ubi intercedat causa boni publici vel damni publici avertendi, nihil officit ratio s. Thomae, qui intelligendus est non de removendis publicis damnis (secus illicitum esset bellum), sed de vitanda suimet aliqua calamitate.

Causa autem boni huius publici dupliciter excogitari potest, videlicet, 1ª quando res est cum hoste communi, praeda autem vel navis ipsius vel eorum, quae navi vehuntur, eiusmodi esset, quae vires hostis augeret ad grave totius reipublicae damnum; 2ª quando res esset vel de piratis haereticis (sic olim Calviniani naves catholicorum praedabantur) vel de piratis cuiusvis generis, ita tamen ut navis incensio utilitatem magnam rei communi afferre videretur: v. gr. utilitas magna est, ne piratae haeretici sive ratione acquisitae navis sive divitiarum molestiores evadant; sive ut piratae desperantes se quidpiam consecuturos alias naves non adoriantur, imo et suarum iacturam patiantur. Hic tamen casus difficilis videri poterit; quia rabies piratas impelleret sin minus spe praedae, saltem vindictae cupidine et odio atque ira ob sublatam praedam. Quod si bonum consequendum per navis incendium vel non adeo certum vel non ita certe magnum videatur, tunc ad liceitatem actionis postulatur, ut pariter vel non certum sit, vel saltem non ita certe grave discrimen vitae, in quod sese coniiciunt, sed requirunt Doctores, ut plus minusve probabilis sit spes evadendi sive per scaphas sive natando etc.

858. Quod aliquis se obiciat telis ad principem servandum est actus virtutis, nec nulla est controversia de hac re.

Quoad amicum vero dicitur « *iniuste damnatum* ». Rationem addit Lessius l. c. n. 30., quod secus idest si agatur de reo, hic alliceretur ad peccatum. Non satis valida haec ratio videtur; quia eiusmodi periculum

satis remotum videtur: non enim sperandum foret reo, hosce amicos ad manum praesto ita esse, ut ipsi poena non sit pertimescenda. Potior ratio est, id postulari ad ordinem iustitiae servandum, quem iudex infringere non potest.

Quoad tabulam cedendam amico in naufragio (casus autem similis recurrit, si agatur de pane cedendo alteri in extrema utriusque necessitate, vel cedendo equo, quando qui cedit equum, obit mortem quia fugere non potest, et alia huiusmodi) celebris est sententia s. Thomae, hunc esse perfectissimum actum virtutis.

S. Ligor. n. 366. inserit nonnulla huic paragrapho Busembaum sic: « Etiamsi tabula iam sit capta, ut contra Sotum docent Sylvius apud Tournely et Salmantic. ». Deinde paulo post subdit: « Recte autem advertit Sylvius, eum non posse ad tabulam cedendam se proiicere in mare; quia nemo potest positive se occidere. Hinc neque ad baptizandum puerum potest quis se in flumen proiicere, ut Tournely pag. 279. tom. II. contin. ».

Sed si ita est, nec poteris concedere tabulam; nam proiectio sui in mare est necessarium consequens concessae tabulae: non enim fit quaestio de eo, qui natare sciat; sic enim nulla esset difficultas et posset imo cessio tabulae ex caritate deberi. Quocirca et Sylvius monet doctores esse, qui affirment eum, qui peritia natandi caret, posse tabulam cedere; ita enim scribit in 2. 2. q. 26. art. 4.: « Si iam coepit ea (tabula) uti, non videtur posse eam relinquere, ita ut se ipsum in mare proiiciat, nisi propter peritiam natandi absit periculum mortis, ut iudicat Sotus l. 5. et Turrianus q. 32. huius partis, dub. 5. Talis enim sui ipsius praecipitatio videtur ad occisionem sui pertinere: etsi non desint, qui aliter sentiant » (quae postrema verba continuator Tournely pag. 279. omittit).

Ceterum ex communissima doctrina (vid. Fagundez de 5. *Praec.* lib. 5. cap. 12. n. 18. pag. 704.) licite potes, sed non teneris, cedere tabulam etiam apprehensam *ceteris paribus*. *Ceteris inquam paribus.* Quia si sit princeps aut persona publica, a qua bonum publicum pendet, veluti dux exercitus, tenetur illam non dimittere, si in eodem periculo sit. Item si qui apprehendit, filios habeat necessario alendos, non potest licite dimittere et tenetur non dimittere: teneretur tamen cedere principi, vel personae publicae, ut supra. Denique si sit in statu peccati, nec possit convenienter concipere contritionem quia peccato adhaeret, tabulam non potest cedere neque Regi etc.

De inserviendo infectis peste, nihil addendum est et est actus caritatis, qui aequiparatur martyrio.

859. De se praecipitando occasione incendii, ratio haec a Lessio affertur l. c. n. 33. quod non intendis mortem tuam, sed per fugam evadere dirum illud tormentum.

Quae ratio, inquit Lugo disp. 10. n. 50., difficilis videtur; nam sequeretur, te posse ex altissima turri praecipitem dare, si tyrannus id exigeret, secus diris te suppliciis afflicturus: non intenderes scilicet mortem, sed fugam ab illis diris tormentis.

At discrimen intercedit. Nam in casu hoc postremo praecipitatio non est fuga mortis, sed pretium seu permutatio ad emendam exemptionem a tormentis nec praecipitatio per se ordinata est ad emendam hanc immunitatem, sed solum ex intentione extrinseca illius, qui se proiicit: neque a tyranno exigitur, ut fugias mortem, sed ut moriaris, temet interficiendo; quocirca ex intentione imperantis directe ad suicidium tendit. At in primo casu praecipitatio nullo modo ordinatur ad tuam mortem, sed solum ad fugam dirae mortis praesentis ex incendio. Res confirmatur exemplo: etenim si quis minetur tibi mortem, nisi eum occidas, non licet tibi id praestare; licite tamen occidis, si dum te interficere aggreditur, praevenis eum ad tui defensionem utque impedias occisionem tuam. A pari dum quis minatur mortem, nisi te praecipites, praecipitatio nondum est fuga et defensio, sed directe et immediate a te eligitur occisio tui; eligis enim mortem, quatenus haec est utilis ad satisfaciendum petenti et sic eatenus utilis est, quatenus est occisio tui seu praecipitatio et laesio tua; ergo eam eligis, quatenus est mors et malum tuum. Contra si ille iam te v. gr. comburat, poteris te praecipitare, ut fugias illius manus et incendium; quia id non eligis ut satisfacias petenti nec quia est occisio tui, sed praecise quatenus est fuga ab illo malo, quod pateris et qua tenus est defensio, sub qua ratione non habet esse occisionem tui; quia eodem modo saltares per fenestram, si saltus non esset periculosus et per accidens est, quod subeas vitae periculum.

Est ergo discrimen inter utrumque casum et maxime sequi licet priorem sententiam, si spes aliqua affulgeat evadendi mortem, etsi crure confracto aut vulnere recepto.

Quod vero addit s. Alphonsus n. 367. ex Elbel, id permitti etiam detento in carcere, ut effugiat certam sententiam mortis vel etiam carcerem perpetuum, profecto postulat, ut multo maior sit spes evadendi mortem.

IV. 2. Etsi Virgini non liceat ad castitatem servandam directe se occidere, licet tamen ei certo periculo mortis se exponere, etiam pro sola integritate corporali, licet rationabiliter praesumeret, se non consensuram; quia integritas ista magni aestimatur. Vid. Laym. c. 1. n. 3.

860. Quaerit s. Alphonsus n. 368., an virgo praeterea teneatur permittere potius se occidi, quam violari. Dicimus *an teneatur*, non vero *an liceat;* licere enim, nemini dubium esse potest.

Ad illam itaque quaestionem duplex est sententia. S. Alphonsus

docet non validam esse rationem eorum, qui teneri dicunt, quia nempe secus cooperari virgo censeretur crimini, quod posset impedire; merito enim istud *non impedire* dici potest *permissio negativa*, non vero dicetur cooperatio, si invita patitur. Lugo quidem disp. 10. n. 197. exigit, ut saltem virgo motu corporis impediat seminationem; quia quies videtur esse cooperatio. Sed hoc est, quod quaeritur, an ob mortem evadendam, hoc pacto possit non impedire alterius seminationem. Si autem est tantum permissio negativa, non cooperatio, cur non poterit?

Hinc s. Alph. concludit probabilem satis esse aliam sententiam, non teneri permittere se occidi, si absit periculum consensus, cum permissive se habendo non peccet: iusta autem causa adsit permissionis, mortis sc. periculum non secus ac licet dare crumenam latroni, licet pecunia tua non sit. Addit vero s. Alph. in praxi tamen suadendam aliam sententiam, saltem ob periculum consensus. Cf. de hac re notata in tract. *de Actibus Hum.* n. 71. ubi pro sententia affirmante quod liceat virgini permittere, citra periculum consensus, violationem sui, pro vitanda morte, diximus allegari 50. doctores cum s. Antonino.

V. 3. Reo licet non fugere, imo etiam sponte se sistere iudici plectendum: licet positive seipsum perimere non possit, etiamsi a iudice id ei committatur. V. Less. c. 9. d. 6. C. Lug. d. 10. *de Iust.* s. 1. n. 38. contra Vasq. 1. 2. d. 173. c. 3.

861. Praemittenda quaestio: an reus, si a iudice iubeatur, licite possit se occidere.

S. Alphonsus n. 369. auctores tum affirmantes, tum negantes allegat: nescio tamen an merito citetur Bonacina. Hunc allegat inter affirmantes s. Alph. post Salmantic. *de Praec.* V. cap. 1. n. 118. Sed reipsa non debet his accenseri. Haec enim tantum habet *de Restit.* disp. 2. q. ult. sect. 1. punct. 5. n. 3.: « Potest aliquis publica auctoritate ad suam mortem cooperari iis actibus, qui non habent crudelem modum poenae, ut est sumptio veneni; haec enim cooperatio non videtur contraria iuri naturae, si fiat coacte, ut ait Arragonius, Sà et alii contra Lessium etc.

Rationes affirmantium, quas Ligorius omittit, sunt, quia (Lessius lib. 2. 19. nn. 25. 26.) 1° iudex potest committere exsecutionem cuilibet; ergo ipsi quoque reo. Cessat quaelibet opposita ratio, tum quia non occidit innocentem, neque propria auctoritate, neque absque ordine iuris. Quod si repugnat naturae inclinatio, id evincit utique, praecipi id a iudice non posse; at non evincit reum non posse sponte has partes assumere, maxime si permittatur illi mors facilis, alioqui subituro tormenta acerbiora. Addit Franc. Victoria: « si potest os operire ad venenum sumendum, cur non possit infundere? Quid refert,

num ipse aut alius infundat, ubi nulla amplius datur dilatio aut tergiversatio? Haec unica est differentia, quod haustus veneni per se minus habet horroris nec possit aut decore aut commode per alium inferri, sicut inferri potest supplicium gladii ». Ita isti. Cf. Filliuccium, qui hanc sententiam satis probabilem dicit tr. 29. n. 73.

Neque par est causa Principis, qui velit uti in se auctoritate sua, atque adeo ipsemet decernere et exsequi in se sententiam mortis, quam in alios ferre potest: cui questioni facile reponitur, neminem iure naturae partes iudicis in se agere posse. Sic illi.

862. Communis tamen doctrina hanc sententiam reiicit. Natura enim ab hoc abhorret et inhumanum quid ac crudele praefert, quod non modo iudex imperare non potest, sed neque ipse permittere, neque exsequi reus. Et si hac de causa ineptus carnifex esset filius respectu patris, profecto non potior est caritas debita patri, quam quae sibi debetur: ergo ineptus est respectu quoque sui. Ita Lessius l. c.

* Ratio intrinseca est, quam affert Lugo *de Iust. et Iur.* d. 10. n. 13. Etsi iudex praeciperet reo occisionem sui, adhuc homo disponeret de vita sua sine consensu domini, qui est Deus. Deus quippe solum dedit facultatem occidendi hominem causa defensionis vel punitionis: reus autem ex neutro titulo se occideret. Non enim causa defensionis, ut patet; sed neque causa punitionis; quia ipse nequit exercere iustitiam punitivam circa se ipsum, quia iustitia debet esse ad alium (a). Quocirca occisio ista, non obstante praecepto iudicis, maneret cum tota sua malitia, sicut antea; quia honestas, quae purgare potest actionem illam a malitia homicidii, tota est in honestate punitionis iustae, cuius honestatis incapax est reus respectu sui. Ita Lugo.

Utrum autem liceat reo abstinere a manducando pane sibi clam oblato, cum damnatus sit mori fame, vide Lugo l. c. disp. 10. n. 27.-31., qui affirmative respondet, quando haec sumptio non prodest nisi ad aliquam mortis dilationem ibid. n. 30.

Duo, quae adduntur, de morte minus acerba per se sumenda ad vitandam acerbiorem et de haustu veneni nihil concludunt. Non primum; quia sui directa occisio nunquam licet ad vitandas calamitates. Non alterum, quod ad sophisma plane pertinet. Nam ad exsecutionem sententiae certe nonnulla praestat et praestare debet reus v. gr. debet

(a) Sed nonne potest homo duplicem personam agere, punientis et puniti? Etiam iurisdictio per se est ad alium et tamen potest Papa se dispensare a voto: etiam oblatio sacrificii est ad alium et potuit tamen Christus sibi quoque sacrificium crucis offerre. Fateor, demonstrationem me non videre sententiae, quae dicitur communis neque essentiale in hac quaestione percipere discrimen inter haustum veneni et tormenti ex. gr. in seipsum explosionem: quamvis ab hoc magis sensus communis abhorreat, quia durius videtur. E.

ascendere scalam, collum porrigere, ut vel praecidatur vel fune alligetur etc. Si autem quaeratur, quousque actiones se protendant, quas reus per se praestare potest, profecto id definiendum est e ratione, qua communiter homines utuntur ea in re ad finem obtinendum et quas exigere durum non videatur. Ergo etiamsi dandum foret, v. gr. cum de haustu veneni agitur, e more humano esse potius, ut scyphum suis ipse manibus ori admoveat (nam actum deglutiendi necessario ipse ponere solus potest), nihil tamen evinceretur, reum esse ministrum mortis suae, sed eum qui porrigit et ad hauriendum cogit.

863. Licet autem reo non fugere aut etiam se iudici sistere; quia ob iustam causam licet desiderare atque etiam legitimo modo procurare mortem sicuti alteri, ita etiam sibi (Less. lib. 2. c. 9. l. c. n. 28.): alio modo: velle mori idem est in casu ac velle iustitiae ordinem.

Dubitatum ideo fuit, quod hic videtur causa suae mortis. At non dicitur causa mortis, qui mere non fugiens aut se non occultans aut sponte confitens peccatum suum, sit paratus pati, quidquid inde tandem iuste eveniat (n. 18.). Imo nec illicitum videtur petere a iudice, ut se digna mortis poena puniat. Cum enim iudex id possit imo debeat facere, idem erit, ac si petat, ut iudex actum honestum ac laudabilem iustitiae faciat.

Dices: reum sic esse causam moralem suae mortis (petendo nempe et consulendo) ac propterea moraliter se occidere.

Resp. Reus eatenus non potest concurrere ad suam mortem, quatenus non potest se punire, ut iam diximus ex Lugo n. 29.: at petere vel consulere non sunt actus iustitiae erga se nec actus punitionis, sed moraliter concurritur ad hoc, ut iudex pro suo munere exerceat actum iustitiae. Ita Lugo disp. 10. n. 38.

864. Heic addi quaestio potest, an liceat se sistere tyranno, a quo noverit quis se inique interficiendum.

Porro heic non agitur de casu, quo quis ob ordinis iustitiaeque amorem se promeritae morti exponat. Quocirca cessare videtur titulus, quo reus in pari causa excusatur.

Dicendum est itaque cum Lugo disp. 10. n. 39. seqq.: si agatur solum de se manifestando et sistendo, licite agi id posse, quando iusta adsit causa; quia haec causa efficit, ut non tenear impedire occisionem meam, quam tamen certo secuturam scio, si me non abscondero.

Et eodem modo non ideo impedior ex eo, quod quasi peccem ratione scandali, dum occasionem praebeo tyranno faciendi hoc peccatum. Nam ubi iusta adest causa, possum sane permittere alterius peccatum, quod totum provenit ex malitia illius, qui hac occasione abutitur. Id manifestum fit ex communi doctrina, quae docet licere petere mutuum ab

usurario, si causa vel necessaria vel utilis id exigat, licet sciam, usurarium illicite usuras exacturum esse.

Causa autem iusta esse potest, ut v. gr. liberes alios innocentes. Ita s. Theodotus (caupo) martyr, qui tyranno se prodidit, ut se reum fateretur ereptorum corporum ss. Martyrum, propter quod furtum alii coniecti in carcerem fuerant et vita periclitabantur. Causa itidem esse potest, ut animum addas v. gr. trepidantibus in fidei constanti confessione, ut evangelium praedices, ut scandalum cohibeas et alia eiusmodi. Exemplum est monachi, qui prosiliit in arenam amphitheatri, ut ludos gladiatorios vel pugnas cum bestiis impediret. Unde Honorius eiusmodi ludos sustulit.

Quando vero nulla necessitatis aut magnae utilitatis ratio adesset, certe teneor impedire alterius peccatum.

Imo (Lugo ibid.) fieri potest, ut etiam petere et consulere possim tyranno occisionem iniustam mei, ubi non hanc quidem intenderem, sed impedimentum maioris mali; nam simul ac alterutrum malum certe secuturum est, quorum aliud maius, aliud minus, possum suadere atque petere ac rogare, ut minus eligatur: neque enim in casu consilium et postulatio sunt quiddam absolutum, sed conditionatum, scilicet, ut si e duobus peccatis alterutrum faciendum est, tyrannus hoc potius minus perpetret me occidendo.

Quaestio addi potest de circulatoribus, qui confisi antidoto bibunt venena, morderi se patiuntur a viperis et serpentibus: item de funambulis etc. De quibus Fagundez cap. 12. n. 25. et s. Alph. n. 369. in fin. respondent illicitum esse, nisi experientia constet, antidoto veneni vim elidi ac in arte funambuli abesse periculum ob vim et dexteritatem.

VI. 4. Etsi Carthusianus in extrema aegritudine possit servare vitam vescendo carnibus, idque probabiliter ei tum liceat atque adeo non peccet, qui inscio praeberet cibos ex carnibus Sanch. Dian. p. 8. t. 7. r. 70.; licite tamen et laudabiliter etiam tum omittit, cum certo periculo mortis, ut contra Vasq. et Gran. docet Dian. p. 5. d. 4. r. 32. ex Vict. Lor. etc.; quia rationabiliter negligit vitam pro bono communi Ordinis. C. de Lugo d. 10 n. 35. contra Azor, et Escob. t. 6. c. 7. ubi docet, teneri carnibus vesci, si exigit necessitas, ita ut aliter vitam conservare non possit: quod Sanch. p. 2. cons. l. 5. c. 1. d. 35. cum aliis sex ita distinguit, si necessitas vescendi sit ab intrinseco, v. gr. morbo, ex quo, iudicio medicorum, convalescere non possit, nisi esu carnium, ait probabilius esse, eum non teneri vesci (tametsi licite possit); quia morietur naturaliter ex morbo, cuius ipse non est causa: si vero sit ab extrinseco, v. gr. si ob inopiam aliorum ciborum fame moriendum esset, teneri vesci, quia mors illa, cum sit violenta, ipsi imputaretur.

865. Lugo disp. 10. n. 35.: « Monachus carthusianus cum certo mortis periculo potest iuxta communem sententiam a carnibus abstinere ». Bonum Ordinis commune heic intelligitur conservatio disciplinae quoad rigorem abstinentiae. Si enim disciplina seu lex absti-

nentiae relaxatur, quando secus instat mortis periculum, periculum autem mortis sit magis minusve proximum pro variis morbis et generatim eiusmodi periculum proprium sit cuiusvis morbi gravis nec difficile sit excogitare causam, cur prosit usus carnium, et rursus cum necessitas, quae praesens adest in gravi morbo, facili negotio transferatur ad causas, e quibus gravis morbus potest incidere, ad quas impediendas pariter idem medium adhiberetur iuxta illud: *Principiis obsta;* hinc non inficiandum est, reipsa haud mediocre esse bonum Ordinis totius, quod in servanda abstinentia residet.

Alterum, quod heic animadvertam, illud est, quosdam scriptores, in hac controversia agitanda, falso existimasse, Carthusianos voto aliquo ad eiusmodi abstinentiam adstringi. Porro qui melius res Carthusianorum inspexerunt, norunt, nullum de hac re votum ipsis inesse, sed solummodo *statuta,* et quidem addendum est, *statuta* quaelibet Ordinis Carthusiani *per se* ad nullum peccatum obligare. *Per se*, inquam, idest vi ipsius legis; cum tamen ratione materiae vel ratione contemptus aut scandali aut accidiae etc., culpa aliqua vix abesse saepe in eiusmodi regularum violationibus soleat.

Cum ergo ob magnum bonum commune liceat permittere mortem sui (n. 855.); consequitur, licere Carthusiano abstinere ab esu carnium etiam cum mortis periculo.

Verum s. Alph. n. 370. distinguit cum Sanchez: « Si necessitas vescendi sit ab intrinseco, v. g. ex morbo, ex quo iudicio medicorum convalescere non possit nisi esu carnium, ait Sanchez, probabilius esse eum non teneri vesci (tametsi licite possit); quia morietur naturaliter ex morbo, cuius ipse non est causa: si vero sit ab extrinseco, v. g. si ob inopiam aliorum ciborum fame moriendum esset, teneri vesci; quia mors illa, cum sit violenta, ipsi imputaretur ». Quod certissimum esse ait s. Doctor (a).

VII. 5. Licet carnem vigiliis et inedia moderate affligere: qui autem advertens vitam iis notabiliter minui, nihilominus continuaret, peccaret graviter, ut notat Laym. l. 3. *de Iust.* t. 3. p. 3. c. 1. n. 15. ex Caiet. Etsi hic multi ob bonam fidem et zelum Deo placendi excusentur. V. Bon. d. 2. q. ult. s. 1. p. 7. n. 9. Fill. l. c. C. Lugo *de Iust.* d. 10. sect. 1. n. 32. 33. 36. etc. Ubi recte notat, aliud esse procurare abbreviationem vitae seu mortem positive sibi afferre: aliud permittere vel periculum eius subire, vel non adhibere media ad avertendam. Prius ait esse illicitum, v. gr. poenitentiis indiscretis

(a) Sed nonne et in hac hypothesi valet eadem ratio boni communis? atque estne evidens essentiale discrimen inter priorem et alterum casum? In priori dicitur monachus mori ex morbo, cuius non est causa: sed et in altero moritur ex defectu convenientis alimenti, cuius defectus ipse non est causa. Quid si ipse causa fuisset sibi contracti morbi? An non liceret ei (poenitentia peccati acta) regulam servare? Parum ergo conferre videtur huius causalitatis absentia. E.

carnisque macerationibus vitam notabiliter abbreviare, posterius vero saepe licere, ideoque non teneri carthusianum carnibus vesci, nec aliquem alium uti pretiosa et exquisita medicina, ad mortem vitandam nec secularem relicto domicilio quaerere salubriorem aerem extra patriam.

866. Difficultas in eo sita est, ut statuatur, quaenam sit *moderata* carnis afflictio. Sermo autem est, uti patet, de iis afflictionibus, quae aliqua ratione vigori, valetudini, sanitati obesse possunt, non autem de iis, quae et subtrahunt quidem corpori delicias, non vero vires aut valetudinem. Et quidem cum agitur de afflictionibus, quae obesse possunt, in duplici pariter specie esse queunt: vel enim dolorem tantummodo et incommoda debilitatemque afferunt sine periculo tamen mortis aut accersitae aut acceleratae, v. gr. cum quis non utitur medicina, quae non medetur quidem morbo sed dolorem lenit; vel vitam quoque abbreviant.

Statuenda itaque duo imprimis sunt: nempe 1° semper illicitum esse quidquid demum, saluti corporali obnoxium, directe fiat ex studio seu proposito voluntatis ad vitam abbreviandam. Ita communis apud Lugo dis. 10. n. 32. Et exinde contingit, ut hac intentione illicita fiant quae aliunde nemo illicita duceret, si sine hanc intentione fierent. Sic nemo illicitam dicit artem inaurandi metalla adhibito hydrargyro seu argento vivo; certum tamen est, artifices plurimum damni pati, adeo ut nemo eorum senescat. 2° Certum est ex adverso, obligationem, qua quisque tenetur conservandi vitam, non eo usque urgere, ut quaecumque idonea sunt aut censentur in hunc finem, ea quaerere et praestare debeamus; sufficit enim, ait heic s. Ligorius, uti mediis ordinariis. Neque iterum ab iis omnibus abstinere necesse est, quae et saluti obesse et vitam abbreviare possunt. Ita v. gr. si qua regio confert ad longam senectutem aut longiorem vitam, nemo teneri putatur ad eam regionem transire et rursus nemo censuit illicitam artem inaurandi methodo superius memorata.

Quaestio igitur esse potest tantummodo, quaenam sit mensura, qua quis vel abstinendo a vitae commodis, vel macerationibus voluntarie assumptis peccet seu contra obligationem positivam vitae suae conservandae, seu contra negativam non occidendi se, abbreviando vitam suam.

Et quidam palam est mensuram quampiam plus minusve latam desumi posse ex iis, quae in quotidiana hominum consuetudine sunt. Nam si constet, plura ab hominibus agi, quibus sane breviatur seu positive seu negative eorum vita, neque tamen ex communi hominum sensu haec reprehendi hac de causa; palam est, spectato communi sensu atque adeo adhibito sanae rationis criterio, haec vacare repre-

hensione. Exempli causa ex iudicio peritorum pluribus morbis depellendis, qui ad mortem properam aut saltem non remotissimam adducere solent, prodesset usus balneorum in certis quibusdam aquis: attamen vix e millibus, qui eo morbo laborant, unus vel alter utitur iis balneis, neque reliqui unquam putarunt, se peccare abstinendo, vel certe causas ad manum facile habent, quae eos excusant. Sic prospiceretur multis aegrotis, si peritissimi medici a longe arcesserentur, consultationes adhiberentur: quod tamen et a locupletibus ut plurimum negligitur sine peccati suspicione. Sic plures utuntur cibis delicatioribus, vel ita deserviunt gulae, ut ingluviei non paucos litent annos, quos temperantia ipsis servasset, et rei utique censebuntur adversus virtutem temperantiae, sed non suicidii. Lugo disp. 10. n. 32. Sic quidam ita se dedunt aut labori, quem litterae ac scientiae exigunt, aut militiae aut defatigationibus, quas aut officia aut artes exigunt cum somni et quietis defectu, ut inducant certissimum brevioris vitae periculum.

Cum ergo generatim recta ratio aut non graviter damnet abbreviationem aliquam vitae aut etiam a reprehensione liberam censeat, si causa quaepiam honesta et congrua ad id impellat; patet non nisi absurde damnari posse vigilias, abstinentias carnisque macerationes, quae ad virtutis seu consecutionem seu conservationem seu augmentum assumantur, etiamsi brevius exinde vitae spatium exspectandum sit. Ergo vane philosophantur, qui putant, illicitum esse, religiosum v. gr. Ordinem capessere adolescentem non firmissimae valetudinis, etiamsi hoc vitae genus brevius vitae tempus promittat Lugo disp. 10. n. 33.

867. Duo ergo genera affligendae carnis reprehenduntur certe. Primum est, quod ita hominem debilitet, ut muneri suo satisfacere non possit: ita si parochus non posset assistere infirmis aut docere catechesim etc., si religiosus non posset assistere choro aut docere aut concionari pro suo quisque munere, si laicus impotens fieret ad domesticos labores, si vir aut uxor impotem se efficerent reddendo coniugali debito aut laborando ad sustentandam prolem et domestica negotia expedienda. Alterum est, si *notabiliter* quaepiam causa, seu *non remote* mortem induceret: quod quidem quando accidit, etiam in aliis rebus homines solent pronunciare et clamare: *omitte, quia te occidis*, non ad quidem significandam malitiam v. gr. laboris, sed ad rem secuturam denotandum, v. gr. dum quis febri laborans adhuc labore gravi se exercet, iter facit: idque pendet ex statu hominis, proximitate causae ad mortem adducendam et brevitate temporis ipsius secuturae mortis.

VIII. 6. Excusantur aegri, qui paulo ante mortem, causa humilitatis vel boni exempli petunt humi collocari; quia non intendunt vitam abbreviare. V. Vasquez. l. c. Addit Laym. l. 3. t. 3. p. 3. cap. 1. n. 5. non teneri quemquam mediis extraordinariis et nimis duris, verbi gratia abscissione cruris etc. vitam conservare; nisi tamen ea communi bono sit necessaria: v. Less. l. c. Sanch. in opusc. t. 1. l. 5. c. 1. d. 34. Ubi dicit infirmum in periculo mortis, si sit spes salutis, non posse medicamina respuere: non videtur tamen virgo aegrotans (per se loquendo) teneri subire manus medici vel chirurgi, quando id ei gravissimum est et magis, quam mortem ipsam, horret. Escob. e. 7. c. 8. ex Turrian. *Sum.* p. 1. c. 263. d. 2.

868. Duo nota cum communi Theologg. 1° Teneretur pati dura remedia ille, qui est sub potestate, si ei id imperetur (a).

Nihilominus si ageretur de re admodum gravi e. g. de cruris amputatione, sunt qui putant, si acerbissimus esset dolor (b), non teneri subditum ad parendum, nisi forte esset persona maximae utilitatis ac fere necessaria. Hoc ipsum dicunt de eo, a quo pendeat commune bonum; nam etiam citra superioris obedientiam, teneretur magno cum sui dolore curationem admittere, dummodo sit spes felicis exitus.

2° Virgo aut mulier in casu permittere certe debet, ut ab alia honesta femina curetur, si praesto sit idonea.

IX. Resp. 2. Non licet se mutilare, nisi sit necessarium ad conservationem corporis totius; quia nemo est suorum membrorum absolute dominus. Less. l. 2. c. 9. l. 14.

869. Affirmatur, licere semet mutilare, quando necessarium sit ad conservationem totius corporis. Licet enim (Lugo disp. 10. n. 21.) homo non sit dominus, est tamen administrator sui ipsius, atque ideo, quando abscissio alicuius membri est necessaria ad conservationem vitae, potest illud abscindere; quia partes ordinari debent ad totum et consequenter postponi debent bono et conservationi totius.

Notandum tamen, in hac re posse materiam ita esse levem, ut non pertingat ad grave peccatum (Fagundez cap. 13. n. 4.), v. gr. si quis extraheret sine causa dentem, aut amputaret particulam digiti minimi aut frustulum auriculae.

Porro si quis leviter peccet, immunis censetur ab iis poenis canonicis, quae incurri possunt mutilationis causa. Nam unanimis est tum

---

(a) At teneturne ex obedientia, an ex debito naturali servandae vitae? Si primum, vagamur extra quaestionem: si alterum, quomodo probatur? Nimirum sententia communis est, hominem per se teneri, si non adeo grave sit incommodum; ut patet ex sequenti doctrina. Tenebitur ergo ille infirmus obedire: si incommodum non sit grave; sed tunc iam debito quoque naturali servandae vitae tenetur puto. E.

(b) Theologi de acerbissimis doloribus, quos gignit amputatio, loquuntur. Quid, si nullus sit dolor propter sopitos sensus? Nonne grave incommodum ducendi vitam cum corpore mutilato, tantumdem valet ad excusandum aegrum, ne abscissionem subeat, ac valent acerbissimi dolores brevi desituri? Id relinquo doctis definiendum. E.

Theologorum tum Canonistarum doctrina, poenam excommunicationis ipso facto incurrendae, quae in capite *Si quis suadente diabolo* intentatur percussoribus clericorum ac generatim personae Deo sacrae, nihilominus incurrere clericos aut religiosos, qui semet mutilent. Nam haec lex non fuit lata in favorem singularum personarum, adeo ut cedere quasi suo possint iuri, sed est in favorem ordinis clericalis, cui iniuriam facit sive religiosus sive clericus, qui sibi infert eiusmodi iniuriam. Porro si levis materia existimari possit, clericus id agens hanc excommunicationem non incurreret.

870. Quod alias iam advertimus de quibusdam sanctis viris, qui sibi mortem acciverunt, idipsum advocandum huc est quoad eos, qui se mutilaverint. Legimus in ecclesiasticis historiis (vid. Baron. ad ann. 45. n. 47.) Marcum anachoretam pollicem sibi praecidisse, ne in episcopum eligeretur; quod factum Baronius eo loci memorat, ut refellat fabellam, quae ferebatur, haec s. Marco Evangelistae tribuentem, ne scilicet a s. Petro Apostolo episcopus consecraretur. Huc etiam pertinet, quod narratur de quibusdam ss. Monialibus in Anglia (vid. Baron. ad an. 870. nn. 39.-40.), quae, duce s. Ebba Abbatissa, ad pudicitiam tutandam a paganorum furore, sumpta novacula nasus sibi amputarunt ac labrum superius usque ad dentes: quod cum barbari advenientes conspexissent, cum festinatione recesserunt atque incendio monasterium dederunt. Ad haec Baronius ibid. n. 41.: « Erit fortasse audaculus quispiam, qui sanctas Virgines christianae fortitudinis exemplum incomparabile inter martyres receptas et cultu martyrum ab Ecclesia celebratas, audeat sugillare, quod cum nemo sit dominus membrorum suorum, ipsae de illis adeo prodigae fuerint. Cui modo sat illud, diiudicari ab Ecclesia, quando quid divini fit impetu spiritus vel humana tantum audacia ». Sive vero existimemus a Deo fuisse inspirationem quae impulerit ad propositum audacissimum, sive suo arbitrio eas atque etiam Marcum in id consilium devenisse ex bona fide rectaque intentione, perinde nunc foret et concludi debet, haec non esse ad exemplum trahenda.

Unde resolves.

X. 1. Non licet se castrare ad conservandam castitatem vel sedandas tentationes; quia hoc ad eum finem non est necessarium. S. Th. 2. 2. q. 65. a. 1. Less. Mol. Fill. t. 29. c. 4. q. 3. etc.

871. Clara est ratio s. Thomae 2. 2. 65. ad 3.: « Membrum non est praescindendum propter corporalem salutem totius, nisi quando aliter toti subveniri non potest. Saluti autem spirituali semper potest aliter subveniri, quam per membri praecisionem; quia peccatum subiacet voluntati. Et ideo in nullo casu licet membrum praescindere propter quodcumque peccatum vitandum ». Adde, quod huiusmodi mutilatio

reipsa a tentationibus carnalibus non liberat; licet impotem hominem reddat ad generandum.

Hoc crimen iam inde a primis Ecclesiae temporibus disserte vetitum fuit tum in Canonibus vulgo Apostolorum, tum in Concilio Nicaeno, et adversus illud statuta est poena irregularitatis ipso facto incurrenda.

Advertendum tamen (vid. Christ. Lup. ad Can. 1. Conc. Nic.) Nicaenam legem statuisse solum de eviratione et quidem quam sibi quispiam sanus curaret: « *Si quis* autem (inquit Canon) a medicis propter languorem (sc. infirmitatem) desectus est aut a barbaris abscissus, hic in clero permaneat... Sic eos, quos aut barbari aut domini castraverunt, si inveniantur alias dignissimi, tales ad clerum suscipit regula ». Ergo ob aliam mutilationem non statim fiebat quispiam irregularis. Hinc cum olim Ammonius quidam sibi praescidisset auriculam, ne fieret Episcopus, respondit Synodus: *Haec esse Iudaeis solum observanda: Ecclesiae autem Christi membra corporis minime curae esse, sed ut sacerdos dumtaxat sit integris moribus.* Ita quidem antiquior disciplina. At Innocentius I. in litteris ad Felicem Nucerianum, Canonem Niceanum ad quamcumque sui ipsius mutilationem extendit, quae regula in ius ecclesiasticum adscita est, ut suo loco videbimus, ubi de Irregularitate.

Non tamen omittendum quod notat Molina tom. 4. tr. 3. disp. 9. n. 2. in fin., licitum esse membrum affligere ad tentationem aliquam melius vincendam, sanguinemque eruere vulnere inflicto, modo membrum non periclitetur laesioque rationabilis sit attentoque periculo expediens.

872. At alia quaestio heic proponitur, num liceat se mutilare ad vitam servandam, non quasi putridum membrum sit, sed alia de causa, ad vitandam scilicet mortem extrinsecus impendentem.

Nam 1° finge aliquem vel a tyranno vel a latronibus aut barbaris abductum et ferrea catena manu vinctum, destinatum autem ad necem, cuius tempus differtur vel in crastinum vel paulo post. Quaeritur an possit sibi manum praecidere, ut fugere possit: item si alligatus catena ferrea in eo sis, ut, nisi abscissa manu fugias, incendio pereas.

2° Finge tyrannum praecipientem, ut aut tibi manum obtrunces vel pedem, vel mortem certo subeas.

3° Finge hominem ad necem quaesitum iussu principis inimici obsessumque a satellitibus, qui fugere non possit et sciat, si abscissam manum proiiciat hostibus ad principem deferendam, huic satisfactum iri ac vitam sibi polliceri posse.

4° Finge casum, quem Flavius Ioseph narrat *de Bell. Iudaic.* lib. 2. cap. 21. n. 10. ex edit. Avercamp. (in veter. edit. cap. 27.), se misisse quendam, qui cuidam Clito manus amputaret. « Clitus autem... supplicabat, ut unam sibi manum reliquam faceret. Cumque hoc con-

cessisset Iosephus (seu ipse scriptor) ex lege, ut alteram sibimet Clitus praecideret, educto ille dextera gladio laevam sibi abscidit ».

Quamvis vero sint, qui illicita, sin minus haec omnia, at nonnulla, dicunt probabilius esse; tamen iuxta alios et, ut videtur, plane rectius, haec omnia licita censentur.

Ac primo quidem si de igne fugiendo agatur, cur amittere non poterit manum ille, cui facultas fit, ut se praecipitem det et periclitetur non modo brachiis et auribus, sed ipso capite et vita?

Hinc vero ad eum transeamus, qui mortem praestolatur a latronibus. Nemo negabit, posse eum sic fugere, si de feris sermo esset, a quibus esset dilaniandus; cur idem non poterit, cum agatur de latronibus aut de tyranno?

873. In hisce porro casibus mutilatio proprio marte eligitur ad gravius malum seu detrimentum totius evitandum. Atqui si eligitur licite, cur non licite rogasset Clitus, ut alteram manum servaret? Nonne ipse id eligit, ad maius malum vitandum?

Discrimen in eo est, quod in prioribus casibus ipse solus sim auctor illius consilii, ut maius malum devitem; in altero autem casu optio mihi ab altero detur. Atqui haec circumstantia plane est extrinseca quaestioni: in utroque enim casu in ea conditione versor, ut a graviori malo me liberare non possim, nisi minus malum sponte eligam, sive demum in angustias hasce me sors, sive alterius malitia coniecerit. At nunquid ius ideo amitto procurandae salutis meae per electionem mali minoris, quia necessitas haec potius quam a causa naturali proficiscitur a causa libera?

At, inquiunt, hoc est cooperari peccato tyranni: cum enim praecipiat id tibi alter illicite, non potes obedire, nisi cooperando atque adeo peccas. At hoc est sophisma. Non enim ut obediam tyranno, sed ut vitem malum maius, id eligo. Videlicet cooperatio non heic formalis est, quae ad voluntatem peccati concurrit, sed materialis, quae concurrit ad exsecutionem. Nemo autem ignorat, concursum materialem saepius excusari, quando nempe causa legitima adest, ad vitandum proprium periculum nec interim actio per se est ita intrinsece mala, ut suam malitiam exuere nunquam possit. Cooperatio itaque in casu tantundem est, quantum in eo, qui data sibi optione a latrone ut aut mortem subeat, aut afferat ei substantias (quas certe dilapidare non potest, maxime si suae non sint), dat crumenam, quae sane est actio cooperans furto.

XI. 2. Peccant parentes, qui filios etiam consentientes castrant, ut sint utiles cantui. V. Laym. l. 3. t. 3. c. 1.

874. S. Alph. n. 374. quaestionem data opera de hac re agit, referens oppositas sententias. Nec sua probabilitate destitui videtur sen-

tentia affirmans, id licere cum conditionibus a s. Doctore appositis. Ipse quidem sententiam negantem probabiliorem dicit: subdit tamen, quin improbet, sequentia.

« Secunda sententia, quam tenent Tamburinus, Trullench, Salonius, Pasqualigus et probabilem putant Mazzotta et Elbel (qui insinuandam censet ob praxim toleratam) affirmat licere, modo absit morale vitae periculum et non fiat invitis pueris. Ratio, quia eunuchi utiles sunt bono communi ad divinas laudes in ecclesiis suavius canendas; tum quia conservatio vocis non parvi momenti bonum quoad eos dicendum est, cum per illam in melius conditionem notabiliter mutent et per totam vitam nobilem et pinguem sustentationem sibi comparent, et ideo assecutio tanti boni iusta videtur esse causa, cur resarciri hoc bono nocumentum illud possit: eo vel magis, quod id in usum in dies deducitur et, ut ait Elbel, ab Ecclesia toleratur ».

* Sed probabilior certe est sententia negans id licere, quam probat Lugo disp. 10. n. 23. Nam si ob suavitatem cantus castratio liceret, licita dicenda esset ob plures alios fines et praesertim ob utilitatem spiritualem ad facilius motus carnis compescendos. Nec dicas aliis remediis hoc bonum obtineri posse; nam et lucrum, quod ex suavitate vocis speratur, aliis modis obtineri potest. Quocirca, si propter utilitatem spiritualem illud remedium non licet, neque pro alia inferioris ordinis utilitate licitum erit, nisi, addit Lugo, ad summum in extrema necessitate, quando ad vitandam mortem ob famem vel necessitatem imminentem, necessarium esset illud remedium; qui casus tamen, subdit idem, est moraliter impossibilis. Cf. Bened. XIV. *de Syn.* l. 11. c. 7. n. 3. *

XII. Quaeres, an sepeliendus sit in loco sacro, qui seipsum occidit.

Resp. Id vetant Ecclesiae Canones: qui tamen non sunt intelligendi de iis, qui ex furore, amentia vel passione gravissimae tristitiae turbata phantasia, id fecerunt; vel qui ante mortem vere de hoc doluerunt. Quod si constet, quempiam seipsum occidisse et dubitetur, utrum deliberate, an ex animo turbato factum, in praxi privatur sacra sepultura, cum praesumatur secundum opus externum voluntarie esse factum: nisi tamen ex circumstantiis contrarium colligatur. Si vero dubitetur, a seipso, an ab alio, verbi gratia, sit praecipitatus in aquam? delictum tum atrox et contra naturam non praesumitur sine evidentibus indiciis. Molin. t. 3. d. 20. Vid. Laym. l. c. n. 8. Vid. etiam Escob. exam. 7. q. 8. ubi dicit, eum, qui moritur ex vulnere in duello accepto, si vivus ex loco discessit, non esse privandum sepultura Ecclesiastica.

875. Ratio cur ad privationem sepulturae requiratur ut non ex furore etc., ea est (Fagund. cap. 11. n. 3.), quod pia mater Ecclesia non soleat hanc poenam infligere, nisi constet, eum sibi plane praesentem ac sui compotem esse, dum se occidit: in dubio autem, an pleno iudicio suicida utatur, inclinandum est in favorem. Addunt tamen, minori

apparatu hosce sepeliri consuevisse, v. gr. uno tantum vel altero sacerdote comitante.

Ex iure civili romano suicidae et qui hoc crimen tentant, etiamsi mors non sequatur, poena infamiae puniuntur.

Postrema Auctoris particula de occumbentibus ex duello, retineri modo non potest ob posteriora Ecclesiae decreta; de qua re infra.

Dub. II.

An liceat occidere malefactorem.

XIII. Resp. Extra causam necessariae defensionis, de quo infra, nulli id licet, nisi auctoritate publica et iuris ordine servato, ut patet Exod. XXII. et Rom. XIII.

876. Ratio cur requiratur publica auctoritas, sic a s. Thom. traditur 2. 2. q. 67. art. 3. « Occidere malefactorem licitum est, inquantum ordinatur ad salutem totius communitatis. Et ideo ad illum solum pertinet, cui committitur cura communitatis conservandae... Cura autem communis boni commissa est principibus habentibus publicam auctoritatem ».

Alia ratio est (iuxta Lugo est praecipua, disp. 10. n. 64.), quia multo maiora damna evenirent reipublicae, si quilibet posset esse iudex in sua causa et, parte non audita, absque ullo iuris ordine, proferre sententiam et illam exsequi. Ad hoc enim iudices eliguntur et constituuntur in republica, ut ipsi tanquam communes et publici homines sine affectu iudicare possint ea, quae a singulis privatis iudicari non expedit. Si autem quilibet in propria causa iudex esse posset, iam non esset communitas sub uno vel pluribus capitibus, sed tot essent supremi principes quot cives, quod repugnat politicae auctoritati.

Uno verbo ad eos punire spectat, ad quos et leges ferre, hoc autem est publicae auctoritatis.

* Huiusmodi occisio proprie fit ex auctoritate, quam a Deo accepit societas: quando defensio sui cum occisione aggressoris, nullam auctoritatem, sed ius solum supponit conservandae suae vitae.

Licere autem hac poena malefactores mulctare constat ex sensu omnium sapientum legislatorum ac civilium societatum, quae hanc poenam probarunt, ex sensu constanti Ecclesiae, idque supponit Apostolus Rom. XIII. 4. inquiens de romano principe: *non enim sine causa gladium portat:* ius autem gladii apud Romanos erat ius necis inferendae. Et sane ius, quod habet quilibet se defendendi per mortem aggressoris, habere debet et societas contra aggressores suos: tales porro sunt malefactores ii, qui certis criminibus ordinem et tranquillitatem societatis

in discrimen adducunt, quos cohibere et reprimere efficaciter, quantum in ipsa est, non potest societas, nisi intentata poena mortis. Et si licet societati iusto bello aggredi hostes eosque delere, cur non licebit internos hostes, qui frequenter peiores sunt, delere? *

Unde resolves.

XIV. 1. Non licet marito uxorem, aut patri filiam occidere in adulterio deprehensas; quia ad id non habent auctoritatem publicam et leges civiles id permittentes in iure Canonico sunt correctae, tamquam iniquae. * Hinc damnata est opinio contraria ab Alexan. VII. Propos. 19. *Secus est de proscriptis, quos occidendi cuivis auctoritas publica datur idque non iniuste, cum ad Reip. defensionem sit necessarium. Peccant tamen, qui non ex zelo iustitiae, sed odio aut privatae vindictae causa faciunt. Vid. Laym. l. c. cap. 2.

877. Hic sermo est de marito et de patre, qui filiam iam habeat nuptam.

Variae autem exstiterunt leges civiles, quae servatis quibusdam conditionibus vel marito vel patri hanc faciebant facultatem occidendi modo utrumque adulterum, modo alterutrum, quae quidem heic enumerare non vacat. Vid. Lugo, disp. 10. sect. 3. n. 84.

Prop. XIX. damn. ab Alex. VII. ita se habet: « Non peccat maritus occidendo propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam ».

Et iam exstabat ea de re decretum Nicolai I. relatum in Decreto Gratiani. Causa 33. quaest. 2. cap. 6. *Inter haec:* « Inter haec sanctitas vestra addere studuit, si cuius uxor adulterium perpetraverit, utrum marito illius liceat secundum mundanam legem eam interficere. Sed sancta Dei Ecclesia, mundanis nunquam constringitur legibus: gladium non habet, nisi spiritualem: non occidit sed vivificat ».

Ut autem dicit Lugo n. 90., communis est et vera theologorum omnium et aliorum (sc. iuristarum) fere omnium sententia.

Ratio est, ait idem n. 92., quia ista occisio manet intrinsece mala. Nam 1° etsi in aliquo casu necessitatis liceat, non observato iuris ordine nec causa examinata nec audito reo nec probata sententia, delinquentem aliquem occidere, quia aliter capi non potest ut puniatur et expedit reipublicae propter mala imminentia eum de medio tollere; id tamen extra talem necessitatem non licet, sed debet audiri reus et iudicialiter procedi.

Aliunde 2° etiam caritas obligat ad non puniendum reum cum certo aut fere certo mortis aeternae periculo, quando citra grave detrimentum potest ei dari tempus poenitendi et praeparandi se ad mortem.

Utraque autem haec obligatio violatur, si marito concedatur facultas exsequendi poenam contra adulteros; nam absque processu iudiciali

iudex et exsequutor constitueretur ipsemet infensissimus accusator, qui facile sibi clarum et notorium fingeret crimen absque fundamento ad talem poenam infligendam, cum tamen posset res iudicialiter examinari. Daretur etiam facultas occidendi in ipso actu peccati sine loco et tempore poenitentiae.

878. Rationes omnes, quae opponi solebant, egregie iam diluerat s. Thomas in 4. dist. 37. q. 2. art. 1. Petebantur enim a civili lege, quae in quibusdam codicibus permittere uxoricidium videbatur.

Ad haec s. Thom.: « Lex civilis quasi licitum computat, quod in ipso actu eam (maritus) interficiat, non quasi praecipiens sed quasi poenam homicidii non inferens propter maximum incitamentum, quod habet vir in tali facto ad occisionem uxoris. Sed Ecclesia non est adstricta legibus humanis, ut iudicet eum sine reatu poenae aeternae vel poenae ecclesiastico iudicio infligendae ex hoc quod est sine reatu poenae infligendae per iudicium seculare ».

Ad obiect. quod poena mortis statuta sit in tale crimen, respondet ad 1° « Poenam illam infligendam lex non commisit personis privatis, sed personis publicis, quae habent officium ad hoc deputatum; vir autem non est iudex uxoris et ideo non potest eam interficere, sed coram iudice accusare.

Ad obiect. quod lex civilis reum puniat et vir sit veluti minister, respondet ad 2.: « Lex civilis non commisit viro occisionem uxoris quasi praecipiens (quia sic non peccaret, sicut nec minister iudicis peccat latronem occidens condemnatum ad mortem), sed permisit, poenam non adhibens: unde etiam difficultates quasdam apposuit, quibus retraherentur viri ab uxoricidio ».

Et ratio tacta a s. Thoma cur lex civilis parcat dolori mariti vel patris, effecit ut et Ecclesia quasdam poenas non infligat. Sic in cap. *Si vero, de Sent. Excom.* « Nec ille compellendus est ad Sedem Apostolicam venire, qui in clericum cum uxore, matre, sorore vel filia propria turpiter inventum, manus iniecerit violentas »; videlicet hic est immunis ab excommunicatione Canonis.

Qua de re s. Thomas l. c. ad 3.: « Dicendum, quod ex hoc non probatur quod uxoricidium licitum sit simpliciter, sed quantum ad immunitatem ab aliqua poena; quia etiam excommunicatio quaedam poena est ». Et notum alioquin est excusari a poena alios reos utique, sed vel ex metu vel ignorantia agentes etc.

879. Quoad proscriptos seu bannitos monent Doctores, non nisi ex quadam gravissima causa licere proscriptiones eiusmodi et quidem gravissima causa desumenda videtur fere non ex gravitate culpae perpetratae, sed ex damno, quod timetur secus secuturum.

Ratio est 1° quia caritas exigit, ut locus detur poenitentiae reo; qui locus fere deest in hisce adiunctis, cum reus (uti solet) velit se defendere et occidatur inexspectato. 2° Quia est causa inimicitiarum; affines enim et consanguinei aequo animo ferunt, si publica auctoritas interficit, non similiter, si occidat privatus. 3° Fieri facile potest, ut occidatur ex odio, et sic intercedit alterius peccatum. 4° Interdum qui vult occidere, gravi se discrimini obiicit, ut docuit experientia. Reus enim ut evadat, solet alios, a quibus timet, occidere. Notat s. Alph. occisionem fieri non posse nisi in territorio praescribentis, vel, si in alieno, habita principis licentia.

Sed haec, puto, in desuetudinem abierunt.

XV. 2. Peccat Princeps vel Magistratus (regulariter loquendo ut v. infra *de Praecept. partic.* c. 3. d. 1.) qui occidi iubet reos non citatos vel non auditos vel non damnatos, etsi privata scientia constet esse nocentes; quia ex iure naturae actus publicus fieri debet ex scientia et auctoritate publica. V. Caiet. v. *homicidium*. Fill. tr. 29. c. 2. q. 6. n. 27. Bon. l. c. p. 1. n. 7.

880. Excipi potest cum Doctoribus, 1° si crimen sit notorium et 2° si esset periculum seditionis aut dedecus regis, si iuridice procederetur. Sed cf. dicenda in loco citato ab Auctore.

Tria subnectit Ligorius nn. 378. 379. Clerici non possunt licite damnare reos poena mortis, etiamsi habeant potestatem civilem: potest tamen Papa dispensare. Iure tamen humano id cautum est ex cap. *Sententiam* lib. 3. tit. 50. cap. 9. « Sententiam sanguinis nullus clericus dictet aut proferat; sed nec sanguinis vindictam exerceat aut ubi exercetur, intersit. Nec quisquam clericus litteras dictet aut scribat pro vindicta sanguinis destinandas: unde in Curiis principum haec sollicitudo non clericis, sed laicis committatur ».

Secundum. Iudex tenetur sub gravi concedere tempus sufficiens ad confessionem et etiam pro sumptione communionis (nisi tamen damnum grave timeatur) quam reus sumere potest non ieiunus. Praeceptum enim communionis in articulo mortis est *iuris divini*.

Tertium. Si reus abnuat confiteri, sibi imputet nec ideo differenda exsecutio.

Dub. III.

De occisione iniqui aggressoris.

XVI. Resp. Ius naturae permittit, ut vim vi repellas, et aggressorem, qui inique eripere tibi conatur vitam, aut quae ad eam honeste agendam tibi sunt necessaria, ut bona temporalia, honores, pudicitiam, membrorum integritatem, praevenias et occidas: ita tamen, ut id fiat animo te defendendi et cum moderamine tutelae inculpatae, hoc est, non inferendo maius damnum nec utendo maiore vi, quam necessarium est ad arcendam iniuriam. Ita comm. s. Th. q. 64. a. 7. Mol. etc. Less. dub. 8. n. 44.

881. S. Thom. 2. 2. q. 64. art. 7. « Nihil prohibet unius actus esse duos effectus, quorum alter solum sit in intentione, alius vero sit praeter intentionem. Morales autem actus recipiunt speciem secundum id, quod intenditur, non autem ab eo, quod est praeter intentionem, cum sit per accidens. Ex actu ergo alicuius se ipsum defendentis duplex effectus sequi potest: unus quidem conservatio propriae vitae, alius autem occisio invadentis. Actus ergo huiusmodi, ex hoc quod intenditur conservatio propriae vitae, non habet rationem illiciti; cum hoc sit cuilibet naturale, quod se conservet in esse quantum potest. Potest tamen aliquis actus ex bona intentione proveniens illicitus fieri, si non sit proportionatus fini. Et ideo si aliquis ad defendendam propriam vitam utatur maiori violentia, quam oportet, erit illicitum. Si vero moderate violentiam repellat, erit licita defensio. Nam secundum iura vim vi repellere licet cum moderamine inculpatae tutelae. Nec est necessarium ad salutem ut homo actum moderatae tutelae praetermittat ad evitandam occisionem alterius; quia plus tenetur homo vitae suae providere, quam vitae alienae ».

Accedit Catechismus Romanus, qui ad explic. 5. Praecepti enumerans caedes hoc praecepto non vetitas ait tandem n. 70.: « Qua etiam ratione, si quis salutis suae defendendae causa, omni adhibita cautione, alterum interemerit, hac lege non teneri satis apparet ».

Et Alexander III. in cap. *Si vero, de Sent. Excomm.:* « Si vero clericum vim sibi inferentem vi quis repellat vel laedat, non debet propter hoc ad Sedem Apostolicam transmitti, si in continenti vim vi repellat; cum vim vi repellere omnes leges omniaque iura permittant ».

Communissima est autem haec doctrina omnium theologorum et doctores oppositam sententiam merito traducunt ceu temerariam; repugnat enim non modo communi doctorum certae doctrinae, sed etiam evidentibus textibus iuris Canonici.

882. Unica aliter sententium (ex quibus auctor Instit. philos. pro Semin. Lugdun. cum aliis semiiansenianis) ratio est, quod qui occidit

invasorem iniustum ad tuendam vitam suam, excedat moderamen inculpatae tutelae, dum praefert vitam suam temporalem aeternae vitae proximi sui: quae quidem aeterna vita est maioris pretii et bonum ordinis altioris, quod posthaberi bono inferioris ordinis non debeat.

Scilicet rigidi isti homines ne intelligebant quidem, quid sit moderamen inculpatae tutelae, de quo cf. verba s. Thom. superius relata.

At resp. s. Ligor. cum comm. n. 380., tunc solum nos teneri ad praeferendum proximi bonum altioris ordinis inferiori bono vitae nostrae, quando huius omissio sit absolute necessaria ad spiritualem proximi salutem, seu quando proximus hac de causa reperitur in necessitate absolute extrema. Atqui non est in hac necessitate ille, qui libera sua voluntate se in discrimen salutis suae coniicit; sibi enim soli imputare debet, si a pravo conatu non desistat, et sic semet sponte perdat.

883. * Oportet autem nosse quo spectet defensio seu ius defensionis. Defensio non ordinatur ad reparandam laesionem sed ad eam impediendam. « Defensio, ait Lugo disp. 10. n. 160. non est, proprie loquendo, adversus eum, qui te laedit; haec enim, prout sic, erit vindicta: sed adversus eum, qui te laedere vult ». Quocirca cum quis iam paratus est te aggredi, si aliter vitare mortem non potes, ius est tibi adoriendae defensionis.

Quaerunt DD. an liceat se defendenti intendere mortem aggressoris, quando ea necessaria existimetur ad se tuendum. Negare videtur s. Thomas 2. 2. q. 64. a. 7., qui discrimen statuit inter eum, qui alium occidit ob sui defensionem et eum, qui occidit alium publica auctoritate, qualis est miles in bello iusto, minister iudicis et ipse iudex. Isti enim intendere possunt, propter publicum bonum, mortem hominis et sane non apparet quomodo, absque hac intentione, possit iudex ferre sententiam mortis et minister eam exsequi. At qui se defendit, satis est, iuxta s. Thomam, quod intendat defensionem suam seu conservationem vitae suae, pro quo fine obtinendo utitur armis, quibus repellit seu removet adversarium, donec cesset ab aggressione: quod si mors huius sequatur, id erit per accidens, nempe praeter intentionem.

Quod ita res agi possit, si praesertim quis se ab inimico eum actu invadente defendat et valeat se defendere, quin adversarium graviter laedat, facile admittimus: sed quaestio est quid liceat. In primis necesse haud est se defendenti praestolari, ut inimicus in eum irruat vel feriat; nam ius defensionis, est ius impediendae laesionis. Quid ergo si videam inimicum parere et instruere sclopetum, ictum eius in me directurus? nonne, si ad manum habeam simile instrumentum, licet mihi praevenire ictum, exploso in adversarium sclopeto? Quid autem

tunc intendo? utique defensionem meam, sed est intentio finis efficax, intendens scilicet et medium; idcirco enim explodo sclopetum; hoc autem medium etsi dicas esse solum vulnerationem gravem inimici ne amplius nocere possit, iam habes intendi posse malum proximi illudque grave ob sui defensionem. Ac si id intendi potest, cur non poterit et intendi mors, si ea necessaria existimetur ad sui defensionem? Nam certum est licere non solum vulnerare sed et occidere propter sui defensionem, licere scilicet homini privato ob sui defensionem quod licet auctoritati publicae propter commune bonum, in defensionem societatis et punitionem scelerum. Cur in necessitate positus non possum, ut medium, illud intendere, quod in ea necessitate mihi licet?

Quapropter Lugo disp. 10., relata sententia s. Thomae, non dubitat subiicere n. 149.: « Contraria sententia communis et vera est ». Probatur: quia id totum intendere possumus, quod necessarium est ad finem h. e. ad vitae nostrae defensionem: sed aliquando ad hunc finem percussio sola non sufficit, sed necessaria est mors adversarii, qui propter animum obstinatum non desistit a te invadendo, nisi moriatur... Mors aggressoris non est solum connexa cum alio medio, quod intenditur, sed ipsa per se et ut mors est utilis et necessaria iudicatur ad tuam defensionem: haec ergo mors intenditur. Sicut qui abscindit manum putridam propter sanitatem, intendit ipsam abscissionem manus: neque in hoc potest esse controversia de re, sed de nomine ».

Atque opposita doctrina, ut monet Molina *de Iust. et Iur.* tr. 3. disp. 11. ad aliud non conduceret, quam ad moralem doctrinam turbandam, ad erroneas conscientias in materia satis lubrica gignendas letalisque peccati scrupulos minime necessarios illis iniiciendos, qui iuste ac licite se defendunt. *

Unde resolves.

XVII. 1. Non licet reo occidere ministros iustitiae, a quibus ad carcerem vel supplicium trahitur: uti nec licet id proscripto, ut notat ex communi Laym. l. 3. t. 3. p. 2.; quia non sunt iniqui aggressores.

884. Quidam scripserunt, licere proscripto seu bannito se defendere et aggressorem occidere, quia, inquiunt, utitur iure naturali defensionis.

At ipsa ratio plane falsa est. Nam omnibus fatentibus non licet ad se defendendum occidere satellites et carnificem, ut quispiam mortem evadat; quia non licet id agere adversus publicam auctoritatem. Atqui in casu omnes personam gerunt publicae auctoritatis: quia omnibus publica auctoritas fecit hanc potestatem. Ceterum in confesso est apud omnes eo ipso quod auctoritas publica privat iure vitae, privare quoque iure defendendi vitam contra eos, qui ex publica agunt auctoritate.

Secus denique dicendum foret, posse intercedere bellum utrinque iustum inter latrones et publicam auctoritatem: utrinque enim iure vis adhiberetur, quod est plane absurdum.

XVIII. 2. Etsi ob contumeliam aliquam, verbi gratia, si viro honorato dicatur *mentiris*, non liceat alterum occidere, eo quod aliter repelli possit ac soleat (Less. Azor, Hurt. etc. Dian. p. 5. t. 4. r. 12. et 13.): licere tamen, si aggressor fustem vel alapam viro valde honorato impingere conaretur, quam aliter avertere non posset, docent cum Dian. l. c. r. 4. Lessius, Hurt. et alii 12. Verum et hoc videtur in praxi periculosum *et recenter damnatum ab Innoc. XI. per propos. 30.*

885. Prop. 30. damnata ab Innoc. XI. haec est: « Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter haec ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat et post impactam alapam vel fustis ictum fugiat ».

Cum haec ita se habeant, patet non ad rem afferri heic propositionem istam. Nam doctrina Auctoris est de conante impingere alapam et propositio loquitur de alapa impacta et aggressore fugiente. In priore casu fieret ad sui defensionem, in altero ad vindictam. S. Alphonsus n. 381. solum dicit, *in praxi rarissime uti licere praedicta opinione;* etsi levia sint, quae habet citatus Sylvius, videlicet: licet honor sit bonum praestantius, quam divitiae sint; nullum tamen aut rarissimum fore casum, quo liceat pro honore interficere aggressorem.

At interrogare libet Sylvium, num per haec contendat, virum honoratum pati potius debere, ut alius alapam ei impingat vel fuste eum percutiat pro lubito, quam se defendat, an velit defensioni locum tribuere? Quod si defensio licita sit, quinam erunt eius limites?

Melius ergo alii rem sic proponunt (vid. Croix, n. 803. *de Homicidio* lib. 3. part. 1.): « Si quis ignominiosam percussionem minetur et intentet viro, qui sine gravi nota aliter declinare non potest (v. gr. militiae dux), potest hic opponere gladium, et certe alius desistet ab incepto: quod si et hic gladium seu arma promat, tunc ille vir si ob defensionem sui armis pugnare cogatur, non honorem modo sed et vitam defendit ».

XIX. 3. Si fuste vel solo vulnere vel amputatione brachii vel aliter arcere iniustam vim potes, non licet occidere. Unde si quis sit persona talis, cui non sit dedecus fugere, debet fugere potius, si potest et salvare se: secus autem, si turpe sit fugere: verbi gratia, viro nobili, vel officiali bellico; nisi rursus hic et nunc id tali turpe non esset, ob praestantiam invasoris vel alias eius qualitates, v. gr. quia ebrius est vel amens; talem enim occidere non licet, quando potes fugere. Mald. Dian. p. 5. tr. 4. r. 9. V. Laym. l. 3. tr. 3. p. 3. cap. 3. *

886. * Doctores communiter dicunt, ait Lugo disp. 10. n. 166., quando invasus non potest sine detrimento magno fugere, vel quia

dum fugit, facilius ab invasore offendetur aut occidetur, quam si ei resistat, vel quia ex fuga incurret dedecus magnum et ignominiam hominis ignavi et timidi, posse persistere, etiamsi necesse sit invasorem occidere ad sui defensionem.

Quia ille solum excedit moderamen defensionis iustae, qui, cum aliter commode possit vitare illud periculum, occidit vel percutit aggressorem: in iis autem casibus non potuisti evadere sine maximo tuo detrimento: sicut nec teneris, ut iniustum aggressorem fugias, exulare, cum iactura tuarum fortunarum. *

Fuerunt, qui negarent, teneri fugere etiam viles et plebeios, sed inepte; cum nulla aut fere nulla sit iactura honoris. Et merito eadem fugiendi obligatio, si fieri potest, clericos et religiosos tenet; quia ipsis, qui mansuetudine nitere debent, fugere non est ignominiosum. Dixi, si possunt; nam si sit periculum percussionis in fugiendo, ut notat s. Alph. n. 381., ad fugiendum non teneris.

XX. 4. Non licet occidere furem ob res exiguas. *Hinc proscripta est opinio dicens posse occidi furem pro conservatione unius aurei, ab Innoc. XI. prop. 31. *Licet autem, si quis auferat honorem valde notabilem aut bona magni momenti, nisi tamen alia via, verbi gratia, iuris vel aliter arceri aut recuperari possint. Quare, quando iura significant furem nocturnum occidi impune non autem diurnum, praesupponunt, quod plerumque nocturni non possint aliter arceri, diurni autem possint. Alioqui enim, si nocturnus potest capi, non debet occidi et si diurnus non potest capi, nec repeti ab eo, quod aufert, nisi occidendo, id licet. Ea tamen non debent esse parvi momenti et minimum unius aurei secundum Molin. t. 4. t. 3. d. 16. n. 7. vid. Laym. c. 3. (*damnat hoc Innocent. XI. per propos. 31.*) vel potius, secundum alios apud Dian. p. 5. t. 4. r. 18., duorum: quanquam et hoc Dian. l. c. nimis laxum videatur: imo Bon. *de Restit.* rem non magni valoris hic censet, etsi sit trium vel quatuor aureorum. Si tamen talem rem fur verbi gratia usurpet, vidente ac resistente domino aut custode aut huic vim faciat, verbi gratia, repetentem incipiat ferro invadere, permittunt caedem Bonac. Dian. l. c., uti etiam si dubium sit, an res possit aliter salvari aut recuperari Bon. loc. cit.; quia nemo, inquit, tenetur se exponere periculo amittendi res suas. V. Laym. c. 1. Navar. Less. Dian. loc. cit.

887. Licere sua bona tueri occisione furis, patet ex Ex. XXII. 2. ex. c. *Dilecto*, *de Sent. excomm. in* 6. ex s. Thom. 2. 2. q. 64. a. 7. *sed contra*, ex communi consensu theologg.

Notanda heic propositio 31. damn. ab Innoc. XI.: « *Regulariter* occidere possum furem pro conservatione unius aurei ».

Inter omnes convenit non parvi momenti rem esse debere, pro qua tuenda alter occidatur. At dissensio est in statuendo, quid intelligi heic pro re non parvi momenti debeat.

Nonnulla autem necessario advertenda sunt. Nam primo quidem non absolute, sed relative interdum res est dimetienda, quia pro vario statu atque conditione possidentis res varium sortitur momentum. Sic summa trium scutatorum pro nihilo habebitur apud ditissimos, cum tamen non solum magni, sed summi sit pretii apud pauperes.

Secundo, non debet tamen semper relative res spectari. Nam ubi de furto sermo est, doctores omnes, velint, nolint, statuere debent quandam mensuram, quae gravis censeatur respectu omnium, etiamsi haec summa minus damnum afferat diviti, si auferatur, quam afferat pauperiori iactura trium argenteorum iuliorum.

Hinc Ligorius n. 383. putat sententiam Roncaglia, summam 40. ducatorum seu 32. scutatorum gravem esse respectu cuiuslibet, ut merito ad ipsam servandam fur occidatur.

Tertio recte advertit Lugo disp. 10. sect. 9. n. 178. monetam suum pro variis temporibus pretium mutare; unde fit, ut difficile sit mensuram gravis damni desumere ex moneta. Quo abundantior est moneta, minus habet pretii et viceversa maius, ubi et quando est rarior. Non ergo rigoris damnandus est, qui olim videatur statuisse summam, quae modo videatur exigua, quia non exigua erat tempore scriptoris. Scimus dolium vini, cum caritas esset huius mercis aetate s. Ignatii, veniisse novem scutatis (ex Diario P. Gonzalez).

888. Praeterea ex praedictis advertendum, inanes esse regulas quas quidem tradunt, sive quia obscurae sunt, sive quia facile inveniuntur falsae.

Sic v. gr. Elbel et Nat. Alex. (apud Ligor. n. 383. l. c.) magnam summam dicunt, qua ablata deficeret alicui sustentatio pro se et suis. — At 1° est obscurum, num agant de modo ordinario procurandi sibi sustentationem, adeo ut in miserrimum statum coniiciatur familia, an de substantia agatur, qua sublata deest omnino victus hodiernus, vel trium dierum etc. 2° Si homini praediviti ac nobili auferas duos equos, quorum pretium sint mille scutata, non deest certe ipsi sustentatio; ergone non erit res magni momenti?

Aliam regulam videas apud eundem Ligorium ibid., sufficere iacturam illam (ad licite occidendum furem), quae notabile damnum domino affert, spectata qualitate personae. At haec regula pariter obscura est, nisi statuas, quandam esse mensuram, quae cuilibet notabile damnum censetur afferre; secus impune quis v. gr. posset abducere duos boves ex armentis illius divitis, qui mille boves habet.

Ergo, ut res perstringatur, dicemus fieri posse, ut et valor unius aurei possit sic defendi, quando agitur de paupere, qui eo pretio solveret quartam vel tertiam partem locationis domus, quam impos solvendo secus esset, aut vestem ad arcendum frigus pro hyeme emeret.

Ed advertendum in prop. damnata dici *regulariter* (vid. Viva ad propp. 17. et 18. Alex. VII. n. 10.): quasi scilicet quotiescumque hoc damnum impendeat, liceat invasorem occidere. Quae quidem propositio tributa a quibusdam fuit Ludovico Molina, sed per calumniam; quia

non modo penes Molina abest vox *regulariter*, sed alia omnino quaestio instituitur, de qua inferius ad secundam partem Resolutionis (n. seq.).

Ceterum cum alii exactius nihil definiant, nos quoque generalioribus limitibus contenti simus: et cum non sit eiusmodi materia, quae facile ad usum deducatur, non erit necesse plura addere.

Quae huc usque dicta sunt, mere spectant ad primam partem Resolutionis et ad ius conservandi res suas, quod fieri non possit, nisi occidendo furem, quando videlicet invasio mere rem afficit: v. gr. fugit fur secum portans rem tuam et amissurus eam es, nisi sclopeto occidas: vel si non fugit, at ab eo praesente rem ablatam repetis, nec potes obtinere nisi occidendo, quippe se armis ille defendit et in casu Doctores requirunt, ut prius fur moneatur desistere, secus occidendus.

889. Ast alia est quaestio, quam auctor tangit in fine Resolutionis, videlicet, quando seu dominus seu custos rei resistendo rem suam tuetur: videlicet cum vis infertur domino aut custodi ad rem auferendam.

Hanc quaestionem videtur proponere s. Ligorius n. 383. hisce verbis utens: « An liceat occidere furem auferentem rem modici valoris cum resistentia domini aut custodis illius ». Et allata sententia Molina, qui ad tuendum valorem unius aurei vel minoris adhuc valoris, affirmat licere, tum aliorum, inter quos Tamburinus dicit se id non reprobare, tum Roncaglia et Viva, qui apponunt conditionem, quod is, cui vis infertur, sit nobilis, dicit s. Doctor se adhaerere multo magis sententiae contrariae; quia (inquit) mihi videtur per illam ablationem violentem non proprie et graviter laedi honorem. Molina igitur de uno aureo loquitur in praesenti quaestione, non generatim, ut Auctor male insinuat. Imo, quatuor aut quinque aureos generatim non putavit summam notabilem.

At forte Doctores plures quaestiones seu casus confuderunt. Neque Molina neque heic Busembaum sermonem iniiciunt de iniuria et contumelia, qua laedatur honor, etsi id alii deinde meminerunt, uti Roncaglia, Viva et aliquo modo Tamburini lib. 6. cap. 1. §. 2. n. 3. loquens de villico occidente volentem auferre paucas uvas, quem damnat.

Utique si res sit parvi valoris et v. gr. haec fiat iniuria domino, quod ipso frustra clamante et minante fur eam auferat, non licebit occidere ratione illius contemptus et in hoc cum s. Alph. stabimus. Item v. gr. si fur vi abstulerit strophium, baculum, umbellam, non licebit viro nobili occidere statim illum, ut recuperet et simul ulciscatur iniuriam factam vel quae actu fit nobilitati eius.

890. At ex Auctoris sententia quaestio est, si vis fiat domino aut custodi, an hic teneatur rem dimittere furi, an resistere liceat eo usque, ut tandem ipsum occidat. V. gr. petit fur rem non magni momenti, vel vult ingredi vineam ad accipiendas uvas aut ficus aut panes, caseos e domo etc. duas gallinas e gallinario. Profecto dominus aut custos non potest licite statim petentem aut ingredientem occidere.

At potest licite negare se daturum, aut obsistere ne ingrediatur vineam aut domum. Finge nunc furem iniicere manus in dominum; tenebitur ne dare rem, aut ingressum permittere? Nequaquam, sed licite potest illi velut *iniusto* aggressori resistere ac vim vi repellere.

Moderamen porro inculpatae tutelae exiget, ut non maiorem vim adhibeas, quam sufficiat ad repellendum et si satis est impellere aut pugnis contundere, non adhibebis baculum, aut si sufficit baculus non uteris cultro aut sclopeto aut falce. At si aggressor promat arma, profecto non teneris dare rem, sed armis potes te tueri et si opus est eum occidere. At, uti patet, heic neque agitur de sola re per vim ablata, veluti si quis accurrens auferat tibi horologium aut umbellam aut pileum e capite aut pallium ex humeris: neque agitur de contumelia, quae oritur ex contemptu tuo, qui reclamas; ast agitur de vi illata personae, adeo ut res sit sola occasio. Quisque porro ius habet tuendi res suas utcumque leves et si aggressio succedit personae, tota culpa recidit in iniustum aggressorem: utcumque enim causa levis videatur, aggressio semper *iniusta* est.

Ubi autem aggressio est iniusta, licet vim repellere, servato moderamine inculpatae tutelae.

Alia ratio huc facit, quam affert Laymann lib. 3. tr. 3. part. 3. cap. 3. n. 4., publici scilicet boni. Nam alioquin scelerum impunitas improbos ad peccandum audentiores redderet.

891. * Nota: ait Auctor significare iura, furem nocturnum occidi impune, non autem diurnum. Ita Caius l. 4. 1. dig. *ad legem Aquiliam*... Lex duodecim tabularum furem noctu deprehensum occidere permittit, ut tamen id ipsum cum clamore testificetur: interdiu autem deprehensum ita permittit occidere, si is se telo defendat ut tamen aeque cum clamore testificetur ». Ulpianus autem l. 9. dig. *ad legem Corneliam de sicariis*, ait: « Furem nocturnum si quis occiderit, ita demum impune feret, si parcere ei sine periculo suo non potuit ». Pariter Exod. XXII. 2. 3. *Si effringens fur domum sive suffodiens fuerit inventus et accepto vulnere mortuus fuerit: percussor non erit reus sanguinis. Quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit et ipse morietur.* In quae habet haec Augustinus relatus in c. 3. *de Ho-*

micidio voluntario etc.: « Intelligitur ergo non pertinere ad eum (percussorem) homicidium, si fur nocturnus occidatur: si autem diurnus fuerit, ad homicidium pertinere... quia poterat discernere, quod ad furandum, non ad occidendum venisset et ideo non debet occidi (dummodo rem suam dominus tueri possit citra occisionem, ut ex consensu DD. dictum est). Hoc etiam in antiquis legibus secularibus invenitur ».

Per se, ut advertit Laymann lib. 3. tr. 3. p. 3. c. 3. n. 4., discrimen non est inter furem nocturnum et diurnum, et si dominus poterat rem suam tueri absque occisione furis nocturni, etiam lex civilis ut audivimus ab Ulpiano, negabat eum impune occidi. Per accidens vero « hoc interest inter nocturnum furem et diurnum, quod diurnus, si inermis sit, plerumque citra vulnerationem capi aliave ratione res ab eo recuperari potest: in fure autem nocturno ferme discerni nequit, occidendine animo an solum rapiendi accesserit; tunc vero periculi declinandi causa, nisi clamore homines acciri possint, impune occiditur ». *

XXI. 5. Probabilius est, haec etiam licere Clericis et Religiosis, ob bona temporalia. Iura vero in contrarium afferri solita intellige, quando non servatur moderamen inculpatae defensionis. Laym. l. c. Tan. t. 3. d. 4. q. 8. d. 4. Escob. e. 7. c. 8. ubi etiam docet ex Tan. t. 3. d. 4. n. 58. licere virgini occidere invasorem pudicitiae, si violationem nequeat aliter evadere.

892. Clerici occidentis iniustum aggressorem, ex probabiliori et communiori sententia non incurrunt irregularitatem.

Quoad invasorem pudicitiae Lugo (quem cum aliis sequitur s. Ligor. n. 386.) censet disp. 10. sect. 10. n. 196. vi uti licere puellae non modo dum actu v. gr. tangitur, sed etiam post factum immediate posse aggressorem percutere alapis, fuste et aliis ictibus non periculosis.

« Existimo, ait, non esse scrupulose agendum in hac materia, praesertim quando femina vel iuvenis sollicitatur et contrectatur vel osculum accipit ab aliquo lascivo; sed posse et aliquando expedire, non solis verbis asperioribus, sed manibus puritatem animi et constantiam graviter ostendere ». Rationes hasce Lugo affert: 1° Licet certe impurum hominem tunc verbis durioribus et convitiis obiurgare; ergo licet et manu percutere, cum levior imo videatur percussio facta manibus a femina aut a puero, quam facta verbis.

2° Quia habet rationem defensionis; qui enim sine rubore ausus est tangere, nisi acriter et dure repellatur, non facile discedet.

3° Quia saltem periculum remanet, ne alia vice iterum redeat; quod periculum sufficit, ut adversus eum possit tunc defensione illa uti.

4° Quia caritas in proximum etiam non subditum concedit et exigit interdum, ut qui indiget correptione, eam obtineat etc. Lugo addit exempla s. Edmundi Episcopi, et s. Thomae. Quorum prior feminae nudatum dorsum verberibus bene condivit, alter vero feminam titione fugavit.

Heic addendum, etiam mutilationem, occisionem et percussionem ad tuendam pudicitiam, non inducere aut irregularitatem aut poenam excommunicationis; etsi invasor sit clericus.

XXII. 6. Cum tamen iniquus aggressor sit in periculo salutis, potest quis ex caritate ei parcere et iniuriam potius pati: sed non tenetur, eo quod alter sua malitia sit in isto periculo. Laym. ibid.

893. Excipi debet, si qui patitur aggressionem, et ipse esset in statu peccati nec facile sibi videretur tunc posse rite conteri; tunc enim caritas erga se praevalere debet. Excipe etiam, si qui aggressionem patitur, esset persona publica, item si esset persona necessaria, familiae v. gr. alendae, nisi tamen ageretur de magno bono consequendo, v. gr. martyrio.

* Addit Lugo disp. 11. n. 143. quod si invasor iniuste quidem materialiter invadat, sed tamen absque libertate, ut si ebrius vel phreneticus te invadat et aliunde constet eum esse in statu peccati, a quo post phrenesim vel ebrietatem poterit resurgere, e contrario moraliter credas te esse in statu gratiae, non videtur posse licite a te occidi; quia tunc ille est in extrema necessitate spirituali, cui subveniri nequit, nisi tu vitam exponas pro eius remedio. Cf. *de Caritate* nn. 47. seqq.

Subdit idem, casum hunc rarissimum esse, quod nempe constet illum esse in statu peccati, ob quod sit damnandus. Praeterea his in casibus solent homines agere ex instinctu nec tempus suppetit, irruente furioso, eas reflexiones maturandi. *

XXIII. 7. Non licet occidere, si iniuria iam est contracta, vel aggressor iam fugit; quia id non esset se defendere, sed vindicare, ut docent Tol. Rodr. Sed. Henr. et Nav. c. 15. n. 5. Fern. p. 1. c. 9. §. 1. dicunt, si laesus magnam faceret iacturam honoris, nisi fugientem mox persequeretur, posse eum persequi et percutere, quantum esset satis ad defensionem honoris. Quod Laym. Bon. Less. Fill. l. c. n. 38. C. Lugo, etc. putant practice vix posse fieri sine vindicta: etsi speculative videatur esse probabile. Vid. Dian. p. 2. c. 3. misc. r. 14. Concedit tamen C. Lugo, Molin. Less. etc. cum Dian. p. 8. t. 7. misc. r. 47. licere furem fugientem, verbigratia, cum equo tuo conficere telo, vel sagitta, quia invasio adhuc durat. Etsi vero id non liceat, postquam in tutum se recepit, si tamen per iudicem non possis recuperare rem tuam, potes ingredi locum, ubi illa detinetur eamque tibi vindicare et si alter vi impediat, vim vi repellere. Tan. Less. Mald. Hurt. Dian. p. 4. t. 5. r. 37. et p. 8. t. 7. r. 47.

894. Huc facit damnatae propositionis secunda pars sup. n. 885.

Secunda pars nullo modo primae opponitur: in altera enim de honoris

specie tuenda qui honor nullatenus vere recuperatur, in altera autem de substantiis sermo est, quae possunt recuperari.

Ratio dubitandi est, quia si in tuto res posita est, tunc non est defensio, vel ille non est invasor, sed iniustus solum detentor et ideo non licet eum occidere, sed solum accusare apud iudicem; alias sequeretur reipublicae perturbatio.

At Ligorius n. 383. ad fin. sibi probabilius affirmat esse (et merito), licere tunc etiam conari, ut res recuperetur.

Licet enim latro tunc non sit invasor personae, at est invasor rei; quaestio autem heic est de invasore rerum.

Ergo si fingatur, te alia ratione non posse rem tuam recuperare, plenum tibi ius est, rem etiam per vim repetendi. Et siquidem ita ille tibi obsistat, ut aggressor fiat personae tuae, licet defensione etiam per occisionem ipsius uti.

XXIV. 8. Ad defensionem vitae et integritatis membrorum, licet etiam filio, religioso et subdito se tueri, si opus sit, cum occisione, contra ipsum Parentem, Abbatem, Principem: nisi forte propter mortem huius secutura essent nimis magna incommoda, ut bella etc. Syl. Bon.

895. Lugo n. 153. generatim cum Molina et aliis adstruit, non licere, si aggressor sit persona publica, a qua publicum bonum pendeat (a).

XXV. 9. Licet quoque occidere eum, de quo certo constat, quod de facto paret insidias ad mortem: uti si uxor verbi gratia sciat, se noctu occidendam a marito, si non potest effugere, licet ei praevenire. Navar. Less. n. 45. Fill. n. 39.

896. Quidam Doctores exigunt solum ut ille certe decreverit mortem tuam, etsi nondum aggressionem inceperit; negant vero licere, si solum constat quod sit decreturus. Ita Lugo disp. 10. nn. 156.-158. Nec in contrarium valet ratio petita ex paritate cum iudice, qui punit solum actus externos, nam heic non agitur de punitione, sed de defensione.

Ratio ergo cur id licere dicatur, est quia, si habemus ius ad defensionem, habemus ius ad defensionem possibilem nec tenemur exspectare laesionem nostram. Cum autem certum sit aliquem iam decrevisse mortem tuam et sic animo iam se parasse ad hoc malum tibi inferendum; tunc videtur locus esse exercitio iuris tuae defensionis, qua

(a) Puto, ita doctrinam accipiendam, si bonum publicum pendeat ab eo, prout est hic homo non prout est persona publica, quae bono communi prospicit ex officio suo. Prior casus foret, si invasor e. gr. esset strenuus belli dux et salus publica a felici exitu belli penderet. Secus etiamsi regem me inique aggredientem occidam, cuius legitimus heres iam praesto est, quid patitur damni societas ex praematura morte regis? Et e contrario nonne gravissimum damnum publicum foret, hanc impunitatem generatim dare personis publicis? E.

malum praeoccupando impedias. Unicuique enim, ut ait Molina *de Iust. et Iur.* tr. 2. disp. 12., iure naturali id licet facere, quod, propter alterius malitiam, factum est medium necessarium ad propriae vitae conservationem; quin id ex eo impediatur, quod opus sit auferre alteri vitam.

In hac re tamen DD. tria cavenda dicunt: 1° ne vanis suspicionibus quis ducatur, sed certa res sit: 2° ut alia defensionis media desint: 3° alii praeterea exigunt, ut aggressor aliquo modo iam coeperit opus (a).

Heic quaestio fit (Lugo disp. 10. n. 152.) an aliquis possit cum damno alterius se defendere, quando in dubio est de mala intentione aggressoris.

Respondet Lugo citans Molina: quando solum est suspicio de mala intentione, etsi vehementia sint indicia, dum tamen res est dubia, non licere eum occidere: quia in dubio an aliquis sit innocens, propter solam suspicionem non est occidendus. Sed si quid facit, unde rationabiliter mors timeatur, admonendus est ne accedat. Quod si admonitus non desistat, potest interfici ut iniustus aggressor; quia plus tenetur homo vitae suae providere quam alienae (2. 2. q. 64. a. 7.); neque enim exspectandum est ut laedat, sed caute providendum, ne laedat: quam doctrinam applicat Lugo militibus excubias agentibus.

Alia est quaestio (Lugo ibid. n. 151.), an liceat armis validioribus se defendere.

Responsio est, 1° mensuram usus armorum esse necessitatem defensionis, ad quam quis ius habet: 2° validiora arma necessaria esse posse pro iusta defensione, si e. g. invasor vel solis manibus possit suffocare puerum vel feminam.

XXVI. 10. Hinc etiam dicunt alii, ut Sanchez 2. *Mor*. cap. 29. et alii, licere occidere eum, qui apud iudicem falsa accusatione aut testimonio etc. id agit, unde certo tibi constat, quod sis occidendus, vel mutilandus, vel etiam iam (quod alii difficilius concedunt) amissurus bona temporalia, honorem etc.; quia haec non est invasio, sed iusta defensio, posito, quod de alterius iniuria tibi constet nec sit alius evadendi modus. Less. tamen, Fill. et Laym. non audent id defendere, propter periculum magnorum abusuum. Vid. Escob. e. 7. cap. 8. Hurt. Lugo d. 10. s. 7. Dian. p. 8. t. 7. r. 52. *Circa doctrinam huius n. 10. animadverte Proposit. 17. et 18. inter proscriptas ab Alex. Papa VII.

897. Propos. 17. damm. ab Alex. VII. sic se habet: « Est licitum Religioso et Clerico calumniatorem gravia crimina de se vel de sua

---

(a) Atque haec, speculative forte re considerata. In praxi enim difficile erit, 3° deficiente conditione, hanc doctrinam sequi propter hallucinationis periculum, quod adesse pronum est, ut monet s. Alph. n. 387. Cf. praeterea resol. seq. E.

religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit; uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi religioso vel eius Religioni publice et coram gravissimis viris praedicta impingere, nisi occidatur ».

Prop. 18. « Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes ac etiam iudicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum vitare ».

Quod ad 17. attinet, quidam ideo Religiosum et Clericum in medium vocarunt; quia hic casus magis idoneus videbatur significando damno, quod a calumnia impendeat. Hinc vero alii ansam sumpserunt affirmandi id quidem religiosis ac clericis prohibitum, non vero laicis. Vid. Croix lib. 3. part. 1. n. 800. Sed praeclusus est aditus huic evasioni per damnationem prop. 30. ab. Innoc. XI. quae est huiusmodi:

« Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter haec ignominia vitari nequit ».

898. Auctor, ut videtis, monuit periculum magnorum abusuum instare ex doctrina, quam ex auctoritate aliorum proponit: porro id satis est, ut reprobanda censeatur, *quando periculum est intrinsecum ipsi doctrinae:* intrinsecum autem est ipsi doctrinae; quia moraliter *impossibile est, quempiam certum esse posse de conditionibus, in quibus posset occidere.* Hinc Lugo, qui sententiam affirmantem Auctoris probabilem censet, disp. 10. n. 165. concludit: « In praxi tamen vix potest occurrere casus, in quo id necessarium et licitum sit ». Atque pro declaranda ratione pontificiae damnationis, huc omnino revocanda, quae idem Lugo de simili casu pronunciat disp. 10. n. 189. « Si haec inconvenientia, inquit, per se ex illa sententia consequuntur, certe nec *speculative* erit probabilis; ad probabilitatem enim etiam speculativam rei moralis, oportet quod materia sit talis, ut in circumstantiis humanis non afferat inconvenientia, quae eam reddant illicitam; si autem ex se talia inconvenientia affert, eo ipso est intrinsece illicita *etiam speculative* loquendo ». Quocirca ubi eiusmodi doctrinae dicuntur *probabiles speculative*, sic intellige, esse probabiles praescindendo ab iis adiunctis, a quibus tamen in praxi separari nunquam possunt.

Porro quae in praxi desunt rationes utendi hac defensione, sunt 1° quia evidens non est, non posse aliter gravem infamiam declinari, per iudices nempe et alios testes etc. (Viva ad prop. 17. Alex. VII. n. IV.): 2° quia homines facile hallucinantur ex passione; debuit ergo a natura tale remedium prohiberi ad vitandas calumnias: maius enim damnum esset in republica ex frequentibus caedibus quae haberentur, quam bonum, quod inde speraretur: bonum autem publicum praeva-

lere debet privato atque adeo tolerandum est potius periculum alicuius dehonorationis, quam talis perturbatio per occisiones inducenda (a).

XXVII. 11. Quandocumque quis iuxta supradicta habet ius alium occidendi, id potest etiam alius pro eo praestare: cum id suadeat caritas. Fill. n. 54. Tan. t. 3. d. 4. q. 8. Mol. d. 18. An autem et quando ad hoc teneatur, v. Less. l. 2. c. 9. d. 13. Dian. p. 5. t. 4. res. 9. 14. 20.

899. Duplicem quaestionem heic habemus 1° An possim per famulos praestare id, quod ad me ac mea tuenda praestare per me ipsum mihi licet: 2° An alius possit id pro me praestare, me non iubente neque petente.

Et ad primum quod spectat, utique licet in sui suarumque rerum defensionem uti opera famulorum atque etiam aliorum, quae imo opera necessaria evadere facile potest, si v. gr. aggressores plures sint. Imo etiamsi unus sit aggressor, sed dominus non sit peritus, vel timidus et etiam hac causa absente, notissimum est effatum, id, quod quisque facere potest per se, posse etiam per alium.

Quoad secundum vero, pariter dicendum, ratione caritatis unicuique licere vi repellere alterum iniuste accedentem ad nocendum sive personae sive substantiae proximi sui.

Ergo licitum est defendere vitam proximi sui, cum occisione iniusti invasoris. Hinc s. Thom. 2. 2. q. 60. art. 6. ad 2. « Vel potest dici, quod Moyses occidit Aegyptium defendendo eum, qui iniuriam patiebatur, cum moderamine inculpatae tutelae ».

900. Hinc vero aliae quaestiones. 1° Licet ne occidere etiam invasorem iniustum alterius pudicitiae?

Resp. Ligor. n. 391., utique licere, prout ipsi patienti vim licet. At si femina consentit, *vel saltem positive non resistit,* non licet eius pudicitiae invasorem interficere, quia tunc non repellitur vi vis.

Extendendumne hoc (scil. limitatio s. Alphonsi) erit, quando solum passive se habet ea, quae vim patitur iuxta dicta sup. n. 892.? Non videtur. Nam ipsa reapse vim patitur, et solum ut maius malum vitet, minus patitur.

Perinde est ergo ac viator, qui cedit pecunias, ne occidatur. Ergo illa verba s. Alphonsi rite explicanda, nempe de femina, quae *non re-*

(a) Porro 1. nonne haec valere quoque videntur pro resol. praeced. n. 71. ? 2. Si ea non licent, quae in propp. damnatis ab Alexandro VII. 17. et. 18. continentur: non videtur esse cur id licere credamus, quod heic A. dicit quidem ab aliis difficilius concedi, posse nempe te praeoccupare occisione eum, cuius opera tibi constet te certe amissurum esse bona temporalia, honorem etc.; nam damnum hoc non est maius illis, quae in iis propp. recensentur.

Et sane nonne ideo, natura id dictante, statuta est in societate auctoritas publica et iudices decreti, ut huiusmodi iniuriam et praecavere et resarcire possent? E.

sistit, *cum possit*, atque adeo negative se habens, interpretative consentire censeatur. Ita Salmantic. *de Praec.* 5. cap. 1. n. 97., unde s. Alph., haec desumpsit.

Attamen si femina etiam consentiret, quae tibi est valde propinqua consanguinitatis vinculo, posses, ad tuam arcendam infamiam, invasorem vi repellere etiam occidendo, si aliter nequeas: hoc autem intelligendum est ante factum; nam in ipso facto vel post factum certe non licet occidere, uti patet ex prop. 19. damn. ab Alex. VII. « Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam ».

901. 2º Licetne occidere invasorem honoris alterius? Resp. licere si invasio fiat factis, non vero si solum verbis; cum neque offenso verbis id liceat. Sed casus vix locum habere potest et si adesset, foret potius invasio personae, v. gr. si quis vellet alteri vellicare barbam, lutum iniicere etc. et ad vim hanc repellendam alterum resistentem necesse foret occidere, quod necesse solum tunc erit, quando alter armis utatur etc.

3º Quod si innocens, iniustam patiens aggressionem, vellet pati occisionem? Cum enim sit dominus vitae suae, id ei licet.

Resp. Etiam tunc alteri liceret occidere iniustum invasorem. Invasus habet duo iura 1º ad vitam, 2º ad vitam defendendam. Porro iuri ad vitam non potest cedere; quia non est ipse dominus vitae suae, sed Deus: secus posset inducere alium ad se occidendum et utcumque is id permittat, semper occisor peccat contra iustitiam. Iuri autem defendendi vitam suam utique potest cedere. At tu si aggressorem eius occidis, non defendis ius, quod ille habet ad defensionem sui, sed ius quod habet ad vitam et cui cedere ille nequit. Hinc occidens non incurreret irregularitatem. Ligor. n. 383.

902. 4º Quaeritur, num non solum liceat defendere vitam alterius ab iniusto aggressore, sed utrum sit obligatio eum defendendi, occidendo invasorem.

Resp. Intercedere posse aliquam obligationem defendendi proximi, negandum non est, sed rite distinguendum.

Nam 1º sunt, quibus cura tuendi alios demandata est ex officio et hi ex iustitia tenentur, cuiusmodi sunt Principes, magistratus et milites specialiter conducti ad ordinis publici custodiam ac boni communis tutelam. Quocirca isti non modo utcumque tenentur, sed obligantur id praestare, unusquisque secundum eum modum, quem ei officium praescribit, etiam cum vitae periculo, sicubi de bono communi agatur. Ita v. gr. cum agitur de via purganda a latronibus.

Item ad defensionem alterius, etiam cum occisione aggressoris te-

nentur vassalli et milites relate ad principem ob specialem obligationem fidelitatis et servitii.

Mota est quaestio de famulis, an teneantur. Et si quidem pactum saltem tacitum intervenerit, conceditur. Secus, ex sola caritate tenerentur. Tenentur tamen monere de insidiis dominum, sicut et cives monere tenentur Principem de proditione. Laymann l. 3. tr. 3. p. 3. c. 3. n. 5.

Sunt, qui hoc munus habent ex pietatis officio, cuiusmodi sunt filii in periculo parentum et viceversa.

Sunt denique qui teneri possunt ex praecepto caritatis. Ut enim scribit s. Ambrosius (et refert s. Thomas 2. 2. q. 80. art. 6. ad 2.): « qui non repellit iniuriam a socio cum potest, tam est in vitio, quam ille qui facit ». Quo etiam spectat illud Innocentii IV. relatum in cap. *Dilecto, De Sent. Excomm.* in 6.: « Si potest et negligit (impertiri auxilium), videtur iniurantem fovere ac esse particeps illius culpae ».

903. At non una est heic Theologorum sententia. Agitur sane de eo innocente, qui praesumitur non consentire morti suae et implorare saltem tacite auxilium defensoris. Consentiunt omnes teneri, si innocens esset ebrius et in statu peccati mortalis atque praeterea si esset persona necessaria ad publicum bonum (Ligor. n. 390.): quidam vero negant (vid. Ligor. ibid.), si haec absint: 1° Quia praestat evitare mortem aeternam aggressoris, quam temporalem innocentis: 2° quia nunquam in ista occisione evitari possunt magna incommoda et inimicitiae: 3° quia effusio humani sanguinis magnum iniicit horrorem. Ad haec autem incommoda non videtur obligare praeceptum caritatis. Hanc conclusionem Ligorius probabiliorem dicit l. c. n. 390.

Porro ad tuenda etiam bona proximi sui licet utique etiam occidere furem, prouti domino et custodi.

S. Alph. n. 392. docet nos teneri ex caritate defendere etiam bona proximi, quando commode possumus cum levi nostra iactura, non vero cum gravi. Et si quid tunc expendimus, possumus occulte compensare.

Tandem pro expedienda difficultate quae occurrere solet, advertendum quod curam animae alterius teneor habere, si est in necessitate involuntaria, non vero si sponte in eam quis se coniicit.

Dub. IV.

An aliquando liceat occidere innocentem.

XXVIII. Resp. Directa intentione et scienter nunquam licet, nisi Deus omnis vitae Dominus concedat: indirecte autem et per accidens aliquando licet, utendo nimirum suo iure et dando operam rei licitae et necessariae ac tanti momenti, ut vitae aequivaleat. S. Th. et Doctores communiter.

904. Quoad primam partem est certa et communissima omnium doctorum: ratio quia solius Dei est dominium vitae. Occisio quidem peccatoris seu malefactoris fit licita (ut ait s. Thomas 2. 2. q. 64. art. 6.) per comparationem ad bonum commune, quod per delictum corrumpitur: at vita iustorum est conservativa et promotiva boni communis; quia ipsi sunt principalior pars multitudinis et ideo nullo modo licet occidere innocentem.

Ratio secundae partis est, quia licet is, qui v. gr. arcem diruit, ubi plures etiam sunt innocentes, sit causa physica mortis eorum, humano tamen et morali modo non dicitur causa; quia hoc verbum in ordine ad actionem humanam communiter applicatur intendenti mortem.

Sicut itaque non dicitur se polluere aut esse causa pollutionis, qui aliquid facit vel comedit, ex quo praevidet secuturam pollutionem, si eam non intendit: sic non dicitur causa mortis, qui aliquid facit, ex quo praevidet secuturam mortem, si eam non intendit vel nisi ex iustitia teneatur illam causam non ponere; tunc enim licet effectum non intenderet, dicitur occidere, quia propter obligationem non ponendi causam, imputatur ei effectus perinde ac si ipsum intenderet et dicitur iam physice et moraliter causa illius.

Difficultas autem est in applicanda hac regula ad casus particulares, statuendo scilicet, quando tenear non ponere causam, aut ius habeam eam ponendi. De his in Resoll.

Unde resolves.

XXIX. 1. Si tyrannus minetur urbi excidium, nisi innocens occidatur, id non licet directe. Neque valet, sicut membrum licet abscindere pro salute corporis, ita et civem pro Repub.; quia homo est tantum pars moralis Reipub., a qua non accipit esse et vivere, sicut membrum corporis a corpore. Mol. t. 4. t. 3. d. 10. Less. Fill. n. 11. etc.

905. Difficilis est ista controversia, ad quam afferri solet exemplum membri, quod praecidi possit ad totum corpus servandum: v. Lug. *De Iust. et Iure* disp. 10. sect. 4. a. n. 103.

Inde est difficultas, quod mors alicuius poterit esse necessaria ad commune bonum, uti si tyrannus velit comburere civitatem aliquam et

cives occidere, nisi mittant ad eum caput alicuius innocentis, quem apud se habent. Iure enim videtur respublica ius habere ad abscindendum hoc membrum, prouti quisque ius habet membri amputandi ad salutem totius individui. Et confirm. Quia respublica licet non sit domina vitae civium, potest tamen, si bonum publicum exigat, nocentem per mortem punire: cur ergo ob bonum commune non poterit interficere innocentem; cum neutrius vitae dominium habeat et utriusque mors aeque sit necessaria ad bonum commune?

Non valet responsio quorundam, licere amputare putridum membrum, non vero sanum; nam et sanum praecidi posse, alias vidimus (n. 872.). Unde sequeretur, occidi posse innocentem, v. gr. si princeps minetur, se omnes cives addicturum morti, nisi interficiant innocentem, quem penes se receperunt, nec possent damnum vitare, nisi secreto occidendo et sepeliendo.

Adsignanda est ergo (ut habet Lugo ibid. n. 104.) differentia inter membra corporis naturalis et corporis politici. « Nam membra corporis naturalis non habent in se aliquod ius adversus alia membra nec sunt capacia iniuriae, prout condistinguuntur inadaequate a toto supposito; sed ipsum suppositum est, quod habet ius ad usum membrorum et cui fit iniuria abscindendo membrum et in cuius utilitatem sunt membra: quare merito abscinduntur, quando id exigit utilitas suppositi, propter quod sunt et non propter se. At vero respublica non potest in suam utilitatem convertere vitam civium et hanc vitam consumere propter suam utilitatem, quia non cives propter rempublicam, sed haec propter cives est et ad eorum utilitatem ac bonum ordinatur. Quod autem aliqua creatura rationalis in alterius utilitatem et non in suam ordinetur, servorum proprium est et dominium arguit in eo, qui ad suam utilitatem tali creatura utitur. In hoc enim servus distinguitur a subdito, quia hic non nisi politice gubernatur, id est ad utilitatem subditi, servus vero despotice, idest ad meram domini utilitatem. Non potest ergo respublica consumere subditos ad sui utilitatem; quia hoc esset habere illius dominium et non solam potestatem illum regendi et gubernandi. Licet vero membra non sint proprie sub dominio suppositi, potest tamen eis uti et quidem non in utilitatem eorum, sed hominis ipsius nec membra habent per se utilitatem, quae intendi debeat, sed habent se sicut lapis et lignum, quorum utilitas non intenditur in earum usu. Hinc ergo est, quod respublica non possit abscindere subditum atque occidere in utilitatem sui; quia solum gubernat eum politice: homo vero necare possit membrum in utilitatem suam; quia non gubernat illud politice, scilic. nihil aliud intendit, quam utilitatem propriam, ad quam solum eiusmodi membra ordinantur ».

Dices (Lugo n. 105.): potest respublica subditum exponere certo mortis periculo propter bonum commune, ubi non intenditur bonum subditi: ergo potest etiam propter idem bonum eum occidere.

Resp. Lessius lib. 2. cap. 9. dub. 7. n. 37. imperari posse subdito, ut patriae salutem defendat, quia hoc per se conducit ad salutem communem: at non potest vitam auferre, quia haec non per se, sed ex malitia tyranni conducit ad communem salutem. Sed verior responsio est (Lugo n. 107.), potestatem exponendi subditum contineri sub potestate gubernativa, atque adeo iusta interveniente causa posse id praecipi, quod licite et honeste subditus praestare potest.

Reliquas obiectiones vide penes Lugo a n. 108. ad 111.

XXX. 2. Potest tamen Respublica eo casu talem cogere, ut Tyrannum adeat et si nolit, tradere; cum ex caritate et iustitia legali teneatur vitam exponere pro Republ. Unde, si id renuat, fit nocens. Neque hoc erit cooperari eius morti, sed tantum permittere; cum traditio de se sit indifferens et mors tantum sequatur indirecte et praeter intentionem Reipubl. Molin. l. c. Less. l. 2. c. 9. d. 7. Fill. t. 29. n. 11. Laym. etc. Limitat autem C. Lugo d. 10. *de Iust.* si innocens sit subditus, vel peregrinus teneatur mori pro Republ. aliena.

906. S. Ligor. refert sententiam oppositam Salmanticensium, quia (inquiunt) qui tradit, cooperatur ad mortem innocentis, quod illicitum intrinsece est.

Sed idem s. Alph. subdit probabiliorem esse primam sententiam. Ratio est, quia « non videtur negari posse, quod innocens in eo casu teneatur se tradere. Ergo bene potest respublica eum tradere, si culpabiliter recuset; tunc enim non est amplius innocens ». Nam respublica pro salute communi potest praecipere, ut se tradat. Et si praecepto resistit, tum respublica potest punire et in poenam tradere tyranno, imo facultatem legitime occidendi tribuere illi, qui antea iniuste occidere volebat.

Nec valet paritas, non licere tradere tyranno virginem stuprandam. Nam virgo non tenetur cum tanto periculo animae suae consulere temporali bono reipublicae. Licet vero respublica non posset virginem tradere, posset tamen eam expellere et suo periculo relinquere.

Item non valet paritas, non licere dare tyranno codices sacros ad comburendum. Nam heic adesset religionis contemptus et communia sunt exempla, quibus quaedam alias permissa non licent, si contemptus religionis adsit.

Obiic. non teneri civem succurrere reipublicae modo tam inhumano: atque adeo nec reipublicae licere eum tradere, sicut nec iubere, ut se gladio interimat.

Resp. Hoc nimis probat sc. nec licere se tradere, sicut non licet se

interimere. Ergo dicendum, non ita esse inhumanum, sicut est se occidere gladio, imo fortasse inhumanius est praecipere, ut miles certe occidendus maneat in statione: quum traditus humilitate sua forte potest mortem evitandi spem aliquam habere.

Verba A. in fine perpende: « Limitat autem C. Lugo, si innocens sit subditus, vel peregrinus teneatur mori pro Republica aliena ». Nimirum si innocens non est subditus, sed peregrinus, tum ut possit tradi, occurrere debet alia causa: videlicet ei praecipi non potest quasi subdito, sed posset praecipi alio iure, ratione scilicet delicti, quod committeret non satisfaciendo debito suo, cavendi salutem communem eorum, penes quos hospitium receperat et eo ipso subditus fieret et posset puniri et cogi ad delictum vitandum. Ita Lugo disp. 10. n. 114. Veruntamen si hic peregrinus 1º posset, si expelleretur, fugere tyrannum, non teneretur vitam perdere pro salvanda illa communitate (nisi posset ex caritate teneri); et tunc non posset praecepto adstringi, cum non sit subditus reipublicae. Inde fit, ut si innocens peregrinus esset princeps, cuius vita pluris aestimanda esset quam salus alicuius communitatis v. gr. urbis seu oppidi et alias posset a periculo se liberare fugiendo, non posset respublica eum tradere et tyrannice ageret respublica tradens; quia eum cogeret ad id, ad quod non tenetur, cum nec ex caritate teneatur. Ita Lugo n. 115.

907. Hinc vero alia quaestio, an tradendus civis innocens tyranno, quando respublica potest illum defendere.

Quidam (v. Lugo, n. 116.) aiunt teneri ad defendendum et solum tunc posse tradi, quando secus certa esset reipublicae pernicies.

Alii contra; quia respublica potest praecipere, ut exeat, non solum si certa sit reipublicae pernicies, sed etiam quando salva republica sequeretur tamen damnum plurimorum, qui vel mortem paterentur vel incendia etc.

Lugo n. 118. censet, eum esse defendendum, quando derelictio unius cederet in damnum commune et turbationem reipublicae v. gr. quod latrones fiant audaciores aliosque invadant vel quod tyrannus alios petiturus sit. Si vero causa agitur unius, tunc magis consulitur bono publico, si unius capitis dispendio redimatur salus multitudinis.

XXXI. 3. Si fugere non possis mortem, persequente hoste, nisi per viam angustam, qua quispiam istic sedens esset obterendus, licet nihilominus (dummodo tamen, si infans est, sit baptizatus, ut monet C. Lugo et Esc. e. 7. c. 8.) fugere cum eius periculo et interitu, praeter tuam intentionem. Less. n. 58. Fill. n. 36.

908. Ita si invasor, quem tu cum moderamine inculpatae tutelae occidere contendis, se protegat, opponendo tibi infantem innocentem,

ne a te percuti possit nec aliter interim possis te defendere nec ferire eum, nisi per infantem occisum.

Salmantic. *de Restit.* cap. 2. n. 64.: « Si quis non potest liberari a morte, nisi conculcando vel occidendo casu puerum in via sedentem, potest fugere; quia per accidens et praeter intentionem illa mors innocentis sequitur, et mulier a fera invasa potest fugere cum periculo abortus, et qui iniuste invasus est ab inimico, potest invasorem petere etiam cum occisione innocentis, quem sumpsit ille et ante se posuit ad se protegendum ».

Id porro licet; quia sicut actio eius, qui incendit turrim et sic perdit cum nocentibus etiam innocentes, licita est; quia ex intentione agentis solum fertur ad perdendos noxios, licet haec ruina non possit separari a ruina innoxiorum, ita in casu; per accidens autem est aut ex malitia alterius, quod in spatio illo intermedio inveniatur infans, qui debeat transfigi ut transfigatur et invasor. Lugo disp. 10. n. 127.: « Habet ergo se illa actio, sicut combustio arcis, quae sine morte innocentium fieri non potest; quare non erit minus licita, quam illa, cum non magis sit connexa cum morte innocentis, quam illa ».

Monet tamen ibid. n. 128. non idem dicendum si v. gr. infans non esset baptizatus et periclitaretur morte aeterna, et est revocanda doctrina de obligatione caritatis etc. (*de Caritate* nn. 159. seqq.). Praeterea ibid. n. 129. monet cum aliis, adhibendam omnem diligentiam ad praecavendum malum: « iis autem mediis adhibitis, non est obligatio sistendi, sed potest homo progredi ad salvandam propriam vitam, quando aliunde extrema necessitas spiritualis innocentis non obstat, quae semper praeferri debet ».

Idem Lugo n. 127. memorat DD. qui pro opposita negativa sententia steterunt, sed subdit, *melius alios affirmare* etc.

909. Ut doctrina haec rite intelligatur, adverte cum Lugo disp. 10. n. 125.: cum dicimus licere etc., quando mors ipsa innocentis non intenditur, non est sensus, eam esse licitam, quando *non intenditur ut finis, sed solum assumitur ut medium ad occidendum alium:* sive enim intendatur uti finis sive uti medium, semper erit illicita, si eam directe velis; nam licet medium non intendatur ultimo a voluntate quasi sistente in eo, directe tamen eligitur et amatur et aliquo modo intenditur propter utilitatem ad assequendum finem volitum. Si ergo occideres innocentem volendo hoc ipsum, ut posses occidere nocentem, iam directe velles et intenderes occisionem innocentis; quod nunquam licitum est. Sic si quispiam innocens esset impedimento, ne ictus tuos possis dirigere in aggressorem, non potes alterum occidere, ut dein libera facultas suppetat te defendendi. Eadem causa non licet in iusto bello

occidere filios aliquos obsides datos, ut parentes, ad liberandos reliquos filios, se dedant.

Ergo ut licite id fiat, requiritur, quod eiusmodi occisionem non velis directe neque ceu finem neque ceu medium, sed solum indirecte, volendo scilicet causam istius mortis, non propter coniunctionem, quam habet cum hoc effectu seu cum morte innocentis, sed solum propter coniunctionem quam habet cum alio effectu, scilicet cum morte nocentis, quem aliter offendere non posses; tunc enim vis actionem, prouti coniuncta est cum effectu licite appetibili, ad quod per accidens se habet, quod connexa etiam sit cum alio effectu, quem velle non potes.

Quod vero obiiciunt, in casu absurdum consequi belli utrinque iusti, falsum est. Nam heic agitur non de hoste offendendo (quod proprie pertinet ad belli naturam), sed de sui defensione, quando nempe animus fertur non ad nocendum alteri, sed ad sese tutandum. »

Haec declarantur, ut ait idem Lugo n. 126., ex iis quae Doctores tradunt communiter de mollitie. Hanc enim directe velle nemo potest neque uti finem, neque uti medium, ut v. gr. sequatur effectus sanitatis; quia in utroque casu directe intenditur. At posset eam velle indirecte, scil. volendo causam, quae ex se tendit ad sanitatem, licet obiter alium effectum expellendi semen habeat; hanc enim expulsionem tunc non vult quis directe, sed ipsa sequitur praeter intentionem et concomitanter.

XXXII. 4. Similiter ad expugnandam urbem et victoriam reportandam, si necessarium sit, licet tormenta in eum locum dirigere, ubi multi sunt innocentes: quia horum mors praeter intentionem sequetur. Less. l. c.

XXXIII. 5. Non licet occidere obsides, etsi qui eos miserunt, non servent fidem; quia sunt innocentes. Bon. t. 2. d. 2. q. ult. sect. 3. p. 7. Dian. p. 5. r. 35. Azor etc.

Haec nulla habent difficultatem.

XXXIV. Quaeres. An aliquando liceat procurare abortum?

Respond. Quicumque malitiose in se vel altero curat abortum, peccat graviter, sive foetus sit animatus, quia est verum homicidium, sive non, quia tendit ad occisionem hominis et est contra naturam generationis. Less. l. 2. c. 9. d. 10. n. 61. Si tamen ad vitam matris conservandam omnino sit necessarium, sequentes Regulae tenentur. 1. Si foetus mortem matri allaturus sit probabiliter, necdum sit animatus anima rationali (animari autem communiter aiunt mares die quadragesimo, femellas vero octogesimo: quae res valde incerta est), quidam permittunt, etiam directa intentione expelli, ut Sanch. l. 9. *de Matr*. d. 20. n. 9. et 10. Henr. etc. contra Less. l. 2. c. 9. d. 16. et alios, quorum sententia in praxi suadenda: quorsum enim directe expellas, cum indirecte liceat et sufficiat? 2. Si vero foetus sit animatus materque iudicetur moritura cum prole, nisi medicinam sumat, licet eam sumere et secundum quosdam tenetur intendendo directe suam tantum sanitatem, etsi indirecte ac consequenter destruatur foetus; quia in pari necessitate mater potest magis prospicere sibi, quam proli. 3. Si vero cum morte matris spes vitae et baptismi prolis affulgeat, tenetur mater secundum plerosque sub mortali abstinere ab

omni remedio destructivo prolis; quia tenetur vitam corporalem exponere pro extrema necessitate spirituali infantis. Contrarium tamen docet Lud. Lopez, quod Sà V. *Caritas* dixit esse probabile. V. Less. l. c. Sanch. Fill. t. 29. c. 6. q. 1. Bon. t. 8. a. 3. * Circa doctrinam de abortu procurando cave tibi a duabus Proposit. proscriptis ab Innoc. XI. suntque ordine 34 et 35.*

910. Ut apte de hoc argumento questiones instituantur ac solvantur, praemittenda definitio abortus, qui presse sumptus est *immaturi foetus ex materno utero eiectio, quae vel sponte sequitur, vel arte procuratur* (a).

Immaturus porro est foetus, qui nondum extra uterum vivere valet. Tum principia quidem veterum Theologorum retineri debent; ast illorum applicatio a theoriis quoque pendeat oportet, quas accuratius medicae artis studium lapsu temporis invexit.

Ac 1° abortus alius dicitur naturalis, qui nempe per naturales causas simpliciter intervenit, alius artificialis, qui arte et industria obtinetur, ope et auxilio plerumque medicorum. Causae naturales plurimae sunt eaeque omnes pendent a statu anomalo aut ovi aut matris. Hae ad nostram non spectant quaestionem.

* Methodus artificialis obtinendi abortum is est quo per artem determinatur partus praematurus et multiplex est: qua de re consulendi sunt medici (cf. Karl Schröder *Lehrbuch der Geburtshülfe* 11ª edit. pag. 292. seqq.). Contingit ex. gr. identidem uterum retrorsum inclinari aut descendere et nisi in locum situmque suum restituatur, matrem certe cum prole morituram: unicam autem viam repositioni uteri procurandae non raro eam esse, ut ovi tunica scissa, sinatur aqua foetus elabi: sic facile reponitur uterus, sed una consequitur eiectio foetus (ibid. p. 305. cf. et Capellmann *Pastoral-medicin.* 6. edit. pag. 18.).

Alias propter feminae arctitudinem talem, ut foetus per vias naturales egredi nequeat, sectio caesarea adhibetur a medicis, qua ex utero extrahitur foetus tum mortuus tum etiam vivus.

Pluribus praeterea causis extrinsecis determinari abortus potest, cuiusmodi sunt vehemens animi commotio ex formidine aut laetitia, concussio violenta ventris, venae sectio, copula tempore praegnationis vel nimis frequens vel multo cum ardore et impetu etc. Cf. Capellmann, op. cit. pag. 175. seqq. *

911. 2° Plurimum autem proderit distinguere tum causas, quae directe ac positive foetum laedunt, cuiusmodi v. gr. foret violenta percussio aut etiam vulnus ope instrumenti ipsi foetui adhuc latenti in utero inflictum, tum causas, quae mere efficiunt, ut a conservanda prolis vita cessetur, cuiusmodi est partus acceleratio ante septimum

---

(a) Qui definire volunt eum solum abortum, qui moraliter est maius, dicunt, abortum esse *dolosam eiectionem foetus ex utero matris.* Pennacchi in Const. *Apost. Sedis* App. 82. E.

gestationis mensem, sive haec contingat membranae foetum continentis scissione, sive alio modo, quo foetus egressio determinatur.

3° Iam inde ab aetate sua scribebat s. Alphonsus lib. 6. n. 124.: *Cum hodie vigeat opinio, non sine plausu a peritis recepta, quod foetus ab initio conceptionis, vel saltem post aliquos dies, anima informetur* etc.; quos quidem *aliquos dies* in editionem anni 1748. dicit *tres vel quatuor*. Haec porro sententia, quatenus nullum foetum inanimatum admittit, cum communius modo, praesertim post accuratiores a physiologis institutas observationes, recepta sit ac defendatur uti magis consentanea non solum philosophicis, sed etiam theologicis principiis; consequitur, vix causam subesse, cur de hypothesi foetus inanimati quaestio specialis fiat.

4° Cum ars chirurgica modo instrumentum repererit, quo membranae foetum involventes ita scinduntur, ut aqua, ope siphunculi iniecta, foetum immediate tangere certo possit atque adeo cum iuxta ea, quae s. Alphonsus lib. 6. n. 107. post Benedictum XIV. disserit, de validitate baptismi infantibus utero clausis sic collati prorsus certi esse possimus (a); proinde fere cessant difficultates et quaestiones a veteribus DD. motae circa pericula, quae mater subire teneatur, ut aeternae saluti prolis prospiciatur.

912. 5° Cum nihil dubii adesse possit quoad eas causas, quibus ad foetum positive laedendum ac perimendum *directe* tendatur, quippe *directa* occisionis intentio nunquam licita esse quavis ex causa potest; idcirco potior controversiae cardo in eo residebit, num et quando liceat partum accelerare et quidem per illud gestationis tempus, quo utcumque viva in lucem proles prodeat, cito tamen succumbere morti debeat.

6° Haec autem partus acceleratio, prouti doctores tum de abortu tum generatim de proximi occisione loqui solent, considerari potest aut *directe* aut *indirecte* excita seu promota. *Indirecte* excita dicetur, quando ad morbum matris curandum ea remedia adhibenda sint, e quibus praeter intentionem illud sequatur, propter quod partus praemature sequatur. *Directe* vero, quando media usurpentur, quae per se non ad medendum matris morbo, sed mere ad ipsam per acceleratum partum foetu exonerandam diriguntur. Quod quidem duplici de causa contin-

---

(a) At quam certitudinem potest haec praxis suppeditare? Quid si aqua caput non tangat? nam iuxta s. Thomam 3. p. q. 68. a. 11. ad 4. Rituale Romanum et Benedictum XIV, *de Syn*. l. 7. c. 5. n. 7. seqq. baptismus non est certus vel adeo certus, si solum alia pars corporis praesertim minus principalis abluatur. Quid si secundinas aqua solum tangat? nam has esse partes corporis foetus, absque certa ratione affirmares: quid si foetus sit extra uterum (quod identidem contingit)? quid si sint duo foetus? videntur ergo veteres quaestiones, quas innuit B. non prorsus esse sublatae. Cf. P. J. C. Debreyne *Embryologie sacrée quelques reflexions critiques sur l'opuscule intitulé: Du baptême intra-uterin*. E.

gere posset, nempe vel ob solam temporalem matris vitam servandam, vel ob spiritualem prolis salutem per baptismum curandam, aut etiam ob utrumque hunc simul finem.

Insuper etiam quando remedium per se non tendat ad morbum matris curandum, sed solum ad partum maturius obtinendum, abortus nihilominus alio sensu *directe* vel *indirecte* quaesitus haberi potest, spectata scilicet non materiali ratione accelerandi partum, sed voluntate seu intentione operantis. Quod enim DD. cum s. Thoma communiter habent, iniusti aggressoris mortem in iusta defensione tantum *indirecte* sequi, propterea quod directa occisoris intentio solum in propriam feratur defensionem, alter vero effectus, mors nempe aggressoris, sit praeter intentionem et per accidens; id ipsum locum habere potest in partus acceleratione, quando scilicet voluntas non in temporale prolis damnum, quod per accidens sequitur et praeter intentionem, sed in alium finem directe tendit.

913. 7° Denique ad faciliorem solutionem propositae quaestionis plurimum proderit illud advertere, quod superius innuimus, controversiam de partus acceleratione (quocumque modo procuretur) non eo spectare, an liceat prolem vita privare, sed potius quousque mater teneatur ad vitam proli custodiendam ac conservandam (a). Qua in re utique ratio habenda est non solum generalis obligationis, quam ab omnibus caritas exigit circa aliorum vitam tuendam neque solum specialis obligationis parentum erga filios, sed etiam officii singularis, quod matrem obligat, utpote cui potissimum natura hanc curam commisit. Superest nihilominus inquirendum, quousque haec se obligatio porrigat, non secus ac inquiri potest, quousque urgeri queat obligatio matris, ne infantem, quem ulnis gerit, e manibus dimittat in undas aut in barathrum aliquod prolapsurum, aut in ignem, conflagrante domo, a quo nequeat se mater eripere, nisi e manibus dimisso infante: quod quidem in idem recidit, ac si quaeratur, an et quaenam adesse queat iusta causa, propter quam mater licite a vita prolis custodienda cesset.

914. Ad hanc porro generatim solvendam quaestionem ea faciunt, quae ceu quoddam principium statuit Card. Lugo *de Iust. et Iur.* disp. 10. n. 133., ubi scribit: *Mater non tenetur cum tanto vitae suae*

(a) Ut enim advertit quoque Aug. Lehmkuhl Theol. Moralis V. I. p. 499. ed. an. 1883. « Quando mater in praesenti vitae discrimine versatur, quod aliter auferri nequit, nisi immaturi foetus eiectione, adeoque abortu actu inducendo, quo fit, ut foetus, quamvis vivus in lucem editus, brevi emori debeat, multi id aequaliter illicitum esse putant ac foetus directam occisionem : aliis autem id non videtur directa occisio, sed modus valde diversus; quum mater solummodo non amplius servet infantem, sed eum, laxatis fibris, ex utero elabi sinat atque ita perire permittat ». Et paulo ante de eadem re dixerat : « in hoc casu vix magis erit directa abortus procuratio sensu theologico h. e. quae morali sensu sit foetus occisio, quam in naufragio tabulam amico cedere est directa sui occisio ». E.

periculo et detrimento procurare et conservare foetum (*in utero*, de hac enim re disputat), *sicut nec natum iam filium tenetur cum vitae discrimine alere et retinere, neque etiam ad eum lactandum conservare lac in uberibus, quando ad propriam vitam tuendam necessarium ei esset ubera arefacere.* Et plane huc etiam illud spectat, quod subdit ibidem Lugo, diligenter distinguens meram cessationem custodiendi vitam a damno positive illato proli, licet non admittatur modo hypothesis illa veneni prolem inficientis. *Placet tamen* (inquit) *moderatio, quam huic doctrinae addidit postea Vasquez..., dicens hoc intelligi de sanguinis emissione, balneo et eiusmodi remediis, quae non tendunt ad occisionem foetus nisi negative, per subtractionem humoris necessarii ad eius sustentationem, non vero de remediis, quae positive concurrerent ad mortem foetus, qualis esset potio, quae per alterationem positivam occideret foetum; hoc enim esset dare positive venenum innocenti, ut te a morte liberes, quod nunquam licet* (a).

Hisce praeiactis, haud aegre variae pro variis hypothesibus solventur quaestiones.

915. Ac I. Ubi certa sit mors alterutrius, aut matris scilicet aut prolis, certa autem alterius (matris) vita et quaestio sit de morte dumtaxat temporali (infantis), quia v. gr. baptismus proli nondum natae iuxta praedicta potuit conferri; non tenetur mater mori, ut vitam filio temporalem conservet: non ergo tenetur conservare foetum. Vid. Lugo l. c.

Sed hic casus, quod nempe, moriente matre, infans vitalis sit, perrarus omnino est; quandoquidem, ut dicit s. Alphonsus lib. 3. n. 394., *moraliter impossibile est, ut pene miraculum sit, quod pereunte matre proles supervivat... Idque* (subdit) *mihi confirmarunt plures artis medicae periti, quos consului* (b).

Et hoc quidem valet etiamsi agenda proponeretur caesarea operatio, quae praeterea cum peritissimos requirat medicos et matrem robustam, raro id locum habet, praesertim cum hoc remedium requiri tunc soleat, quando incassum alia remedia adhibita sunt atque adeo quando et mater et proles e longa lucta prostratas habent vires (c).

(a) « Cessare posse matrem a conservando foetu, si sine propriae vitae discrimine eum conservare non amplius possit, cuilibet certum esse debet », ait citatus Lehmkuhl. l. c. E.

(b) Haec quodammodo temperanda sunt. « Opinioni, quod foetus in utero nequeat superstes esse matri, plurima facta contradicunt », ait Pruner *Lehrbuch des cathol. Moral. theol.* 2. ed. p. 413. citans Debreyne c. 2. §, 1. Quae ratio fuit cur etiam antiquitus sectio caesarea esset in usu, quae tunc quidem nonnisi mortuae matri adhibebatur. Raro tamen continget, foetum extractum aliquas supervivere horas, rarius producere vitam. Mortua enim matre, corripit admodum cito infantem ἀσφυξία. Cf. Schröder op. cit. p. 530. seqq. Huiusmodi homines ex *caeso matris utero* in lucem adducti vocabantur a latinis *caesares* vel *caesones*. E.

(c) Nunc instrumentis exquisite ad perfectionem adductis auctâque scientiâ chirurgicâ facilior evasit minusque periculosa sectio caesarea, quae sopitis sensibus per cloroformium, tolerabilis est certe matri. E.

Imo s. Alphonsus lib. 6. n. 106. prae oculis habens illud s. Thomae 3. q. 68. art. 11. ad 3.: *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona et ideo homo non debet occidere matrem, ut baptizet puerum;* concludit, matrem, quando ipsi mortis periculum sit *proximum aut probabile*, non teneri ad discrimen illud subeundum, ut proles baptizetur nec chirurgum posse ipsam in hoc discrimen inducere.

II. Si mater morbo correpta, gravi mortis periculo laboret, nisi foetus partum accelerando expellatur; probabilis autem spes sit, ope medicinae effici posse, ut foetus vivus in lucem prodeat, atque adeo sin minus temporalem, saltem aeternam vitam adepturus sit, tunc eiusmodi expulsio non modo licita videtur sed praecepta. Ratio, quia matris periculum ac mors nihil prodesset vitae temporali prolis et insuper in gravissimum salutis aeternae discrimen ipsam prolem coniiceret.

Nec obesse debet, quod forte mors prolis paululum acceleretur. Nam primo quidem ex praedictis cum Lugo, non tenetur mater cum tanto discrimine vitam prolis ulterius conservare. Deinde vero *in eo casu*, ut inquit s. Alphonsus lib. 6. n. 106. in fin., *negligi potest parva illa vitae iactura, ut infans vitam aeternam consequatur.*

916. III. Quando, aegrotante matre, periculum abortus aeque instat, tum si illa remedium ad morbum curandum sumat, tum si non sumat eo quod vis ipsa morbi (ut subinde contingit) abortum infert, licet medicinam sumere; neque enim prodesset proli abstinentia a remediis atque adeo mater vitae suae consulit sine maiori prolis detrimento. Nec tunc directe occiditur infans, cui illud remedium est indifferens, sed consulitur matri. Atqui si absque maiori prolis detrimento mater potest vitae suae consulere, non solum licite potest, sed propter obligationem, quam quisque habet vitam suam conservandi per ordinaria remedia, medicinis uti prorsus debet.

IV. Si ex vi morbi probabile immineat periculum abortus, simul vero periculum instet, ne, si abortus reipsa ex morbo sequatur, proles in utero moriatur; contra vero probabilis spes affulgeat, quod accelerato per medicinas partu proles in lucem viva prodeat et sic aeternae eiusdem saluti prospici possit: incerta vitae temporalis spes non videtur praeferenda probabiliori spei salutis aeternae atque adeo accelerare partum liceret. Quod quidem dicendum est valere etiamsi morbus nullum vitae matris periculum, inferat sed solum de meliori prolis bono agatur.

917. V. Quando habita ratione status tum physici tum moralis matris (quae scilicet non ita incisionem exhorreat, ut proli vel solus hic horror graviter nocere queat) et simul spectatis tum statu prolis tum medici peritia, prudenter existimari queat, per caesaream operationem in grave periculum matrem inductum non iri, prolis vero consuli posse

non modo temporali sed etiam aeternae vitae; dicendum est, teneri matrem ad incisionem patiendam, licet saluti aeternae prolis prospici aliter posset. Requiritur tamen, ut longe probabilior sit spes salutis prolis simul et matris; nam secus pro incerta spe vitae temporalis filii (aeterna enim curari aliter potest, ut diximus) non tenetur mater probabile periculum vitae suae subire. S. Alph. lib. 6. n. 106 (a).

918. Non autem licet puellae gravidae procurare abortum, ne famam amittat aut ne quid grave ab aliis patiatur. Sane ut licite possis causam ponere mortis (idem dicito de quovis alterius damno) innocentis, oportet etiam, ut occisionem neque ut finem intendas, neque assumas ut medium ad alium finem (utroque enim modo *directe* eam velles); sed tantum *indirecte* eam inferas, scilicet ponendo causam istius mortis non propter coniunctionem, quam eadem causa habet cum eo effectu seu morte innocentis, sed solum propter coniunctionem quam habet *aeque immediatam* cum alio effectu. Sic enim id agis atque intendis, quatenus iunctum est cum effectu licite appetibili, non quatenus per accidens nexum est cum alio effectu, quem intendere non potes, licet possis eum ex iusta causa permittere. Porro in hypothesi abortus assumitur ut medium *directe* electum ad obtinendum alium finem, ad quem insuper abortus per se nequaquam ordinem habet ceu ad suum effectum. In quibus elucet duplex ratio, ob quam damnata fuit ab Innocent. XI. propositio n. 34.: *Licet procurare abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur.*

919. * Atque haec de abortu seu partus acceleratione praematura. Alia est quaestio: an identidem liceat ea operatio, quae *imminutio foetus, exenteratio, cephalotripsia, craniotomia* dicitur, qua imminuitur seu secatur foetus, ut mortuus facile extrahi possit et hoc pacto mater a certa morte liberari, cum praesertim baptizari possit infans in utero et sic eius aeternae saluti consuli. Nisi autem ea operatio fiat, utraque mater et proles, est certe moritura: si vero fiat, mater certe salvatur, infans brevissimam usuram vitae in utero matris amittit, iam certae et vicinae morti destinatus, quae brevissima usura pro nihilo computari potest, ratione potissimum habita vitae matris, quae salvatur; nam posse

(a) Doctor Capellmann op. sup. cit. cum neget licere directe abortum procurare pro servanda matre; quia effectus bonus sequeretur immediate ex malo, cuiusmodi est praematura foetus eiectio, censet indirectam esse ideoque licitam (iusta exsistente causa) eam procurationem abortus, qua, ut a periculo mortis mater eripiatur, reponitur uterus scissa ovi tunica et aqua foetus dimissa. Nam ait, actio haec immediate duos habet effectus, alterum bonum, repositionem uteri et sic remotionem periculi pro matre, alterum malum, h. c. consequentem eiectionem foetus: potest ergo ille prior effectus intendi, hoc permisso, pag. 18. E.

aliquando negligi parvam illam vitae iacturam, audivimus paulo ante a s. Alphonso.

Antiquitus id peractum fuisse, testis est Tertullianus *de Anima* c. 25. referens communem morem: « In ipso adhuc utero infans trucidatur *necessaria* crudelitate, cum in exitu obliquatus denegat partum, *matricida ni moriturus* ». Quibus verbis idem videtur probare.

S. Poenitentiaria interrogata fuit hac de re: « An unquam liceat operatio, quae vocatur craniotomia vel similis operatio, quae per se directe tendit ad occisionem infantis in utero positi ». Casus propositus referebat morem esse ut aliquo idoneo instrumento infans prius in utero baptizetur, quam eius caput conteratur. Responsum Congr. die 28. novembr. 1872. fuit: « S. Poenitentiaria, mature perpensis expositis, respondet: consulat probatus auctores sive veteres sive recentes et prudenter agat ». Noluit scilicet rem definire, significans quaestionem esse difficilem, ut idcirco mirum non sit, doctissimos viros pro utraque parte stetisse.

At rursus eadem quaestio relata est ad Congr. s. Officii anno 1884. hoc tenore: « An *tuto doceri possit* in scholis catholicis, licitam esse operationem chirurgicam, quam *craniotomiam* appellant, quando scilicet ea omissa, mater et filius perituri sint, ea contra admissa, salvanda sit mater, infante pereunte ». Responsio data 28. mai 1884. haec fuit: *Omnibus diu et mature perpensis, habita quoque ratione eorum, quae, in hac re a peritis catholicis viris conscripta, ab Eminentia tua huic Congregationi transmissa sunt, respondendum esse duxerunt: tuto doceri non posse. Quam responsionem cum SS. D. N. in audientia eiusdem f. ac d. plene confirmaverit, Eminentiae tuae communico.*

Idem responsum instauravit 19. Aug. 1888. (ab aliis citatur sub 14. Aug. 1888. ab aliis sub 14. Aug. 1889.): nimirum *in scholis catholicis tuto doceri non posse, licitam esse operationem chirurgicam quam craniotomiam appellant, sicut declaratum erit* 28. Maii 1884. *et quamcumque chirurgicam operationem directe occisivam foetus vel matris gestantis.*

Item quaesitum est, an, cum morbi letalis causa est sola praegnatio, liceat medico procurare eiectionem foetus ad liberandam matrem ab imminente morte, licet foetus sit immaturus. Respondit c. S. O. die 24. Iun. 1895. *Negative iuxta alia decreta,* nempe superius citata.

920. Aiunt, quod si casus fingi posset, quo ea doctrina uti liceret, is foret, qui iudicio Congr. subiectus fuit. Nihilominus et in hac hypothesi responsum est, *tuto doceri non posse*, quod craniotomia liceat.

Scilicet id doceri non potest sine periculo (nempe erroris) seu id doceri nequit tuta conscientia. Utique verba s. C. non affirmant immediate et per se doctrinam esse falsam. Nam in quaestione magni momenti, qualis ea est, in qua agitur de vita alterius, sententia, quae sit vel solum improbabilis vel tenuiter probabilis, etsi de eius falsitate nondum certo constet, nequit tuta conscientia aut sine periculo erroris doceri. Non fuit ergo opus iudicari a s. C. doctrinam illam esse falsam, ut affirmaret tuto eam tradi non posse; nam satis erat eam nunc esse improbabilem vel levissime probabilem. At quod improbabile est, evadere potest aliquando probabile atque etiam certum. Exemplum habes in quaestione de motu et circulatione telluris. Attamen, si argumenta omnia, quae pro illla doctrina afferri possint, iam allata fuerunt et discussa eademque nihilominus s. Congregationem haud permoverunt, inanem videtur spem fovere, qui arbitretur aliam aliquando de ipsius rei veritate futuram forte sententiam Romanae Ecclesiae.

Nec difficile alii rationem decisionis invenerunt. Est enim directa occisio, est actio a qua non duplex effectus immediate sequitur alter bonus alter malus, sed immediate sequitur effectus malus h. e. mors procurata infantis atque ex hoc effectus bonus, nempe salus matris. Iam vero universalissimum principium est: non esse facienda mala, ut eveniant bona.

Porro ratio omnis oppositae sententiae, praeter eam, quam innuimus n. 920., eo fere redibat, ut infans censendus esset veluti matris aggressor, innocens quidem ex se, sed obiective iniustus, ut idcirco cum eo agere liceret sicut cum aggressore et sicut huius occisio indirecta est; propria enim defensio est, quae intenditur: ita et huiusmodi occisio infantis esset dicenda indirecta, utente matre legitimo iure defensionis.

921. Verum reponunt, ut ex principio, *licere occidere aggressorem*, colligeres iure quod possit hic infans occidi, oporteret subsumere, *atqui*; *hic infans est aggressor*, non diminute *est veluti aggressor*. Reapse heic nulla aggressio est et si his formulis abuti licet, potiori iure mater esset dicenda aggressor vitae infantis, quando videlicet naturalis matris arctitudo obstat, ne proles matura in lucem prodeat, ut notat Lehmkuhl op. cit. vol. I. p. 502. Infans in utero se habet ut impedimentum quoddam salutis matris et potius quam aggressori assimilandus esset infanti in arcta via iacenti, quem tu fugiens ab adversario te persequente, conculcaturus es, si pergis fugere: licet tunc quidem tibi fugienti te exponere periculum eum occidendi eumque si opus est, conculcare; sed ponendo actionem, a qua immediate uter-

que effectus sequitur, bonus, aversio tua ab inimico et malus, mors infantis: non autem liceret tibi aut alteri pro te, prius occidere infantem et sic tibi viam expeditam munire. Certe si quis sit, cuius consortium evadere nequeo, qui peste infectus, vitae meae excidium minatur, me sine dubio infecturus: non licet mihi eum occidere, ut cesset infectio et ego evadam a certo mortis periculo. Atqui id est quod fit, cum infantis in utero caput conteritur, ut consulatur saluti matris; quemadmodum citatus Auctor ibid. advertit.

Dices: nostro casui propinquiorem esse casum illius, qui mente captus, inconscius sui, gladio me invadit, ut periculum mortis declinare nequeam nisi eo occiso. Ipse est aggressor materialis, non formalis et tamen licet mihi me defendere etiam occisione eius. Qua in re differt ille fatuus ab infante, cuius praesentia est matri causa mortis? Quis responderet, non omnes permittere occisionem huius fatui et vidimus Lugo (n. 894.) id negare, ob rationem tamen, quae heic non haberet locum. Discrimen inter utrumque casum forte est, quod ille, quamvis non sit aggressor formalis, ratione habita actus humani, est tamen formalis aggressor in ratione ipsius aggressionis; infans vero neque est talis aggressor: unde aliud oritur discrimen, quod in priore casu licet defensio ideoque et mors aggressoris, si ea necessaria est defensioni: in altero casu non est locus defensioni, quae ius dat necis inferendae.

922. Occasione huius quaestionis quaerere licet cum Paulo Villada *Casus conscientiae* part. 3. pag. 267. an licita sit operatio, quae a nomine eius inventoris itali medici vocatur Porro. Ea in hoc est sita, ut post sectionem caesaream, uterus cum eius annexis partibus ac proinde cum ovariis auferatur. Cf. Schröder op. cit. pag. 405. Per eam operatio caesarea multo feliciorem exitum habere dicitur nec haemorragiae amplius sunt timendae et vitae periculum removetur, quod probabiliter secum affert sectio caesarea (a) ac praeterea periculum ex nova generatione matri imminens avertitur, utpote cui generatio fit impossibilis, quia sine ovario conceptio haberi nequit.

Pro responsione advertimus cum Auctore citato, hanc ablationem uteri cum ovariis tanquam vera castrationem ideoque mutilationem ab ipsis medicis haberi. Quo posito, illud idem de hac operatione dicendum ac de castratione et generatim de mutilatione dicitur. Cum ergo mutilatio licita non sit nisi ad conservationem propriae vitae,

---

(a) Haec operatio, ait Schröder l. c. cum enthusiasmo recepta fuit, quando sectio caesarea minus perfecte agebatur. Nunc vero primas concedendas esse sectioni caesareae nemo negabit. E.

eodem pacto et ista operatio in hunc tantum finem licita erit. Si qui vero putent (cf. dub. I. res. 2.), castrationem identidem licere ob alios fines puta ad suavitatem vocis obtinendam, ex qua temporalis utilitas promanat, ii consequenter permittent et ob alias proportionate graves causas, praeter conservationem vitae, usum huius operationis. *

CAPUT II.

DE DUELLO.

Quid sit. An liceat duellum.

XXXV. Respond. Duellum est duorum (vel subinde etiam plurium) certamen, quod ex condicto, uno indicente et altero acceptante, suscipitur: ita ut id non sit vitam defendere, sed exponere periculo. Quod etsi communiter sit mortale peccatum, licitum tamen est ex iusta causa, quae semper est attendenda. Vid. Trident. sess. 25. c. 19. *de reform.* Sanch. 2. *Mor.* c. 39. Item de poena duellantium v. infra *de Excomm.* et Sanch. l. c.

923. * Duellum definitur: *pugna inter duos* (vel plures in pari numero) *ex condicto, cum periculo occisionis, mutilationis vel vulneris.* Diximus vel *inter plures;* nam et pugna ita institui potest, ut ex utraque parte bini sint vel terni et ita porro confligentes, ita tamen ut singuli cum singulis seorsim pugnent, vel unus cum pluribus, sed successive et tunc duellum erit, sed multiplex.

Quod quidam addunt; *ex privata auctoritate,* id non ad essentiam duelli spectat, sed ad moralitatem eius seu malitiam.

Ex condicto sive, ut ait Clemens VIII. in Const. *Illius vices, ex composito* nimirum praemeditatione quadam animi reflectentis decerni debet huiusmodi pugna, ut duellum sit ac decerni debent eius conditiones. Idcirco inter condictionem duelli atque ipsum duellum intercedere oportet spatium aliquod temporis. Manifestum est, haec fieri non posse sine provocatione et acceptatione pugnae.

Condicere autem sive statuere oportet *locum* et *tempus* pugnae. Haec est indoles duelli et ubi talis condictio absit, non censetur duellum. Quaestio est, an oporteat etiam condicere seu designare arma, quibus est confligendum. Arma utique requiruntur; non solum quia agitur de certamine, ex quo occisio, mutilatio aut vulnus sequi potest, sed quia id est in more positum et id ab omnibus intelligitur, cum duellum nominatur, ut armis nempe ambo congrediantur. Quocirca de tali pugna loqui censendi sunt Romani Pontifices, cum duello poenas indicunt.

Itaque designanda quoque esse arma saltem pro duello, contra quod poenae ab Ecclesia sunt statutae, censet s. Alphonsus n. 401., ubi ad

incurrendas poenas, quae, ut ipse ait, incurruntur solum ob duellum stricte sumptum, requirit ut conventio facta sit *loci*, *temporis* et *armorum*. Dubitare utique licet, an id essentiale sit duello; videtur enim, quod quamvis electio armorum in ipso loco duelli fiat, verum duellum sit: attamen hic est ordinarius mos duellorum, quae generatim, constitutis prius patrinis et electis armis, iniri solent; ideoque cum leges poenales sint strictae interpretationis, sequi profecto licet s. Alphonsi sententiam, ut nisi conventio armorum praecesserit, poenis ecclesiasticis congredientes non subeant, etsi gravissime peccent. Cf. P. Villada *Casus Conscientiae* p. 2. pag. 344. seq.

Cum periculo occisionis etc. Huc reapse tendit duellum et in hoc est eius essentia sita ut duellantes se exponant certo periculo tum activae tum passivae occisionis, mutilationis aut vulneris. Nec, ut sit duellum, oportet esse fatale; nam et ubi post primam effusionem sanguinis sistitur vel sistendum decernitur, verum exstitisse duellum omnes sentiunt et etiam tum sane, generatim loquendo, duellantes se exponunt periculo etiam gravis vulneris, mutilationis, occisionis inferendae et subeundae. Ceterum Clemens VIII. Const. *Illius vices* anno 1592. interdixit duella quoque cum pacto inita « de dirimendo certamine, cum primum alteruter vulneratus fuerit seu sanguinem fuderit » (quae commentatores deinceps, non ipse Clemens, appellarunt duella non fatalia).

924. Si duellum privata auctoritate seu proprio arbitrio suscipitur, patet in quo sita sit eius malitia. Eo ipso enim iure, quo vetita est occisio, mutilatio, vulneratio sui ipsius et aliorum, vetitum est quoque ne quis se exponat periculo certo occisionis, mutilationis, vulnerationis aut sui aut alterius aut utriusque. Et quamvis iusta exsistente causa nempe defensionis vel intervenientis legitimae auctoritatis, liceat se exponere huiusmodi periculo, ut contingit in iusta aggressione aut in bello; hae tamen conditiones non habent locum in duello, quod ex condicto propria auctoritate suscipitur.

Differt sane duellum a legitima defensione, tum quia in duello nullus est aggressor, tum quia ius defensionis postulat ut alter ius non habeat se defendendi et paribus utendi mediis, quod tamen praestatur in duello. Differt etiam a legitimo bello, quod non fit nec fieri potest ex condicto circa determinatum locum, tempus, modum pugnandi et usum armorum ut paritas sit pro utraque parte: haec enim completa condictio fini per iustum bellum assequendo repugnat.

Causa autem, quae duello obtenditur, nempe honor reparandus, inepta est et iniusta; cum ad hunc finem assequendum, sit duellum prorsus ineptum. Nam et is, cuius honor laesus est, occumbere potest,

non secus ac alter et quamvis victor discedat, neque victoria neque ipsa sola acceptatio duelli argumentum est, quod alter sit mentitus aut quod honor ille, quo se iniuste privatum dicit, ei debeatur.

Porro cum poenae contra duellantes ab Ecclesia decernuntur, hoc ipsum duellum privata auctoritate susceptum intelligendum est: loquuntur enim Pontifices de provocantibus et acceptantibus duellum; idcirco de iis loquuntur qui propria auctoritate, non coacti a superiore qui id subinde legitime imperare possit, ineunt singulare certamen. *

925. Ex data definitione liquet discrimen inter duellum et alias etiam armatas congressiones privatas.

Itaque 1° differt duellum a rixa, cum quidam ex impetu irae ad pugnam se provocantes, statim congrediuntur; deest enim essentialis conditio, quod fiat ex condicto.

2° Neque est duellum, si qui odio se prosequentes, obviam facti, se ad pugnam excitant districtisque gladiis mutuo in se irruunt. Ratio eadem ac in priori.

3° Si iidem provocant se ex condicto ad talem locum et statim illuc pergant ibique arma conserant, iuxta aliquos nondum est duellum (apud Bonacina *de Censuris* disp. 2. q. 3. p. 48. n. 7.); quia non habetur condictio temporis adde *et armorum* atque videtur potius prosecutio rixae ex impetu irae obortae, quam duellum ex condicto susceptum. Quod quidem in quaestione, an poenae incurrantur, tenere licet. Certe si conflictus inter duos ex improviso oboritur et ipsi ex eodem rixae impetu ad locum aliquem idoneum ex aequo pergunt, poenas non incurrunt, ut declaravit s. Cong. Conc. 5. octobr. (?) 1744. apud Scavini ed. 8. tom. 2. p. 480.

4° Qui in ecclesia provocatus ut inde exeat ad duellum, exit, propter reverentiam, ab ea, non dicitur designare locum. Bonacina ibid. n. 8.

5° Si quis alteri offert duellum eumque statim aggreditur et hic, etiam acceptis armis, se defendit, patet non esse duellum.

6° Si quis cum alio contendens, domum currit arma sumpturus, nulla facta provocatione ac reversus provocat inimicum et aggreditur, nullum est duellum.

7° Nec satis est si quis dicat alteri, lacesso te ad duellum, quin designet locum, tempus, arma: nondum scilicet habetur ea provocatio, quae dicitur provocatio ad duellum.

926. * 8° Quid si provocatio aut acceptatio sit ficta, eo quod reapse desit intentio duelli aut spem certam habeat provocans aut acceptans duellum ab aliis impeditum iri?

Responsio per se non videtur difficilis: ficta provocatio non est provocatio, quemadmodum fictum matrimonium non est matrimonium. Quocirca si poenae decernuntur in provocantes aut acceptantes duellum, non est cur dicamus eas incurri ab iis, qui fictam solum provocationem aut acceptationem edunt; quamvis ex alia causa, puta, scandali, peccare possint.

9° Idem dicendum, si duellum ipsum ficte, ad fucum tantum faciendum, ineatur, amoto periculo cuiuscumque damni. Est enim duellum solum specie tenus, non verum, ad quod requiritur ut quis se exponat periculo occisionis, mutilationis aut vulneris: heic autem nullum est huiusmodi periculum. Ita quoad utrumque casum d'Annibale in *Comm. Reat.* ad excommunicationem contra duellantes et Pennacchi Comm. in Const. *Apost. Sedis.* App. 18. pag. 364. seqq. ad 2.

Sed nonne obstat propositio 2ª ex damnatis a Benedicto XIV.? quam vide paulo inferius. Cum per se evidens sit, fictionem actus non esse ipsum actum, respondemus, quod ss. Pontifex vel negat talem virum excusari a culpa, saltem ratione scandali, vel negans excusari a culpa duelli, supponit in provocante vel acceptante veram provocationem aut acceptationem, quae esse potest, etsi certo sciatur duellum impeditum iri, quatenus ita sint acceptantes aut provocantes animo parati, ut, si contra spem impedimentum sit cessaturum, sint reapse duellum udituri. Ita P. Villada l. c. p. 355.

927. 10° Certis in locis ita duella non fatalia instituuntur, ut omne periculum aut mortis aut gravis vulneris amoveatur. Nam praeter testes seu patrinos, adsunt hinc inde duo armorum magistri (maestri di scherma) iidemque huius artis peritissimi, qui quo quilibet ictus tendat, bene callent, parati statim ense suo amoliri vel retundere quemcumque ictum noverint perniciosum fore. Quod de hoc conflictu dicendum?

Si solum vulnera gravia impedienda sint et levia permittenda, habetur adhuc duellum, quod vel ad primum sanguinem, ut dici solet iniri potest. Veruntamen si non sit periculum nisi levis vulneris, non erit censendum huiusmodi duellum (veniale, quatenus duellum) prohibitum sub excommunicatione, quae requirit culpam gravem. Ita P. Villada l. c. pag. 251. in nota, loquens de duellis, ubi periculum sit tantum vulneris levis, si haec hypothesis reapse verificatur. Atque, ut patet, responsio nostra hypothetica est, si nempe certa sit (certitudine utique morali) amotio periculi gravis vulneris; quam quidem hypothesim non censemus impossibilem in praxi. Ita et Bonacina Tom. 3. *de Duello* n. 15. ex Filliuccio tr. 29. c. 8. n. 113. *

928. Duellum pluries ab Ecclesia vetitum fuit. Cf. Trid. Syn. Sess. 25. de Refor. c. 19., Gregorii XIII. Const. *Ad tollendum*, ann. 1582. Clementis VIII. *Illius vices* ann. 1592., propositionem 2^m inter damnatas ab Alexandro VII. ann. 1666. et theses damnatas a Benedicto XIV. Bulla *Detestabilem* ann. 1752. Const. Pii IX. *Apostolicae Sedis* inter excomm. R. P. reservatas n. 3.

Poena prior est excommunicatio latae sententiae R. P. reservata, atque afficit non solum duellum perpetrantes, sed et simpliciter provocantes ad illud, vel ipsum acceptantes, praeterea quoslibet complices vel qualemcumque operam aut favorem praebentes, item de industria spectantes, tum illud permittentes vel, quantum in ipsis est, non prohibentes, cuiuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis. Const. *Apost. Sedis* l. c., ad cuius normam nunc de hac poena est decernendum. De hac re agemus in tr. *de Censuris*. Nunc satis sit advertere responsum fuisse a s. Congr. Inq. ad Episc. Pictaviensem 31. maii 1884. inter complices recensendos quoque esse medicos, qui a duellantibus rogati assistant « cum intentione citius finem pugnae imponendi vel simpliciter vulnera ligandi ac curandi »; etiam si tantum in domo vicina vel in loco propinquo sistant, parati ad suum ministerium praebendum: modo haec ex condicto fiant. Idem est quoad confessarios responsum, si eaedem sint conditiones. Ratio est; quia sic vere favent duello et complices eius fiunt.

Altera poena est proscriptio bonorum contra dominos temporales, qui in suis terris inter christianos locum duello concedunt et contra committentes pugnam, quibus additur poena perpetuae infamiae. Trid. Syn. l. c. Hae tamen poenae non amplius vigent.

Privatio sepulturae ecclesiasticae, si duellantes in ipso conflictu decedunt, etiamsi ante obitum dederint poenitentiae signa, imo etiamsi *extra locum conflictus sacramentis muniti decesserint*, ut Benedictus XIV. praecepit. Ita Benedict. XIV. Const. *Detestabilem* 14. nov. 1751. §. 47. « Decernimus et declaramus, sepulturae sacrae privationem... incurrendam perpetuo fore... a decedente quoque extra locum conflictus... ac etiamsi vulneratus ante mortem non incerta poenitentiae signa dederit atque a peccatis et censuris absolutionem obtinuerit, sublata Episcopis et Ordinariis locorum super hac poena interpretandi ac dispensandi facultate, quo ceteris documentum praebeatur fugiendi sceleris etc. ». Clerici duellantes incurrunt suspensionem ferend. sentent.: Pius IV. addit privationem dignitatum et beneficiorum et inhabilitatem ad illa dein obtinenda.

Unde resolves.

XXXVI. 1. Duellum non est licitum ad indagandam veritatem vel iustitiam vel purgationem obiecti criminis aut litem terminandam; quia est fallax, imo superstitiosum medium ad eum finem, cum etiam innocens homicidium et facere et pati possit. Trull. l. 5. c. 2. d. 13. n. 12.

Vel superstitio est, ut ait A., vel potius tentatio Dei.

XXXVII. 2. Neque ob inimicitias aut ad iniuriam vindicandam, neque ob solam ostentationem virium aut delectationem.

929. Ergo non liceret ducibus duorum inimicorum exercituum producere hinc inde nonnullos milites, qui ad *experiendum robur, ad voluptatem spectantium* etc. pugnarent: sicut neque licet hisce de causis bellum gerere.

XXXVIII. 3. Nec item ad evitandam ignominiam; quia apud bonos et prudentes honorem non perdet: imo nec apud alios, si provocanti dicat, se eum non aestimare dignum cum quo congrediatur, contra leges divinas et humanas. Interim iturum se in dies libere suas vias paratumque semper fore et nunc esse, contra quemvis invasorem se tueri. Trull. l. c. n. 4.

930. Res clara est. * Ratio sane, cur haec ignominia non excuset acceptantem duellum, excuset autem non fugientem, cum invaditur, ne honorem amittat, peti debet ex eo, quod occisio in hoc altero casu sit defensio, non in alio. Quando enim alius te invadit, ut interficiat, potes te defendere eum occidendo, si aliter effugere nequis: non potes autem aliter evadere, quia fuga tibi affert maximam ignominiam... At quando alius te ad duellum provocat, si acceptares et eum in duello occideres, occisio illa non esset defensio tuae vitae; nemo enim te invadit, sed rogat solum et invitat ad pugnam, non tamen te occisurus si non acceptas. Non ergo occidis ut te defendas, sed ut vires et animum ostendas: quare manet illa occisio intrinsece mala, cum sit occisio privata sine necessitate ad defensionem. Ita Lugo disp. 10. n. 172. *

XXXIX. 4. Duellum licet acceptare vel offerre ad conservandam aestimationem exercitus apud hostes eosque debilitandos, vel ad terminandum bellum cum minore damno. V. Sanch. l. c.

931. Duo heic casus continentur. Primus est, quando non ad vanam fortitudinis ostentationem, sed ad servandam penes hostes existimationem, neve animo concidat exercitus, pugna acceptetur vel offeratur. Profecto eodem modo ac licet diem locumque praestituere, quo vel universus exercitus vel magna aut minor pars ipsius in eum finem pugnam ineat; non apparet, cur non possit pugna ex condicto iniri inter paucos. Exemplo est David procedens contra Goliath.

Alter casus est, si utraque pars bellantium in eo consentiat, ut ad vitanda maiora utriusque partis damna et caedes, pauci pugnent ita ut ex pugnae exitu exitus etiam belli diiudicetur. Et utique Theologi morales apponunt quasdam conditiones (vid. Sanchez *in Decalog.* l. 2. c. 39. n. 16.), ne prodere quisquam causam reipublicae videatur. At nulla profertur ratio in contrarium, quasi haec pugna habeat aliquid commune cum illo duello, quod illicitum est.

XL. 5. Acceptare item licet, si quis alias te occisurus concedat tamen arma, ut sic fortunam experiaris; quia est tantum defensio, posito quod aliter non possis evadere. Similiter, si iudex duos ad mortem damnatos vellet duello congredi; quia aliter alterius esset constitutus minister iustitiae. Trull. l. c.

932. De priore parte Resol. nulla est quaestio: ratio enim A. evidens est. Cf. Lugo disp. 10. n. 173. Quoad aliam partem Laymann l. 3. tr. 3. p. 3. c. 5. n. 2. duplicem ponit quaestionem, scilicet 1° an iudex seu princeps possit duobus reis mortis indicere duellum: 2° an reis licitum sit acceptare.

Et quoad primum inquit (alios allegans): « Licet secundum se et speculative rem aestimando non videatur id alienum a iure naturali, quod id aliud non sit, quam utrumque reum in alterutrum ministrum iustitiae decernere, ut iustam mortis sententiam in illum exsequatur, ei autem, qui praevenerit, vita condonetur: attamen ob adiunctas circumstantias non vacat periculo scandali; quare nec expediet, neque licitum est ». Certe rarissime continget vim et dexteritatem utriusque esse pares: haec ergo sententia iudicis saperet acceptionem personarum nec aliis placere potest, quod exsecutio sententiae, quam iustitia exigit, fiat dependens a sorte vel valore alterutrius. « Ad alteram partem respondeo, inquit Laymann, cum Azorio tom. 3. lib. 2. cap. 5. quaest. 7. postquam princeps huiusmodi facultatem duello decertandi reis concessit, licitum videri id acceptare, non ex odio, sed tum publicae iustitiae zelo, tum propriae vitae salvandae causa ». Cf. Resol. seq.

At aliter quaestionem ponit Azor l. c. hoc modo: « Quando aliquis ab alio per calumniam accusatur et se certo videt ad mortem condemnandum... et non potest aliter evadere ab iniusto calumniatore, nisi oblatum duellum acceptet, tunc licitum est acceptare duellum sibi oblatum a calumniatore suo adversario, *intercedente iudice;* tunc enim solum innocens se defendit ab iniuria et vitam suam tuetur a vi seu iniuria ». Ita et Pirhing, l. 5. t. 14. n. 2. *interveniente,* ait *consensu iudicis.* Quae quaestio pertinet ad resol. seq.

XLI. 6. Denique, si vir nobilis in aula regia, vel militaris in castris, provocatus sisteret se, merae defensionis gratia, cum spe praevalendi, privandus alioqui, ob suspicionem ignaviae, dignitate, officio vel favore Principis, non audet eum damnare Laym. l. 3. t. 3. p. 3. c. 3. eundem excusat Hurt. 2. 2. d. 170. s. 8. §. 73. Less. c. 9. d. 8. Fill. c. 8. q. 6. Nav. c. 13. *Expende in hac materia de duello Propos. 2. inter proscriptas ab Alexandro Papa VII. *

933. Ita revera Laymann l. 3. tr. 3. part. 3. cap. 3. n. 2., qui ad hanc quaestionem dicit: « Non audeo damnare eum, qui merae defensionis gratia paruerit, iuxta doctrinam Navarri cap. 15. n. 3. et 4. ».

Subdit s. Alph. n. 400.: « Quaeritur igitur, an liceat viro nobili vel militari acceptare duellum et etiam illud offerre, si alias, honore amisso, certe privandus esset officio, quo se et familiam sustentat. Affirmant Holzmann cum Pichler et Anacleto, item Sporer ac Elbel cum aliis. Ratio, quia eo casu non solus honor defenditur, sed etiam bona ad vitam necessaria, quorum iactura supponitur non posse aliter reparari. Et huic sententiae adhaerent Lessius, Palaus, cum Coninck et Valentia, dum dicunt, licite posse acceptari duellum ad necessariam defensionem bonorum magni momenti hocque probabile putat Roncaglia et Croix, modo actu alter bona invadat et actu pugnandum sit ». Hoc pacto etiam Bonacina id ait videri licitum l. c. n. 18. Sed hac postrema conditione posita, nulla est amplius quaestio: licet enim defendere rem suam etiam morte invasoris. Hanc ergo conditionem supponendum est a s. Alph. seponi, cum subdit: sed hodie hae ambae opiniones amplius non sunt probabiles ex prima et quarta inter quinque propositiones, quas Benedictus XIV. damnavit... ».

Ex his pronum est colligere, non ad rem appositam fuisse Auctori nostro postillam de expendenda 2ª propositione damnata ab Alexandro VII. « Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare ne timiditatis notam apud alios incurrat »; quia casus est dispar et ibi solum agitur de timiditate.

934. Heic referre iuvat quinque propositiones circa duellum damnatas a *Benedicto XIV.* an. 1752. in Bulla *Detestabilem.* Sunt autem sequentes:

1° *Vir militaris qui, nisi offerat vel acceptet duellum, tanquam formidolosus, timidus, abiectus et ad officia militaria ineptus haberetur indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitae ac promeritae spe perpetuo carere deberet, culpa et poena vacaret, sive offerat sive acceptet duellum.*

2° *Excusari possunt, etiam honoris tuendi vel humanae vilipensionis vitandae gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt, pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.*

3° *Non incurrit ecclesiasticas poenas contra duellantes latas, dux vel officialis militiae acceptans duellum ex gravi metu amissionis famae vel officii.*

4° *Licitum est in statu hominis naturali acceptare et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio eorum iactura propulsari nequit.*

5° *Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinatae, in qua nimirum, vel negligentia vel malitia magistratus, iustitia aperte denegatur.*

935. Quaestio ergo nostra est, an liceat acceptare duellum, quando, nisi acceptes, alter grave damnum in vita vel in bonis est tibi certe illaturus.

Iam vero minus ad rem facit prima propositio damnata a Benedicto XIV. quam obiicit s. Alph. sup. n. 116. Ratio quia in ipsa dicitur « *nisi* OFFERAT *vel acceptet duellum* » et rursus in fine « *sive* OFFERAT *sive acceptet duellum* », nempe sermo est etiam de duello offerendo. Atqui non sic se habet casus noster.

Eadem de causa, aliis omissis animadversionibus, minus ad rem facit prop. 4ª ex iisdem damnatis a Benedicto XIV., quam urget s. Alph. sup. n. 116.: ratio, quia ibi dicitur « *Licitum est... acceptare et* OFFERRE *duellum* ». Ergo et in hac propositione sermo est de casu diverso, nempe etiam de provocatione.

Scilicet non constat, hunc casum in iis comprehendi. Illae enim de duello etiam *offerendo* loquuntur; heic vero agitur de sola *acceptatione* ad necessariam *bonorum (magni momenti) ab actuali invasione* defensionem. Norunt porro omnes, damnationem propositionis complexae nequaquam exigere, ut omnia eiusdem membra censeantur falsa, sed satis esse, si falsum reperiatur alterum: quinimo prius illud ad absurdum per se inducit; nam si v. gr. dicas: *ss. Apostolis Petro et Paulo amputatum caput fuit;* concludendum ex damnatione foret, *neque Paulo amputatum caput fuisse:* quod est aperte falsum. Sancte itaque servanda regula illa logicorum est, propositionis damnatae atque adeo falsae veram habendam esse non quidem *contrariam,* sed *contradictoriam* tantummodo. Porro, propositionis *copulativae*, cuiusmodi sunt obiectae *prima* et *quarta*, contradictoria erit huiusmodi: *Aut offerre, aut acceptare duellum etc. illicitum est.* Atqui vi *disiunctivae* istius thesis absurde inferres, illicitum esse utrumque simul ipsius membrum. Ergo ex illarum propositionum damnatione nihil erui certe potest adversus eam opinionem, adeo ut damnata dici queat.

Verisimilius obiici forte posset damnatio Prop. 3ªᵉ, quae statuit, *non incurri poenas latas contra duellantes, si dux vel officialis militiae*

duellum acceptet ex gravi metu amissionis famae vel officii. Nam mentio tantum *acceptantis* in ipsa fit. At enim, ut cetera modo praetermittamus, alia ratio et quidem duplex se offert, propter quam vis obiectionis plane eliditur. Prima est, quod nihil in ea propositione dicatur de *actuali bonorum defensione ;* quocirca ad praesentem quaestionem nihil haec pertinet. Altera est, quod propositio damnari merito potuit vel ob illud unum, quod falsissime supponat, eum, qui duellum detrectet, fama graviter periclitari. Frustra igitur et haec propositio obiicitur. Et reipsa eximius ex Ordine Serv. B. Mariae Virg. theologus Marcus Struggl, postquam diligentissime perpendit has quoque Propositiones a Benedicto XIV. proscriptas, nihilominus *Th. Mor.* tr. 7. q. 3. art. 6. n. 65. statuit, *licitum posse evadere duellum..., si contra iniustum aggressorem ad defensionem vitae vel ingentium bonorum necessario debeat suscipi; ut si quis actualiter intentaret certam mortem, direptionem bonorum, aut incendium domus, nisi cum illo actualiter duellum ineas; nam licitum est se defendere contra iniustum aggressorem vitae et ingentium bonorum alia via irrecuperabilium.* E quibus apparet, hanc doctrinam vix aut ne vix quidem ab ea distare, quam Gury quoque V. 1. §. 405. in Resolutionibus quinta et sexta proponit, si quidem huc revocetur quaestio superius nn. 888. seqq. agitata de defensione ingentium bonorum etiam cum iniusti aggressoris occisione.

Concludendum igitur, fas utique cuique esse rationes inquirere, quibus eam opinionem eiusve qualemcumque probabilitatem oppugnet; at rationes huiusmodi plane aliunde, ac ex proscriptis illis propositionibus quaeri oportet.

936. Neque vim habet magnam ratio Gury §. cit. n. 2. quod nempe « occisio alterius privata auctoritate nunquam licita est, nisi contra actualem aggressorem...; provocans autem ad duellum non est actualis aggressor ». Nam facile alii negabunt minorem et dicent haberi actualem aggressionem, quando alter grave illud damnum, de quo sermo est, tibi certe illaturus est. Haec enim est hypothesis nostra et aliunde quando certum imminet et alioquin inevitabile damnum, falsum est, ut sup. n. 883. vidimus, te obligari ad expectandam aggressionem.

Addit s. Alph. n. 400. q. 2. quaestionem « an liceat innocenti duellum indicere adversus falsum accusatorem, quando aliud remedium non suppetit ad evitandam mortis sententiam ». S. Alphonsus negativae sententiae absolute adhaeret et post Salmanticenses *de* 5. *Praec.* c. 1. n. 167. et 174. urget propositionem 18. ex damnatis ab Alex. VII.: « Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes ac etiam iudi-

cem, a quo certo imminet iniqua sententia, si alia via non potest innocens damnum vitare (a).

Atqui argumentum istud non concludit. Et sane perinde est, ac si dicerem: « *Licet occidere iniquum aggressorem ad damnum vitandum* »; haec enim propositio damnari deberet, cum consentiat per se, ob quodvis vitandum damnum, etiam ob iacturam unius oboli aut iulii, occidi aggressorem iniquum posse. Num vero recte quis concluderet, neque ad vitandum damnum omnis substantiae licere interficere aggressorem...? A pari in re nostra. Vi enim illius propositionis liceret occidere iudicem vel accusatorem aut falsos testes, licet de re levis momenti agatur, dummodo iniusta sententia immineat. Et falso inde concluderes, idcirco ob nullum, utut maximum vitandum damnum, id licere. Ergo argumentum ductum ab illa propositione omitti debet.

937. Nec validiora sunt alia argumenta. S. Alph. n. 400. q. 2. ita ratiocinatur post Salmanticenses *de* 5. *Praec.* cap. 1. n. 169.: « Ratio quia defensio hoc casu esset excessiva, ut probatur ex s. Thoma 2. 2. q. 64. art. 7. ». Animadverte heic, s. Thomam ibi nihil pro-

---

(a) Quae ratio argumentandi idonea nobis videtur. Eatenus enim liceret provocare ad duellum, quatenus ius esset occidendi. Dices: ea propositio damnata, cum indefinite *de iniqua sententia* loquatur, potest intelligi et de iniusta sententia in re levi; ut idcirco damnata sit propositio, quia pro iactura quoque unius iulii interfectionem permittit. Non ergo recte concludes id non licere, si agatur de gravi damno vitando. Sed haec videtur nimia subtilitas. Non enim est in more hominum positum, etiam iniquorum, ut pro levi damno, cum praesertim nondum est illatum, deliberationem concipiant occidendi damnificatorem. Potest id utique contingere ex malitia speciali hominis, sed casus rarissimus erit. Porro merito supponimus et auctores propositionis et eius damnatorem illud prae oculis directe habuisse, quod attentis hominum moribus verisimile esset eventurum. Idcirco propositio de iniqua sententia in re gravi certe loquitur.

Deinde ipsa proscriptio propp. 1. et 4. damnatarum a Benedicto XIV. videtur nobis aliter accipienda. Videlicet ea illis adhibenda est interpretatio, quae certa est s. Alphonso. Supponendum est enim velle Romanos Pontifices huiusmodi proscriptione propositionum, aliquid docere fideles, quod in quaestione, quae agitur, valeat esse norma practica eorum actionum.

Iam si inhaerentes regulae dialecticorum dicimus, hunc esse sensum proscriptionis, ut illicitum sit aut acceptare aut offerre, neutra re determinata, quid emolumenti capiet fidelis, videns neutram actionem sibi interdici? Cur ergo potius non sequemur regulam praecipuam interpretationis: ita nempe verba interpretemur, ut loquens aliquid reapse accomodatum suo fini voluerit dicere? Et idcirco cur non dicemus, proscriptionem propositionum esse contractam quidem quoad formam at reapse aequivalentem duabus, ut utrumque voluerit Pontifex negare, quod auctores propositionum affirmabant, non licere scilicet acceptare duellum, non licere offerre duellum? Profecto haec non est contradictoria propositionis damnatae, si extrinsecam eius formam spectes, sed contraria: est tamen ea, quam exigit ipse scopus Pontificis aliquid certi nos docere volentis sua proscriptione. Exemplum habes in Decreto Clementis VIII. de confessione per Litteras, ubi etsi habeatur particula *et*, incisa sunt accipienda disiunctive propter eandem rationem, cf. Tract. nostrum *de Poenit.* ed. 2. pag. 160 seqq.

Adde, ex eo quod liceat occidere iniustum invasorem bonorum, non licere inferre statim, quod liceat ea duello defendere; quia duellum continet praeterea vitium suicidii. Itaque quaestio est etiam, an liceat se certae morti exponere pro defensione bonorum. Pro defensione autem vitae cur non licebit? cf. n. 932. in fine. E.

prie de hac re habere, sed solum generatim docere id, quod omnes profitemur, defensionem debere esse *cum moderamine inculpatae tutelae.*

Pergit s. Alph.: « dum mors non procederet *directe* ex omissione duelli, sed ex iniusta sententia iudicis ».

Sed haec est subtilitas Salmanticensium: quasi scilicet tantummodo possim occidere aggressorem, quando ex non occisione *directe* procedat mors aut damnum meum! Nempe dum occido vel in duello vel extra duellum, tollere volo *causam veram* meae mortis: parum autem refert utrum haec causa mediate aut immediate, per se vel per alium mortem mihi inferat; dummodo verum ac certum sit, mortem ab illo mihi esse certo paratam et me per occisionem auferre causam, sive physicam sive moralem, at causam *veram* mortis meae.

Omitto alias rationes, quas Suarez *de Carit.* disp. 13. sect. ultim. n. 5.-7. postquam protulit, vult concludere, sententiam Sanchez utut *probabilis esse videatur*, non tamen admittendam in praxi ob periculum.

Placet heic subnectere, quae habet Lugo disp. 10. n. 184. in fin.: « Advertunt tamen praedicti doctores, ad hoc exigi, quod constet aperte et omnino certo, actorem omnino iniuste et per calumniam procedere atque etiam quod innocens haec bona irrecuperabiliter et certo amissurus sit: quae quidem quia in republica bene composita vix unquam concurrent, ideo in praxi casus rarissimus esse potest ». Quae Lugo dicit de thesi: « an liceat occidere iniustum litigatorem qui calumniis, falsis testibus conetur in iudicio te rebus tuis spoliare, quando aliter spoliationem non potes effugere » (a).

938. Quod attinet autem ad auctoritatem DD., ipsi Salmanticenses pro affirmativa opinione l. c. n. 168. allegant Lyranum, Bannez, Caietanum, Torre, Azor, Rodriguez, Navarrum et Navarram, Sanchez, Fagundez, Dicastillo, Trullench et Barbosa; quibus cum aliis accessit Lugo et Sanchez *Moral.* lib. 2. cap. 39. n. 7. addit Valentia et Manuel: adde Molinam apud Suarez *de Carit.* diss. 13. sec. ult. n. 5. Pro negante autem, quam tenent, non habent nisi Tostatum, Salonium, Arragonium, Suarez, Ognez, qui duos alios allegat et his *falso* addunt Lessium *de Iust.* lib. 2. cap. 9. n. 47., falso, inquam, quia eo loco nihil dicit, nisi non esse in praxi admittendam opinionem (utut speculative probabilis videatur), quod liceat occidere calumniatorem, ob incommoda inde timenda. Quae nihil huc faciunt, sed pertinent ad quaestionem, quam sup. n. 887. tetigimus, de tuenda nempe *fama* cum occisione infamaturi.

(a) Cf. doctrinam eiusdem Lugo traditam n. 883. E.

Notanda autem verba Sanchez lib. 2. cap. 39. n. 7. in fin.: « Optime Bannez ait, licere innocenti in his casibus acceptare et offerre duellum ob rationem traditam; imo et non provocando ad duellum, interficere occulte actorem illum calumniosum; cum haec occisio sit vera defensio. Imo bene Navarra ait, teneri innocentem non acceptare duellum nec indicere, si potest illum occulte occidendo, id vitae (honoris) ac rerum familiarium periculum evadere. Quippe sic proprium vitae periculum in duello imminens vitabit et peccatum actoris offerentis aut acceptantis duellum ».

Ex quibus patet, quantum aberrent illi, qui contra ex eo arguunt, quod non liceat interficere talem actorem, ut v. gr. Salmanticenses, id perperam ex prop. 2. Alex. VII. extundentes, ut vidimus sup. n. 116. (a).

CAPUT III.

DE BELLO

DUB. I.

An et quousque liceat bellum.

939. Differt bellum a rixa, quia rixa est paucorum vel singulorum contra paucos vel singulos: bellum vero est multitudinis contra extraneos.

Differt a seditione, quia bellum est multitudinis contra extraneos; seditio vero est multitudinis contra multitudinem in eadem republica sive civitate ac definiri solet *tumultus populi concitati ad pugnam.* Laym. lib. 2. tr. 3. cap. 12. n. 1. ex s. Thoma 2. 2. qq. 41. 42. 43.

Seditio si, ut plerumque accidit, non est subnixa iusta ratione, tanto gravius est peccatum prae rixa, quanto maius est bonum publicae quietis et politicae concordiae quae per seditionem violatur.

Confessarii autem est (ut catechistae seu concionatoris, data opportunitate) ob oculos ponere criminis gravitatem ob ingentia mala tum publica tum privata, tum spiritualia tum temporalia et quomodo auctor sit horum malorum non modo ille, qui ex pravo animo seditionem commovet, sed et quisquis imprudenti lingua eam fovet aut animos aliorum ad tumultus concitat.

(a) Licetne innocenti, damnato ab iniquo iudice ut vel mortem subeat vel in duello pugnet, ut se probet innocentem, acceptare duellum? Affirmat Bonacina l. c. n. 18. non quidem ut se probet innocentem, ad quod non conducit duellum, sed ut vitam suam tueatur, ad quam tuendam habet ius etiam cum damno alterius personae cuius vitae potest praeferre suam; et citat Caietanum 2. 2. q. 95. a. 8. ad 3m. Puto, auctores supponere, alterum, quocum innocens est conflicturus, esse verum aggressorem, et sententiae capitali causam dedisse et provocare ad duellum. E.

XLII. Respond. Bellum defensivum, quo scilicet vis iniusta repellitur, licet etiam privata auctoritate: offensivum vero, quo vis infertur, ut liceat, tres conditiones requirit: 1. ut geratur auctoritate Principis, vel Magistratus nullum agnoscentis Superiorem: qualis est Papa, Imperator, Reges et quaedam Respub. verbi gratia Venetorum, Genuensium etc.: 2. ut adsit iusta causa eaque gravis, verbi gratia, necessitas boni communis et quietis conservandae, recuperatio iniuste ablatorum, coercitio rebellium, defensio innocentum etc. Vid. Laym. hic. et Molin. t. 1. d. 104. Dian. p. 6. t. 4. 3.: 3. ut fiat ex recta intentione, hoc est non ex odio, sed ex amore boni communis, quanquam si haec ultima sola desit, non sit obligatio restitutionis. Ita commun. cum s. Th. q. 41. Laym. l. 2. t. 3. c. 12.

940. Bellum *defensivum* dicit A. licere etiam *privata auctoritate*, ad quod confirmandum citat Laymann leg. 3. Dig. *de Iustitia et iure*. Agitur quippe de officio, quod omnibus incumbit, patriam, cum possunt, tuendi.

Quod spectat ad bellum offensivum, s. Thomas l. c. q. 41. a. 1. tres conditiones requirit, quas A. enumerat. Itaque 1° debet suscipi *Principis* auctoritate. Huc referunt DD. sententiam s. Augustini *contr. Faust.* lib. 22. n. 75.: « Ordo naturalis, mortalium paci accomodatus, hoc poscit, ut suscipiendi belli auctoritas penes principes sit ».

Alii vero magistratus non supremi, licet durante necessitate seu periculo vim atque iniurias aliorum repellere possint cum moderamine inculpatae tutelae, cessante tamen necessitate ac periculo, mox et ipsi cessare debent et vindicandae iniuriae iustitiam ac sententiam et exsecutionem a Principe petere. Ita Laymann l. c. n. 4.

Monent tamen DD., apud Laym. ibid., quod si supremus princeps seu magistratus negligat vel non audeat illatas iniurias vindicare, tunc necessitas societati licentiam tribuat bellum inferendi hostibus eosque pro meritis puniendi, ne improbitas impunita maiores animos faciat.

Altera conditio est, ut causa belli exsistat et Auctor breviter innuit, quod causa debet esse *iusta* et *gravis*.

Et quoad *iustitiam*, causa iusta erit *accepta iniuria*. Ita Augustinus *Quaest. in Iosue* q. 10. in c. *Dominus* caus. 23. q. 2.: « Iusta bella definiri solent, quae ulciscantur iniurias; si qua gens vel civitas, quae bello petenda est, vel vindicare neglexerit, quod a suis improbe factum, vel reddere, quod per iniurias acceptum est ».

Ratio, cur ad bella recurrendum sit, patet. Cum enim respublica vel princeps, contra quem bellum offensivum geritur, superiorem iudicem non habeat, a quo ad iniuriae satisfactionem damnique compensationem compellatur; ideo in defectu proprii iudicis ac vindicis ipsa respublica seu Princeps, qui vel cuius subditi iniuriam passi sunt, iudicandi vindicandique sceleris potestatem naturali ac gentium iure consequuntur. Laym. ibid. n. 5.

Quod si non ipsemet princeps vel respublica aliena sed eius subditi damnum vel iniuriam intulerunt, tunc qui ex altera republica iniuriam passi sunt, non prius bellum inferre ac de malefactoribus vindictam sumere debent, quam principem vel rempublicam moneant, ut a suis subditis poenam exigant eosque ad damni compensationem adigant. Si autem princeps vel magistratus id facere negligat, tunc contra ipsum quoque bellum moveri potest ab eo, qui in republica, quae passa est iniuriam, auctoritatem habet. Laym. ibid. n. 5.

941. Ad bellum instituendum oportet causam adesse gravem ac magni momenti. Etenim in eo tot hominum etiam innocentium caedes fiunt, regiones vastantur et ipsamet respublica, quae bellum infert, periculum adit. Hinc si sine causa proportionata bellum suscipiatur, princeps et consiliarii gravi iniuria non modo alienam, sed et propriam rempublicam afficiunt, quippe eam periculis exponunt, tributis gravant, publicum aerarium exhauriunt.

Causas quasdam particulares tangit Laymann lib. 2. tr. 3. cap. 12. n. 5.:

1ª Ut subditi rebelles ad obedientiam redigantur.

2ª Ut recuperetur provincia aut civitas reipublicae debita, quam recuperare boni communis multum intersit.

3ª Ad vindicandam gravem contumeliam Principi vel reipublicae illatam, ut habes 2. Reg. X. 4. Ammon rex Ammonitarum legatis missis a David, ut consolarentur de morte patris, instigantibus aulicis « *rasit dimidiam partem barbae et praescidit vestes eorum medias usque ad nates et dimisit eos* ».

4ª Ut ultio sumatur de gente vel principe, qui auxilium praebet hosti iniustum bellum gerenti: quo iure Romani multas provincias sibi subiecerunt et habes etiam 2. Reg. VIII. 5. *Venit Syria Damasci, ut praesidium ferret Adarezer Regi Soba et percussit David de Syria 22. millia virorum.*

5ª Ut ii repellantur, qui iniuste prohibent, ne nocentes puniantur, quos puniri reipublicae multum interest, ut habes Iudic. XX. 12. seqq.

6ª Ut animadvertatur in eos, qui foedus cum Principe vel republica initum non sine gravi damno, iniuria et dedecore eius violarunt, ut habes 4. Reg. III. 4.-7.

7ª Ut obtineantur ea, quae iure gentium permissa sunt et per iniuriam denegantur: v. gr. transitus sine mora et nocumento ex una in aliam regionem, ut habes cap. fin. caus. 23. q. 2. ex Augustino *Quaest. in Num.* q. 44. ad c. 20.: « Notandum est sane, quemadmodum iusta bella gerebantur a filiis Israel contra Amorrhaeos. Innoxius enim transitus denegabatur, qui iure humanae societatis aequissimo patere debet ».

8a Ut iustum sociis auxilium afferatur: quod si ab hostibus infestentur auxiliarii, tunc et ipsi ius acquirunt bellum adversariis inferendi, ut habes Gen. XIV. de bello Abrahami adversus reges, qui tot in servitutem adduxerant aliosque reges.

9a Si populi *subiecti* sint idololatrae, iusta erit causa eos persequendi bello, ut ad legem naturalem servandam compellantur atque adeo ad falsorum Deorum cultum et quamlibet sacrilegam impietatem deserendam; ut patet ex plurimis Iuris Canonici locis apud Laym. lib. 3. tr. 1. cap. 17. n. 3.

Itemque fas est christiano principi paganos ac iudaeos propter peccata contra legem naturae et ne christiani damna ab illis patiantur, terris suis expellere.

10a Item si subditi in haeresim vel infidelitatem lapsi, alios secum trahant atque ita dissensionem in regno vel provincia excitent.

11a Infideles vero, non subditos, bello persequi quandoque licebit, nempe 1° si impiis suis ritibus damno afficiant innocentes, v. gr. rapiendo, immolando infantes et moniti a christianis nolint desistere: 2° si christianam fidem contumeliis atque blasphemiis proscindant aut christianos pervertere conentur: 3° si christianis praedicatoribus, qui divino ex praecepto lucem evangelicam propagare volunt, aditum claudant in regiones suas, vel subditis suis concedere recusent liberam facultatem audiendi et amplectendi evangelii. Vid. s. Thom. 2. 2. q. 10. art. 8.

12a Item, si rex vel subditi unius regni a vera fide deficientes, subditos alterius regni ad eandem defectionem pertrahere conentur, iustam causam habet rex vicinus bello se defendendi et illatam iniuriam vindicandi.

942. S. Thom. 2. 2. q. 40. art. 1. « tertiam conditionem requirit, ut intentio bellantium sit recta ». Sane « potest, ut ait, contingere, ut sit legitima auctoritas indicentis bellum et causa iusta; nihilominus propter pravam intentionem bellum reddatur illicitum. Dicit enim Augustinus *contr. Faust.* lib. 22. cap. 10.: Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus, implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi et si qua sunt similia, haec sunt, quae in bellis iure culpantur ». Bene autem monet A. quod si haec sola conditio desit, nulla sit obligatio reparandi damna.

Unde resolves.

XLIII. 1. Si quis iustum bellum gerat, non potest alter licite se defendere; quia circa eandem rem non possunt duo habere contraria iura. Fieri tamen potest, ut neutra pars peccet, ob ignorantiam invincibilem. Fill. n. 185.

943. Quoad 1°. Is, qui iusto bello lacessitur, debet satisfacere aequis postulationibus alterius partis et iniuste repellit vim, quae iuste infertur.

Quoad 2°. Ignorantia utrinque contingere potest, quando iura sunt dubia.

Fieri potest, ut ignorantia excuset principem, non vero consiliarios aut alios, qui principem informant de causae adiunctis. Si enim informatio falsa est et princeps non habet alias dubitandi causas, delictum in caput decipientium vertetur.

XLIV. 2. Tenetur Rex, antequam bellum incipiat, omni diligentia curare, ut certus sit de eius iustitia et gravi causa. Ad quod sequentia conducent, 1. ut curet habere non tantum peritos, sed etiam bonos Consiliarios: 2. ut attendat, an etiam a suis impediantur vel intervertantur litterae aut instructiones ad ipsum: 3. si non tantum a suis Consiliariis, sed etiam a diversis Theologis curet iustitiam belli secundum leges Evangelicas examinari et libere edici: 4. si auditis omnibus, ipse quoque coram Deo illam examinet statuatque id, quod in punto mortis se fecisse vellet. Denique, licet sufficiat opinio probabilis de iustitia belli, si tamen iustitia maneat aequaliter dubia et alter sit in possessione, non licet ei bellum indicere, cum melior sit conditio possidentis. Fill. t. 29. c. 9. q. 4. Troll. l. 5. c. 2. d. 3. ubi cum Dian. p. 4. t. 4. r. 72. docet, licere etiam Principi concedere repressalia, servatis tamen conditionibus certis, quas v. apud Pal. t. 1. c. 6. d. 5. p. 4. et hîc infra dub. seq.

944. S. Alph. n. 404. quoad quaestionem, an liceat bellum inferre cum sola opinione probabili proprii iuris, refert tres sententias. Prima est affirmantium, quia licere debet principi, quod licet etiam privatis, ut litem in tali conditione moveant super re ab aliis possessa.

Verum haec ratio in paritate deficit. Nam privatis id licet; quia licet suas iudici promere rationes: sed non pariter liceret, ad rem ipsam manus extendere. Et cum iudex in eo casu rem soleat addicere possidenti, hinc nulla facultas fit in casu, ut alter, quasi agens partes iudicis, possit ad rem vindicandam insurgere, quam sibi adiudicare non posset, si partes iudicis ageret.

Secunda sententia est eorum, qui censent, tunc solum licere, quando ius est probabilius. Quippe iudex deberet ei, si lis in foro ageretur, rem adiudicare.

S. Alphonsus vero adhaeret tertiae sententiae, quam dicit longe sibi probabiliorem, scil. non licere bellum contra iam possidentem bona fide, nisi quis habeat certitudinem sui iuris; et allegat DD. qui arguunt ex regula, *in dubiis melior est conditio possidentis;* quam dicunt *legem canonicam,* etiam reges obligantem.

Verum non caret res difficultate. Nam regula ista, quae exigit *ius certum*, valet quidem quoad privatos, quibus non licet *ex iustitia* rem sibi vindicare aut compensatione uti sine iudicis auctoritate, nisi certum ius sit; at non valet pro iudice, qui adiudicabit litem parti potiores rationes afferenti, licet haec non sit in possessione et licet ius non *sit manifestum.* Porro ubi de bello agitur, ad iudicem non est

recursus et, ut ait Laymann lib. 1. tr. 1. cap. 5. §. 3. n. 25., quaeque pars debet esse sibi iudex. Non ergo ratio est, cur ab his exigatur regula, quae bene valet pro privatis, ne proprio iudicio agentes gravia inducant incommoda in hisce rebus facillima ob deceptiones.

S. Alphonsus tamen non negat, *satis esse* probabilem, speculative loquendo, etiam *intrinsece* secundam sententiam; sibi tamen arridere quod ait Roncaglia, quod cum bella communiter secum ferant flagitia multa et damna religionis, innocentium, honoris mulierum etc., vix iustum videri debet, nisi ex *certo iure* geratur (a). Verum haec speculatio Roncagliae nodum non secat. Nam compensatio incommodorum non ex certitudine omnimoda iuris, sed ex gravitate rei, propter quam bellum suscipitur, diiudicanda est.

XLV. 3. **Perspecta iustitia belli, debet ea proponi parti adversae: quae si offerat competentem satisfactionem, non debet bellum inchoari. Imo, ut probabilius est, si coeptum sit, debet, si non ex rigore iustitiae, saltem plerumque ex caritate mox finiri. V. Mol. supra d. 103. Trull. l. 5. c. 2. d. 3.**

945. Clara est pars prior. * « Quod ad alteram attinet, dubitare DD. ait Laymann l. c. n. 5., an etiam post mutuum conflictum, quando iam aliqui ceciderunt ex ea parte, quae iustum bellum gerit, si adversarius condignam satisfactionem offerat, acceptari debeat et bellum intermitti. Responsio, subdit, debet esse affirmativa, ex hypothesi quod condigna satisfactio offeratur. Qua in re non videtur posse esse dissensus. Unde ergo dissensus? aperit mox ipse Laymann. Quia id, ut nempe offeratur condigna satisfactio, in bello vindicativo ferme impossibile est; nam totus exercitus, qui bellum iustum gerenti se opposuerat, in mortem tradi deberet, quod nunquam facere consentirent: ideo recte negant DD. apud Molina, bello actu iam coepto, principem iuste pugnantem teneri ex iustitia, ut bello absistat et oblatam satisfactionem acceptet ». Ita Laymann. Si igitur ius gentium emollitum victori in iusto praelio denegaret hoc ius, occidendi scilicet omnes milites victos, cessaret ratio huius dissensus inter DD. et rediret sententia ab initio statuta. *

XLVI. 4. **Potest Princeps pro satisfactione petere restitutionem ablatorum et expensarum, item aliquid in poenam illatae iniuriae. Duval. Hinc potest victos privare bonis, etiam innocentes, tributa eis imperare, extruere arces et cetera, quae ad securitatem sunt necessaria. Con. Dian. p. 6. d. 4. r. 22.**

946. Quoad 2° partem spectandum ius gentium vigens. Ita in desuetudinem abiit, quod bona victae gentis privata victoribus cedant.

(a) Vide, quomodo s. Alph. *satis probabilem* dicat affirmativam, licet dixerit *longe sibi probabiliorem negativam:* hoc discedit ab eo, quod alibi dicit, scil. se non iudicare *probabilem* opinionem, cum oppositam dicit *longe* aut *certe* probabiliorem.

XLVII. 5. Principes tenentur stipendia solvere militibus, alioqui tenentur compensare damna tum ipsis militibus, tum aliis, qui ab iis damnum acceperunt. Con. Pal. Dian. p. 6. t. 4. r. 29.

947. Quod dicit A. de compensandis damnis illatis ab exercitu, cui soluta non fuerint stipendia, locum olim habebat, et casus refertur praesertim ad tempus, quo exercitus manet extra territorium hostile; nam in territorio hostili exigunt ibi sustentationem. Qua in re consulendum, quid ius commune belli propria aetate praescribat.

Semper tamen illicitum est, privatorum bona invadere et si quid exigitur pro sustentatione exercitus, id publico hostium aerario compensandum relinquitur.

XLVIII. 6. Tenentur etiam aliquando Principes Catholici a bello alioqui per se iusto abstinere, si inde oriturum sit scandalum et spiritualis ruina multorum ac detrimentum Ecclesiae. V. Pal. Dian. p. 6. t. 4. r. 7.

948. Ita Laym. lib. 2. tr. 3. cap. 12. n. 5.: « Catholicus princeps animadvertere maxime debet, utrum occasione belli, quod secundum se iustum est, Ecclesia et fides catholica incrementum aut decrementum passura sit. Si enim spes amplificandae Ecclesiae affulgeat, aggredi debet, etsi alioquin forte non susciperet. Sin autem periculum sit scandali seu spiritualis vitae multorum, intermittere debet bellum, quod alioquin iure instituere posset ».

Et utinam haec norma servata fuisset praesertim in consiliis regum Gallorum. Legenti enim historias manifeste elucet, statum miserrimum rerum divinarum in Germania deberi maxime Gallorum politicae semper atheae qui ad deprimendum Austriacum imperium, nunquam non se socios iunxerunt haereticis et Turcas non dubitarunt excitare.

Regula a Laymann proposita est generalis. In singulis autem casibus perpendendae sunt omnes circumstantiae, an agatur v. g. de re prorsus necessaria societati, an locum habeat regula de permissione mali, cum iusta subest causa actionem ponendi, a qua duplex effectus sequitur, bonus et malus.

XLIX. 7. Etsi per se loquendo, in bello iusto liceat advocare infideles in auxilium, per accidens tamen subinde, imo plerumque non licet, ratione scandali, et periculi in fide; verbi gratia, ne subditi pervertantur, sacra profanentur etc. Regin. tom. 2. l. 21. n. 10. Fill. n. 181.

949. S. Alph. n. 406. affert tum de haereticis, tum de gentilibus tres sententias, quarum prima absolute licitum dicit, secunda absolute illicitum, tertia licitum *per se,* illicitum per accidens, quam tenet A. post Laymann l. c.

Subdit, hanc tertiam speculative esse probabilem; sed secundam in praxi tenendam. Resolutio tamen huius quaestionis pendet a circum-

stantiis, in quibus incommoda timeri possint aut non possint. Si modo s. Alph. viveret, cerneret oculis suis, Ecclesiam tranquillius degere inter schismaticos, haereticos, turcas, idololatras, quam sub regimine quorundam, qui se dicunt catholicos.

L. 8. Similiter licet alteri Principi, etiam alterius fidei, in bello iusto auxilium ferre; nisi tamen sit periculum scandali, incrementi haereseos et damni verae fidei. V. Con. tr. *de Caritate* d. *de Bello*.

Res clara est.

LI. 9. Duces, Tribuni, Centuriones aliique Officiales peccant tenenturque ad restitutionem, 1. si pauciores habeant milites, quam in solutione stipendii exhibent: 2. quando debent ex officio commeatum curare et dant militibus cibum vel potum corruptum, ex quo morbi oriantur: 3. si in transitu per regiones accipiant pecunias a variis pagis, ne istic pernoctent aut morentur: 4. si uni militi dent plura syngrapha ad domos diversas. Molin. Bec. Dian. p. 6. t. 4. r. 27. et 28.: 5. si stipendium militibus subtrahentes permittant extorquere ab innocentibus necessaria.

Haec notanda ad eos monendos, qui his praeesse debent.

LII. 10. Miles, qui in bello et iusto et iniusto paratus est mereri stipendia, est in malo statu et incapax absolutionis, nisi mentem corrigat et quidem, si militet in bello iniusto, tenetur ad restitutionem damnorum, nisi inculpabilis ignorantia excuset; tunc enim sufficit restitutio eorum, quae in specie habet vel eorum, in quibus factus est ditior. V. infr.

950. Quoad restitutionem intellige de praeda, qua factus esset ditior, non vero de stipendio. Cf. dicenda ubi *de Restitutione.*

LIII. 11. Si vocatus ad bellum sit subditus Principis, qui bellum gerit aut ab eo ante conductus, non tenetur inquirere de iustitia belli, quandiu nulla vehemens suspicio occurrit in contrarium, quae positive reddat dubium; quia potest praesumere pro suo Principe, cui in dubio debet obedire eiusque auctoritas plerumque illi sufficiet ad formandum etiam positive iudicium probabile de iustitia causae, ne cum dubia fide operetur. V. C. Lug. d. 18. *de Iust.* s. 1. n. 21. Si vero non sit subditus, tenetur prius inquirere et postea saltem probabile formare iudicium, bellum esse iustum. Mol. d. 113. n. 171. Laym. l. 2. t. 3. c. 12. n. 8. Azor, Mald. Regin. contra quosdam apud Dian. to. 2. tr. 5. misc. r. 96. et tom. 3. r. 7. Card. de Lugo l. c. Escob. E. 7. c. 8.

951. De milite subdito (aut conducto ante bellum) habetur eadem regula in iure Canonico c. *Quid culpatur* 4. caus. 23. q. 1. ex Augustino Contr. Faust. lib. 22. cap. 74.: « Vir iustus, si forte sub rege homine etiam sacrilego militet, recte potest illo iubente bellare, si quod sibi iubetur, vel non esse contra Dei praeceptum certum est, vel, utrum sit, certum non est ».

Quod vero dicitur, sufficere auctoritatem Principis ad iudicium probabile de belli iustitia, merito Lugo disp. 18. n. 21. advertit, non semper et in universum verum esse.

« Quando enim (inquit) aliunde scio, principem passim pro libito praecipere turpia, homicidia, furta et similia, sine ulla prorsus atten-

tione ad licitum, quomodo possum ex mero praecepto principis credere, quod iustum sit, quod praecipit? Debent ergo concurrere alia adminicula... ad inferendum illud probabile iudicium, nempe principem v. gr. non temere, sed prudenter solere praecipere, solere cogitare de causa iusta belli, non esse aliquid clare belli iniustitiam ostendens, plures timoratae conscientiae huic parti adhaerere et similia... Aliter dicendum esset, si bellum inter principes infideles et haereticos esset. Tunc enim cum eorum conscientiae non posset prudenter miles fidere, quippe qui de iustitia belli parum curant, attente considerare et examinare deberet belli iustitiam et causam, ut posset iudicium illud probabile formare ».

Quoad A. dicit de non subditis, extende ad subditos, qui sponte se militiae addicunt.

LIV. 12. Miles intelligens bellum esse iniustum, in quo est, non potest absolvi, nisi velit, quam primum potest, curare dimissionem et interea abstinere ab actibus hostilitatis, verbi gratia caede, praeda etc. V. Laym. l. 2. t. 3. c. 12. An autem talis possit occidere militem hostilem se invadentem v. Escob. e. 7. c. 8.

952. Quoad primam partem, certa omnia sunt et totum negotium in eo vertitur, ut doceatur miles, quomodo cum minimo sui periculo satisfaciat officio suo. In quo illud recolendum est, dari adiuncta, in quibus vitam pro iustitia profundere, seu martyrium evadit *necessarium*, v. gr. si morte damnetur, eo quod non feriat nisi aerem.

Quoad 2. partem DD. concedunt. « Si aliquis in bello, quod bona fide putavit iustum, in ipso tamen conflictu eius iniustitiam agnovit et dum fugit, videt adversarium insequentem, quem effugere non potest, nisi eum occidat, posse in sui defensionem eum occidere; quia cum revera innocens sit, non est dignus morte, quam adversarius ei vult inferre, cui si de veritate constaret, deberet eum relinquere ». Ita Molina et Soto apud Lugo *de Iust.* disp. 10. n. 144. haec tamen reiicientem n. 146., sed debili ratione.

Adverte tamen, non aegre posse haec vitari; quippe miles in fuga potest *se dedere,* qua deditione facta, moribus iam inductum est, ut non debeat occidi.

Ceterum alius casus, qui rem declarat, ad manum est: finge quempiam, qui ex errore persequatur te tanquam latronem etc., quia putat te paratum ad occidendum v. gr. patrem eius: nunquid non poteris resistere et vim repellere et etiam usque ad occisionem cum moderamine inculpatae tutelae?

DUB. II.

Quid in bello iusto liceat.

LV. Resp. Etsi circa hostes in bello iusto liceat ea omnia facere, quae ad finem belli sunt necessaria, verbi gratia occidere, spoliare etc.: innocentes tamen (quo nomine intelliguntur pueri, qui arma gestare non possunt, mulieres, senes, Religiosi, Clerici, peregrini, mercatores et rustici) directe vita spoliari non possunt; bonis tamen externis possunt, si sint pars Reip. hostilis aliterque finis belli obtineri non possit. Mol. Bec. p. 2. c. 10. 11. et 12. Laym. Fil. n. 181. etc. Ratio est, quia cum sint pars Reip., possunt propter huius delicta puniri in iis bonis, quae Reip. dominio subsunt.

953. Dicitur non posse innocentes *directe* occidi; quia indirecte permitti potest eorum interitus, si hic sequatur *per accidens* ex actibus, qui alias liciti sunt et necessarii ad finem belli. Obsolevit autem mos etiam istos capiendi.

Quod autem dicitur de bonis, modo et ista solum *indirecte* laedi novo iure solent neque nunc privatorum bona directe laeduntur.

Unde resolves.

LVI. 1. Per accidens licet aliquando comburere etiam ecclesias et hostes ex iis extrahere, in iis spoliare et occidere, si v. gr. ecclesia velut castro ad repugnandum utantur. Sylv. v. *bellum* n. 11. Sà. Bon. p. ult. §. 3.

954. Quando necessitas exigit, possunt muniri ecclesiae. At praeter necessitatem, non licet.

LVII. 2. Contra hostem licet uti insidiis et stratagematibus, dummodo absint mendacia: etsi etiam haec, v. gr. quando exploratores se fingunt amicos, non sint mortalia. Ea vero, ad quae cavenda nulla prudentia datur, verbigratia veneno inficere puteos, aquas, glandes, sunt contra iura belli nec licent. Mol. d. 111.

955. S. Thomas 2. 2. q. 40. art. 3. affert verba s. Augustini Qq. in Ios. q. 10. circ. init.: « Cum iustum bellum suscipitur, utrum aperte pugnet aliquis, an ex insidiis, nihil ad iustitiam interest ». Et hoc probat (pergit s. Thom.) auctoritate Domini, qui mandavit Iosue, ut insidias poneret habitatoribus civitatis Hai, ut habetur Ios. VIII. 2.

Addit s. Thom. ibid.: « Aliquis potest falli ex dicto vel facto nostro, quia ei propositum aut intellectum non aperimus. Hoc autem semper facere non tenemur... Unde multo magis ea, quae ad impugnandum inimicos paramus sunt eis occultanda... Nec proprie huiusmodi insidiae vocantur fraudes nec iustitiae repugnant nec ordinatae voluntati. Esset enim inordinata voluntas, si aliquis vellet nihil sibi ab aliis occultari ».

Quod de mendaciis dicitur, duo habet notanda 1° Quod tunc solum leve erit peccatum, si talis simulatio fiat extra foedera et promissiones

erga hostem, cui nocendi ius habeas. Sic exploratores mitti solent, qui se amicos simulent. 2° Quod huiusmodi mendacia saepius excusari possunt propter invincibilem ignorantiam, quia recte se agere tales homines existimant. Ita Laym. lib. 2. tr. 3. cap. 12. n. 10.

De postrema parte nulla est difficultas. Et scite s. Thomas 2. 2. q. 40. art. 3. meminit illius sententiae s. Ambrosii *de Offic.* lib. 1. cap. 29.: « Quaedam iura bellorum et foedera etiam inter hostes servanda ».

LVIII. 3. Fides hosti data servanda est, nisi vel coactus dederis vel in grave detrimentum cederet Reip. aut Religionis, aut si hostes eam non servent, aut denique conditiones ac circumstantiae plane sint mutatae. Duval. Palaus, Dian. l. c. r. 10. vide etiam Laym. l. 3. t. 3. c. 12.

956. Coactus fidem dat, qui iniqua promittere compellitur, vel iniusto metu adigitur. Exempla passim oculis nostris occurrunt.

LIX. 4. Capti in bello etiam ex parte capientium iusto, nisi obstet scandalum aut specialis promissio, possunt fugere. Capti vero in bello ex parte capientium iniuste et fugere et bona hostium secum auferre possunt. Laym. l. 2. tr. 3. c. 12. n. 16. An obsides liceat occidere, vide supra dub. 4. c. 5.

Prior pars pluribus DD. probatur apud Laymann ab A. citatum et iure gentium id introductum est.

LX. 5. Potest quidem aliquando (raro tamen et nonnisi ob causas gravissimas) dari urbs in praedam: milites tamen privata auctoritate praedas agere aut hostibus damna inferre non possunt; quia sunt exsecutores tantum et ministri. V. Sà ver. *Bellum*, Laym. hic. tr. 3. c. 12. Fill. n. 198. Dian. p. 6. t. 4. toto. Dum autem urbs spoliatur iniuste, gregarios milites tantum teneri ad damnum, quod ipsi intulerunt, probabile esse docet Dian l. c. r. 31. ex Silv. Nav. etc. Item p. 3. t. 5. r. 86. Vide infra *de Restitutione* dub. 11.

Quod attinet ad secundam partem sententia aliorum rigidior est; sed quoad praxim, eodem tandem etsi per accidens, redit. Eam tuetur Laymann, l. 3. tr. 2. c. 6. n. 5. Cf. Tr. VIII. p. 2. n. 177. 6°.

LXI. 6. Milites peccant cum onere restituendi, si a rusticis aliisve apud quos hospitantur, vel per quorum loca transeunt, auferant aut invitis extorqueant vel etiam donata accipiant (nisi constet omnino libere fieri: siquidem donationes istae plerumque non spontaneae, sed coactae sunt) praeter ea, quae ex constitutione Principis iis debent subministrare; nisi tamen sint in extrema, vel saltem gravi necessitate. Mol. Con. Palaus, Bec. etc. Dian. p. 6. t. 4. r. 26.

Advertit heic s. Alph. n. 410. peccare milites si aufugiant, victoria nondum desperata, vel si discedant a castris sine iusta causa, cuiusmodi esset v. gr. si non solvuntur stipendia. Gravius autem crimen est ad hostes transfugere.

LXII. 7. Repressalia licita sunt his conditionibus: 1. ut manifeste constet cives alterius Reipub. fecisse iniuriam: 2. ut Superiores illorum rogati recusent administrare iustitiam: 3. ut constet eos culpabiliter id recusare: 4. ut princeps supremus, causa cognita, id concedat: 5. ut non inferatur plus damni, quam iusta satisfactio requirit. 6. Ut non concedantur in personas Ecclesiasticas. Mol. Dian. p. 4. t. 4. r. 72. ex 18. aliis.

957. Repressaliae dicuntur, quando princeps vel respublica subditis aut militibus suis, damnum iniustum passis, potestatem facit invadendi terras eorum, qui damnum intulerunt et occupandi bona incolarum etiam innocentium, donec iusta damni compensatio fiat. Laym. lib. 2. tr. 3, cap. 12. n. 13.

LXIII. Quaeres, ad quem pertineant bona hostibus erepta?

Resp. 1. Immobilia cedunt Principi aut Reipublicae; mobilia fiunt capientis, nisi consuetudo habeat, ut pars cedat Principi et Communitati. 2. Iure Caesareo, nisi consuetudo sit contraria, bona ablata iusto bello iis, qui ea iniuste possidebant, fiunt capientium, postquam ea in sua praesidia deportarunt. Valent. to. 3. d. 4. q. 3. Mol. d. 18. et Hurt. t. 2. d. 169. s. 12. §. 119. ubi requirit, ut una saltem nocte possederint. Vide etiam Sylv. Bonac. l. c. de peccatis in bello committi solitis. Trull. l. 2. d. 10. et seq. Dian. p. 6. t. 4. r. 23. ubi contra Durand. docet hanc sententiam esse in praxi tutam.

Consulendum ius gentium vigens et consuetudo.

An clerico licitum sit pugnare.

958. Thesis haec a Laym. lib. 2. tr. 3. cap. 12. n. 19. proponitur: « Clericis iure ecclesiastico c. *Clericum* dist. 50. et c. *Eos qui* c. 20. q. 3. etc. prohibitum est extra necessitatis casum propria manu pugnare ».

Adesse autem necessitatis causam putat, 1° si id necessarium sit ad defensionem propriae vitae: 2° si necessarium sit ad defensionem proximi innocentis, praesertim qui reipublicae valde utilis vel necessarius fuerit: 3° si necessarium sit ad defensionem patriae aut civitatis contra iniustos invasores: 4° si necessarium sit ad consecutionem iustae victoriae, ex qua salus Ecclesiae vel reipublicae christianae multum pendet. Ordinarie autem talis necessitas in bello praesertim offensivo non occurrit cum plerumque milites laici adhiberi possint.

Addit autem, si iusta necessitas causa non adsit, clericos quidem in maioribus ordinibus constitutos, graviter pugnando peccare: at si solum in minoribus ordinibus, peccare tantum venialiter, si gaudeant fori privilegio; si vero hoc non gaudeant, nihil peccant.

SECTIO VI.

* DE SEXTO ET NONO PRAECEPTO * (a)

Quid et quotuplex sit luxuria et quale peccatum.

959. De hac materia plura, alio quidem directe spectando, tradita sunt in tr. *de Actibus Humanis* et *de Peccatis,* quae meminisse iuvabit.

In hac tractatione brevitati utique studendum erit, at sine iactura claritatis, quam postulat rei natura, quae, teste s. Alph. n. 413., est frequentior et copiosior confessionum materia. Lege quae ibid. s. Doctor monet.

I. Coniungo haec duo Praecepta; quia utroque idem explicite vel implicite prohibetur, scilicet peccata impudicitiae et luxuriae. Est autem luxuria inordinatus appetitus, vel usus delectationis seu sensus venerei, qui fit cum commotione spirituum generationi servientium, circa partes corporis venereas; ita ut appetitus vel delectationes aliae, etsi etiam sensitivae aut sensitivorum, si tamen non sint venereae aut venereorum nec ad ea ordinentur, non spectent ad luxuriam. Porro actus seu peccata luxuriae distinguuntur in imperfectos, in quibus non intervenit ultimus terminus venereorum, quae est decisio seminis, ut sunt actus interni desideriorum et oblectationum morosarum qui speciem sumunt ab obiectis, et in perfectos ac consummatos, qui terminum iam dictum habent adiunctum. Qui rursus sunt duplices. Alii enim sunt naturales, qui naturae non repugnant nec specie differunt in ratione luxuriae (etsi per deformitatem superadditam aliquando specie differant) v. gr. adulterium, incestus etc. Alii innaturales sunt seu contra naturam, in quibus conditiones a natura institutae, v. gr. identitas speciei, vas debitum etc. non servantur. Et hi etiam in ratione luxuriae differunt specie, quae in illis variatur secundum modos, quibus committuntur, naturae repugnantes.

960. Quid luxuria sit, iam dictum est in tr. *de Peccatis* cap. 3. « Peccatum luxuriae consistit in hoc, ait s. Thomas 2. 2. q. 154. a. 1., quod aliquis non secundum rectam rationem delectatione venerea utitur ». Delectatio autem venerea est delectatio orta ex commotione spirituum (ut dicitur) generationi inservientium. Luxuria idcirco bene describitur ab A.: inordinatus appetitus vel usus (actus interni et externi comprehenduntur) delectationis seu sensus venerei etc. Inordinatum quippe est, quidquid non est secundum rectam rationem. Heic vero inordinatus est appetitus et usus venereorum, qui fit extra matrimonium vel contra obligationes matrimonii. Vitium proinde luxuriae situm est in delectatione venerea voluntarie admissa, extra matrimonium, vel in matrimonio, contra matrimonii leges.

(a) B., ut iam monuimus, huius praecepti tractationem praeteriit: quaedam tamen ab ipso dicta huc referemus. E.

Delectatio venerea, luxuriosa, libidinosa, carnalis perinde sonant apud Morales.

961. Sed heic latius explicanda res est, explicata distinctione, quam A. facit inter delectationem veneream et alias sensibiles delectationes.

« Sane, ait B. apud Gury V. 1. not. ad §. 411., diversas apud diversos AA. reperire est in hac re distinctiones. Nam praeter distinctionem venereae delectationis in *veneream sensibilem* et *veneream spiritualem* (quae est delectatio in sola voluntate exsistens de re turpi) quam, post Salmanticenses *de* 6° *Praecepto* c. 3. n. 31., cum nonnullis admisit Roncaglia tr. 12. q. 3. p. 295., quidam rursus veneream distinguunt in *veneream simpliciter* et *veneream sensibilem*, v. Sanchez de Matr. l. 9. d. 46. n. 4., quidam *veneream carnalem* ac *sensitivam* pro una eademque videntur accipere v. Laymann l. 1. tr. 3. c. 6. n. 6.-8.: alii *sensitivam* ac *sensibilem* prorsus a venerea distinguentes, illam rursus partiuntur in *pure sensibilem* et *carnalem sensibilem* v. Croix l. 5. n. 93.: alii demum simpliciori bimembri distinctione utuntur, in delectationem *veneram* et *sensibilem*, quam etiam *naturalem* dicunt. Quas quidem varias distinctiones atque adeo varias earundem penes diversos Auctores definitiones, dum quidam parum adverterent, in illud inciderunt incommodum, ut quibusdam Auctoribus eas sententias tribuerent, quas illi ne per somnium quidem cogitaverant ».

Non displicet tamen distinctio delectationis sensibilis, quae alia est a venerea, in *pure sensibilem* in *spiritualem sensibilem* et in *carnalem sensibilem*. Prima est, quam parit ipsa aptitudo obiecti ad sensum. Altera est interior, quae ex affectu honesto oritur, puta, erga matrem, imo etiam erga Deum cum quadam commotione sanguinis vel spirituum circa cor, ad quam excitandam, etiamsi visus et tactus subinde concurrant, sola tamen quaedam vehemens cogitatio vel apprehensio sufficit. Tertia est cum eadem commotione, ex affectu minus honesto, quamvis non venereo, determinata, plerumque ob pulcritudinem seu venustatem, quae in aliqua persona placet soletque percipi cum tactu tum solo visu et frequenter sola cogitatione repetente obiectum, quae cogitatio licet in se non obscena, idonea tamen est munire paulatim viam ad veneream commotionem. Hanc A. dub. 1. resol. 4. vocat *sensualitatem*.

« Interim, subdit B. l. c., quod spectat ad delectationem pure sensibilem seu naturalem, quaestio de reatu ipsius facile solvitur. Perinde enim est ac quaerere, quis reatus esse queat in delectatione, quae v. g. ex olfactu floris, ex caeli aspectu aut ex haustu gelidae percipitur. Merito proinde Croix l. c., cui consentit Viva *in prop*. 40.

damnata ab Alexandro VII. n. 20., postquam dixit, eam in se non esse malam nec aliam malitiam in ea reperiri posse, nisi quae generatim sit in actu, qui ad finem rationabilem non referatur, lectorem remittit ad n. 210. eiusdem libri, ubi de fine agit actus humanos cohonestante: quod tamen argumentum non bene satis versat, confusiones scilicet in hanc materiam a iansenianis inductas non penitus devitans ».

962. « Ceterum cum ea delectationis *pure sensibilis* seu *naturalis* sit indoles, quam diximus, mirum forte videbitur, quod s. Alph. n. 416. distincta venerea delectatione, de qua n. praeced. disputat, a sensibili sive naturali, quaestionem instituat: *an detur parvitas materiae in delectatione sensibili sive naturali* quodque addat, tenendam esse sententiam negantem, advocans in eam suffragium plurium auctorum, quos a Salmanticensibus l. c. n. 40. allegatos dicit. Nonne aliqua saltem distinctio adhibenda erat? Scilicet aegre quis verum s. Alph. sensum assequetur, nisi Salmanticenses adeat, quorum doctrinam s. Doctor compendio exhibet. Salmanticenses itaque non de qualibet sensibili delectatione tractant, sed expresse quaestionem agitant de ea, quae quaeratur ex osculis, tactibus et amplexibus etiam personae adultae et diversi sexus. Cf. l. c. n. 34. Et licet ibid. n. 41. asserant, *speculative veram et probabilem opinionem esse, quod eiusmodi actus, si fiant praecise ob delectationem naturalem et pure sensitivam, quae sensui tactus correspondet ob proportionem cum obiecto sensibili, sistendo ibi et secluso ulterioris periculo delectationis carnalis et venereae, vacant culpa mortali; quia talis delectatio ex se non est moraliter mala, sed indifferens non secus ac ipse tactus, qui ratione sui nominat actum indifferentem, ut docet* s. Thom. 2. 2. q. 154. a. 4. *et communiter Theologi, et sic fieri potest ob aliquem finem honestum:* attamen merito subdunt ibid. n. 48., quod cum propter corruptionem humanae naturae eiusmodi actus vix deduci in praxim ob delectationem sensitivam possint, quin coniungatur delectatio carnalis ac venerea, idcirco fere suberit occasio ac periculum peccati mortalis, nisi iusta causa haec fiant ». Scilicet loquentes de delectatione sensibili, quae in praxi vix seiungi potest a delectatione carnali, de certa quadam delectatione sensibili loqui videntur. Nimirum oscula, amplexus, tactus adhibere non solent homines nisi personis, quas diligunt; quando autem iusta causa absit, ut consuetudo patriae et non sit castus amor, in iis delectatio quaeritur non pure sensitiva, sed saltem ea, quam diximus carnalem sensitivam. Iam vero oscula, amplexus, tactus etiam partium honestarum, ex intentione huius delectationis habiti, occasio esse possunt et periculum gignere delecta-

tionis venereae libere admissae, praesertim si studiose et cum mora fiant, et tunc si tale periculum proximum praevideatur in iis tactibus oculis etc. ex intentione sola illius delectationis habitis, gravis erat culpa ». Certe « hypothesis, ait B. ibid., de osculis, amplexibus et tactibus, qui habeantur ob meram delectationem pure sensibilem ex ipsis praecise exsurgentem, in praxi vix locum habere videtur ». Sic ergo illa occasio et periculum peccati mortalis apparent, de quibus Salmanticenses loquuntur, « qui, pergit B. l. c., praeterea ibid. n. 40. expresse monent, Auctores, qui gravis culpae hos actus damnant (quos nimirum s. Alph. dein quasi pro sensibilis delectationis reatu allegavit) non de delectatione mere sensibili loqui, sed de carnali et venerea ».

« Huc igitur revocari potest doctrina s. Alph. ut de delectatione sensuali loquatur, quacum periculum coniunctum est venereae delectationis. Scite interea ipse monet, aliud esse agere *propter delectationem*, aliud *cum delectatione* ».

Praeoccupavimus heic quaedam, de quibus data opera in seqq. agendum: at necessaria fuerunt, ut distinctio delectationum statueretur.

963. Illud licet advertere, quod, etsi in feminis veri seminis secretio non fiat, nihilominus et ab ipsis venerea voluptas percipitur, completa cum irritatione organica, quae exsolvit et satiat naturam, comitante fere semper secretione humoris in organis generationis, incompleta in turpi commotione.

964. Distinguit A. non peccata sed actus luxuriae in imperfectos et perfectos: distinctio nimirum non cadit super gravitatem peccati, sed super naturam actus. Actus imperfecti illi sunt, de quibus in dub. 1., perfecti, de quibus in duobus dubb. seqq.

Actus imperfecti distinguuntur in *internos* et *externos:* de internis autem h. e. *morosa delectatione* et *pravo desiderio* vel *gaudio* iam sermo habitus est ab ipso B. in tr. *de Peccatis* a n. 54. ad n. 165. nec illic dictis opus est heic alia addere. Doctrina porro A. actus huiusmodi internos speciem sumere ab obiectis, complenda est iis, quae data sunt in eodem tr. *de Peccatis,* ubi de distinctione peccatorum actum est.

Quomodo distinguantur in genere moris actus imperfecti a perfectis et singuli utriusque classis inter se, dicendum erit, cum de ipsis disserte tractabimus. Nunc praemittenda distinctio, quae principiis praestituendis necessaria est. Nimirum luxuria seu delectatio venerea alia est *directe* volita, alia *indirecte.* Prior est, cum voluptas libidinosa in se intenditur vel admittitur; ut idcirco habeatur actus deliberatus voluntatis, qui fertur in voluptatem carnis: altera est, cum aliud intenditur, ex quo voluptas carnalis, praeter intentionem, licet praevisa, sequitur: voluptas, inquam, carnalis, non volitio eiusdem: quae duo sunt semper distinguenda.

965. Principia moralia in hac materia haec sunt.

I. Actus liber luxuriosus seu voluntaria admissio inordinata delectationi venereae, cuiusvis generis vel speciei sit, est per se mortale peccatum. I. Cor. VI. 9. 10. *Nolite errare: neque fornicarii... neque molles· neque masculorum concubitores... regnum Dei possidebunt.* Gal. V. 19. *Manifesta sunt opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria... quae praedico vobis, sicut praedixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Non enumerantur quidem disserte omnia opera luxuriae; at 1° enumerantur actus perfecti, *mollities, sodomia, fornicatio,* ad quam, ratione luxuriae, ceteri actus perfecti naturales revocantur, ut videbimus. Omissa est *bestialitas:* at dubitabisne bestialitatem grave esse peccatum, si tale est mollities et sodomia? 2° Actus imperfecti sub immunditiae et impudicitiae nomine comprehendi possunt; sunt enim reapse quid immundum minusque pudicum. 3° Praestituitur genus, *opera carnis*, illud, inquam, genus, ad quod fornicatio, mollities, impudicitia etc. spectant et de hoc genere affirmatur, quod excludat a regno Dei: atqui ad tale genus ceteri actus luxuriae, licet imperfecti, pertinent: ergo.

Quod spectat ad actus internos, habes sub gravi prohibita desideria uxoris alienae tum praecepto Decalogi Ex. XX. 14. *Non desiderabis uxorem proximi tui,* tum verbis Domini Matth. V. 29. *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam moechatus est eam in corde suo.* Quoad ceteros, si actus luxuriosus vetitus est sub gravi, iam ratio docet et complacentiam deliberatam de iis et eorum desiderium esse eodem pacto peccata gravia. Haec est constans Ecclesiae doctrina.

Ratio haec afferri solet. Quia usus rei venereae et venerea delectatio sunt a natura solum instituta pro actu, qui ad generationem et propagationem speciei tendit, qui, ipsa exigente natura, est actus unionis coniugalis: ut idcirco quaerere delectationem veneream extra coniugium sit illicitum. Sed idem praeterea graviter prohibitum esse debuit. Nam secus sponte sequeretur, homines matrimonii vinculum atque onera recusaturos, si aliter possent licite ea frui delectatione, quam natura apposuit actui coniugali; id vero gravissimum damnum inferret humano generi: graviter ergo prohibendum fuit. Cf. *de Peccatis* n. 336. 2.

966. II. Luxuria *directe* voluntaria sive quaesita sive admissa, in quovis genere, nunquam, extra matrimonium, admittit parvitatem materiae. Ratio est, quia delectatio venerea libere volita, quantumvis exigua et inchoata, fert per se appetitum sensualem et animum ad maiorem et completam, ut pronum sit, qui libere incepit, ferri libentissime ad ulteriora. Oportuit ergo, saltem propter hunc naturalem uexum, prohiberi sub gravi vel exiguam liberam delectationem.

Praeterea monent DD., etiam in parva delectatione venerea libere admissa contineri iam, quoad essentiam, totam malitiam, quam lex prohibet; est enim vere delectatio venerea, quae extra matrimonium illicita est atque graviter, ut diximus.

Referunt Salmanticenses ex Sanchez *Oper. mor.* l. 5. c. 6. Clementem VII. et Paulum V. hanc doctrinam probasse: praecepisse scilicet denuntiandos esse fidei Inquisitoribus eos, qui assererent, oscula, amplexus et aspectus turpes, habitos ob solam delectationem veneream, quae ex illis capitur, absque ulteriore ordine ad copulam, esse solum venialia peccata. Quorum Pontificum sententiam confirmavit Alexander VII. damnata propos. 40. « Est probabilis opinio, quae dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis ».

Ex quibus saltem docemur, esse mortale peccatum delectationem carnalem quandam parvam libere susceptam, etsi absit periculum pollutionis aut maioris commotionis ac consensus in eam. Quae doctrina impeditissima foret et confusionem pareret, nisi statuatur generalis regula superius tradita: non dari hac in re parvitatem materiae.

967. III. Luxuria *indirecte* voluntaria admittit parvitatem materiae; quia est consensus tantum in causam, quae graviter vel leviter influere potest ideoque graviter vel leviter esse peccaminosa, iuxta influxum in luxuriam.

De diversa habitudine causae ad talem effectum et quandonam illicitum sit causam ponere et qualis malitia sit in ponenda causa, iam data opera disputavit B. in tr. IV. *de Peccatis* a. n. 577. deinceps. Circa quae haec advertimus.

Cum de effectu sermo est qui, causa posita, sequitur praeter intentionem, licet praevisus, B. non distinguit inter eum effectum, qui est sola delectatio venerea in sensu orta et eum qui est pollutio seu delectatio haec venerea simul cum pollutione (cf. l. c. n. 577. in fine et n. 579. in parenthesi inserta verbis Busembaum), non distinguit, inquam, hoc pacto, ut in hac quaestione aliter de priore, aliter de posteriore loquendum censeat, quasi nempe fieri possit, ut mortale quidem sit ponere causam pollutionis, non vero eandem causam ponere solius delectationis venereae in sensu excitatae. Busembaum tamen secus sensisse forte videri potest.

Nam in tr. *de Peccatis* (cf. vol. 1. p. 524. XX.) dixerat *peccare venialiter, qui sine causa et necessitate actionem exerceat, ex qua intelligit delectationem carnis orituram, tamen sine directa intentione et sine periculo consensus.* Agens vero de 6. Praecepto (cf. l. c. pag. 525. n. 579.) de pollutione, ait, quod, *si pollutio praevideatur secutura ex*

re illicita, otiosa vel minus necessaria et haec sit causa propinqua ac natura sua ad venerem ordinata... mortale est ab illa non abstinere: Heic distinguit inter causas proximas et causas remotas atque tum solum, cum causa est proxima, affirmat esse mortale peccatum: in priore loco, nulla facta huiusmodi distinctione, generatim affirmat veniale esse peccatum.

Nihilominus recte factum putamus, in hac quaestione de luxuria indirecte volita, a B., qui non distinxit inter delectationem veneream et pollutionem, sed eadem ratione de utraque loquitur. Nam utraque tandem est per se graviter illicita et quemadmodum grave est peccatum, alterutram directe intendere, ita etiam, ut licite causa eius ponatur vel ut opus sit ab hac causa abstinere sive sub gravi sive sub levi, eaedem regulae valere debent. Atque ita Tamburini *in Decal.* h. t. c. 3. §. 5. n. 53. locutus de pollutione indirecte volita, subdit: « Quae hactenus de causis leviter vel notabiliter influentibus dicta sunt, intelligenda etiam de causis, unde distillatio vel commotio notabilis spirituum generationi inservientium consequi solent; haec enim perinde ac pollutio, sunt contra castitatem, propter magnam similitudinem ac propinquitatem cum eadem pollutione ».

Quia vero Busemb. in loco priore citato ex tr. *de Peccatis*, remittit lectorem ad ea, quae uberius disputat in tr. *de* 6° *Praecepto,* non immerito censuit B. doctrinam ibi contentam esse ex hac declarandam et, ut ipse ait n. 577., supplendam.

Fatendum tamen est, doctrinam s. Alphonsi, quam B. l. c. refert, spectare tantum ad casum pollutionis: eundem vero s. Doctorem, ubi Busemb. in tr. *de Peccatis* de causa loquitur delectationis venereae, nihil de suo addere, ut probare videatur simpliciter sententiam Busemb.; nisi forte dicatur ipse cum Busemb. reiicere lectorem ad ea, quae antea *in* 6° *Praeceptum* iam tradiderat.

968. In quaestione, an peccatum et cuiusmodi peccatum sit, ponere, absque ratione, causam pollutionis, quae praevideatur quidem, sed non intendatur, s. Alphonsus, secutus Salmanticenses et Roncaglia, limitationem quandam adhibet communiori doctrinae. Statuit sane et ipse, ut pollutio non intenta imputetur sub mortali, causam quae ponitur, debere esse graviter influentem in ipsam, cuiusmodi sunt, ait, omnes illae actiones, quae per se sunt graves culpae in genere luxuriae l. 3. n. 482. Aliis verbis « sententia, ait n. 484., communis et probabilior docet pollutionem non esse mortalem, nisi proveniat ex causa per se mortali in genere luxuriae... Ratio, cur causa debeat esse per se mortalis, est, quia cum pollutio non sit volita in se, sed tantum in causa, eo gradu mala erit quo mala est ipsa causa. Ratio autem cur

debeat insuper esse mortalis in eodem genere luxuriae, est, quia, cum causa leviter ad pollutionem concurrat, non est gravis obligatio, causam illam vitare ob pollutionem, quae praeter intentionem accidit ». Quae ratio principium generale effert, quo alii utuntur ad thesim demonstrandam.

Quia vero ab initio dixerat, mortale esse ponere, absque ratione, causam *graviter influentem*, hinc sub finem n. 484. circa medium, distinguit duplicem causam graviter influentem, alteram per se et absolute h. e. respectu omnium, alteram per accidens et relative, h. e. ratione habita alicuius personae propter eius pravam dispositionem. Porro causa relative graviter influens ea est, quae licet per se leviter influens in pollutionem, ut lectio turpis, talis est tamen ut frequenter ex ea pollutio sit secuta, quae idcirco vehementius ad pollutionem commovet subiectum prave dispositum. Quocirca a mortali non excusatur, ait, qui talem causam ponit: haec ergo licet in se non sit mortalis, erit tamen ipsi mortalis, iuxta s. Doctorem, ut constet ratio ab eo allata: « quia cum pollutio non sit volita in se sed tantum in causa, eo gradu mala est, quo mala est ipsa causa », ut superius statuerat. Sed cf. hac de re quae habet Ball. tr. IV. *de Peccatis* n. 584. seqq.

DUB. I.

An et quanta peccata sint oscula, amplexus, tactus, aspectus, verba obscena et similia extra matrimonium.

II. Resp. Ad id dignoscendum, distinguenda est imprimis intentio et delectatio venerea et venereorum ab intentione et delectatione sensitiva et sensitivorum aliorum, quae consistit in quadam proportione et conformitate rei tactae cum organo tactus. Deinde sciendum, intentionem et sensum venereorum esse mortalem et excludere a regno caelorum, secundum Apostolum ad Gal. V.

Nota: de Peccatis luxuriae, quae sola delectatione morosa aut desiderio continentur, iam dictum est in tr. *de Peccatis*.

969. Agitur de actibus imperfectis luxuriae: iis nomen genericum fieri solet *impudicitiae*, ex s. Thoma 2. 2. q. 154. a. 1. ad 5. Hi sunt, ut dictum est ab A. paulo ante, ii actus, in quibus non intervenit ultimus terminus venereorum, qui est effusio seminis.

Utraque pars Responsionis declarata est iam in praeced. Iam vero utrumque simul sufficit, ut iudicium ferri valeat, an et quanta sint peccata actiones enumeratae, cum luxuria est directe voluntaria. Considerandum est enim cum s. Thoma q. cit. a. 4. « aliquid dici peccatum esse mortale dupliciter. Uno modo secundum speciem suam et hoc modo osculum, amplexus vel tactus secundum suam rationem non

nominat peccatum mortale. Possunt enim haec absque libidine fieri vel propter consuetudinem patriae vel propter aliquam necessitatem aut rationabilem causam. Alio modo dicitur aliquid esse peccatum mortale ex sua causa. Dictum est autem supra 1. 2. q. 74. a 7., quod consensus in delectationem peccati mortalis est peccatum mortale et non solum consensus in actum. Et ideo cum fornicatio sit peccatum mortale et multo magis aliae luxuriae species; consequens est, quod consensus in delectationem talis peccati sit peccatum mortale et non solum consensus in actum. Et ideo cum oscula et amplexus huiusmodi propter delectationem huiusmodi (nempe veneream) fiant, consequens est, quod sint peccata mortalia ». Cf. demonstrationem datam n. 965.

Quoad argomentum s. Thomae declarari potest verbis Sanchez *de Matr.* l. c. n. 7. « Quoniam amplexus et oscula ob delectationem habita suapte natura et intrinsece ordinantur ad copulam, tanquam circumstantiae illius (praeparatoriae nempe aut concomitantes): quod vel ex eo constat, quod praedictis tactibus utantur bruta, dum se ad coitum praeparant et natura in eis voluptatem sicut in coitu apposuerit ac instar illius immutent corpus ipsumque delectent. At circumstantiae intrinsecae actus participant eandem ipsius malitiam ». Cf. Caietanum in art. cit. s. Thomae.

Quando autem luxuria est indirecte per aliquam ex his actionibus volita, tum ut rite iudicetur, an et quatenus eae sint peccata, adhibendae sunt regulae de voluntario in causa, quas iam innuimus n. 968. collatis quoque locis citatis ex tr. *de Peccatis,* quarum regularum applicatio in resolutionibus occurret.

970. Secundum doctrinam s. Thomae, actus imperfecti luxuriae non habent nomen peccati, nisi secundum quod ordinantur ad actus perfectos; quatenus nempe sunt horum ex natura sua praeparatio et inchoatio et procedunt ex eadem libidine, ex qua actus perfecti q. c. a. 4. ad 1^m et 2^m. Sic tactus impudicus soluti cum soluta, tendit ad fornicationem, idem cum uxore alterius, ad adulterium, maris cum mare, ad sodomiam etc. Tendit, inquam, *naturaliter,* ut ait s. Thomas; quin opus sit, ut ex ipsa intentione agentis ad illud ordinetur.

Quam doctrinam s. Thomae explicans ibid. Caietanus ait: « ista (oscula, tactus etc.), ut sunt peccata mortalia, non sunt alterius speciei, quam illa alia enumerata, scilicet fornicatio, immunditia et similia ».

Doctrina s. Thomae non est difficilis. Non negat his actibus inesse absolutam et intrinsecam malitiam, qua mali sint, etsi actus perfectus non intendatur aut sequi non possit; nam procedunt ex libidine eadem, qua actus perfecti, h. e. ex intentione venereae delectationis, quam in

ipsis quis experitur; sed affirmat hos actus eadem lege prohibitos fuisse et intelligendos esse prohibitos ac dici peccata, qua lege actus perfecti prohibiti sunt, eo quod sunt naturaliter illi ad hos ordinati. Quae ordinatio non facit ut malitia eorum sit tantum relativa, sed quod sint ex natura sua praeparatio et inchoatio actuum perfectorum, quae intrinsece participat, licet minus perfecte, malitiam aliorum actuum.

Et quia imperfectum revocari solet ad speciem perfecti, ideo dixit Caietanus eandem esse speciem actuum imperfectorum et perfectorum. Sed haec obiter dicta ab eo sunt. Reapse enim verum est illud principium, cum id quod imperfectum est, idem potest evadere perfectum, ut v. g. imperfecta virtus fortitudinis, in eadem specie collocatur, qua virtus perfecta. At si imperfectum sit tale prae alio a se distincto, ad quod ordinatur, non opus est, ut utrumque ad eandem speciem reducatur; cum utrumque suam propria essentiam habeat, sed forte ad idem genus revocabitur.

Et sane actus imperfecti luxuriae non sunt in eadem specie saltem infima ac actus perfecti, ut idcirco non satis sit accusare tactus impudicos, si habita fuit copula. In utrisque utique est malitia intentae delectationis venereae, quod probat eos ad idem spectare genus; sed alia est malitia copulae, puta vel fornicariae vel sodomiticae, alia tactuum tantummodo. Actus enim secundum suam essentiam differunt diversoque modo virtuti opponuntur castitatis. Deest sane actibus imperfectis illa malitia, propter quam primum actus perfecti luxuriae prohibiti sunt, malitia nempe effusionis seminis vel contra finem a natura ei praestitutum, vel extra eum ordinem quem natura praefixit. Huc facit prop. 25. inter damnatas ab Alexandro VII. « Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis praecepto, dicens commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam ».

971. Inter se vero actus imperfecti distinguuntur specie eo pacto, quo actus perfecti, ad quos naturaliter tendunt. Sic tactus soluti cum soluta differunt a tactibus cum uxore alterius, sicut fornicatio et adulterium: tactus cum persona eiusdem sexus a tactibus cum persona diversi sexus (nisi aliae adsint circumstantiae), sicut sodomia a fornicatione etc. Ratio est, quia actus imperfecti sunt, ut ait s. Thomas, naturaliter ad perfectos ordinati.

Quae doctrina de iis certe actibus externis accipienda est, qui in corpore proprio vel alterius physice terminantur, ut sunt tactus, oscula, amplexus: de aliis vero, ut sunt e. g. aspectus, lectio, colloquium, dicemus in Resol. 2.

Unde resolves.

III. 1. Oscula, amplexus, aspectus, tactus et similia si extra matrimonium fiant, ex intentione actus luxuriosi, vel ob delectationem veneream, etiamsi non illam perfectam, quae est in seminatione, sunt tamen semper peccata mortalia; quia eo animo, extra matrimonium, sunt impudica et natura sua talis delectatio tendit ad perfectam. Fill. t. 30. c. 9. num. 174. Less. l. 4. c. 3. d. 8. Sanchez l. 9. d. 46. *Hinc proscripta est opposita opinio ab Alex. VII. Propos. 40. *

972. Sub termino *similia* intellige verba obscena, colloquium turpe, lectionem rei turpis.

Porro ex dictis clara est resolutio. Duas rationes subiicit A., quia actus sunt impudici, h. e. delectationem veneream quaerunt contra rectam rationem et quia natura sua talis delectactio tendit ad perfectam, quae est in effusione seminis. Haec altera ratio, ut alia sit a priore, oportet ut sita sit in periculo perfectae delectationis, cui homo se exponit. Verum haec consideratio officit claritati; commiscentur enim diversae quaestiones: nunc autem in ista Resol. spectantur solum huiusmodi actus prout (extra matrimonium utique) ex intentione fiunt venereae delectationis. Haec ratio satis est, ut peccata sint mortalia. Cf. n. 9. I. II. Huc proprie spectat prop. 40. proscripta ab Alexandro VII. superius n. 966. recitata.

IV. 2. Tales actus sunt eiusdem naturae cum perfectis sive consummatis: ideoque in confessione explicandum, utrum sint habiti cum simili sexu an diverso, cum libera an coniugata, cognata, persona sacra etc. Less. d. 15. Sanch. l. 1. c. 2.

973. Doctrina heic tradita ab A. ea est, quam dedimus nn. 970. seq. Dicens scilicet tales actus eiusdem esse naturae cum perfectis, intelligit illos, propter naturalem ordinem, quem habent ad perfectos, inter seipsos differre specie, quemadmodum inter se differunt perfecti: qui sensus patet ex conclusione, quam A. colligit. Cum igitur actus perfecti speciem suam, qua differunt, sumant ab obiecto prout in concreto cum suis circumstantiis exsistit, idem et de his actibus imperfectis dicendum erit; nam et ipsi obiectum in concreto attingunt, prout suis circumstantiis vestitum est.

Verum heic quaestio sponte oritur: an scilicet id de omnibus enumeratis actibus imperfectis valeat, an solum de aliquibus. Etenim facile admittitur, hanc doctrinam valere in osculis, amplexibus, tactibus: at difficultas est 1° circa aspectus, quos A. in Resol. 1ª ceteris adnumeravit. Supponimus quidem eos ex intentione venereae delectationis haberi aut continuari. Quamvis quidam, quos s. Alphonsus refert, affirmaverint aspectus turpes induere, non secus ac tactus, speciem ab obiecto prout se habet in concreto cum suis circumstantiis, ut idcirco

declaranda sit in confessione qualitas personae turpiter aspectae; nihilominus s. Alph. n. 421. veriorem dicit sententiam Croix, qui censet, quod, nisi desiderium accedat, qui veneree aspicit personam, non tenetur confiteri qualis fuerit persona. Dum enim solus aspectus adest et abest desiderium, praecisio fieri per animum potest obiecti a circumstantiis ut in solo obiecto delectatio venerea quiescat.

Unde infert post s. Alph. Gury vol. 1. §. 417. quod aspectus consanguineae vel coniugatae vel sacrae personae non induit malitiam incestus, adulterii aut sacrilegii.

Si vero in aspectu turpis delectatio esset de obiecto prout tale est, tum iam circumstantia assumeretur ut obiectum. Cf. Tamburini *Metod. Conf.* l. 2. c. 7. n. 3., qui rarissimum id dicit.

Nolim tamen inferre perinde esse sive quis hauriat delectationem veneream circa marem sive circa feminam: doctrina etenim theologorum quidem est, in delectatione sola praecisionem fieri posse a circumstantiis obiecti, at heic doctrina ista nihil confert; nam altera persona non est alterius circumstantia aut qualitas, sed sunt duo distincta obiecta atque aliud moraliter est delectari puta de copula apprehensa cum mare, aliud cum femina.

974. Alia difficultas est de verbis obscenis seu obscenis colloquiis aut obscenis lectionibus. De his breviter dicimus, quod seposito scandalo, de quo nunc non loquimur, malitia horum actuum, qui ex intentione fiunt delectationis venereae, ea ipsa est, quae residet in interiori actu sive morosae delectationis, sive gaudii, sive desiderii, de qua iam alibi actum est. Ipsa autem verba vel colloquia confiteri oportet; quia sunt peccata.

De ea autem malitia, quam habere possunt ii actus, quatenus occasio sint venereae delectationis vel pollutionis etc. dicemus in seqq. Resoll.

Itaque in hypothesi, quod actus hi ponantur ex intentione venereae delectationis, peccata sunt mortalia speciemque sortiuntur differentem iuxta regulas datas.

Verum oscula, tactus, aspectus, lectio etc. non semper fiunt ex intentione venereae delectationis, quamvis non raro versentur circa obiectum plus minus turpe et inhonestum. Quaeritur an et quatenus in hac hypothesi sint peccata. Huc spectant seqq. Resoll.

Omnia autem ex isto principio fere pendent: illicitum esse et mortale coniicere se in periculum plus minus proximum (nam hac in re non oportet adeo esse subtiles) consensus in delectationem veneream et idcirco eas actiones esse sub mortali vitandas, quae tale periculum secum ferunt. Huiusmodi per se sunt, quae ex natura sua et graviter influunt ad delectationem veneream in sensu excitandam. Cum vero

aliud reapse sit delectatio venerea, quae in sensu excitatur, aliud eius intentio vel consensus voluntatis in eam: potest identidem adesse iusta causa eam permittendi, citra consensum in ipsam, cuius periculum remotum fiat.

V. 3. Oscula, amplexus, compressiones manuum et similia non obscena, si fiant tantum officii aut moris patrii aut amoris honesti vel benevolentiae augendae causa, etiamsi delectatio venerea suboriatur (modo in eam non consentiatur) non sunt peccata. Less. Fill. l. c. n. 171.

975. Advertenda distinctio inter corporis partes *honestas, minus honestas*, *inhonestas* seu turpes aut obscenas. Honestae sunt visus, manus, dorsum, caput, pedes: minus honestae pectus, brachia, crura: inhonestae partes genitales hisque proximae. Rursus inter oscula et tactus hoc est discrimen, quod adhibendi tactus ad partes etiam turpes iusta aliquando causa subesse potest e. g. ad medendum, non vero eas deosculandi.

Resolutio A. loquentis de osculis, tactibus etc. non obscenis, intelligenda est de osculis, tactibus etc. ad partes honestas: non est extendenda ad eosdem actus adhibitos partibus minus honestis. Quo posito resolutio, quoad priorem partem, est clara. Iam vidimus n. 962. cum s. Thoma huiusmodi actus secundum speciem suam indifferentes esse, ideoque ad bonum finem usurpatos esse bonos: bonus autem finis intercedit, cum quis iis utitur ut officium exhibeat, patrio mori se conformet, amorem honestum et benevolentiam significet aut augeat.

Hinc sequitur altera pars, iuxta doctrinam de voluntario in causa, cf. *De Act. Hum.* n. 29. seq.

VI. 4. Si vero ista fiant ex aliqua veniali vanitate, ioco, curiositate, levitate, petulantia, imo etiam sensualitate sive affectu sensuali ac naturali (dummodo non cum delectatione venerea nec eius causa et, si praeter intentionem suboriatur, ea repulsa ac tunc abstinendo ab illis), venialem culpam non excedunt: vide Fill. hic. Less. Sanch. l. c. Dian. p. 4. t. 4. r. 136. Contrarium tamen est tutius: v. Trull. l. 6. c. 1. d. 12. n. 8.

976. A. primum duplex veluti causarum genus memorat, propter quas actus isti fiunt: 1^{m} nempe sunt iocus, curiositas, levitas, petulantia: 2^{m} sensualitas sive affectus sensualis ac naturalis, quem tamen secernit a delectatione venerea. Deinde resolutionem quoque duplicem tradit: nimirum huiusmodi actus ex talibus causis positos (dummodo etc.) non excedere culpam venialem; contrarium tamen h. e. credere eos esse mortales, tutius esse. Res est paululum impedita.

Itaque quod spectat ad alterum causarum genus, censemus A. nomine sensualitatis eam delectationem intelligere, quam diximus n. 961. sensitivam carnalem: quamvis additum *naturalis,* tenebras quasdam obfundat. Exemplum est in affectu, quo quis adolescentem, ob eius

pulcritudinem, prosequitur, qui affectus tener est et sensualis, etsi seiunctus ab intentione venereae delectationis, ad quam tamen intentionem, si praesertim affectus diu foveatur, facilis est progressus.

Loquentes ergo de osculis, amplexibus, tactibus et de his circa partes honestas, ut manus, oris, si ioco fiant, levitate, petulantia (nomine *petulantiae* improbitatem intellige, qua quis alium per contumeliam petit, non lasciviam, quae etiam sub petulantiae nomine venit) ut inter pueros contingere solet (dummodo absit delectatio venerea nec eam excitent aut eius periculum plus minus proximum non praevideatur), dicimus cum A. non excedere peccatum veniale. Utique culpa est, quia sine honesto fine supponitur ea fieri: sed mortalis non est; quia sita non est vel in quaerenda delectatione venerea, vel in eius periculum se coniiciendo; nam tales actus per se non habent proximam connexionem cum delectatione venerea.

977. Si vero oscula, amplexus, tactus fiant inter puberes ex affectu sensuali, censemus cum s. Alph. heic, ea periculum plus minus proximum delectationis venereae posse inducere et consensus in eam, maxime si cum mora fiant et idcirco per se maxime vitanda esse multoque magis, si cum persona diversi sexus habeantur. Certe, qui his actibus delectationem sensualem quaerit, interiori animo et saepe exterioribus quoque actibus ad ulteriora provehi solet. Vel pressio manus feminae aut adolescentis digitorumque attrectatio potest esse cum affectu venereo, vel certe cum eius periculo. Nihilominus, quia haec ex diversa quoque dispositione subiecti pendent et periculum oportet esse praevisum, iudicium in singulis casibus, an peccatum sit necne mortale, ex circumstantiis quoque actionis sumendum erit.

Nec peccatum grave est teneros deosculari infantes etiam ob eam sensibilem voluptatem, quae ex mollibus carnibus percipitur; distat ea namque a venerea nec per se fit a priori ad alteram progressus.

978. Quid vero de aspectibus, quos A. hac Resol. comprehendere videtur? Haec habet Lessius l. 4. c. 3. n. 65. Aspectus, si versetur circa partes honestas (quemadmodum nunc hos actus consideramus), nullum est per se praecise peccatum, nisi forte sint actus otiosi (et erit veniale peccatum) vel ad concupiscendum fiant (et erit mortale). Et ratio, cur per se non sit peccatum, est quia, cum aspectus sit sensus magis elevatus et spiritualis, per se non movet ad voluptatem carnalem ».

« Potest tamen esse peccatum ratione periculi, maxime si diuturnus, v. g. circa feminam pulcram. Nam aspectus facit, ut phantasia apprehendat rem illam non solum ut delectabilem visui, sed etiam tactui et carni, ex qua imaginatione sequitur naturaliter in affectu complacentia

et delectatio, in spiritibus et sanguine commotio et hinc in membris rebellio ».

Idem dicendum censet S. Alph. n. 422. de diuturno colloquio vano cum puella inordinate dilecta, peccatum nempe grave esse, saltem propter proximum periculum labendi.

VII. 5. Idem dicendum de tactu et aspectu inhonestarum partium corporis proprii aut commixtionis animalium, non cum animo venereo, sed ex curiositate tantum aut levitate, secluso tamen scandalo et periculo consensus venerei. Imo, si tactus talis aut aspectus proprii corporis naturali aliquo ac non malo fine fiat, ne veniale quidem erit: ut v. gr. si frictione extinguere velis pruritum non venereum; dummodo tamen absit periculum pollutionis aut consensus in eam, si improviso praeter intentionem forte obveniret. Less. n. 63. Fill. n. 214. Sanch. l. 9. d. 45.

979. Nunc de his actibus, prout circa partes inhonestas versantur. A. non distinguit, quemadmodum nos fecimus n. 925., partes minus honestas a simpliciter inhonestis seu obscenis et de his solum proprie loquitur. Tractat autem heic A. de aspectu et tactu circa proprium corpus et de aspectu coitus brutorum. Iam vero de aspectu et tactu partium minus honestarum proprii corporis loqui DD. non solent, eo quod nullum per se sint peccatum in genere luxuriae; cum haec non moveant ad voluptatem veneream.

Quoad partes inhonestas proprii corporis, docet s. Alph. hoc in loco, quod tangere propria verenda ex levitate aut curiositate, per se non est mortale, ut dicunt Salmanticenses cum communi; modo absit turpis delectatio aut eius periculum et fiat idcirco obiter et non repetitis vicibus; quia secus iam aderit periculum. Hinc probat idem s. Doctor esse mortale aspectum propriorum genitalium, si fiat studiose et morose, absque necessitate: secus si breviter.

Quoad aspectum commixtionis animalium, docet s. Alph. cum aliis, quod morose eam aspicere periculosum est, excusari vero coniungentes equos, tauros etc.; iusta enim adest causa: sed abesse debet animus libidinosus. Per se haec minus movent et si obiter fiant, nisi propter pravam dispositionem subiecti aliud natum sit oriri, non inferunt periculum proximum venereae delectationis.

980. Secunda pars Resol. clara est, secundum ea, quae dicta sunt de voluntario in causa. Quoad pruritum sedandum monet Gury §. 416. ex s. Alph. *Hom. Apost.* n. 3., « si sit tolerabilis pruritus, insinuandum esse, ut patiens a tactibus abstineat, quatenus possit sine gravi molestia. Magna tamen, ait, in his discretione confessarius utatur, oportet; huiusmodi enim dubia personas praesertim conscientiae timoratae vexare solent. Suasiones autem, si paulo vehementiores sint et non condiantur aperta declaratione de absentia alioquin cuiusvis reatus, saepius et facile conscientias molestissimis scrupulis implicabunt ». Cf. sub dub. 4. resol. 5.

VIII. 6. Tactus nudi et aspectus partium inhonestarum alterius corporis, maxime diversi sexus, aut concubitus humani ex curiositate (nam de necessitate aliud est) etiam secluso affectu venereo, videntur non posse excusari a mortali, propter gravem indecentiam et periculum proximum actus venerei: nisi tamen aspectus fiat ex loco tam remoto et ita obiter, ut haec absint. Sanch. n. 23. et 29. Fill. n. 218. Laym. etc.

IX. 7. Aspectus vero et subinde etiam (rarius tamen propter periculum adiunctum) tactus, ex petulantia vel curiositate, partium inhonestarum alterius corporis, eiusdem tamen sexus, citra affectum et periculum consensus venerei, excusari posse a mortali, ut v. gr. quando simul aliqui natant vel lavant, docet Laym. l. 3. s. 4. n. 10. ex Sanch. l. 5. *Mor.* c. 6. n. 12. 13. et n. 27. et 28. Trull. d. 12. n. 15.

981. De tactibus et aspectibus in partes minus honestas alterius, cum distinctione iudicandum est. Generatim aspicere partes minus honestas sed haud turpes mulieris, scilicet pectus, brachia, crura, secluso periculo lapsus (quod ex propria dispositione oriatur), modo aspectus non sit diuturnus, non est per se mortale, ait s. Alph. n. 423. Quia per se hic actus non infert proximum periculum consensus in turpem delectationem. Idem et de tactibus generatim dicendum. Nec opus est addere eandem valere doctrinam, si actus ex levitate animi ponantur, ex ioco aut huiusmodi causa.

At si vir fixis oculis intendat e. g. in pectus nudatum feminae aut idem cum mora tangat, imo, quidam addunt, si femina in feminei pectoris tactu inhaereat; hi actus, propter proximum periculum, quod ex se ferunt, venereae deliberatae delectationis, non excusantur a mortali.

Quod vero de tactibus generatim dictum est, non est transferendum ad oscula etiam in partes solum minus honestas aut minus usitatas, praesertim inter personas diversi sexus. Haec enim vel ex libidine fiunt vel ad eam proxime commovere nata sunt. Idem probat s. Alph. 417., si lingua alterius ore alterius excipiatur.

982. A. porro agit primo de tactibus et aspectibus partium inhonestarum alterius, maxime diversi sexus, per se consideratis (Resol. 6.) tum de iisdem, ratione habita cuiusdam intentionis agentis ac identitate sexus supposita (Resol. 7.).

Doctrinam A. Resol. 6. quoad tactus, si agatur de persona diversi sexus, probat s. Alph. n. 420. absque illo temperamento *videtur:* item doctrinam eiusdem in Resol. 7. cum limitatione ab eodem addita de qua agemus n. 45. Quaerit praeterea s. Doctor ibid. quid dicendum si tactus fiat super vestes; et recitat sententiam Croix et Sanchez, qui neque hoc excusant a mortali, nisi fiat ex quadam petulantia vel cum levi delectatione non carnali. Sanchez *de Matr.* l. 9. d. 46. n. 11. citatus a Croix loquitur de tactu pudendorum super vestes, qui fiat, non intenta delectatione consurgente ex tactu mediato cogitato, sed

levi quadam delectatione consurgente ex tactu immediato et ratio cur talem tactum excuset a mortali, est, quia haec delectatio ex suo genere non est tanta nec tam propinqua copulae, ut reputanda sit materia gravis. Sed exclusa delectatione exsurgente ex cogitatione tactus mediati, non restat nisi delectatio ex tactu vestium eas partes tegentium, ut se defendens contra Concina, explicat ibid. Croix: qui censet fieri saltem posse ut talis delectatio sola sit. Utique si iusta causa sit tangendi eas vestes fiatque abstractio a delectatione carnali nec periculum consensus in illam sit, sententia Sanchez non est reprobanda: verum in praxi res erit difficillima praesertim si agatur de diverso sexus. Quocirca monet s. Doctor tales tactus, etiam non exsistente delectatione carnali (sic enim nulla esset quaestio), merito a Salmantic. damnari ut mortales, si ita tangantur pudenda diversi sexus, etiamsi id fiat per transennam; eo quod id sit valde periculosum.

983. An vero ancillae graviter peccent, pudenda puerorum tangentes, dum eos vestiunt, s. Doctor ibid. probabilem habet sententiam negantem, quando id obiter fiat. Et sane propter infantilem aetatem haec minus movent ac per se periculum est remotum. Non raro tamen istae feminae ea frequenti contractatione causa sunt, cur infantes assuescant se tactibus contaminare, antequam malum noscant, etiam ante septennium. Deterrendae ergo sunt ancillae et nutrices ab huiusmodi frequentatis tactibus.

Notat s. Doctor ibid. quod tangere genitalia brutorum non est ordinarie nisi veniale. Ratio est, quia id per se non commovet proxime. Sed si fiat talis tactus usque ad pollutionem h. e. ita ut brutum effundat semen, censet idem s. Doctor probabilius id esse mortale; quia licet hoc fiat tantum ex levitate animi, est tamen actio per se vehementissime excitans ad venerem.

Item doctrinam A. quoad aspectum partium pudendorum diversi sexus et humani concubitus (Resol. 6.) confirmat s. Doctor n. 421., inquiens id omnino dicendum esse mortale, nisi visio fiat ex loco longinquo et tempore brevissimo (duae hae conditiones sunt coniungendae), quae est limitatio addita ab ipso A. Ratio est, ait s. Alphonsus, quia talis turpis aspectus procul dubio valde ad luxuriam excitat.

Eunuchi, ait Croix l. c. n. 908., per actiones hactenus dictas peccare etiam mortaliter possunt; quia etiam in illis datur commotio spirituum et motus humoris, qui non est quidem aptus generationi, attamen facit sentiri delectationem diversam a pure sensuali et aequivalenter veneream.

984. Huiusmodi autem actus et aspectus excusantur necessitate, ut A. docet eosque sola necessitas, ait s. Alph., excusat, a quolibet

scilicet peccato. Cuius rei exemplum affert s. Alph. n. 420. in medicis et chirurgis tangentibus et aspicientibus curationis causa, pudenda etiam diversi sexus qui non peccant, et si per accidens involuntariam pollutionem patiantur. Qua de re iam alibi dictum esse meminimus.

Modo advertimus quod cum honestus finis adest, quem ratio praescribit prosequendum, haud difficile est periculum proximum, si quod ex infirmitate exsistat, consensus in veneream delectationem, efficere remotum, tum propter auxilium Dei efficacius, quod merito exorare et praestolari potes, tum quia mens a nobiliore et spirituali fine attracta et in eo prosequendo occupata, absque magno nisu potest corruptae naturae inclinationem contemnere.

Quaeres an causa excusans, nempe, necessitas, quae pro medicis et chirurgis occurrit, valeat etiam in pictoribus et sculptoribus, qui nudas personas diversi sexus pro exemplari (modello) sibi praesentes sistunt et diu intuentur.

Profecto negandum est, parem esse causam; quia nulla huiusmodi usus est proprie dicta necessitas, cum et pictores praeclarissimi exstiterint, qui absque ista methodo finem picturae optime sunt consecuti et nunquam necesse sit per se eas facere picturas aut sculpturas, pro quibus opus sit artifici talibus uti exemplaribus.

Certe si exemplar adhibetur ad oscena pingenda aut sculpenda, cum ipse finis sit malus, nulla est excusatio. Verum quamvis non hic sit finis, sed solum studium dispositionis et motuum membrorum, negari nequit, ea omnia in hac re maxime valere, quae DD. communi sententia tradunt de aspectibus obscenis, ita ut et recentiores hunc casum specialiter non attingant; quia nempe sub generali lege eum comprehendi censuerunt. Et sane adolescentem pictorem aut sculptorem exemplar nudum intueri et attente considerare adolescentulae formosae (nisi sit eius uxor), certum periculum continet pravorum consensuum. Quod si identidem eae circumstantiae occurrant, quae huius rei necessitatem inducant, illud profecto cavendum erit: 1° ut absit periculum consensus, quod facilius in viro maturo, uxorato, honesto aberit: 2° ut omnia, quantum fieri potest, cum reverentia peragantur et solum, quoad opus est, partes inhonestae detegantur: 3° ut Dei auxilium humiliter imploretur.

985. A. in Resol. 7. exceptionem quandam subiicit. Si nempe dicti tactus et aspectus partium inhonestarum alterius, eiusdem tamen sexus, non diversi, fiant ex petulantia vel curiositate, citra affectum et periculum consensus venerei, ait A., Laymann, ex Sanchez, docere quod possint excusari a mortali. Laymann l. c. ait. « Sed inter personas eiusdem sexus putat Sanchez *de Matr*. l. 9. d. 46. n. 12. eiusmodi

tactum (partium verendarum) sola curiositate habitum, interdum excusari posse a mortali peccato, quod tamen rarum est propter adiunctum periculum ». Sanchez loquitur de his tactibus ex levitate et ioco atque exemplum ponit in pueris ioco pudenda sibi arripientibus. Ratio Sanchez est; quia deest animus libidinosus nec tanta versatur indecentia et inhonestas ac inter personas diversi sexus. Prosequitur Laym.: « Aspectus vero partium verendorum eiusdem sexus ex sola curiositate facilius a peccato mortali excusatur » et citat rursus Sanchez ibid. nn. 27. 28. Ratio est, quia talis aspectus, nisi aspiciens propensus sit in sodomiam, per se non infert proximum periculum delectationis venereae et consensus in eam.

Doctrinam hanc probat s. Alph., qui n. 420. ait: « Non excusatur a mortali, qui sine tali necessitate h. e. ea, de qua locuti sumus n. 984. tangit alterius pudenda, etiam personae eiusdem sexus, nisi forte (hoc alterum, intelligo) fiat per iocum aut ex petulantia vel curiositate, ut cum Busembaum tenent Tamb. et Croix ». Rursus ibid. ait s. Doctor: « Notandum cum Busemb. heic et Salmant., quoad aspectus, non esse de se mortale, citra periculum consensus venerei, aspicere pudenda personae eiusdem sexus, nisi aspiciens esset valde propensus ad sodomiam ». Subdit s. Doctor: « vel nisi, adderem, pulcher adolescens aspiceretur nudus ». Cuius rei facilis est ratio; nam hic aspectus non secus commovere solet ac aspectus diversi sexus.

986. Cum his affinis est quaestio de aspectu picturarum obscenarum: de sculptilibus nihil dicitur speciatim: forte quia par est ratio, etsi hae minus movere soleant. Verum tum in his tum in illis frequenter non tam res quam modus repraesentationis valet ad concupiscentiam commovendam. Itaque si picturas aspicias ex curiositate et delectatio turpis eiusque periculum absit, quod haud difficile abesse potest, non est mortale. Ita s. Alph. n. 424. Qui tamen subiicit, difficulter se putare excusari a peccato virum morose aspicientem inhonestas partes feminae depictae; quia difficulter se liberari hic poterit a delectatione turpi vel ab eius probabili periculo, nisi aspiciat per brevissimum tempus (sed hoc est contra hypothesim) et in magna distantia. Idem dicendum de sculptili, si ex dispositione subiecti idem periculum instet. Billuart cum aliis (apud Gury t. 1. §. 418. 5.) excusat a mortali, si aspectus fiat ex levitate, obiter, ex curiositate aut si pictura infantes tantum repraesentet; quia picta non commovent sicut naturalia atque hoc non improbabile videtur, ait Gury, nisi forte ob aspicientis fragilitatem aliter iudicandum sit. Ceterum si necessitate quis aspicit, puta, studiosus medicinae, potest nullum esse peccatum, dummodo periculum consensus pravi absit.

X. 8. Verba turpia, lectio obscenorum, spectatio comoediarum turpium, cantiones inhonestae, gestus, litterae et dona amatoria, si tantum fiant ex curiositate, vel vano solatio, non sunt mortalia; secus tamen, si fiant vel animo inhonesto sive venereo, vel cum periculo ruinae spiritualis sui vel aliorum. Sanch. d. 46. q. 3. Fill. t. 30. c. 10. q. 3.

987. Transit A. ad alios actus imperfectos luxuriae pluresque enumerat. In verbis, cantionibus, gestibus, litteris, donis habenda est quoque ratio scandali, quod generari potest, de quo tamen heic directe non agimus, spectantes potius hos actus, prout in agente actus luxuriae esse possunt.

Turpia verba proferre et audire, per se sunt actus indifferentes, qui ex bono vel malo fine fieri possunt: ita ut, re dicta vel audita exsistente obscena, possint dictio et auditio non esse obscena. Haec est doctrina s. Alph. n. 426. satisque clara. Turpia proferre delectationis venereae causa, ob delectationem nempe, quae capitur ex cogitatione ipsarum rerum turpium, vel cum proximo periculo consensus in eam delectationem, est peccatum grave; quod ex hactenus dictis manifestum est.

Si haec fiant ob vanum solatium sive iocum, remoto periculo pravi consensus, habentur ut peccata venalia. Ita s. Antoninus part. 2. tit. 3. « Ubi talia verba turpia dicuntur ex quadam levitate ob solatium, quamvis de se non sint mortalia, tamen etc. », cui s. Alph. consentit ibid. Cf. Sanchez l. 9. d. 46. n. 35.

Item si verba sint leviter obscena, dummodo animus libidinosus absit, peccatum erit leve, si sine iusta causa proferantur.

988. Quocirca dicteria turpia, quae proferuntur a messoribus, vindemiatoribus, mulionibus et huiusmodi, non censentur mortalia; quia ludicre dicuntur et audiuntur: ita s. Alph. ibid.

E contrario aliud iudicium fertur, si haec causa excusans cesset. Hinc tenent, ait s. Alph. l. c. quin improbet, Salmanticenses, non excusari a peccato gravi, qui nominat pudenda aut modum copulandi, maxime coram adolescentibus et mulieribus iuvenibus honestis. Verum, puto, et de his secundum adiuncta iudicandum erit; nam et haec ex levitate fieri possunt et sine gravi scandalo, si solum quaedam verba proferantur, quin proprie sermo de iis habeatur, ipsique Salmanticenses, *de sexto Praec.* c. 3. n. 19., non solum de verbis turpibus sed et de colloquiis loquuntur.

Addit s. Alph. l. c. « Nominare pudenda proprii sexus coram aliis sexus eiusdem, puto, communiter loquendo, non esse grave ».

Sermo igitur data opera habitus coram aliis de rebus et gestis graviter obscenis vel ad venerem per se provocantibus multoque magis si in forma quoque narrationis provocatio lateat, est grave peccatum

tum propter scandalum, tum propter animum libidinosum, quo haec proferuntur.

Nihilominus quandoque finis honestus esse potest narrationi de huiusmodi rebus aut gestis graviter obscenis: ut si ea confessario vel iudici aut medico aut alteri, consilii petendi gratia, aperienda sint. Sed tum certe in forma narrationis modestia servabitur.

989. Quod vero de turpium verborum prolatione et turpi sermone dictum est, valetne etiam de eorumdem scriptione, qua in vulgus edantur? Profecto quod de sermonibus et narrationibus graviter obscenis dictum est, multo magis valet de editis in publicum, propter scandalum maius maioremque, quae esse solet, affectionem scriptoris ad turpia. Nec illa addita exceptio heic valet, quae per se secretum postulat.

Quod attinet vero ad sola verba vel dicteria turpia, non eadem prorsus ratio esse videtur. Nam causa illa, quaecumque sit, quae haberi potest cur ea ore proferas, ob iocum nempe vel vanum solatium, ea vel raro vel nunquam aderit, cur eadem scribas, nisi scribas comoedias, quibus talia conveniant. Nam et scriptores, quos de rebus turpibus tractare oportet, non opus est ut verbis obscenis utantur, nisi forte identidem, cum in quibusdam operibus res suis nominibus appellandae sunt, quod solet quoque excusare lexicographos, qui tamen a phrasibus obscenis edendis abstinere debent; eae enim non spectant ad thesaurum linguae. Itaque generatim, ut iudicium feratur de gravitate peccati in his scripto edendis, spectandus est animus scribentis et spectandum est cuius scandali periculum futurum sit apud lectores.

Pariter grave est peccatum cantilenas valde obscenas componere sive propter grave scandalum, sive propter animum libidinosum, quo id fit: nam hac causa cessante, certe eae res non scriberentur. Propter easdem rationes grave est per se illas canere; abesse tamen poterit prior ratio, si solus, nemine audiente, canas et forte per accidens etiam altera ratio, si solius harmoniae aut melodiae captus amore et in ea defixus, ita parum ad verba attendas ut periculum absit venereae delectationis.

990. Quoad auditionem turpium, quae graviter turpia sint, haec placet accipere a Lehmkuhl tom. 1. n. 867. « Audire huiusmodi turpia facilius quidem a peccato gravi excusari potest atque etiam subridere ex se nondum grave peccatum est: v. Stoz *Trib. Poenit.* l. 1. p. 3. n. 242. Est autem grave peccatum, 1° si placet res turpis narrata *in se:* 2° si audiens excitando, animando causa est, cur sermones graviter peccaminosi fiant seu protrahantur: 3° aut si propter auctoritatem suam, ex qua impedire eos potest (ut senex in coetu iuvenum), vel etiam

debet (ut superior), silendo causa est, cur continuentur (si autem potest quidem sed non debet ratione suae auctoritatis, facilius excusabitur si causa silendi habeatur): 4° si propter suam conditionem personalem audiens scandalo est, v. g. si sacerdos audiens particeps esset istiusmodi sermonum aut si sermone obsceno ad audientem directo, non obloquendo, pravam intentionem loquentis promoveret aut approbare videretur ».

« Sic igitur intellige, quae Sporer et Tamburini dicunt: « Si aliis loquentibus, tibi illud turpiloquium vel cantilena displiceat seu non placeat, nec tamen loco discedas nec eos reprehendas ob ruborem, imo etiamsi, secluso scandalo et animo de illo peccato delectandi, redeas vel quid simile facias, te non accuso peccati mortalis; quia ipsa erubescentia non contemnenda ratio est pro tua excusatione ».

Quod de verbis turpibus dictum est, idem et de turpibus gestibus dicendum, qui sunt verba quaedam realia.

991. Duo addenda ex s. Alphonso l. c. Alterum est, mortaliter peccare, qui ob iactantiam narrant sua turpia peccata et tunc peccare non solum peccato scandali propter audientes, sed facillime etiam peccato complacentiae de ipsis peccatis, ut idcirco in confessione explicanda sit species peccati, de quo se iactarunt. Inquiens vero *facillime*, indicat s. Doctor hoc alterum peccatum posse identidem abesse.

Alterum est: colloqui honeste cum puellis extraneis, de se non est nisi veniale (supponitur nulla iusta causa adesse): sed ratione periculi maxime in conversatione diuturna, potest esse grave, ut diximus, ait, n. 422., ubi scilicet loquitur de diuturno colloquio, cum puella inordinate dilecta. Hinc enim ratio periculi, cuius gravitas ex circumstantiis colligenda est: quocirca s. Doctor non dicit absolute esse grave peccatum, sed posse esse.

Porro ad alia progredientes, quae A. tangit, quod ait de litteris et donis amatoriis, difficultate caret; excludit enim turpem inhonestum amorem, quem significent et foveant epistolae et dona. Agitur de affectu quodam sensuali, sed nondum turpi et abesse supponitur huius proximum periculum.

992. Quoad lectionem librorum obscenorum, monet primo s. Alph. n. 426. confessarios, ut sedulo satagant ab huiusmodi libris absterrere iuvenes, qui ex eorum lectione generatim magnam animae ruinam hauriunt. Docet praeterea cum Bus. et aliis, esse ex se tantum veniale legere libros turpes ex curiositate, sine turpi delectatione vel eius proximo periculo. Nam peccatum non est situm in sola notitia rerum turpium, sed in hoc quod per notitiam harum rerum lectione haustam vel quaeras turpem delectationem, vel te periculo consensus exponas.

Hinc si iusta causa occurrat legendi, nullum erit peccatum; etsi involuntarie delectatio excitetur, dummodo absit periculum proximum consensus in eam. Si vero ex curiositate legis, cum haec iam sit levis culpa et sine causa alicui periculo remoto te exponas peccati, leve saltem erit peccatum. Nec opus est addere, quod evidens est, peccatum esse letale, si hos libros legas ex intentione venereae delectationis, vel cum proximo periculo consensus in eam.

Item si libri non sint graviter turpes, ut periculum peccati proximum non sit, non erit eorum lectio peccatum mortale.

993. Quod in lectione librorum turpium valet, valet per se in spectatione comoediarum turpium; eadem enim est ratio. Quapropter s. Alph. n. 427. statuit: si comoediae non sint notabiliter turpes, eas audientes non peccare mortaliter, nisi quis iam sit expertus fragilitatem suam. Si vero sint notabiliter turpes, sive quoad res sive quoad modum rursus s. Doctor distinguit: nam mortale est eas spectare ob delectationem consurgentem ex ipsis rebus turpibus (non ex pulcritudine litteraria operis): veniale vero ob curiositatem tantum aut ob vanum solatium, secluso tamen periculo consensus in turpem delectationem.

In praxi vero videtur s. Alph. periculum hoc valde pro adolescentibus timere. Nam in fine n. 427. subdit haec: « Nullo autem modo a mortali excusarem adolescentem, qui absque necessitate vellet curiositatis causa huiusmodi comoediis interesse, nisi quis esset valde timoratus et insuper pluries esset expertus (puta cum ex necessitate interfuit) illas spectando nunquam letaliter peccasse: modo suo exemplo aliis adolescentibus occasionem non praeberet huiusmodi turpibus repraesentationibus assistendi ». Quae postrema limitatio ad scandalum aliorum vitandum spectat.

994. Specialis autem quaestio fit, an graviter peccent omnes, qui pecunia, assistentia, plausibus favent comoediis notabiliter turpibus, etiamsi sine illis comoediae repraesentarentur, quatenus iam ab aliis illae procurantur. Duplex hypothesis fieri potest. Vel enim ponis istos homines complacere sibi in turpitudine comoediarum easque ut tales approbare et velle promovere pecunia et plausu, quae est hyphothesis, quam in priore suo argumento facit Croix lib. 2. n. 239.: et sic nulla difficultas esse potest, quod hi homines peccent mortaliter. Vel supponis homines istos opibus suis, assistentia, plausu approbare et promovere velle repraesentationem comoediarum quatenus recreativae sunt et delectant, quamvis sciant et videant eas turpes esse: et sic, si etiam sine illis comoediae istae pariter agerentur, quaestio sponte oritur, an hi graviter peccent.

Certe si plausu probas, si praesertim applaudis cum aliquid valde

turpe profertur, peccabis saltem peccatum scandali, nisi alii sciant te artem solam, non malitiam probare; sed non de hac speciali re est quaestio: quaeritur scilicet an ii peccent peccato cooperationis et est proinde quaestio non huc proprie spectans. S. Alph. n. 427. testatur se prius in negantem sententiam concessisse; modo vero melius censere se affirmandum, quod graviter hoc pacto peccetur. Eius ratio haec est. Quamvis hi materialiter tantum cooperentur; quia non ad malam voluntatem alterius concurrunt, sed solum ad malam actionem, sine intentione cooperandi ad peccatum, sunt tamen positive cooperatores; atqui haec cooperatio non est licita, nisi fiat ex gravi causa necessitatis vel utilitatis, quae causa heic non adest vel non adesse supponitur: ergo. Difficultas forte erit in prima propositione, quam negabunt, qui aliter sentiunt, huiusmodi nempe homines positive cooperari; nam supponitur quod etiam sine illis comoediae repraesentarentur. Verum id non satis est, ut positivam materialem cooperationem neges; semper enim verum est, eos actu suo positivo concurrere cum aliis ad eam actionem: quemadmodum etsi decem sufficiant ad trahendam navem, si undecimus accedit unaque cum illis trahit, vere dicitur, non secus ac alii, tractor navis, ait Croix. S. Alphonsum sequitur Gury tom. 1. §. 247. 3. Si autem gravis quaedam causa adesset, puta, si tibi magnum damnum impenderet nisi pecunia tua his spectaculis succurreres: tunc licebit tibi pecuniam erogare; quae actio est indifferens, licet alii sint ea abusuri. Vide dicta de Cooperatione.

Simpliciter vero spectatores (praeciso periculo turpis delectationis) sine quibus comoedia haberetur, s. Alph. non damnat de mortali; quia nec sunt causa eius repraesentationis, cum positive in eam non influant nec sunt occasio; quia etiam sine ipsis comoedia ageretur.

Quocirca iure excipit idem s. Doctor eos spectatores, sine quibus comoediae non agerentur.

XI. 9. Choreae, nisi malo fine fiant aut cum periculo, aliquos aut seipsum incitandi ad libidinem, vel cum alia circumstantia mala, secundum se non sunt malae nec actus libidinis, sed laetitiae. Quando vero sancti Patres eas interdum valde reprehendunt, loquuntur de turpibus et earum abusu. V. Caiet. v. *Chorea.* Filll. n. 223.

995. Recolenda est doctrina s. Thomae loquentis de ludis chorealibus, in c. III. Isaiae: « Ludus secundum se non est malus; aliter in ludis non esset virtus, quae dicitur eutrapelia... sed secundum quod ordinatur diverso fine et vestitur diversis circumstantiis, potest esse actus virtutis vel vitii. Quia enim impossibile est semper agere in vita activa et contemplativa; ideo oportet interdum gaudia curis interponere, ne animus nimia severitate frangatur et ut homo promptius vacet ad opera virtutum. Et si tali fine fiat de ludis cum aliis circum-

stantiis (debitis scilicet), erit actus virtutis et poterit esse meritorius, si gratia informetur. Istae autem circumstantiae videntur in ludo choreali observandae, ut non sit persona indecens, sicut clericus vel religiosus, ut sit tempore laetitiae, ut liberationis gratia vel in nuptiis et huiusmodi, ut fiat cum honestis personis et cum honesto cantu et quod gestus non sint nimis lascivi (scil. liberiores) et si qua huiusmodi sunt. Si autem fiat ad provocandam lasciviam et secundum alias circumstantias, constat, quod actus erit vitiosus ». Ex quibus verbis s. Doctoris hausta est doctrina, quam A. heic proponit.

Choreae ergo etiam inter personas diversi sexus non sunt per se malae fierique possunt honeste imo et meritorie.

Si intendatur voluptas carnalis, si consensus in eam proximum periculum adsit, sive ex rei natura sive ex infirma dispositione subiecti, peccatum est mortale iis operam dare vel iis interesse.

Inter choreas inhonestas recenseri a multis ait Gury v. 1. §. 242. saltationes recentiores *la Walse, la Polka, le Galop* et his similes.

Si iusta causa adsit, e. g. consuetudo, status sui decentia, parentum iussio, sponsi vel sponsae flagitatio etc. nec probabile sic peccandi periculum, nullum est peccatum eas ducere iisve assistere, imo, ut diximus, honestum esse potest et meritorium. Cf. nn. 998. seq.

Larvatae autem choreae facile reprobantur tanquam illicitae. Larvae nimirum occasionem praebere solent effreni licentiae, quam alioqui verecundia prohiberet. Monet autem Gury l. c. §. 244. rationem habendam circumstantiarum et maioris vel minoris periculi, quod in iis reperiri potest, quod intellige etiam respectu diversarum personarum.

Cetera quoad tactus, aspectus, qui in choreis occurrere possunt, eaedem leges valeant quae superius de his traditae sunt; non enim fit exceptio in favorem chorearum.

XII. 10. Exhibentes comedias turpes, item facientes libros aut picturas incitantes ad libidinem peccant mortaliter; quia sunt ruina proximi, cum moraliter certum sit, multos inde ad peccatum incitandos. Fill. n. 211. Similiter Magistratus, qui permittunt exhiberi turpes comoedias, peccare mortaliter docet Hurt. et concedit Bald. si auctoritatem illis praestent, approbent vel foveant: addit tamen posse aliquando excusari, si ad maius malum impediendum non puniant et tantum tolerent. Vide Dian. p. 5. t. 15. r. 82.

996. Haec cohaerent cum Resol. 8. quacum ea coniungit s. Alph.

In hac Resol. habetur proprie ratio scandali, non subiectivae lasciviae et per se haec spectant ad tractationem de scandalo.

Quod dicitur de facientibus picturas incitantes ad libidinem, pari iure accipiendum est de eas exhibentibus. *Hom. Apost.* tr. 9. n. 8.

Ratio addita parti priori ostendit opus non esse, ut mortale sit peccatum, quod ruina proximi intendatur: satis est eam praevidere.

Exhibentibus comoedias turpes adnumerandi sunt et illi, qui opera sua influunt et qui eas componunt, ut exhibeantur, s. Alph. nn. 427.-428.

Quoad secundam partem adverte, Magistratus auctoritatem suam his comoediis praestare vel eo ipso quod non impediant, cum possunt impedire; ad quod graviter eos teneri, certum est s. Alph. n. 427.

XIII. 11. Persona soluta permittens se tangi ab alia tactu, qui vulgo censetur pudicus, ut prehensio, contractatio manus, amplexus et oscula iuxta morem patriae, non peccat, nisi ei constet fieri pravo affectu; huic enim cooperari non licet. Docet tamen Fill. etiam tunc admitti posse, ne tangens infametur. Admittens autem tactus impudicos (ut mamillarum et obscenarum partium) vel oscula furtiva et morosa vel indecentia, peccat; quia praesumitur affectus malus. V. Fill. l. 30. n. 169. Cf. *de peccatis* c. 1. dub. 2.

997. Clara est. A. ait: *nisi ei constet* etc. « si enim, ut Salmant. aiunt c. 3. n. 62., femina dubitet, an fiant dicti tactus animo libidinoso, dicendum est, non teneri se subtrahere seu illos renuere; quia in dubio nullus praesumitur malus: ergo cum alias dicta femina utatur iure suo admittendi tactus et oscula more patriae in signum benevolentiae facta, nulla in hoc prudenter culpa (feminae scilicet) timeri potest. Quapropter possunt feminae, quando certo ignorant, quo animo tactus ex more patrio fiant v. g. amplexus et oscula venientium et salutantium in benevolentiae signum et consertio manuum in choreis, illos admittere absque ullo peccati scrupulo ».

Quod A. dicit docere Fill., probat et s. Alph. heic, addens: « vel ne alii scandalizentur ». Licite enim, absque periculo tuo, permittis peccatum alterius, ut ex caritate consulas eius bono aut aliorum saluti.

In altera parte, affectus, qui praesumitur malus, est affectus tangentis.

XIV. Quaeres, an et quatenus liceant tactus, aspectus etc. inter coniuges vel sponsos?

Resp. 1. Coniugibus licent, si referantur ad copulam; ad hanc enim licite se excitant. Alio autem fine v. gr. voluptatis causa si fiant, sunt peccata venialia; quia matrimonium eos cohonestat ac defectus debiti finis non est mortalis; nisi tamen habeantur cum periculo pollutionis: quae cum iis sit illicita, eo casu erunt mortalia, regulariter saltem. Sanch. l. 9. d. 46. n. 7. Fill. n. 357. et alii.

Resp. 2. Sponsis tactus impudici non licent: pudici vero in partibus honestis licent, si ex iis tantum intendant delectationem sensitivam; secus, si veneream. Sanch. l. c. n. 50. etc. Bon. p. 9. n. 6. etc.

Quae Resp. 1. traduntur, remittimus ad tr. *de Matrim.*

998. Quoad 2. Resp. « huc spectat, ait B., communis DD. sententia, urbanitatis ac benevolentiae gratia et in amoris ostensionem sponsis de futuro licere pudicos tactus, v. gr. manus apprehensionem, amplexus et oscula secundum patriae consuetudinem. Ceterum DD. verbis iliis « *secundum morem, secundum patriae consuetudinem* » duplex sensus, rectus uterque, intelligi potest: unus, ut indicetur mos exhibendi

post sponsalia ista benevolentiae signa, alter, ut in modo ea signa exhibendi mos patriae servetur; quem sensum habent et verba s. Alphonsi, ut *permittantur non aliter, quam solutis permittuntur, ubi vigeat usus.* Dixi *communis;* sic enim Lucius Ferraris V. *Luxuria* n. 90.: *Omnes tactus oscula, amplexus..., quae fiunt inter sponsos..., si pudice fiant, ex recto fine, secundum consuetudinem patriae, sunt licita.* COMMUNIS. — Ita et Giribaldi e Clericis Regularibus Barnab. *de Matrim.* cap. 19. dub. 15. n. 114.: — Quaeres 5°, an sponsis de futuro liceant oscula, tactus et amplexus? COMMUNIS sententia negat, licere tactus inhonestos in partibus impudicis et occultis... Sed concedit, licere tactus alioquin honestos, amplexus, oscula..., quae quidem erunt peccatum veniale, si fiant ob solam delectionem captandam et sine omni culpa, si fiant in signum amoris et benevolentiae iuxta morem consuetum —. Nec aliter Reiffenstuel *Th. Mor.* tr. IX. dist. 4. q. 7. n. 77.: - Num autem inter sponsos de futuro liceant tactus et oscula, alia difficultas est. Et quidem tactus impudicos inter sponsos non excusari a mortali, passim fatentur DD... Quod si oscula et amplexus de se non sint impudici simulque fiant... intuitu honesti amoris ac benevolentiae, culpa vacant -. Et Salmanticenses *de Matrim.* cap. 15. n. 91.: - Ultima difficultas est, utrum inter sponsos de futuro sint licita oscula, amplexus, tactus...? Respondetur, quod si tales actus ob captandam voluptatem fiant, erunt peccata venialia... Si ob signum amoris, nullum erit peccatum - ».

« Et hanc quidem doctrinam non reiecit s. Alphonsus. En verba s. Alphonsi lib. 6. n. 584.: - Concedunt Croix et Viva cum aliis auctoribus ab ipsis adductis, quod oscula et amplexus iuxta morem patriae aliquando sponsis permitti possunt, sed non aliter quam solutis permittuntur. Et HOC EST PROBABILE, modo tales actus non sint pressi et per aliquod tempus protracti, ut bene advertit Roncaglia, qui etiam eos admittit ad BENEVOLENTIAE DEMONSTRATIONEM: sed ego non admitterem, nisi ubi talis vigeret usus, ut etiam ait Mazzotta - ».

999. « Illud unum movere quosdam potest, quod eiusmodi actus ad carnales pravosque motus ciendos conferant. At valere heic debet generalis regula, nimirum tunc solum hosce motus esse culpabiles, cum vel mala est causa, vel periculum subest consentiendi. Itaque ad confessarium in casu pertinet inspicere, non quidem an causa sit rea, nam cum iusta sit, eo ipso est honesta, sed utrum adsit periculum consensus in malum proque sua prudentia remedia poenitenti praebere. Qua in re cavere sane debet, ne desiderium removendi a peccati periculo ipsum eo usque impellat, ut de peccato praesertim gravi ea damnet, quae ex communi DD. sententia aut nullum aut dumtaxat

levem habent reatum. Huiusmodi enim zelus, non sane secundum scientiam, hunc unice effectum demum sortiatur oportet, ut forte perpaucos quidem ab iis actibus absterreat, plerosque vero ex falsa iniecta conscientia in peccati laqueos reipsa impellat; unde facile fiet praeterea, ut conculcato semel, propter confessarii imprudentiam, timore Dei et amisso peccati horrore, in veras deinde et graviores turpitudines prolabantur ».

« Quod idem sane etiam de aspectibus et colloquiis inter sponsos est observandum, quando et ex istis motus illi et interdum ad pollutionem usque subsequantur. Iusta enim est causa, cur sponsus sponsam invisat atque alloquia cum ipsa habeat. Tota ergo quaestio vertetur in illo consentiendi periculo ».

1000. « Qua in re non levis profecto difficultas videbitur se offerre, quando ex lapsuum frequentia periculum consentiendi eiusmodi appareat, ut instar proximae peccandi occasionis haberi debeat. Veruntamen heic non maior adest reipsa difficultas, quam si agatur de occasione proxima necessaria: *necessaria*, inquam; spectatis enim omnibus adiunctis, quidpiam moraliter impossibile exigeret confessarius, si sponsum ab adeunda et alloquenda sponsa vel, ut post Sanchez *de Matrim.* lib. 9. disp. 46. n. 48.-50. aliosque plures ab eodem allegatos, advertit Diana tom. 1. tr. 4. res. 37.; et tom. 2. tr. 6. res. 37., a consuetis benevolentiae signis exhibendis arcere vellet. Aliis itaque mediis ad removendum periculum uti debet. Quae si poenitens non abnuat, valebit quod iuxta principia communiter recepta habet Giribaldi *de Poenit.* cap. 10. dub. 3. n. 31. Qui ad quaestionem, *An possit absolvi sponsus, qui frequenter visitat sponsam, cuius occasione peccat*, respondet: « *Posse absolvi, quando visitationes sunt secundum morem patriae, a quibus non potest sine nota vel dedecore abstinere: quia putaret sponsa se contemni eo quod illam non visitaret, sicut alii sponsi faciunt: quod idem valet de sponsa, quae ex locutione et aspectu sponsi patitur distillationem et pollutionem; non enim tenetur fugere aspectum sponsi, si alias non habet iustam causam et excusationem, cum aspectus et verba sint honesta et secundum morem patriae ac sine nota et dedecore non possint vitari* ». Media autem confessarius suggeret non modo generalia, sed ad rem specialia et pro prudentia sua opus est ut absterreat, prouti potest, ab exhibendis iis benevolentiae signis, quibus concupiscentiae fomes excitari facilius potest, aut certe eum modum ac frequentiam proponat, quae necessitatem non excedat. Modus autem ac mensura, quae facile ab omnibus intelligi possit, haec esto, ut non plus praestetur, quam quod praestari hac in re sine cuiusquam offensione coram aliis, v. gr. parentibus queat. Tum

vero maxime exigendum, ut nunquam solus cum sola praesertim secreto loco versetur. Quod quidem potissime et ad eos pertinet, qui eorum curam gerunt. Cum parentibus itaque et praesertim cum matribus severissime agendum est gravisque obligatio urgenda huius vigilis custodiae et cautelae; ad quam impellere debet non modo conscientia, sed etiam timor, ne filiae semel corruptae in paterna domo dehonestatae consenescant ».

« Quod si remedia a confessario proposita optatum fructum non sortiantur, illud unum superest, ut cum istis agatur non secus ac agendum cum recidivis in tractatu *de Poenitentia* traditur ».

1001. « Aliam tamen quaestionem DD. moverunt de sponsis, utrum scilicet licita ipsis sit delectatio quaepiam, quam ex osculis amplexibusve aut pudicis tactibus voluntarie capiant. Dixi 1° *delectatio quaepiam;* nam heic prorsus excluditur delectatio venerea proprie dicta ac partium genitalium propria. Dixi 2° *quam voluntarie capiant;* nam de oborta praeter intentionem nulloque consensu admissa, nulla est controversia, etsi venerea foret ».

« Pro sententia, quae eam delectationem sponsis aut licitam aut non nisi leviter malam esse tenet, s. Alphonsus l. 6. n. 854., quinque tantum auctores affert, Sanchez nimirum, Salmanticenses, Aversa, Diana et Azor. Sanchez *de Matr.* lib. 9. disp. 46. n. 48. allegaverat alios septemdecim, Diana vero tom. 2. tract. 6. res. 36. n. 2. 3. alios novem hisce addiderat; adeo ut iam habeamus triginta et unum, in quibus videas nomina Soti, Caietani, Toleti, Navarri, Valentiae, Sayri, Reginaldi etc.: adiungi autem his poterant Laymann lib. 3. sect. 4. n. 11., Palaus *de Sponsalibus* disp. 3. punct. 4. §. 2. n. 7., Sporer *Theol. Sacram.* p. 4. c. 2. sect. 4. n. 430., Escobar lib. 26., sect. 2. dub. 26. Filliuccius tr. 10. part. 1. cap. 9. n. 357., Tamburini *in Decal.* lib. 7. cap. 3. §. 5. n. 61., Ioann. Henriquez *apud Mendo* disp. 5. q. 12. n. 4. et Giribaldi, qui *de Matrim.* cap. 19. dub. 15. n. 114. asserit eam esse doctrinam *communem* ».

« Pro sententia vero, quae ceu graviter illicitam sponsis eam delectationem propugnat, allegari videbis penes eundem s. Alphonsum l. c. Lessium, Mazzotta, Roncaglia, Concina, Bonacina, cum Henriquez et Rebello, Croix cum Mendo ac Viva cum Suarez, Perez et Hurtado: quae quidem allegationes fere ex Croix, Mazzotta et Viva corrogatae videntur. Atqui 1° Lessius *de Iust. et Iur.* lib. 4. cap. 3. n. 59. utique gravis culpae hos actus damnat in *personis omnino solutis*, sed ibid. n. 58. oppositum de *sponsis* sic tradiderat: *Sponsis de futuro conceditur ea voluptas quae praecise ex osculo et contactu manus vel faciei percipitur, ita ut nec venialiter quidem in ea peccent* ».

« 2º Idem dicito de Perez, qui dum *de Matrim.* disp. 8. sect. 6. n. 7. de gravi damnat delectationem libidinosam, quae est quaedam copulae inchoatio, delectationem tamen ex osculis perceptam ib. n. 4. sponsis ceu licitam concedit. En verba Perez l. c.: — Dico primo, certum esse apud omnes Doctores, oscula praedicta, amplexus et tactus non impudicos licite fieri inter sponsos de futuro, quando fiunt in signum benevolentiae secundum consuetudinem patriae, ad conciliandum et fovendum mutuum amorem in ordine ad matrimonium contrahendum... Unde colligo cum praedictis DD. delectationem ex ipsis sequentem esse licitam et honestam. - Imo Perez ibid. n. 5. addit: - Adde, praedicta oscula, complexus et tactus esse etiam licita ob finem praedictum, etiamsi adsit periculum pollutionis, modo non adsit periculum consensus in delectationem sensualem ac veneream - ».

« 3º Bonacina autem *de Matr.* q. 4. punct. 9. n. 6. et Mazzotta tr. 7. disp. 2. 9. 2. cap. 2. q. 1. utramque sententiam dicunt *probabilem*. En verba Mazzotta l. c.: - Respondeo cum Perez et aliis, tunc licere, quando fiant in signum benevolentiae secundum consuetudinem patriae, ad conciliandum et fovendum mutuum amorem in ordine ad matrimonium contrahendum; quia sic non solum non apparet turpitudo, verum etiam adest finis honestus. Quod verum est, inquit Perez, etiamsi in casu praeter intentionem sequatur commotio spirituum aut etiam pollutio, modo non adsit periculum consensus in illam. At si fiant ob delectationem carnalem... quae sonat delectationem veneream..., longe probabilius contradicunt etc. - ».

« 4º Suarez *de Pecc.* disp. 5. sect. 7. n. 12. et Henr. Henriquez lib. 11. cap. 19. n. 4. nihil prorsus habent, quod ad rem faciat. Sed melius advertendum est, istam Suarez allegationem spectare ad alium Suarez, cuius mentio apud Dianam tom. 2. tr. 6. reg. 38. n. 1. et de hoc nihil curandum. Quoad Henriquez vero, hic mere dicit l. c., quod *honesti amplexus et oscula ad benevolentiam concedebantur a viris doctis; sed permitti non deberent, cum iam sponsalia per copulam affectu maritali non transeant in matrimonium.* Quaero: cur non dicit *debent*, sed *deberent?* Ratio redditur ibi in nota sic: *inest enim periculum copulae, dum absque arbitris se impudice tangunt.* Ergo mere id dicit ad praecavenda pericula; quod consonum est illi paragrapho, ubi agit de matris officio in filiarum custodia. Quos vero allegat in nota, Caiet., Navarr., Angel. et Silvestr., notum est, haec benevolentiae signa sponsis non interdicere: quamquam Silvester V. *Matrim.* 5. §. 8. duplex osculorum distinguit genus: alterum, quod *irreprehensibiliter fieret solum cum uxoribus* et *sponsis de praesenti* et quod sufficeret, *ut sponsalia transirent in matrimonium,* alterum *quod solent etiam sponsis de futuro exhiberi in aliquibus locis etc.* ».

« 5° Rebellus *de Oblig. Iust.* part. 2. lib. 3. q. 19. sect. 2. et Gaspar Hurtado *de Matr.* disp. 10. diffic. 10. n. 48. disserunt, alter quidem de *delectatione libidinosa,* seu de osculis, *per quae inchoatur voluptas venerea,* alter vero *de tactibus libidinosis* de delectatione inde percepta; quae itidem non sunt ad rem ».

« 6° Croix lib. 6. p. 3. n. 151. communi sententiae mere opponit falsas allegationes Lessii, Suarez, Henriquez et Hurtadi, quibus addit Comitolum; sed et hunc perperam, quia Paulus Comitolus, utut vir ingenii anomali et zeli ad strictiora propensi, tamen a communi sententia in hac re non recessit, ut patet ex hisce (*Resp. mor.* lib. 4. q. 20. n. 4.): - Quapropter puellae et virgines, quae aut ex osculis et amplexibus castorum iuvenum, quos amant, voluptatem capiunt honestam, sive cum eos tactus cogitant sive etiam corpore eos admittunt, aut non peccant aut leviter peccant, ut inquit Sylvester V. *Delectatio* n. 7. Non mortifere peccare affirmat Rosella V. *Cogitatio morosa* n. 4. Secus dicendum, si animo obscenam aut corpore turpem voluptatem haurirent - ».

« 7° Denique Viva *de Matr.* q. 1. art. 7. n. 6. licet pugnare videatur contra Sanchez communem sententiam, tamen ambigue loquitur de *delectatione* modo *sensibili* modo *carnali* remque magis implicat dum hoc loco dicit, se *communiorem* doctrinam contra Sanchez sequi, dum alibi in prop. 40ª damn. ab Alex. VII. n. 23. Sanchez sententiam tribuit *plurimis:* quae duo plane forent contradictoria ».

1002. « Ex allegatis igitur supererunt Mendo, Concina et Roncaglia quorum postremus tract. 12. cap. 1. q. 6. dicit, *mirari se,* quod *quidam oscula admittant ut licita inter sponsos* et *nunquam se satis percepisse, quomodo dici possit, sponsalia tribuere sponsis ius ad mutua oscula.* Ad quae alii illud forte reponerent, rationem, quae Roncagliae oculis non affulsit, affulsisse tamen communiter aliorum, quos innuimus, Doctorum intellectui; neque enim alia tam communis sententiae causa sufficiens assignari potest, nisi ratio quaepiam satis spectabilis quae diversissima ingenia in unam sententiam compellat. Quod idem ad Mendo reponendum est, qui *Statera Opin.* diss. 5. q. 12. n. 118. *tot* (ut ait) *atque adeo gravium* Auctorum doctrinam veritus est sequi quod eiusdem fundamentum non perspideret. Porro Concinae auctoris *rigidi* suffragium utique plusquam mediocriter valet, quando absolvit, non item quando damnat. Quod vero speciatim attinet ad Roncaglia advertendum in primis est, quaestionem ab eo restingi non solum *ad oscula pressa et aliquo tempore protracta,* sed insuper ad *facta ob captandam sensibilem delectationem.* Porro Logica non permittit, ut exinde concludatur de omnibus osculis et posthabeatur s. Alphonsi distinctio inter agentem *propter delectationem* et agentem *cum delectatione.*

Argumentum autem iam inde a *Rebello* productum et dein a ceteris etiam prorsus abs re repetitum, nimirum quod sponsalia non dent ius in corpus alterius, additis deinde ad rem illustrandam exemplis tum ementis vineam, qui nondum *ius in re* habeat et viri destinati ad iudicis officium, quod tamen nondum acceperit, hoc, inquam argumentum nihil est nisi putum sophisma. Et sane num ius in corpus alterius tribuimus, cum dicimus amicitiam ius tribuere amplexandi aut osculandi amicum, aut idem ius inesse parentibus erga filios etc.? Significatur videlicet, eam esse conditionem amici ad amicum, parentum ad filios etc. atque etiam sponsorum invicem, ut istiusmodi affectus et benevolentiae ostensiones damnari non possint ceu statui eorum incongruae. Quippe cum amor iste legitimus sit atque honestus adeo, ut s. Thomas in c. III. Isaiae vers. fin. ceu *actum virtutis ac vitae aeternae meritorium* habeat, quod *mulier decenter se ornet, ut placeat viro, quem accipere debet*, honestum itidem est eiusmodi signis istum amorem fovere ».

1003. « Sed nec omittendum heic aliud sophisma, a quo non satis quidam in hac quaestione tractanda cavent. Ita nimirum delectationem mere *sensibilem* quae v. gr. ex tactu panni serici hauritur, distinguunt a venerea, ut si quidem delectatio ex amplexu percepto non sit illa mere sensibilis, iam habenda sit ut venerea graviter damnabilis, perinde scilicet ac si de animalibus brutis ageretur. Atqui in homine rationali non negligendum est aliud elementum, unde delectatio est, quae neque ad mere sensibilem illam revocari possit, neque iterum ceu venerea sit damnanda. Et re quidem vera num aliquid cum tactu floris commune habet delectatio, quam mater experitur in amplexu filii e bello reversi? quae quidem ita in eiusmodi haeret amplexu ut centies filium osculetur nec diu sinet a suis ulnis illum avelli? Ergone, si non sensibilis, ista erit delectatio venerea? Sua nimirum atque indolis omnino diversae voluptas ac delectatio inest, quando ardens cordis affectus per eiusmodi signa seu ostensiones semet effundit inque iisdem satisfacere sibi ac veluti quiescere videtur. Quoties autem hic affectus legitimus sit et honestus, in sese effundendo autem limites honestatis ac decentiae servet, quid est, in quo damnetur, aut quorsum huc arcessitur theoria illa de delectatione mere sensibili ac propria contactus panni serici? Exinde vero intelligitur, cur Auctores ad amplexus et oscula huiusmodi cohonestanda, ostensionem amoris ac benevolentiae eiusdemque fomentum ceu finem quodammodo operis intrinsecum proferant; quaestionem autem de delectatione, quae vel actum comitetur, vel etiam quae forte intendatur, addant quasi de re, quae per accidens actui accedit ».

« Et quidem haud penitus absurde quis forte putaverit, graviores Auctores, dum *sensibilem* seu *sensitivum* delectationem heic nominant, nequaquam indicare mere voluisse sensum ex rei lenis tactu exsurgentem. Alia nimirum est sensitivi appetitus affectio, eaque modo suavis modo insuavis, quae rationalis appetitus affectum, e quo oritur, fere comitatur adiunctamque habet aliquam etiam corporis ac praecipue motuum cordis modo suavem modo insuavem mutationem: unde vulgo cor dilatari aut premi dicitur. Quae tamen affectio corporisque immutatio adeo per se nihil per se commune habet cum delectatione venerea, ut imo vel piissimos in Deum affectus comitetur ac propterea moneamur, ne nimis inter spirituales exercitationes delectationi huic sensibili inhaereamus. Porro quo aptiori nomine, quam *sensitivae delectationis*, Auctores designarent hanc sensitivam affectionem, quae sponte exsurgit et comitatur actus illos, quibus in casu exeritur et effectu aliquo ostenditur? Atque hinc quidem sensus erui potest quarundam locutionum, quas alii pertrahere omnino ad significandam veneream delectationem conantur; unde et Navarrum et Caietanum atque etiam Sanchez incusant, quasi licitam sponsis delectationem veneream aut saltem non graviter culpabilem in casu asseruerint. Ansam accusandi Navarrum sumunt ex illis Navarri verbis *Man*. c. 16. n. 12. *Sponsalia enim quae initium matrimonii sunt, faciunt facultatem fruendi voluptate praeambula voluptati matrimoniali*, *quae singularis est eiusdem Caietani determinatio* in 2. 2. q. 154. art. 4. Atqui haec verba potius oppositum suadent. Si enim iuxta Navarrum ita se habet voluptas sponsis concessa ad voluptatem matrimonialem, sicut ad matrimonium se habent sponsalia, concludendum est, voluptatem illam preambulam nihil esse aliud, quam dispositionem quandam alteri praeviam. Quocirca sicut sponsalia ita sunt dispositio ad matrimonium, ut nihilominus de natura matrimonii nihil participent, ita et voluptas illa praeambula intelligenda est prorsus expers naturae illius voluptatis, quae exclusive maritalis est. Et hinc datur melius nosse, quid sibi velint illae locutiones Caietani a Navarro allegati, ubi l. c. scribit: *Videtur autem quod sicut sponsalitium inchoatio quaedam est coniugii ita et huiusmodi actus* (scil. osculum) *inchoatio quaedam est carnalis copulae* seu (ut habet in Sum. V. *Sponsalitia*)*: Sicut sponsa inchoative est sponsi, ita delectatio venerea coniunctionis carnalis inter eos inchoative permittitur inter eosdem; constat autem oscula... non nisi inchoationem venereae delectationis importare.* Idem porro, ac supra, redit argumentum. Nam ita delectatio osculandi est inchoatio delectationis venereae, sicut sponsalitium est inchoatio coniugii. Atqui sponsalitium est mera praevia ad coniugium dispositio.

Apposite Filliuccius tr. 10. c. 9. n. 357. sensum horum Auctorum reddens, sic habet: *Si non sint impudici, hoc est, sint in partibus honestis, ut oscula, amplexus, tactus manuum et similes, licent, etiamsi intendant (sponsi) de iis captare delectationem sensitivam, non autem veneream. Ratio est, quia ut matrimonium de praesenti cohonestat copulam, sic sponsalia, quae sunt inchoatio quaedam remota matrimonii, cohonestant tactus illos, qui sunt inchoatio remota ad copulam.* Caiet. Navarr. Lopez *et alii cum* Sanchez. Ex quibus apparet inchoationem utique appellari, ita tamen ut ipsam veneream delectationem excludat ».

1004. « Illud etiam heic omittendum non est, s. Alphonsum in hac quaestione nullatenus propositionem 40. ex proscriptis ab Alexandro VII. obiecisse, quae sic sonat: *Est probabilis opinio, quae dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis.* Duplici autem ex causa repetendum id videtur. Nam primo quidem ea propositio loquitur de delectatione *carnali* h. e. *venerea*, de qua quaestio non est: vid. Duarte ad hanc propos. n. 489. et Viva ad eandem prop. n. 3.: hinc s. Alphonsus lib. 3. n. 415. ista propositione utitur, ut parvitatem materiae in re venerea non dari evincat. Deinde vero (etiam abstrahendo a delectationis specie) propositio ista exceptiones admittit, uti patet ex coniugatis. Exceptiones autem non ex ipsa propositione quaerendae sunt, cum nullas praeferat, sed ex sensu scholarum catholicarum. Atqui catholicae scholae quaestionem, de qua agimus circa sponsos, ea propositione contineri ne suspicatae quidem sunt ».

« Ad quae hoc solum addidisse iuverit, in eiusmodi quaestionibus plurimum prodesse distinctionem, qua et s. Alphonsus alibi lib. 3. n. 416. utitur, nimirum aliud esse agere propter delectationem, aliud agere cum delectatione ». Hactenus B.

DUB. II.

Quae sint species luxuriae consummatae naturales.

XV. Resp. Eae dicuntur, in quibus fit commixtio eo modo, quo natura instituit: v. gr. quando servantur sexus diversus, species eadem, vas et modus naturalis etc. Ut vide in princ. huius cap.

1005. Peccata consummata sita sunt in usu inordinato venereorum, in quo intervenit decisio seminis. Et dicuntur secundum naturam, ratione habita actus, non moralis, sed physici, quatenus in hoc usu servatur id quod a natura ad actum praestitutum est.

Plura huiusmodi peccata enumerat. A. sequutus communem loquendi modum: verum ea inter se non differunt propter diversam luxuriae rationem, seu propter diversam oppositionem ad virtutem castitatis, sed propter oppositionem ad aliam virtutem, propter quam novam malitiam induunt. Collocantur tamen haec sub genere luxuriae veluti eius species, potiusquam sub alio genere, puta iniustitiae, sub quo reapse collocari possent; quia in his peccatis luxuria se habet ut finis intentus et quia apparet in his plus minus gravis luxuria, quatenus ex affectu libidinis homo procedit ad ius alterius vel ad pietatem aut religionem violandam. S. Thomas 2. 2. q. 154. a. 1. ad 2.

Porro, si res abstracte consideretur, peccatum luxuriae cosummatae naturale unum est, congressus indebitus maris cum femina. Haec est ratio peccati luxuriae in quolibet ex his peccatis: in concreto vero non videtur, de omnibus saltem, posse dici quod unum sint peccatum in genere luxuriae, differentia solum ob malitiam, quam contrahunt ex oppositione ad aliam virtutem. Sic enim oporteret omnia esse veluti modos unius ex ipsis: at adulterium e. g. nequit haberi ut modus fornicationis. Iniustitia enim ipsius excludit congressum soluti cum soluta, in quo sita est fornicatio.

Bene autem monet Lehmkuhl op. cit. p. 524., species istas peccatorum consummatorum intra naturam non esse proprias exclusive 1° peccatorum consummatorum; nam, ut vidimus, actus quoque imperfecti eas species possunt participare; nec 2° peccatorum intra naturam; nam e. g. incestus, sacrilegium, raptus habere possunt locum et in peccatis contra naturam. Haec suis locis rursus notabuntur. Hac proinde adhibita animadversione, nulla est confusio oritura ex ordine A., quem sequimur.

Unde resolvitur tales esse has sequentes quae ideo in confessione sunt exprimendae.

XVI. 1. Est fornicatio, quae est concubitus soluti cum soluta (hoc est, quae sit libera a voto, matrimonio, religione) ex mutuo consensu. *Quomodo hoc peccatum in confessione aperiendum sit, vide in prop. 25. inter damnatas ab. Alex. VII. *Ad hanc reducitur 1. Concubinatus, qui est fornicatio continuata. Unde concubinarius (sicut et meretrix) ordinarie non debet absolvi, nisi dimissa concubina aut muliere suspecta, cuius retentio scandalum daret, licet cum ea non peccaret. Sanch. l. 1. *Mor*. c. 8. Navar. c. 3. Filliuc. t. 30. c. 2. n. 56. 2. Congressus cum alterius sponsa, quae est fornicatio intra eandem speciem gravior et in confessione aperienda, saltem respectu sponsae, ut docet Rod. t. 3. c. 109. Sanch. *de Matr*. t. 1. l. 1. d. 2. n. 6. Fag. t. 1. l. 4. c. 3. Fill. l. 2. tr. 30. c. 2. n. 53. contra Covar. Vivald. Ledes. Azor, quorum sententiam (etiam respectu sponsae) probabilem et in praxi tutam censet Dian. p. 1. tr. 7. r. 5.

1006. Propositionem 25. Alexandri VII. retulimus sub n. 970.

Concubinatus (soluti cum soluta) non differt specie a fornicatione,

sed addit circumstantiam aggravantem; nisi accedat ratio scandali publici. Idcirco per se non est opus in confessione illum aperire: verum propter peccandi occasionem communiter haec circumstantia a confessario sciri debet. Cum A. ait solutam vel solutum esse eas personas, quae sint *liberae a voto,* intellige, non esse eas solutas quae ligatae sint voto sollemni vel in religione approbata emisso. Cf. heic n. 106.

Quod de concubinatu dicitur, et de meretricio dicendum est.

1007. Auctor loquens de congressu cum alterius sponsa, non bene refert sententiam Sanchez, qui determinate magis loquitur, dicens veriorem sibi videri sententiam, quod sponsa, si cum alio fornicetur, fateri debet hanc circumstantiam; quia ea circumstantia mutat speciem peccati, cum, ultra fornicationem, sit iniustitia adversus sponsalium fidem. Quae ratio valere deberet et pro sponso fornicante cum alia: quod quidem Sanchez non negat, sed advertit iniuriam sponsi, prudentum arbitrio, reputari levem, gravem autem sponsae; inde discrimen.

S. Alph. n. 447. probabilem censet sententiam quod haec sit circumstantia tantum aggravans, pro qua sententia citat Sanchez (forte est typograhi error) et Laymann. Hic vero *de Sponsalibus* c. 1. n. 6. adhaeret per se doctrinae Sanchez: haec tamen deinde subdit, de sponso potius loquens: « Nihilominus in praxi probabile ac tutum videri potest, talem circumstantiam sponsaliorum (in fornicatione) reticeri posse (in confessione), si fornicatio occulta mansura sit idque non tantum propter auctoritatem DD. ita opinantium, sed etiam quia iniuria, licet aliqua sit, non tamen tam gravis videri alicui potest, praesertim si *sponsus* cum altera fornicetur, ut ad mortale crimen adversus iustitiam pertingat: secus est, si fornicatio in publicam notitiam deventura aut periculum sit prolis generandae, cum dedecore et contristatione sponsae, quae fortasse idcirco a sponsalibus resilire cogetur ».

Lugo *de Poenit.* disp. 16. n. 176. tres refert sententias: primam negantem hanc esse circumstantiam declarandam in confessione: alteram affirmantem de sola sponsa, tertiam affirmantem de utroque atque ait, omnes esse sententias probabiles nec facile esse, aliquam ex iis efficaciter impugnare.

Sententiam Sanchez veriorem censemus, quam et Salmant. tenent de 6. Praec. c. 5. n. 13.: haec tamen quaestio plenius tractabitur in Tr. *de Matr.* c. 1. d. 2. et doctrina Sanchez defendetur. Ex Sanchez sententia autem sequitur, quod alius fornicans cum sponsa, malitiam contrahat cooperationis ad speciale peccatum illius.

Dices: ergo nova species obtinet peccati naturalis, secus ac universim in consueta divisione Theologi statuerint. Respondeo eam divisionem peccatorum recipi et a Theologis, qui cum Sanchez sentiunt: censen-

dum est scilicet, hoc peccatum sub adulterio, in ea divisione, contineri, cuius quandam, licet diminutam, speciem refert.

Addere licet ex Tamburini *Explic. Decal.* l. 7. c. 1. n. 9. eum qui frigidus vel eunuchus, cum alia peccat, debere confitendo aperire, se esse talem. Nam, praeter fornicationem, saltem provocatam, est malitia contra naturam, cum inutiliter femineum semen (vel humorem illum, qui comitari solet irritationem organicam completam feminae) provocet atque suum. Ita fere ex Sanchez *de Matr.* l. 9. d. 19. n. 8.

1008. Fornicationem peccatum esse mortale, patet ex Apostolo 1. Cor. VI. 9. *Neque fornicarii... regnum Dei possidebunt* item Eph. V. 5. *Omnis fornicator aut immundus... non habet hereditatem in regno Christi et Dei.* Eam porro esse intrinsece malam, constans est sententia DD. et christianorum. Sentiunt omnes, qui secundum rationem vivunt, malum esse quaerere delectationem veneream concubitus absque obligatione et oneribus coniugii; id vagos concubitus sponte propagaret, quod in perniciem humani convictus redundaret. S. Thomas 2. 2. q. 154. a. 2. argumentum in hanc rem attulit, quod deinceps usi sunt DD. generatim. Fornicatio, ait est vagus concubitus (dum quis ex libidine feminae accedit, quam statim est derelicturus vel derelinquere potest, cum non teneatur erga illam obligatione vinculi alicuius). Hinc autem vagus concubitus est contra bonum prolis educandae, quae non solam curam matris requirit, sed multo magis curam patris, a quo est instruenda, defendenda et in bonis tam interioribus quam exterioribus promovenda. Iam vero haec cura per se seu ex rei natura deest nec certe esse potest, exsistente vago concubitu; sed necessaria est obligatio viri ad certam feminam et vicissim, in qua matrimonium consistit. Subdit: cum concubitus ordinetur ad bonum commune totius humani generis, bona autem communia cadant sub determinatione legis, consequens est, quod ista coniunctio maris ad feminam, quae matrimonium dicitur, lege determinetur... Quo posito sic se expedit ab obvia difficultate: « Nec obstat, si aliquis fornicando aliquam cognoscens, sufficienter provideat proli de educatione; quia id quod cadit sub legis determinatione, iudicatur secundum id, quod communiter accidit et non secundum id, quod in aliquo casu potest accidere ».

Manifestum est argumentum s. Thomae non esse solum contra fornicationem presse acceptam, quae est congressus soluti cum soluta, sed contra quemlibet vagum concubitum sive inter solutos sive inter non solutos.

Difficultas est, cum legem nominat, quam legem intelligat, naturalem ne an positivam, nempe Dei. Responsio Caietani ibi ad 4[m] est, legem, de qua s. Doctor loquitur, esse positivam: cf. sane eiusdem

doctoris resp. ad 3. in art. 9. huius q.; nihilominus iam eundem in praecedentibus demonstrasse vagum concubitum prohibitum esse lege naturali. Verum ea demonstratio est ne huiusmodi, ut demonstret iam lege naturae vetitum esse vagum concubitum, an solum ut demonstret, eum non convenire humano generi ita, ut iusta lege positiva prohibendus fuerit? Si primum: cur ad excludendam liceitatem casus, cum quis fornicator sufficienter providet educationi prolis, recursus non fit ad legem naturalem, quae universalis est, sed ad principium, quod valet in lege positiva? si alterum; ergo lex naturae per se solam nondum prohibet fornicationem. Et haec profecto videtur sententia s. Doctoris. Lex autem positiva intelligenda est lex divina. Quaestio sane, quam ibi sibi proponit s. Thomas, non est, an fornicatio simplex (quae est soluti cum soluta, art. praec.) sit intrinsece mala, sed an sit peccatum mortale. Id profecto optime demonstravit, etiamsi ex iis duobus, quae quaesivimus, secundum accipiatur.

Non ergo abhorremus ab animadversione Tamburini l. c. §. 2. « Mihi duo sunt certa. Primo hanc communem (iure naturae fornicationem esse prohibitam) esse veram sententiam. Secundo data hac veritate dicendum nobis esse, dari rationem naturalem id certo probantem: sed ingenue fateri nos debere, eam *a priori* nondum clare nobis esse compertam ».

1009. Monent DD. cum s. Thoma a. cit. ad 6^m, inter peccata luxuriae consummata minus esse peccatum fornicationis, cum ea minor sit inordinatio contra rectam rationem, ut conferenti patet. Merito tamen advertit Lehmkuhl op. cit. p. 518. id verum esse habita ratione specificae malitiae luxuriae. « Dico, quoad *malitiam luxuriae:* quia quod in peccato solitario deest, heic accedit, nempe mutui ratio scandali: dein dico, quoad *specificam* luxuriae malitiam: quia subiectiva malitia in concreto saepissime maior videtur, quam pollutionis malitia; quia et pudor multo magis exuitur et actus multo plus voluntarii habet. Quare in canonibus poenitentialibus etiam constanter pro fornicatione maior poenitentia iniungi consuevit, quam pro pollutione ».

XVII. 2. Stuprum hoc est defloratio virginis, ipsa invita; quia, si consentiat, erit tantum fornicatio simplex nec circumstantia in confessione aperienda, ut probat Less. et Sanch. l. 7. disp. 12. contra Nav. Azor et alios.

1010. Stuprum proprie acceptum definit Gratianus *Causa* 36. q. 1. sub *cp. Lex: virginis illicita defloratio*. Quam definitionem s. Thomas recepit 2. 2. q. 154. a. 1. ubi ad rationem stupri non requirit violentiam factam virgini. At communiter DD. (v. Laymann *de Iustitia* tr. 3. p. 3. c. 13.) duplex distinguunt stuprum, illud nempe quod est simpliciter illicitum, quod infertur virgini volenti et consentienti atque

illud, quod praeterea est iniustum, quod nempe per violentiam infertur vel fraude aut metu. Scilicet hoc alterum duplex distinguitur, *violentum* et *voluntarium:* violentum cum vi physica subigitur et opprimitur virgo: voluntarium, quando dolo aut alia iniusta ratione inducta virgo consentit in deflorationem, ut fit 1° per metum reverentialem, 2° per metum cadentem in constantem puellam, 3° per fraudulentam matrimonii aut magnae dotis ad matrimonium cum alio promissionem, 4° per repetitas importunas preces, saltem si his adiungantur minae. V. Struggl. *Th. Mor.* tr. 7. q. 4. n. 27. Haec altera tum violenti tum voluntarii est acceptio stupri secundum Theologos veteres et Caonistas.

Plurium est DD. sententia (cf. Salmant. *de* 6. *Praec.* c. 4. n. 8.) stuprum illatum virgini volenti et consentienti, non differre specie a fornicatione. Nam malitia luxuriae eadem reapse est: concubitus nempe qui fit extra matrimonium. Quod enim (aiunt Salmant. l. c. n. 7.) virginale signaculum, si quod est (cf. n. 6.) rumpatur medio virili membro, virgine consentiente, non est contra specialem naturae finem sed potius secundum illum; cum hoc membrum ad praedictum usum sit ab ea destinatum: ergo solum natura offenditur quod dicta ruptio fit extra matrimonium. Nec est malitia proprie dictae iniustitiae, non erga virginem, quae libens consentit, non erga parentes; nam ius utendi sui corporis penes ipsam est, non penes parentes.

1011. « Peccat utique, ait Laymann l. c., puella contra pietatem parentibus debitam, quod spectare videtur s. Thomas l. c., si in stuprum consentiat cum eorum dedecore coniunctum, quemadmodum et stuprator interdum contra caritatis legem. Verum haec per accidens sunt et non solum in stupro virginis, sed etiam viduae sub parentum cura constitutae, locum habere possunt ».

« Fornicatio cum virgine consentiente potest aliunde esse speciale peccatum, scilicet ratione infamiae vel moeroris parentum vel rixarum odii etc.», ait s. Alph. l. c. vel damni advenientis familiae etiam in bonis fortunae: cf. Lessium l. 2. c. 10. d. 1. n. 5. Idcirco et sub hac ratione peccatum grave evadere potest.

Si vero violentia, dolus aut metus accedat, cum nova adsit malitia iniustitiae, patet novam peccati speciem constitui.

Verum si ita est, quoniam cuiuscumque puellae iniusta oppressio hanc malitiam continet, ea aequiparabitur stupro. Atque hinc est, quod recentiores stuprum generatim definiant: *oppressio mulieris, ipsa invita.* Cf. Gury tom. l. §. 425. qui addit: *ita communiter.*

Scilicet apud veteres illud in stupro spectabatur quod speciale est, h. e. *virginalis integritatis defloratio:* sed quia deinceps DD. plures

docuerunt quod, nisi virgo sit invita, speciale peccatum non est, a fornicatione distinctum et in confessione aperiendum et quia, si fiat virgini invitae, iniustitia accedens, illo priori posito, eadem est specie in qualibet iniusta oppressione puellae; pronum fuit definire stuprum quod est speciale peccatum in confessione aperiendum: *oppressionem mulieris, ipsa invita.*

Nihilominus notare iuvat modum loquendi veterum: quia cum agitur vel de reservatione casuum (nisi reservans manifeste loquatur secundum conceptum recentiorum) vel de poenis per sacros canones in stupratorem infligendis, stuprum semper accipitur stricto Theologorum sensu, ut locum nimirum habeat in virgine.

XVIII. 3. **Raptus**, cum scilicet persona aliqua (sive masculus sive femina, sive nupta sive innupta) libidinis causa abducitur, illata vi sive abductae sive iis, quorum potestati subest. Si quae tamen sponte discedat cum amasio, insciis parentibus, non erit proprie raptus, sed fuga, non addens malitiam specie distinctam fornicationi. Lug. d. 10. n. 137. Fill. n. 10. Vid. Bon. Idem dicit Dian. p. 1. t. 7. r. 37. ex Less. l. 4. c. 3. d. 9. Sanchez *de Matr*. t. 2. l. 7. d. 12. etc.

1012. Ad crimen raptus requiritur ut fiat causa libidinis, ut persona traducatur de loco in locum, h. e. de loco tuto ad locum non tutum, ut fiat violentia aut metu incusso. Ex lege autem unic. C. *de Raptu virg.* et ex sententia s. Congr. Conc. data 24. Ianuar. 1608. et 27. Aug. 1864. constat crimen raptus haberi etiam cum persona dolo ac fraude decepta abducitur. Cf. Acta s. Sedis vol. 1. p. 15. seqq. et pag. 54. seqq. Porro tum mas tum femina potest rapi et tum vir tum femina crimen raptus admittere potest: quamvis poenae iuris in solos viros raptores honestae feminae ferantur. Cf. Sanchez *de Matr.* l. 7. d. 12. n. 24.

Crimen raptus (loquimur de raptu prout crimen est, non prout est matrimonii impedimentum) habetur sive vis aut metus inferatur soli personae raptae, sive solum iis, in quorum potestate est, sive utrisque. « Quandoque, ait s. Thomas 2. 2. q. 154. a 7., violentia infertur tam ipsi virgini, quam patri: quandoque autem infertur patri sed non virgini, puta cum ipsa consentit, ut de domo patris abstrahatur...; quandoque puella violenter abducitur a domo parentum et violenter corrumpitur; quandoque autem, et si violenter abducatur, non tamen violenter corrumpitur, sed de voluntate virginis ». Subdit: « qualitercumque violentia adsit, salvatur ratio raptus ».

In raptu duplex est malitia seu peccatum; nam ex parte finis et intentionis, est peccatum luxuriae; ex parte actionis est peccatum iniustitiae, adversus vel mulierem, vel parentes eius aut eos, sub quorum est custodia vel utraque ex parte.

Igitur si persona non abducatur sed in loco violetur, non erit raptus sed *stuprum* vel *violenta oppressio;* quamvis a veteribus hoc quoque sub specie raptus comprehenderetur, ut patet ex s. Thoma q. cit. a. 1. et art. cit.

Item si abducatur persona non causa libidinis, sed redigendi in servitutem aut vindicandi dominii, non dicetur raptus, sed *plagium.*

1013. Crimen raptus in Iure non est, si sponsus propriam sponsam rapiat; eo quod ex desponsatione aliquid iuris in eam habeat. Ita s. Thomas 2. 2. q. 154. a. 7. ad 4. « Sponsus ex ipsa desponsatione habet aliquod ius in suam sponsam. Et ideo quamvis peccet, violentiam inferendo, excusatur tamen a crimine raptus. Unde Gelasius Papa dicit apud Gratianum c. 36. q. 1. cp. *lex illa:* « lex illa praeteritorum principum, ibi raptum dixit esse commissum, ubi puella *de cuius nuptiis nihil actum fuerat*, videbatur abducta ». Ita et Alexander III. cp. *Cum causa, de Raptoribus.* « Cum ibi raptus dicatur admitti, *ubi nil ante de nuptiis agitur* » (a), ubi vides sufficere praecedentem tractatum de nuptiis ineundis, ne raptus dicatur, tractatum, inquam, utrinque initum. Peccatum tamen erit, etsi non sit raptus, si sponsa invita abducatur, ut audivimus a s. Thoma.

Cum Thoma consentire et reliquos DD. ait Lessius l. inf. cit. n. 70. Cf. et Sanchez *de Matr.* l. 7. d. 13. n. 15.

Si nulla vis inferatur aut nullus metus incutiatur ipsi personae vel iis in quarum est potestate, si nullo dolo persona abstrahatur a loco sed ipsa sponte discedat, iis, in quorum est potestate nescientibus, non erit raptus, sed voluntaria *fuga.* Cf. Lessium l. 4. c. 3. dub. 9.

S. Alph. n. 444. notat constituere raptum etiam preces importunas quod Sanchez *de Matr.* l. 7. d. 12. n. 32. pressius circumscribit, quando videlicet preces importunae tales sunt, ut violentiae aequiparentur, quando nimirum aliae cirsumstantiae cum illis concurrant, e. gr. maximus reverentiae timor, ita ut personae sic instanti non audeat puella contradicere, ut ait ibid. n. 10. sive, ut diximus de stupro n. 79. (nam eadem est ratio), si precibus importunis adiungantur minae.

Quatenus vero raptus impedimentum sit matrimonii, suo loco dicetur.

(a) In l. unica C. *de Raptu virginum*, raptor censetur et qui sponsam suam rapit. Lex est Iustiniani. Legem civilem emendatam a iure canonico dicit Sanchez l. 7. disp. 12. n. 15.

XIX. 4. Adulterium, cum scilicet uterque, vel alteruter coeuntium est coniunctus matrimonio, etiamsi adulterantis coniux sit contentus: esto enim tunc illi non fiat iniuria, fit tamen ipsi statui, Sacramento et huic praecepto. *Hinc interdicta est opinio contraria ab Innocent. XI. Propos. 50. *Quod si femina adulterans sit coniugata, gravius habetur, quam si vir, propter incommoda graviora, v. gr. damnum veri heredis, prolis incertitudinem etc. Si vero uterque sit coniugatus, adhuc gravius est, quia sunt duae iniuriae in utriusque coniugem, in confessione exprimendae. Fill. t. 26. c. 4. n. 85. et 89.

1014. Propos. 50. ab Innocentio XI. damnata haec est: «Copula cum coniugata, consentiente marito, non est adulterium ideoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum».

Utique si coniux cedat extraneo ius suum, seu potius usum sui iuris, ei non fit iniuria, contra quam agere possit; quia volenti et consentienti non fit iniuria: nihilominus, ait Lessius l. 4. c. 3. d. 10. n. 73., erit iniuria in ipsum matrimonii statum et ordinem coniugatorum. Sic qui occidit hominem volentem, non facit illi proprie iniuriam, sed in naturam humanam et Deum dominum vitae. Habet proinde ea actio coniugis, ut ait Lugo *de Iust. et Iure* disp. 8. n. 6. malitiam distinctam a simplici fornicatione; quia quamvis non habeat malitiam iniuriae propriae contra maritum, propter eius consensum et cessionem iuris, habet tamen malitiam specialem contra bonum sacramenti et coniugii et prolis, cui specialiter adversatur copula coniugis cum extraneo, cui iuri non potuit cedere maritus. Porro ea specialis malitia habet veram adulterii rationem. Imo advertere iuvat, quod quemadmodum coniux nequit, arbitrio suo, solvere vinculum matrimonii, ita pariter nequit se exuere, sponte sua, iure quod habet in corpus coniugis, ut ipse solus eo utatur; in hoc enim mutuo iure quocum conserta est mutua obligatio, situm est vinculum. Cum ergo dicitur quod, etiamsi alter coniux consentiat, fit iniuria vinculo matrimonii, dicendum est quoque violari ius coniugis consentientis quod semper manet; quamvis ea violatio, respectu personae, desinat esse iniuria, quae volenti non fit. Cf. quae habet B. in 7. Praeceptum *de Furto* sub §. 1.

Monet Lehmkuhl op. cit. p. 525. quod si consentiente altero coniuge adulterium committitur, haec circumstantia, ut partialem aliquam malitiae speciem auferens, videtur declaranda esse a confitente, sicut in homicidio, si forte in consentientem commissum est. Verum nisi probetur illud adulterium specie differre a communi, non est cur haec obligatio urgeatur. Quod tamen Lehmkuhl ait videri, Lugo l. c. n. 10. absque haesitatione affirmat.

1015. Si ex duobus adulteris alteruter tantum est coniugatus tum peccatum gravius est, cum mulier est coniugata, quam cum vir. Intrinseca quidem malitia adulterii eadem est; etsi rationi magis repu-

gnet unam commisceri duobus, quam unum duabus: sed graviora certe damna gignit adulterium uxoris, quam viri. Nam proles spuria supponitur viro adulterae et introducitur in familiam extraneus, qui haeredibus legitimis partem subtrahat: etsi vero haec semper non habeant locum, periculo tamen horum sponte se exponunt huiusmodi adulteri. Propter damna ista proinde, quae ex adulterio uxoris fluunt, iniustitia adulterii, si adultera est uxor, augetur et est circumstantia in confessione aperienda, praeter enim iniuriam propriam vinculo coniugali, est damnum gravissimum illatum familiae et legitimis heredibus, volitum in causa. Quae ratio est, cur omnes leges severiores sint in adulteras uxores, quam in adulteros maritos.

Tertia pars Resol. evidens est.

Adde in actibus imperfectis quoque, inhonestis tactibus, osculis etc., quibus persona coniugata ab extraneo attrectatur, malitiam licet imperfectam adulterii inveniri, violati scilicet iuris coniugis et vinculi matrimonialis. Imo ipse coniux se polluens, malitiam istam imperfectam adulterii contrahit; quia violat ius alterius partis, quae habet in eius corpus potestatem 1. Cor. VII. 4. Quamobrem haec est circumstantia in confessione manifestanda.

Quamvis identidem dici soleat per adulterium violari sanctitatem sacramenti (utique inter christianos), ne putes tamen adulterium esse sacrilegium. Nam 1° quod violari dicitur, non est proprie dictum sacramentum, quod gratiam confert quodque iam transiit, sed res sacramenti; unio nempe manet, quae effectus est sacramenti et est signum unionis Christi cum Ecclesia. 2° Neque haec res proprie violatur sed fides, quam haec unio exigit.

XX. 5. Incestus hoc est congressus cum consanguinea, vel affine usque ad quartum gradum, eo gravius peccatum, quo gradus est propinquior: quem proinde in confessione exprimere, saltem securius est, ut habet Navar. c. 6. C. Lugo d. 16. n. 312. Sicut etiam multo gravior est incestus cum consanguinea, quam cum affine in eodem gradu, v. gr. cum matre, quam cum noverca, cum sorore propria, quam cum sorore uxoris et rursus gravior est cum affine, quam cum cognato spirituali, vel legali. Addi vero debet, si in primo gradu fuerit, utrum cum matre, an cum filia, an sorore. C. Lug. l. c. et Escob. *de Actibus humanis* e. 2. c. 6. ubi ex Hurt. d. 9. *de Poen.* dis. 4. probabile dicit, incestum in eodem gradu et linea, eiusdem esse speciei (eo tamen graviorem, quo gradus est vicinior stipiti) et satis esse dicere, habui rem cum consanguinea in linea recta. Ad hanc speciem revocatur tanquam analoga, fornicatio cum filia confessionis; cum proprie non sit cognatio spiritualis, quam tamen circumstantiam in confessione exprimendam esse, probat Sanch. l. 7. *de Matr.* d. 55. Con. d. 32. Fagund. et ceteri probabiliter contra Sà V. *Confessio,* et Dian. v. Card. Lugo n. 355.

1016. Circa malitiam incestus haec est doctrina s. Thomae 2. 2. q. 154. a. 9. « In usu consanguineorum vel affinium invenitur aliquid incongruum commixtioni venereae ». Prima ratio, quae et praecipua

est, teste Caietano ibid., haec est: «quia naturaliter homo debet quandam honorificentiam parentibus et per consequens aliis consanguineis, qui ex iisdem parentibus de propinquo originem trahunt... Manifestum est autem quod in actibus venereis maxime consistit quaedam turpitudo honorificentiae contraria, unde de his homines verecundantur. Et ideo incongruum est, quod commixtio venerea fiat talium personarum ad invicem ».

Certum est, commixtione frequenti consanguineorum sobolem malesanam ac vitiosam tandem procreari et deperire familias; e contrario, copulatis coniugibus ex diversis et dissitis familiis, vitia naturae emendari, vires augeri, formas perfici, sensus quoque ipsamque intelligentiam non parum proficere. Quod argumento est, naturam ab incestuosis nuptiis valde abhorrere atque hac ratione physiologi potissimum utuntur, quam theologi et concionatores parvipendere non debent. Veteres Theologi aliis sunt usi argumentis moralibus.

Tum s. Doctor monet « quod persona affinis coniungitur alicui propter personam consanguinitate coniunctam et ideo, quia unum est propter alterum, eiusdem rationis inconvenientiam facit consanguinitas et affinitas » ad 2^{m}.

1017. Postremo gradus statuit in indecentia huiusmodi commixtionis, definiens quid lege naturae, quid lege positiva vetitum sit. « In commixtione personarum coniunctarum aliquid est, quod est secundum se indecens et repugnans naturali rationi, sicut quod commixtio fiat inter parentes et filios; quorum est per se et immediata cognatio. Nam filii naturaliter honorem debent parentibus... Aliae vero personae quae non coniunguntur secundum se ipsas sed per ordinem ad parentes, non habent ita ex se ipsis indecentiam. Sed variatur circa hoc decentia vel indecentia secundum consuetudinem et legem humanam vel divinam; quia, ut dictum est a. 2. (cf. n. 77.), usus venereorum, qui ordinatur ad bonum commune, subiacet legi. Et ideo, sicut, Augustinus dicit *de Civ. Dei* XV., 16., commixtio sororum et fratrum quanto fuit antiquior, compellente necessitate, tanto postea facta est damnabilior religione prohibente ».

Ex doctrina proinde s. Thomae, si solius legis naturalis ratio habeatur, personae inhabiles ad coniugium sunt tantum parentes et filii; pro ceteris coniunctorum commixtionibus intercedat necesse est aliqua lex divina vel humana. Ita et Caietanus interpretatur, quem lege.

Verum s. Thomas non negat esse indecentes ex se alias coniunctorum commixtiones, sed negat esse ex se ipsis *ita* indecentes, sicut parentum et filiorum.

1018. Caietanus comparans consanguinitatem cum affinitate affirmat, ex doctrina s. Thomae ad 2m, specie non differre incestum cum persona consanguinea ab incestu cum affini; quia affinitas nihil aliud est quam quaedam consanguinitas carnis suae, non quidem propter originem, sed propter coitum ac per hoc utrobique est indecentia eiusdem rationis, scilicet violare consanguinitatem carnis suae, quamvis diversimode caro per generationem accepta et per commixtionem sit sua. Sive ut ait Lugo, *de Poenit.* d. 16. n. 316., quia materialiter se habet quod coniunctio oriatur ex generatione aut ex matrimonio, cum ex eodem motivo prohibeatur copula cum consanguineis ac cum affinibus.

Sed Caietanus non dicit, incestum inter parentes et filios eiusdem esse speciei cum ceteris incestibus: dicit e contrario hunc vetitum esse lege naturali, ceteros, supposita utique aliqua maiore aut minore indecentia naturali, vetitos esse vi alicuius legis positivae et propterea subdit in fine, quod Papa potest dispensare cum omnibus personis coniunctis, nisi cum matre et patre, ut matrimonium contrahatur. Et sane speciale est motivum prohibitae huius coniunctionis reverentia debita parentibus et filiis, quae non est eiusdem rationis ac reverentia debita ceteris coniunctis. Nihilominus cf. dicenda in tr. *de Sacram. Poenit.* sub §. XXVI.

Et haec est doctrina S. Alph. n. 448., probabile esse, quod omnes incestus inter consanguineos sint eiusdem speciei, excepto tantum primo gradu consanguinitatis in linea recta, item n. 449. quod eiusdem speciei sint incestus cum consanguineis et cum affinibus. In libro autem 6. nn. 469. 470. non discedit ab hac doctrina, nisi quatenus addit; putare se excipiendum esse ex incestibus, qui sunt inter affines, incestum in primo gradu, nempe inter privignum et novercam (cf. 1. Cor. v. 1.), idem dic inter vitricum et privignam, inter socerum et nurum, adde inter socrum et generum. Quia debitum reverentiae, quod est motivum speciale prohibendi congressum parentum cum filiis, est etiam motivum prohibendi istas commixtiones. Ceteri autem incestus inter affines sunt eiusdem speciei.

1019. Non una semper fuit enumeratio graduum consanguinitatis et affinitatis: id enim a positiva lege pendet, ut ait s. Thomas. Quo fit ut praeteritis temporibus, cum amplius esset stemma consanguinitatis et affinitatis, quidam peccaverint contra pietatem debitam, qui nunc non peccarent. Neque in hac re aliquid est absurdum. Nam cum Ecclesia et generatim legislator aliquid praecipit, ponit materiam praeceptam in ea specie virtutis, propter quam illud praecipit: si vero non praecipit, cum illud per se non sit in ea specie virtutis, nequit qui illud ipsum agit, peccare contra eam virtutem.

1020. Quaerit s. Alph. n. 450. an incestus inter cognatos spirituales sit diversae speciei ac inter consanguineos et affines. Affirmandum absolute dicit cum Salm. et s. Thoma, qui q. cit. n. 10. ad 2. docet per copulam inter cognatos spirituales committi *sacrilegium ad modum incestus.* Verum quaerendum prius est cum aliis, an sit haec copula reapse incestus. S. Thomas sane id non proprie affirmat: sed dicit *ad modum incestus;* ut analogice solum dicatur incestus, iuxta s. Thom. Ita pariter Caietanus dicit, hanc copulam *metaphorice* appellari incestum.

Salmanticenses autem duas quaestiones simul commiscentes, statuunt primo quod copula cum cognato spirituali est incestus specie diversus de 6. *Praec.* c. 5. n. 39. coll. n. 37. et inter alios citant Lessium l. 4. c. 3. d. 11. n. 73. Lessius autem ait: « Gradus cognationis legalis, quae nascitur ex adoptione et cognationis spiritualis, quae ex baptismo et confirmatione, proprie ad hoc vitium (incestus) non pertinent; quia sunt vincula magis spiritualia nec faciunt coniunctionem carnis et sanguinis, sicut consanguinitas et affinitas. Negari tamen non potest, quin violatio talis cognationis per actum luxuriae habeat specialem deformitatem, cum illa cognatio constituat impedimentum dirimens: unde talis actus poterit dici incestus, paulo latius extensa hac voce; quia fit cum persona, cui, ratione istius coniunctionis, specialis debetur reverentia in ista materia nec est aliud nomen, quod ei melius conveniat, si cognatio sit ex adoptione: si vero sit ex sacramento, rectius refertur ad sacrilegium », ut reapse facit s. Thomas.

Sanchez vero a Salm. quoque citatus l. 7. d. 5. n. 9. ait: esse circumstantiam luxuriae diversam specie et necessario fatendam, si quis rem habeat cum cognata spirituali in eo gradu, in quo haec cognatio matrimonium dirimit rationemque eandem subiicit ac Lessius. Subdit deinde speciem hanc fornicationis a s. Thoma, Antonino et Sylv. appellari *sacrilegium ad modum incestus.*

Idem Sanchez n. seq. docet malitiam specificam, necessario fatendam, haberi quoque, si copula habeatur cum cognatis legalibus et hanc reduci ad incestum.

Habemus ex his responsionem ad utramque quaestionem: an haec copula cum cognato spirituali sit incestus et an sit peccatum speciem propriam habens, distinctam a fornicatione simplici et a vero incestu.

1021. Una praeoccupata est etiam quaestio, an copula cum coniuncto cognatione legali sit speciale peccatum. Sermo est de vera adoptione, quae matrimonium dirimit. Sane et in ea violatio est specialis reverentiae debitae in hac materia, cum matrimonium ob talem reverentiam inter eos esse non possit.

Probabilius vero censet s. Alph. l. c. non esse explicandos diversos gradus cognationis spiritualis (multo ergo minus legalis), quos copula attigerit; quia est semper peccatum contra eandem reverentiam debitam personis ratione sacramenti coniunctis.

1022. A. ad incestum revocat, per analogiam, fornicationem confessarii cum sua poenitente et probabile dicit, quod haec circumstantia sit in confessione explicanda. Ratio, quam affert Sanchez, haec est: quia extat in decretis specialis prohibitio, ob reverentiam sacramenti, ne confessarius fornicetur cum sua filia spirituali: peccatum proinde fornicationis admissum contra hanc specialem prohibitionem in reverentiam sacramenti statutam, habet iure ecclesiastico specificam sacrilegii malitiam necessario confitendam. Quamvis ergo Bonifacius VIII. l. mox cit. docuerit ex solo baptismo et confirmatione oriri cognationem spiritualem, respondet Sanchez 1° quod hoc cum limitatione dictum est, nempe quae impediat matrimonium: 2° etsi nulla cognatio spiritualis inter eos sit, demonstratio, quam attulit, non ex ea pendet, sed ex illa prohibitione.

S. Alph. n. 451. censet probabilius non haberi heic speciale peccatum. Nam non est incestus; quia Bonifacius VIII. *c. fin. de Cognatione spirituali in* 6., definivit: « Ex datione aliorum sacramentorum (praeter baptismum et confirmationem) cognatio spiritualis nequaquam oritur, quae matrimonium impediat vel dissolvat ». Iam vero ratio incestus in hoc crimine confessarii, sive vera sive analogica, demonstraretur, si esset inter confessarium eiusque poenitentem talis cognatio, quae impediat vel dissolvat matrimonium: quemadmodum superius vidimus argumentari DD. Neque est sacrilegium (intellige, ait s. Doctor, quoad hanc circumstantiam, quod fornicatur cum ea, quae apud eum confessa est); quia nulli sacramento, quod heic non habet locum, iniuria irrogatur. Negari tamen nequit speciale esse scandalum hac in re et idcirco esse talem circumstantiam saltem aggravantem, quod sensus fidelium, cum aliquid simile audiunt, testatur. Cf. tr. *de Poenit.* l. c.

Si autem confessarius puellam ad malum provocaret, abusus accepta in confessione notitia eius pronitatis ad huiusmodi lapsus, putarem veriorem sententiam Sanchez; quia apparet in hoc specialis irreverentia in sacramentum; nam eo mediante, sive eius parte, qualis est confessio audita, viam sibi munit ad peccatum. Et difficillime id fieri posset absque aliqua fractione sigilli. Id autem aeque valeret, sive cum filia confessionis sive cum filio peccaret.

Praescindimus, ut patet, in hac questione, a sollicitationis crimine (quod an adsit in illo abusu notitiae dicemus suo loco), de quo modo non loquimur.

Constat quod malitia incestus et in actibus imperfectis haberi potest atque potest incestus simul esse cum aliis peccatis luxuriae consummatis, adulterii, stupri, sodomiae etc.

XXI. 6. Sacrilegium hoc est violatio rei sacrae per actum venereum. Res autem sacrae, quae sic violantur, sunt locus et persona. Unde sacrilegium est 1. omnis actus luxuriosus exterior (qualis etiam est v. gr. pollutio et probabiliter etiam tactus impudici v. Lug. n. 464.) in loco sacro, hoc est templo vel coemeterio; nisi tamen fiat a coniugibus ex necessitate, v. gr. ad vitandam incontinentiam: 2. omnis actus luxuriosus tam interior, quam exterior in persona, vel cum persona voto castitatis consecrata; circa quem tamen probabile est, non opus esse exprimere, utrum fuerit votum sollemne, an simplex: sicuti neque, si duplici titulo sit sacrata, v. gr. quia est Sacerdos et Religiosus; quia moraliter est una numero malitia. Sanchez *de Matr.* l. 7. d. 27. n. 27. Henr. et ceteri, quos citat Dian. et sequitur p. 1. t. 7. r. 3. V. Car. Lugo, d. 16. *de Poen.* s. 4. Bon. q. 4. p. 17. Esc. e. 8.

1023. « Luxuria, secundum quod violat aliquid ad divinum cultum pertinens, pertinet ad speciem sacrilegii et, secundum hoc, sacrilegium potest poni species luxuriae ». S. Th. q. cit. a. 10. Quemadmodum vere in aliis speciebus luxuriae, adulterii, stupri, incestus, id, per quod differunt, est circumstantia luxuriae, quae (generatim saltem) in iis ut finis intenditur: ita et heic violatio alicuius ad divinum cultum pertinentis, circumstantia est luxuriae, quae per se intenditur.

Cum triplex sit sacrilegium, reale, personale, locale (cf. supr. Sect. 1. c. 2. n. 383.): sacrilegium luxuriae, seu luxuria sacrilega non nisi duplex esse posse videtur, personalis vel localis, ut habet A. Potest enim profecto quis abuti re sacra ad finem luxuriae: sed ille abusus non erit circumstantia luxuriae nec habebitur luxuria sacrilega, sed sacrilegium et luxuria, ut si quis daret rem sacram, puta reliquias, in pretium peccati turpis. Cf. s. Alph. n. 463.

Nihilominus, quia « omne illud, quod ad irreverentiam rerum sacrarum pertinet, ad iniuriam Dei pertinet et habet sacrilegii rationem 2. 2. q. 99. a. 1. »; quaedam etiam species luxuriae sacrilegae sacrilegio reali reperta est. Cf. Salmant. in 6. *Praec.* c. 6. n. 36. seqq., quorum exempla proferemus. Sane si quis statim a recepta communione se voluntarie polluit aut fornicatur, irreverentiam admittit erga ss. Sacramentum, quod intus gerit. Salmanticenses aiunt, quod si id contingat post dimidiatam horam aut paulo ante, quo tempore creditur prudenter, species sacramentales esse consumptas (quoad particulas apud nos in usu longe brevius tempus puto sufficere), iam non erit sacrilegium, quam sententiam referens s. Alph. n. 463., brevis esse laborans, obscurus factus est; nisi sit mendum et loco alterius *post* scribendum fuerit *intra,* intra spatium nempe semihorae a communione. Item si quis gestans sacram Eucharistiam, se voluntarie polluit, si quis sacrum faciens,

praesertim dum consecrat aut consummat sacrificium, se voluntarie polluit aut voluntarie inhonestam delectationem admittit, erit luxuria sacrilega. Ita Tamburini *Meth. Confess.* l. 2. c. 7. n. 38. Addunt Salm. l. c. si quis iam indutus vestibus sacris et paratus purissimum offerre sacrificium, copulam aut pollutionem committeret, etiam esset sacrilegus; quia id foret gravis irreverentia contra tantum sacrificium et sacra vestimenta ad illud offerendum destinata. Quod postremum accipiens s. Alph. l. c. ait: « contra res sacras est etiam sacrilegium (sermo est de luxuria sacrilega) abuti rebus sacris ad turpiter peccandum, ideo sacrilegium quidem committit, qui indutus ad Missam se polluerit ». Sed difficultas est, quomodo heic sit abusus vestium sacrarum: sed voluit, puto, dicere, quod Salm. citati dicunt, irreverentiam gravem haberi erga eas et sacrum sacrificium, ad quod sic indutus paratus est, cuius cum celebratione habet talis apparatus, ex institutione, intimam connexionem.

1024. Quaerit s. Alph. n. 457. an habens votum castitatis sacrilegium committat, si alterum suo consilio inducat ad carnale peccatum.

In primis, iuxta ea, quae dicta sunt in Tractatione de Sacrilegio l. c. n. 390. seqq.), quaestio a nobis intelligenda est de habente votum sollemne castitatis sive per professionem sive per susceptionem ordinis sacri. Qui affirmant sacrilegium admitti, eo ducuntur, quod inducens alium ad peccatum carnalem, iam ipse positive affectus est ad libidinem, violat proinde votum. Si hic actualis affectus supponatur s. Alph. quoque censet probabiliorem sententiam affirmantem. Sed satis probabiliter negari illud a Sanchez ait, si quis ex alio pravo fine inducit quempiam ad peccatum carnale: quia vi voti suam tantum non alienam castitatem obligavit.

Aliud est, quod ait Gury v. 1. n. 424. 3., sacrilegum esse, qui personam sacram ad peccatum luxuriae inducit, licet ipse cum ea non peccet: ratio est, quia sacrilegio cooperatur.

Iam cum tractaretur de Sacrilegio l. c. n. 390. dictum est, haud placere sententiam, quam in hac Resol. tradit A. ultimo loco. Cum enim violatio voti sollemnis castitatis sit sacrilegium, non vero violatio voti simplicis; profecto circumstantia voti sollemnis explicanda est, ut sacrilegii crimen manifestetur. Cf. Laymann l. 4. tr. 10. c. 7.

De ceteris quae habet A., iam sermo habitus est in eadem tractatione de Sacrilegio.

Dub. III.

Quae sint species luxuriae consummatae contra naturam.

XXII. Resp. Cum contra naturam esse dicantur eae, in quibus fit seminatio modis repugnantibus institutioni naturae, ita ut iuxta tales modos species varientur; hinc resolvitur, tales species esse sequentes.

Res clara est.

XXIII. 1. Est congressus inordinatus, hoc est innaturalis sive indebitus concumbendi modus, cum scil. servatur quidem identitas speciei, diversitas sexus et debita naturae organa, sed inordinato tantum modo acceditur: v. gr. cum vir succumbit vel averse accedit more pecorum, vel a latere, vel stando aut sedendo aliave ratione insolita. Quod est contra naturam, mortale, quando inde periculum est impediendae generationis aut effundendi seminis; alias, si hoc periculum caveatur aut non sit, eo quod matrix feminae satis attrahat semen et retineat, ut fit plerumque, non contra, sed praeter naturam erit et veniale grave, imo nullum, si gravis causa adsit, v. gr. quia mulier est praegnans, vel quia corporis dispositio sive utriusque sive alterutrius coniugis aliter fieri non patitur. Fill. tr. 30. c. 8. q. 8. n. 137.

1025. A. exorsus a minus gravibus, eam speciem enumerat, quae ab aliis praetermitti solet. Sane hic actus spectari potest tum in coniugibus, tum in solutis. In coniugibus peccatum mortale non est, nisi periculum inde sit impediendae generationis et effusionis seminis, imo si iusta causa adsit ita concumbendi et illud periculum caveatur, nullum est peccatum. Non ergo hic actus peccatum est per se, sed ratione alterius. In solutis ergo pariter, si absit periculum iam dictum, erit fornicatio cum hac circumstantia talis concubitus, quae per se leve peccatum est. Si vero periculum illud sit; peccatum erit situm in tactibus impudicis et pollutione. De hac re, quod spectat ad coniuges, redibit in sermo tr. *de Matr.*

XXIV. 2. Mollities sive pollutio et est, cum absque congressu seu copula, voluntarie procuratur fluxus seminis, sive id foras effundatur, uti in maribus, sive intus diffluat in matricem, ut in feminis. Et hoc peccatum praeter propriam malitiam, saepe aliam habet adiunctam, ut v. gr. fornicationis, adulterii, incestus etc. cum quis nimirum simul imaginatur ac desiderat congressum alicuis personae liberae, coniugatae etc., quod proinde si fiat, in confessione aperiendum est. Plura de mollitie v. sequenti dubio.

1026. En verba B. « Interest sane nosse accurate, in quo resideat specialis malitia huius peccati, ut inde normam aliquam sumat confessarius, qua circa interrogandos poenitentes a molestis scrupulis semet facilius eximat. Propria itaque huius peccati notio petatur oportet ex indole peccati *contra naturam.* De qua generatim ita Filliuccius tr. 30. n. 137.; *Dicitur hoc peccatum contra naturam, quia non modo repugnat ordini rationali ; id enim est commune cuicumque*

peccato luxuriae, quod est contra rationem et repugnat ordini rationali, verum etiam quia repugnat ordini naturali actus venerei in humana specie; naturalis enim ordo talis actus debet esse eiusmodi, ut ex illo sequi possit hominis generatio, haec enim est finis illius: si ergo non possit sequi, erit talis actus contra ordinem naturalem, ideoque dicetur peccatum contra naturam. Brevius autem et dissertius Elbel part. 4. conf. 9. n. 254. de huius peccati speciali malitia: *Ratio est, quia semen humanum a natura ordinatur ad generationem; ergo illud effundere ob alium finem* (voluptatem) *repugnat ordini naturae.* Cum itaque specialis haec malitia consistat in frustranea seminis effusione contra naturae ordinem, iam palam est cur hoc peccatum specie differrat a quovis tactu impudico, quem utique venerea voluptas, nulla tamen seminis effusio sequatur; atque adeo cur confessarius (cum iis sane cautelis, quas DD. omnes merito exigunt) de hoc ceu peculiaris speciei obiecto non imprudenter interroget ».

Hinc etiam sequitur voluntariam seminis effusionem, etiamsi absque voluptate fieret, non excusari a gravi peccato.

1027. Dictum est: *in frustranea seminis effusione contra ordinem naturae.* Non enim sufficit quod semen frustra fundatur; hoc enim habere potest locum inter coniuges senes aut steriles: sed oportet ut frustranea sit eo quod est contra ordinem naturae. Iam vero in in hoc ordine duo sunt consideranda: finis seminis, qui est generatio prolis, qui tamen finis secundum alium naturae ordinem universaliorem fieri potest ut non obtineatur, secundum eum ordinem scilicet, qui alias causas regit quaeque impedire possunt effectum virtutis generativae. Tum considerandum est medium a natura institutum pro eo fine consequendo, quod est congressus viri et feminae in vase debito: quem congressum, ut honestus sit, ratio praescribit debere esse inter coniuges. Effusio proinde seminis extra talem congressum est contra naturam: effusio in tali congressu sed non inter coniuges, est contra ordinem rationis, ut audivimus a Fill.: effusio haec seminis inter coniuges et in debito vase nunquam est contra ordinem naturae et rationis, etsi procedens seminatio non sit prolifica seu sit frustra. Nam coniugium, quod est situm in mutuo iure et obligatione ad copulam, confert per se coniugibus perpetuum ius ad copulam, quandiu haberi potest et quamvis, propter accidentales causas, generatio sequi non possit, id non impedit exercitium huius iuris; quia coniugium est ipsum hoc ius: ius autem exerceri potest licite quandiu aliqua ratio seu finis aliquis adsit, etsi non principalis. Porro copula, stante matrimonio, alios fines honestos habere potest, ut suo loco dicemus.

Perperam igitur ex eo quod seminatio coniugis, identidem frustranea h. e. non prolifica, sit licita, colligeres pollutionem vel non semper esse malam vel non sitam esse in frustranea seminis effusione contra ordinem naturae. Peccas si ita arguis, in eo quod in ordine naturae solum consideras finem, non institutionem medii: ut autem actus contra ordinem naturae sit, debet esse contra hanc ipsam institutionem naturae; quod si fiat, excluditur praeterea etiam positive finis naturae.

Ceterum iuvat advertere finem seminis, quod in organis iugiter elaboratur, a natura intentum, non esse solam generationem prolis, quae emissione seminis obtinetur; nam absortum semen iugiter a pluribus vasis ad hoc destinatis et in gyrum actum augmento et robori membrorum masculorum maxime confert: qui effectus in continentibus speciatim apparet.

1028. Iam vero, ut ad id redeamus, unde digressi sumus, « cum specialis ea inordinatio, de qua dictum est, pergit B., sita sit in frustranea effusione seminis, quae effusio est a natura instituta unice ad coniugalem copulam, ut proles inde suscipiatur (a); iam ratio patet, cur DD. diversimode iudicent de hac turpitudine quoad eos, qui aut nullum semen emittere possunt, aut certe non verum. Exinde quod habet Sporer *Theol. Sacr.*. p. 4. c. 2. n. 39. de impuberibus: - Si pueri vel puellae, qui nondum possunt seminare, se ipsos turpiter contrectent... utique est peccatum mortale...; attamen videtur specie differre a vera pollutione, per quam seminatur, in specie proprie reducendum ad impudicitiam tactus. - Itemque Holzmann part. 2. tr. 2. n. 686.: - Si impuberes, sive pueri sive puellae conentur impudico motu semen elicere, cum nondum possint, committunt peccatum specie diversum a vera pollutione, reipsa pertinens ad impudicitiam tactus.... Ratio est, quia... cum semen non effundant, non committunt peccatum verae

(a) Nostrum est monere, alios aliter sentire et hac quoque aetate doctores esse, qui censeant, pollutionis crimen, de quo Morales Theologi loquuntur, principaliter non in frustratione seminis situm esse, sed in illicita delectatione venerea; ex utroque tamen elemento malitiam pollutionis coalescere. Hinc aiunt, ita primario et principaliter pollutionem fieri peccatum ex delectatione illicita, ut, si creator Deus generationis organa disposuisset ita, ut, perinde ac in sexu sequiori, etiam apud virum superfluum semen vel nocivum absque libidine efflueret; liceret utique procurare huiusmodi fluxum ad servandam vitam vel sanitatem. Idcirco, inquiunt, etiamsi in pollutione nulla haberetur seminis frustratio, uti apud senes obtinet, idem specie peccatum foret. Cf. Karl Capellmann *Pastoral-Medicin*. 6ª edit. p. 85. Nemo negat delectationem veneream libere quaesitam vel acceptatam, etiamsi pollutio seu emissio seminis non sequatur, a Deo esse prohibitam extra matrimonium, ut idcirco et in feminis hoc peccatum mollitiei locum habeat, quae semine carent: ac certum est quoque frustraneam emissionem seminis speciale esse peccatum, ita ut, etsi coniugatis viris licita sit extra congressum maritalem delectatio venerea sola, vel sit tantum venialis: prohibita sit tamen semper sub gravi pollutio. E.

pollutionis, sed aliud specie diversum. Idem cogita de eunuchis semine ad generationem apto destitutis. - Nec aliter Babenstuber tr. 5. disp. 7. art. 2. n. 71.: - Impuberes..., qui conantur impudico motu semen effundere, cum nondum possint, peccant quidem mortaliter...; istud tamen eorum peccatum specie differt a vera et proprie dicta pollutione. Ratio est, quia de ratione verae pollutionis est effundere semen contra finem humanae generationis; sed nulla est in eiusmodi personis seminis effusio. Ergo. Hoc igitur peccatum reipsa ac proprie pertinet ad impudicitiam tactus... Quod de impuberibus dictum est, etiam de eunuchis intelligi debet. In his enim non est semen utile ad generationem. - Et praeiverat Tamburini de 2. *Eccl. praec.* c. 17. n. 13. inquiens: - Qui ex defectu aetatis, vel ex alia causa (quales sunt impuberes, ut item eunuchi) non possunt motu impudico semen effundere vel effundunt semen inutile, peccant mortaliter...; sed certe haec species peccati differt a vera pollutione, cuius est proiicere semen contra generationis finem, quae proiectio non est in praedictis eiusmodi; ergo peccatum in impuberibus reducitur reipsa ad tactum impudicum. - Hinc vero rationibus, quas sapienter afferre solent Doctores, cur cautissimus esse confessarius debeat in interrogandis de hoc argumento huiusmodi poenitentibus, haec peremptoria accedit, quod simul ac satis scrutati prudenter fuerint, num malitiose peracta haec fuerint, nullus locus ulterioribus interrogationibus superest ».

1029. « Ex his autem occasio eiusdem prope quaestionis quoad idem peccatum, si de feminis agatur. Utcumque enim theologi de muliebri semine sermonem et pluribus quidem de causis, iniiciant; attamen ubi de ipsius natura deinde quaerunt, nihil nisi quid porsus incerti communiter habent. Instar omnium sit Bonacina *de Matr.* q. 4. p. 6. n. 13., qui scribit: - Secundum probabilissimam sententiam semen feminae nec active nec passive concurrit ad generationem. - Et Sanchez lib. 9. disp. 17. n. 9.: - Femineum semen nec esse necessarium nec active ad generationem concurrere, docent Galenus sibi contrarius, Aristoteles, Avicenna, Albertus M., Hugo Senensis et multi alii et universa theologorum schola cum s. Thoma 3. q. 31. art. 4. ad 3. Quod inde constat, quia, experientia teste, feminae omnino invitae... semen virile recipientes concipiunt; tunc autem minime seminant. Ergo cum absque eo semine... generatio sequatur etc. - Quamquam vero antiqui asseclae Scoti, ut innuit Sanchez l. c. et dein Elbel part. 4. conf. 9. n. 252., post Hippocratem censerent, *semen mulieris active concurrere ad generationem*, ipse tamen Elbel ibid. n. 253. dein fatetur, *hodie a doctis Medicis communiter negari, dari in mulieribus verum semen aut veros testiculos. Ita Georgius Francus apud Paulum*

Zachiam in Quaest. medic. legal. Qua veluti hypothesi ex praemissis principiis recte idem l. c. concludit: - Quidquid tamen de hoc sit, apud theologos certum et indubitatum manet, mulieribus aeque parum ac impuberibus vel spadonibus permissum esse, ut vel proprio vel alterius tactu ad venerem sese provocent. - Imo modo res est non iam incerta aut hypothetica, sed certa et apud Medicos seu physiologiae peritos exploratissima, id quod femineum semen appellari consuevit, a veri seminis natura penitus diversum esse, nec alium huiusmodi humoribus finem a natura praestitutum esse, quam ut opus coniugii facilius efficiant. Constat sane modo quod ad habendam generationem, horum duorum elementorum coniunctio requiritur et sufficit, nempe virilis seminis coniunctio cum maturo ovo feminae. Habetur tamen in femina in actu copulae irritatio organica, quae comitatur completam voluptatem atque etiam humor ille, qui, licet non semper, comitari solet eandem voluptatem ».

« Ex his quis colligat, quod cum alias iam causas DD. afferre consueverint, ob quas parcendum sit interrogationibus de qualicumque hac feminae pollutione, multo magis nunc parcendum videatur; dum satis iam constat, in mulieribus, utcumque graviter peccent, tamen non adesse rationem illius specialis malitiae, quae pollutionis verae ac presse dictae propria est ».

1030. Nihilominus advertendum censemus cum P. Villada *Casus conscientiae* p. 3. pag. 250. seqq. in nota, quod in feminis videatur haberi posse peccatum analogum, ut ita dicamus pollutioni, quod differat a simplici tactu impudico. Obtineri enim et ab ipsis potest completa voluptas, qua satiatur et exsolvitur natura, quae alia est ab ea voluptate, quam vel solis tactibus experiuntur: illa autem obtenta completa voluptas videtur peccatum consummatum in suo genere et aequivalens pollutioni. Et A. malitiam mollitiei in feminis quoque admittit nec s. Alphonsus contradicit.

Sane quae dici solet *masturbatio* (manum stupratio) non a maribus solum, sed et a feminis inhonestis usurpatur (Capellmann, *Pastoral-Medicin.* 6. edit. p. 77.) atque apud has triplex velut eius forma distinguitur: clitorina, vaginalis, uterina, quas meminisse sufficiat. Cf. Debreyne *Maechiologie*, part. 1. c. 1. a. 1. sect. 7. *Uterina* gravior est, ut valeat etiam frequenter iterata potestatem gignendi impedire. Ibid.

Videat tamen confessarius ne feminae poenitentes confundant cum pollutione fluxum illum, qui *leucorrhea* dicitur, quae est status quidam infirmitatis, in qua fluxus est habitualis, absque ulla sensatione voluptatis, quam ordinarie comitatur sensatio quaedam molesta ad epigastrum. Ibid. sect. 8.

« Tandem, ait rursus B., a seminis eiectione distinguenda est distillatio quae est alterius humoris haud prolifici nec copiosa est sed fit fere guttatim. Ea nihil habet commune cum semine atque in Eunuchis quoque habet locum. Nihilominus frequenter et ipsa contingit cum genitalium commotione et delectatione, coniungitur enim seminis alicui effusioni vel ad eam disponit (a). Identidem vero ea habet locum absque ulla delectatione. Si ergo priori modo contingat, malitia moralis sita erit in procurata vel in se vel in causa delectatione venerea et etiam pollutione seu effusione seminis vel huius proximo periculo: si vero altero modo contingat, sine delectatione, etsi cum quadam naturali commotione, de ea haud curandum esse aiunt Theologi, sicut de qualibet alia excretione neque eius causam cavere debemus. Cf. s. Alph. n. 477. ».

XXV. 3. Sodomia imperfecta et est congressus cum debito quidem sexu, maris nempe cum femina, sed extra vas naturale. Potest etiam simul habere alias malitias, v. g. adulterii, si fiat cum coniugata, incestus, si cum consanguinea. Bon. q. 4. *de Matr.* p. 11. n. 1. Filliuc. l. c. n. 158.

XXVI. 4. Sodomia perfecta et est congressus duorum eiusdem sexus, ut maris cum mare, vel feminae cum femina et potest etiam habere alias malitias adiunctas, v. gr. incestus: quo casu cognationis gradum non necessario explicari docet Escob. *de Act. hum.* e. 2. c. 6. sed satis esse dicere, coivi cum consanguineo vel affine; quia nec miscetur caro nec contrahitur affinitas nec linea variat speciem. Ita ille. Explicandum tamen esse, fuerisne agens an patiens, dicit C. Lugo d. 16. n. 423. contra Dian. tom. 2. t. 4. *de Sacram.* r. 159. et p. 6. t. 6. r. 36.

1031. Ad sodomiam ergo requiritur concubitus: si proinde applicentur tantum manus, brachia, pedes ad partes genitales alterius, erunt impudici tactus, non sodomia, nisi forte in affectu aut desiderio. Pollutio idcirco habita sive alium quis tangat, sive ab alio tangatur, est simpliciter peccatum pollutionis, praeter cooperationem, cum ea adest, ad peccatum alienum. Satis est ergo dicere in confessione: pollutus fui tactibus alicuius (cf. n. 116.) nec oportet explicare an tactibus viri vel feminae; istud enim discrimen materialiter se habet ad pollutionem. At si facta sit pollutio tactibus e. gr. personae votum habentis castitatis, haec circumstantia declaranda est, propter cooperationem ad speciale peccatum alterius. Ita s. Alph. n. 467.

Quinam vero concubitus ad sodomiam requiritur? Communissime Theologi (v. s. Alph. l. 3. n. 466.) atque etiam Canonistae (v. Reiffens. l. 5. tit. 16. n. 88. Schmalzg. eod. tit. n. 112. Pirhing eod. tit. n. 69.)

(a) Non recte dicitur, ait Capellman op. cit. p. 94. omnem distillationem secum ferre aliquam seminis effusionem. Hinc, puto, quae distillatio dicitur esse cum delectatione ex genitalium commotione, ea erit quae simul est cum aliqua effusione seminis; ea vero quae est absque ulla delectatione, absque seminis commixtione continget. Sic forte doctrina tradita clarior erit. E.

perfectam huius criminis rationem constituunt in sola inordinatione sexus indebiti, secus ac affirmare videantur quidam interpretes iuris civilis (v. s. Alph. l. c.), dum eam in inordinatione praesertim indebiti vasis reponunt: qui tamen in hac re rationem potius habuisse videntur poenarum, quas in eodem civili foro huic quoque posteriori inordinationi infligendas leges censuerunt.

Exsistente igitur tantum inordinatione indebiti vasis, sodomia imperfecta est: quae tamen specie differt a perfecta; nam in hac est alia prorsus inordinatio, quae ab imperfecta abest.

Sodomia perfecta vel imperfecta consummatur seminis effusione, saltem ab uno. Ex eo factum est ut censuerint quidam (v. s. Alph. l. c.), inter sequioris sexus personas impropriam tantum sodomiam dari, eo quod consummatio illa in his locum non habeat.

Porro, ut id obiter notemus, quando absolute et simpliciter sodomia reservatur, debet, iuxta generalia principia, intelligi crimen perfectum et consummatum.

1032. Quaerit s. Alph. n. 468. an in confessione explicare poenitens debeat, fuerit ne agens an patiens et ait verius id affirmari; quia in agente multo facilius adest pollutio, quam in patiente.

Sed si ita est, id, quod explicandum est, erit pollutio habita, quod et Gury concedit v. 1. §. 434. 4., quin opus sit de agente aut patiente facere mentionem; quia quoad hoc reapse est eadem peccati species.

Iam diximus sodomiam cum incestu copulari posse. Et sane si reverentia debita coniunctis prohibet congressum naturalem, multo magis innaturalem. Cf. s. Alph. n. 469.

Huc revocanda q. ab A. proposita in fine dub. seq. Scilicet mutua pollutio inter mares (vel feminas) ex solis tactibus sine concubitu, realiter est solum mollities (n. 112.): si autem affectus accedat ad commixtionem cum persona, erit affective sodomia. Illa aliqua coniunctio et commixtio corporum, cuius A. meminit, quandam offundit obscuritatem; nam, nisi sit concubitus, non erit sodomia nisi in affectu.

1033. Quaerit s. Alph. n. 467. an pollutio habita tangendo puerum aut mulierem dormientem, aut pudenda bestiarum, sed absque concubitu, sit diversae speciei a simplici pollutione. Alii affirmant esse vel sodomiam vel fornicationem aut bestialitatem inchoatam: alii simplicem pollutionem esse volunt; quia quando abest concubitus, materialiter illud se habet, quod fiat pollutio tactibus propriis an alienis. Quando enim abest concubitus, non adest affectus ad sexum sed ad pollutionem: sufficit proinde confiteri *habui pollutionem tactibus alienis*. Haec est S. Alph. probabilior sententia. Difficultas est quoad modum propositum

confitendi. Nam non alienis sed suis tactibus, licet in alterum, hic procuravit pollutionem et si non sufficit dicere *me pollui*, videtur ea circumstantia necessario confitenda discrimen aliquod essentiale afferre inter hoc peccatum et simplicem pollutionem.

Sodomiam infandum esse crimen, prodit ipsum nomen, quod in memoriam revocat punitionem a Deo inflictam Sodomitis hac lue infectis.

XXVII. 5. Bestialitas, quod est gravissimum inter omnes et est congressus, in quo non servatur identitas speciei v. gr. si homo coeat cum bestia, sive eiusdem sexus sit sive non. Neque opus est explicare, qualis sive cuius speciei fuerit; quia est differentia tantum materialis et in genere entis, non autem formalis et in genere moris. Esc. e. 2. c. 6. Fill. tom. 2. t. 30. c. 7. n. 131. Huc revocatur peccatum cum Daemone succubo, vel incubo. Cui peccato superadditur malitia contra religionem et praeterea etiam sodomiae, adulterii vel incestus, si affectu viri vel mulieris sodomitico, adulterino, vel incestuoso cum Daemone coeat. Vide Bon. *de Matr*. q. 4. p. 12. Fill. n. 162.

1034. Clara est. Vides A. non dicere quod peccans cum apparente daemone, si hic sub specie e. g. coniuncti appareat, peccet eo ipso affective peccatum incestus et ita porro: sed dicere, si affectu coeat adulterino, incestuoso, sodomitico, peccare tunc praeterea peccatum adulterii, incestus etc. Quod quidem intelligendum est, ut patet, de peccato in affectu, non in effectu.

Huius autem diabolicae operationis possibilitas iis ipsis argumentis demonstratur, quae demonstrant potestatem daemonis in materiam: facta vero huc spectantia historia veteris idololatriae suppeditat et a nova nunc regnante superstitione sunt profecto timenda.

Dub. IV.

An aliquando liceat procurare pollutionem.

XXVIII. Resp. Auctoritate Scripturae, quae molles a regno coelorum excludit 1. Cor. VI. 9. docent omnes, nullo casu licitum esse intendere vel procurare directe mollitiem, ne causa quidem sanitatis ac vitandae alias certae mortis. Causam dat Sanch. l. 9. d. 17. quod natura administrationem seminis, extra matrimonium, in omni eventu, homini denegarit, eo quod adeo vehemens sit in ea re sensus voluptatis, ut homines passione excaecati passim sibi facile persuaderent, habere se iustam causam irritandi seminis, unde plurima gravissimaque vitia contra bonum commune et in impeditione generationis emergerent. *Hic nota Propos. 49. damnatam ab Innoc. X. *Nav. c. 16. **Less. et comm.**

1035. Advertenda primum prop. 49. damnata ab Innocentio XI. « Mollities iure naturae prohibita non est: unde, si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona et aliquando obligatoria sub mortali ». Quoniam A. ad demonstrandum iure naturae nullo unquam in casu licere procurare directe mollitiem, provocat ad Sanchez, praestat verba

ipsa Sanchez referre ex l. 9. d. 17. n. 16. Quaestio est, an, cum pro conservanda vita sit necessaria eiectio seminis seu pollutio, haec liceat. Negat Sanchez et ait.

« Conclusio ab omnibus admittitur: at eius rationem assignare est difficillimum. Communiter ea traditur. Quia cum cetera membra ad ipsius individui bonum et incolumitatem natura destinavit, administrationem ipsorum individuo concessit, ut ipsa amputare posset, non libere tanquam dominus, sed ubi necessitas ac ipsius incolumitas id postularet, more legitimi et fidelis administratoris. Seminis autem, utpote a natura instituti non ad ipsius individui bonum, sed ad speciei conservationem, medio coniugali congressu, nullatenus dominium aut administratio ipsi homini concessa sunt ac proinde eius effusionem extra coniugalem copulam in nullo eventu procurare poterit. Quamvis haec ratio communis sit, non omnino placet. Primo, quia generationi deservire cum propriae salutis notabili detrimento, nedum cum vitae periculo, nemo obligatur, etiam altero coniuge debitum petente: non ergo ne frustretur generatio, astringitur homo ad semen retinendum cum vitae iactura... Accedit licere ob individui bonum amputare sibi testiculos generationi necessarios, cum tamen in eo eventu prorsus generatio impediatur: a fortiori ergo licebit semel vel iterum generationem impedire, effundendo semen, ut vitae propriae consulatur, eo vel maxime quod, vita amissa, prorsus generandi potentia exstinguetur... Quia quod ipsa natura disponente naturaliter efficitur, si ratione fiat, nullus est abusus; motus enim ille naturalis auctori naturae tribuitur: sed non obstante generationis damno, natura saepe, quo se exoneret, semen expellit; licebit ergo ipsam medicamentis ad id adiuvare... ».

« Hae rationes valde me urgent... Atque ita legitimam rationem esse censeo, cur in nullo eventu, etiam ubi ad vitam tuendam necessarium esset, liceat seminis effusionem procurare; quia adeo vehemens in seminis effusione delectatio sentitur, ut illam homines tanquam summum bonum prosequantur illique veluti suae felicitati adhaereant. Quare ob id natura in omni eventu ipsius administrationem homini denegavit; ea enim in aliquo casu concessa, evidentissimum subesset periculum, ut homo passione libidinis excoecatus, passim sibi persuaderet, causam effundendi iustam adesse atque ita semen prodigeret indeque fornicationes, adulteria aliaque innumera luxuriae vitia adversus commune bonum pullularent. Quibus ut obviaret, natura merito ac iure optimo praedictam administrationem negavit, non obstante vitae periculo individui, quae bono communi cedere debet. Non sic autem contingit concessa ceterorum membrorum, ob totius bonum administra-

tione; dolor enim maximus ex ipsorum amputatione consurgens, coercebit a non necessaria nedum a prodiga ipsorum administratione ».

1036. Fatendum est esse aliquas praticas veritates humano convictui necessarias, quas homines instinctu quodam rationali percipiunt et sentiunt, quarum tamen rationem prorsus demonstrativam, cum eam iidem homines analytice quaerunt, difficulter inveniunt. Videtur voluisse natura sive auctor naturae huiusmodi instinctu aut sensu rationali supplere defectum rationis se exercentis; cum praesertim in re tam lubrica non admodum expediat penetralia rimari. Inter huiusmodi veritates haec quoque forte, qua de agimus, invenitur, quam certe confirmat consensus DD. et qui in eo continetur, consensus Ecclesiae.

Sanchez ibid. addit argumentum a posteriori. Scilicet minus est inordinata effusio seminis in fornicatione, quam in pollutione, quae gravius per se peccatum est, quippe contra naturam: attamen in nullo eventu illa licet; ergo multo minus ista. Neminem, ait, huic conclusioni adversum inveni.

Sed forte hypothesis, unde difficultas vera oritur, nempe quod identidem pro conservatione vitae, eiectio seminis sit necessaria, neganda est. Negandum est scilicet quod supponitur, conservationem seminis nocumentum vitae aliquando afferre posse. Lege dissert. citandam aliosque modernos et honestos medicos.

1037. Huic affinis est quaestio, num liceat puellae sive mulieri vi oppressae, semen virile exceptum, adhibitis mediis (et nunc quoddam speciale instrumentum huic usui est inventum) *immediate* expellere: quam quaestionem ita resolvit Lehmkuhl v. 1. n. 849. monens, se loqui de *muliere vi oppressa:* alias enim certum est ait, id non licere, quum malitia frustratae naturae in illa actione (expellendi semen, postquam libere susceptum est) manifesta sit. Verum mulieri vi oppressae id licere, mihi certe, inquit, probabile est et sane non videtur de hac re dubitandum; se habet enim semen ad modum iniusti aggressoris, quem licet repellere. Quid vero si foetus iam conceptus sit? vix probabile est, respondet idem, illico a copula foetum concipi; etsi autem id ponatur, merus conatus eiiciendi semen non eum nocebit. Nihilominus quaelibet alia actio, quae ad damnum exsistentis foetus tenderet, utpote contraria ordinationi naturae, prorsus illicita foret. Ita et Sanchez censet *de Matrim.* l. 2. disp. 22. n. 17. dicens valde probabile sibi esse, quod liceat haec expulsio seminis incontinenti facta. Huic tamen sententiae negat se acquiescere posse s. Alph. n. 394. Quaestio sane ex medicorum pendet iudicio. Si enim hac actione apponitur impedimentum iam coeptae conceptioni, species abortus ha-

bebit locum: si impeditur, ne conceptio fiat, sententia Sanchez innocua est, et iuri feminae consentanea. Consulantur ergo medici.

Quae A. in Resoll. docet, iam fere omnia disputata sunt in Tr. *de Peccatis*, ad quem A. quoque reiicit lectorem. Brevissimos ergo nunc esse licebit.

Unde resolves.

XXIX. 1. Distillatio, quae est fluxus humoris quasi medii inter urinam et semen (cum quo coloris et viscositatis similitudinem gerit) sine ingenti illa delectatione, non est vera pollutio et, si proveniat sine omni commotione sensus venerei, ut quandoque fit, de ea non magis laborandum, quam de sudore, dicit Caiet. Si vero fiat cum sensu carnis et commotione spirituum generationi servientium, tum ei cooperari vel causam praebere, non est vel est peccatum idque veniale vel mortale, ad eundem modum, quo de pollutione dicetur. Sanch. l. 9. d. 45. n. 32. Laym. l. 3. sec. 4. n. 18.

De hac re sermo heic habitus est n. 128. in fine.

XXX. 2. Si semen iudicio medicorum transivit in materiam venenosam, licet eam medicamentis expellere, etsi praeter intentionem sequatur aliqua veri seminis emissio. Sanchez l. 9. *de Matr*. d. 17. n. 16. Fill. t. 30. c. 8. n. 150. Trull. l. 6. c. 1. d. 8. §. 1.

1038. Advertere licet, quod hypothesis, cui resolutio innititur, semen scilicet identidem corrumpi, modo neganda est, si sanis Medicis credimus.

Sic enim scribit doctissimus Medicus Hermenegildus M. Pistelli in dissertatione italica *Sul celibato* (Firenze Tip. Mazzoni 1844.) in postrema nota: « Che il seme si possa corrompere, finchè sta rinchiuso nelli organi genitali, è un fatto smentito solennemente dalla buona fisiologia ».

Id et citatus Debreyne op. cit. p. 1. c. 1. a. 1. sect. 3. dissertissime affirmat atque citatus Capellmann op. cit. p. 89. quem cf. sis.

XXXI. 3. Non tenetur quis (modo tamen absit periculum consensus in voluptatem nec voluntarie promoveat) impedire pollutionem sponte sua evenientem aut iam coeptam v. gr. in somno reprimere, sed potest sanitatis causa sinere, ut natura se exoneret; quia id non est procurare, sed pati, ut effluat, quod alias corruptum sanitatem laederet. Unde idem admittit Sanch., etiamsi orta esset prius ex culpa; modo de ea doleat et consensum ulteriorem abstrahat, additque plerumque expedire, munire se cruce et sine alio attactu, quietis manibus, rogare Deum, ne permittat lapsum in delectationem. Sanchez d. 17. n. 17. Trull. l. 6. c. 1. d. 10.

1039. Etsi respuenda sit hypothesis seminis vitiati et idcirco secuturae deinceps infirmitatis, recipienda est tamen doctrina Theologorum heic ab Auctore tradita, permitti nempe posse pollutionem seu exonerationem naturae, cum haec sponte exorta est, puta in somno et a vigilante advertitur, dummodo periculum consensus absit et proinde voluntatis actuali displacentia homo se muniat, iuxta ea, quae

dicta sunt in tr. *de Peccatis* sub §§. XXI. XXII. quoad motus carnis insurgentes; nam eadem est quaestio. Atque haec est doctrina s. Alph. heic n. 479. « Quando emissio incepit in somno, sed postea consummatur in vigilia, eo casu, modo absit consensus in delectationem vel proximum consensus periculum ex praeterita experientia, non tenetur homo illam cohibere; quia difficillimum est, avertere exitum seminis iam a lumbis decisi, ut communiter dicunt DD... tunc enim ille pollutionem non vult, sed mere patitur ». Subdit: « saltem tunc *expedit* signo crucis se munire atque mentem ab illa turpi cogitatione avertendo ac nomina sanctissima Iesu et Mariae invocando, eos ferventer precari, ne ullum lapsum permittant ». Cf. l. c. doctrinam s. Doctoris.

Idem porro dicendum (nam eadem est ratio), si hic effectus, absque hominis cooperatione, sponte oriatur in vigilia.

Cf. Capellmann op. cit. p. 89., seqq. qui et physicum medium ad cohibendum hunc effectum vel praevertendum suggerit.

Non loquimur de pollutione *passiva*, quae generatim in vigilia sequi solet, contingit autem sponte absque ullo sensu voluptatis, imo cum aliquo sensu doloris in organis generationis.

Haec cum quibusdam debetur infirmitatibus tum praeteritis in re venerea excessibus. Cum ea nequeat impediri, nequit imputari ad ullam culpam. Cf. Auct. cit. p. 92.

XXXII. 4. Licitum est ob finem honestum, v. gr. minuendae tentationis, sanitatis, tranquillitatis animi, optare simplici affectu spontaneam et naturalem exonerationem naturae, modo desiderium illud non sit causa efficax pollutionis. Similiter licet etiam de ea gaudere, via naturali et sine peccato facta; quia obiectum istius desiderii et gaudii non est malum: quanquam eiusmodi desideria simplicia inutilia esse nec periculo carere, quidam bene observent. Less. d. 14. n. 15. Laym. n. 17.

Cf. dicta in tr. *de Peccatis* sub. §. XVI.

XXXIII. 5. Si quis facturus rem aliquam necessariam vel licitam et honestam, praevidet inde naturaliter secuturam pollutionem (idque multo magis valet de distillatione), quam tamen ille nullo modo velit nec intendat, tunc, modo absit periculum consensus in delectationem, non tenetur abstinere a tali actione; quia prosequenti suum ius non imputatur effectus per accidens et praeter intentionem secutus. Hinc non obstante periculo pollutionis, licet audire confessiones mulierum, studere casibus conscientiae, tangere se ex necessitate, feminas caute et cum necessitate alloqui, osculari, amplecti iuxta morem patriae, si alioqui incivilis habendus esset. Quod si tamen periculum esset consentiendi in delectationem (quod colligitur inde, si saepius ex simili occasione mortaliter sit lapsus), a causa illa, quantumvis licita, abstinendum esset; proinde confessarius tali casu teneretur relinquere officium. Fill. Sanch. l. 9. d. 45. Navar. c. 16. Laym. n. 16. Monet autem Laym. eum, qui in actionibus honestis et utilibus talem miseriam experitur, facilius liberari contemnendo, quam aestimando; quia imaginatione et timore augetur.

1040. Haec spectant ad doctrinam *de voluntario in causa;* cf. tr. *de Actibus humanis* nn. 26. seqq. In hac re docet s. Alph. n. 483.

licere alicui qui magnum pruritum patitur in verendis, illum tactu (fricationem etiam dicunt) abigere, etiamsi pollutio sequatur. Et ad difficultatem, quod fieri possit, ut pruritus ille ex ipso ardore libidinis proveniat, unde exstinctio pruritus per fricationem, procuratio potius pollutionis et venereae delectationis dicenda sit, respondet: rationabilius iudicandum, quod talis pruritus, quando est valde molestus, oriatur potius ex acrimonia sanguinis, quam ex ardore luxuriae. Saltem in dubio possidet libertas se liberandi ab huiusmodi molestia per tactum de se licitum.

Ex qua doctrina colligimus cum Lehmkuhl op. cit. p. 521. « Si ardor et pruritus ille non ad id tendat, ut ipsa pollutione sopiatur et extinguatur, difficultas non est illum permittere (etsi pollutio secutura sit dummodo absit consensus periculum); siquidem ex naturali actione tangendi se duplex effectus sequatur, unus bonus, malus alter, quorum prior intenditur, alter permittitur quidem, sed in se per voluntatem detestatione excluditur. At si ardor seu irritatio ad id tendunt, ut per pollutionem exstinguantur, sane non licet actionem ullam ponere quae ex se istum effectum provocet.

Subdit tamen: « Sed neque, puto, in illo miserando statu hominem debere ita esse constrictum atque ab omni corporali motu, qui alias causa efficax pollutionis nullatenus ex se censetur, abstinere, ut mutare situm in lecto, crus cruri supponere etc., modo ne intendat pollutionem neve consensus periculum grave subeat. Nam si qua actio levis pollutionem causat, haec non ex illa actione, sed ex peculiari agentis dispositione non voluntaria ortum ducit et hanc actionem, si ex se vere leviter influere censetur, sub gravi, propter miseram illam conditionem subiectivam, prohibere, meo iudicio severius est ».

Si autem pruritus sit levis et tolerabilis, s. Alph. non permittit tactum, quo abigatur, cum periculo pollutionis; permittit vero, cum aliqua tantum commotio secutura sit. *Hom. Apost.* tr. 9. n. 34.

Quod vero spectat ad specialem doctrinam A. in hac resolutione, praecipue recolendum est, quod habet B. in tr. *de Peccatis* nn. 589. seqq.

XXXIV. 6. Si pollutio secutura praevideatur ex re illicita, otiosa vel minus necessaria et haec sit causa propinqua ac natura sua ad venerem ordinata, ut sunt actus luxuriosi, tactus, aspectus, lectio, auditio, locutio turpis, mortale est ab illa non abstinere; quia in eam consentiens moraliter in effectum consentire censetur. Quod si res illa sit causa tantum remota, per accidens tantum ad pollutionem concurrens, qualis est v. gr. esus aut potus calidorum, equitatio, confabulatio inutilis, crapula, ebrietas etiam mortalis (modo pollutionem non intendas et absit periculum venerei consensus), secuta pollutio non est mortale; quia in talem rem consentiens non ideo velle censetur effectum. Fill. tr. 30. c. 8. qu. 6. n. 152. Sanch. l. c. Less. l. 4. c. 3. d. 14. V. Dian. p. 5.

t. 13. r. 4. Addunt quidam DD. hanc regulam, pollutionem in causa volitam tantum esse peccatum, quantum est ipsa; ita, si causa sit peccatum mortale, etiam ipsam fore mortalem: si sit veniale, venialem; si vero causa nullum sit peccatum, nec ipsam fore (secluso semper periculo consensus): hinc venialem v. gr. esse illam, quae provenit ex lectione curiosa, vel aspectu per se non mortali. Troll. l. 6. c. 1. d. 9. ex Lopez, Henriq. Vasq. Bon. *de Matr*. p. 10. V. Dian. p. 1. t. 2. misc. r. 56.

Hanc quaestionem B. cumulatissime agit in tr. *de Peccatis* l. c. Cf. et dicta heic n. 968.

XXXV. 7. Pollutio in somno facta est mortalis, 1. si ante directe vel formaliter est procurata et causa non est retractata: 2. quando post somnum placuit et approbata est propter delectationem veneream; alias non. Fill. q. 5. n. 148. Troll. l. c. n. 9.

De secunda parte (nam prior est satis evidens) agit B. in tr. cit. n. 549. deinceps.

XXXVI. Quaeres. An mutua pollutio inter mares vel feminas procurata sit mollities tantum, an Sodomia?

Resp. Si fiat ex solo affectu ad veneream libidinem absque concubitu, esse tantum mollitiem; si vero fiat ex affectu ad personam illam indebiti sexus (praesertim si adsit aliqua coniunctio et commixtio corporum) est quoad malitiam Sodomia. Fill. t. 30. c. 8. Plura de tota hac materia V. *de Peccatis* c. 1. d. 2. a. 2. et Auctores citatos.

Haec iam expedita sunt n. 1033.

1041. Cum solitaria pollutio sit, quod dolendum maxime est, frequentissimum peccatum in adolescentibus, misericors confessarius praesto habere debet efficacia remedia, quae suggerat iis, qui resipiscere desiderant. Primum locum utique tenent remedia spiritualia, cuiusmodi sunt praxis quotidianarum precum cum animi recollectione et fervore, quotidiana meditatio tum novissimorum tum dominicae passionis, devotio ad Virginem Immaculatam, Sacramentorum frequentia, sensuum in levioribus mortificatio, fuga occasionum, imploratio divini auxilii statim ac se prodit prava cogitatio et mentis conversio ad alia prorsus obiecta. Sed negligenda non sunt media naturalia, quae docti et christiani medici tradunt.

* DE CASTITATE ET VIRGINITATE. *

1042. Ut hanc de re foeda tractationem contemplatione rei honestae et pulcherrimae absolvamus, convertamus mentem ad ea, quae illi sunt opposita, *castitatem* nempe et *virginitatem*, quarum distincta notitia confessariis non raro necessaria est. Doctrinam dabimus s. Thomae 2. 2. qq. 151.-152.

Castitas sub Temperantia continetur: haec modum ponit, secundum rationem, in appetitu delectationum tactus et gustus (q. 141.). Prout refrenat hominem ab immoderato usu ciborum seu non convenienti

secundum rationem, est *abstinentia* (ad quam refertur et *sobrietas*, quae est circa potus) (q. 146.): prout refrenat hominem ab immoderatis delectationibus tactus, est *castitas* (q. 131.).

Castitas, quae a castigatione, concupiscentiae scilicet, dicta censetur, versatur circa venereas voluptates et virtus est, quae animum cohibet ab *illicitis* voluptatibus, ne plus sive modo, sive loco, sive tempore iis utamur, praeter praescriptum rationis ordinem. Idcirco et coniuges casti esse possunt ac debent, cum ab illicitis sibi voluptatibus abstineant, contenti tantum iis, quas status matrimonialis concedit: quae est castitas coniugalis. Castitas vulgo distinguitur in *imperfectam* et *perfectam*. Illa est, quam modo diximus, qua homo se continet ab *illicitis* sibi voluptatibus: haec est, quae ab omnibus carnis voluptatibus etiam homini licitis, cuiusmodi sunt in coniugio, perpetuo abstinet, unde et affectum nuptiarum excludit. Porro, ut iam monuimus, votum castitatis, reservatum ss. Pontifici, est votum huius perfectae castitatis.

Pudicitia, a pudore dicta, versatur circa ea, de quibus homines maxime verecundantur, qui sunt actus venerei: ideoque frequenter synonima est castitatis. Prout vero ab hac distinguitur, pudicitia versatur proprie circa signa venereorum, ut sunt aspectus impudici, oscula, tactus et generatim circa actus externos venereos; castitas autem circa omnes actus sive externos sive internos. Aliter quodammodo s. Thomas distinguit q. 151. a. 4. quem cf. sis.

1043. Castitatis virtus, non secus ac alia quaelibet virtus moralis, in animo est et est propositum certum et constans hominis castum se servandi: obiectum vero eius est in corpore seu in parte animali hominis, et quidem obiectum, *circa quod* versatur virtus, sunt delectationes venereae, obiectum *quod* intendit et facit, est modus in usu earum, seu refrenatio ab illicitis. Quae refrenatio non id postulat ut motus huiusmodi sensibiles non exsurgant; id enim, frequenter saltem, non est in nostra potestate: sed in eo est sita ut nec eas velimus nec in eis libere delectemur.

Perfectio virtutis castitatis (sive ea sit, quam perfectam diximus, sive quam imperfectam) obtinet, cum prompte, facile et libenter abstinet homo a venereis illicitis delectationibus nec harum idcirco vehementes motus in sensu sponte insurgunt: nihilominus, quoniam stadium praesens est pugnae et concupiscentiae ignis nunquam plane exstinguitur atque adversarius noster circuit quaerens quem devoret, non raro fit, ut ab extrinseco tam vehementes excitentur motus in appetitu et phantasia, ut exercitatissimus quoque in virtute difficultatem non levem experiatur, nisi ad auxilium Dei et patrocinium B. V. ferventer recurrat.

Cum castitatis virtus nondum suam perfectionem obtinuit, ut idcirco sponte vehementes motus inordinati concupiscentiae insurgant, nititur tamen contra eos animus, ut appetitui dominetur; is dicitur *continens: continentia* scilicet via est ad statum animi tranquillum, dominium habentis in suas concupiscentias, seu ad perfectam castitatem. Cf. 2. 2. q. 155. a. 1.

Pulcritudo et decor convenit speciali ratione huic virtuti. Sic sane de temperantia loquitur s. Thomas q. 141. a. 2. ad 3. « Quamvis pulcritudo conveniat cuilibet virtuti, excellenter tamen attribuitur temperantiae (cuius pars est castitas) duplici ratione. Primo quidem secundum rationem communem temperantiae, ad quam pertinet quaedam moderata et conveniens proportio, in qua consistit ratio pulcritudinis. Alio modo quia ea a quibus refrenat temperantia, sunt infima in homine, convenientia sibi secundum naturam bestialem et ideo ex eis magis est natus homo deturpari. Et per consequens pulcritudo maxime attribuitur temperantiae, quae praecipue turpitudinem hominis tollit ».

1044. Virginitas dupliciter accipitur: 1° pro integritate carnis, libidinosae contagionis experte et hoc pacto tantum non est virtus, sed bonum naturae, quocum omnes nascimur. Hinc quandiu integritas haec manet, manet etiam status ille, qui communiter nominatur virginitas.

2° Virginitas est virtus et sic ipsa reapse non differt a perfecta et perpetua castitate cf. n. seq. Prout in mente est, ipsa est propositum non solum perpetuo abstinendi a qualibet delectatione venerea, h. e. nunquam illam libere admittendi, sed et perpetuo servandi integritatem carnis (quae maxime se commendat in feminis), quatenus est in eius potestate: obiectum autem eius, *circa quod* ipsa versatur, sunt delectationes venereae in parte animali et integritas carnis: *quod* vero facit est fuga deliberata ab illis et conservatio huius.

Cum *propositum* dicitur, non intelligitur per se votum; quia sine hoc potest esse firma voluntas virginitatem servandi. Nihilominus fere semper cum voto coniungitur: ut idcirco dixerit s. Thomas a. 3. ad 4.: « virginitas, secundum quod est virtus, importat propositum voto firmatum integritatis perpetuo servandae ». Dicitur *perpetuo:* si enim abstinere vis ab omni venerea delectatione usque ad nuptias, virginitatis proprie virtutem non habes, licet habeas castitatis; quia virginitas neque re neque affectu conciliari potest cum violatione aut delectatione venerea, quam vis volendo nuptias (nisi velis in ipsis servare integritatem). Lessius l. 4. c. 2. n. 97.

Propositum istud determinari per se potest ex sola obiectiva pulcritudine et perfectione virtutis: adeo tamen res est difficilis infirmitati nostrae, ut nisi aliud praestantius motivum accedat, non soleant homines tale propositum concipere. Motiva praestantiora sunt amor Dei,

imitatio Christi et b. Deiparae, libertas Deo serviendi absque sollicitudine externarum rerum atque contemplationi vacandi. Cf. Lessium l. c. n. 101.

Cum virtus sit habitus quidam, propositum hoc est accipiendum in habitu: stabilis nempe et constans voluntatis dispositio.

Virtus haec, quemadmodum castitas, cuius est absolutio, competit utrique sexui: idcirco in Apoc. XIV. 4. commendantur viri virgines.

1045. Virginitatis virtus distinguitur a castitate, quam diximus imperfectam n. 1042.; quia virginitas abstinet quoque a voluptatibus licitis: differt autem a castitate, quam diximus perfectam ibid., ut ait Lessius l. c. n. 90.. *solo connotato:* est scilicet « ipsa haec virtus castitatis *in subiecto incorrupto.* Utriusque enim officium est vitare omnem libidinis contagionem et subiectum servare immune in posterum a tali labe. Sed virginitas ulterius connotat *hoc subiectum nunquam antea fuisse libidine contaminatum,* quod non includit ratio castitatis. Itaque virginitas, ut est virtus, nihil aliud est, quam castitas perfecta integritati et puritati carnis coniuncta ».

Quocirca si quaestio fiat, quomodo haec virtus amittatur, respondendum est 1° cum eodem Lessio l. c. n. 112., quod iis omnibus modis amittitur, quibus amittitur castitas; quia reapse ab hac non distinguitur nisi ratione et connotato, ut dictum est. Includit ipsa nimirum perfectam castitatem et addit *subiectum incorruptum,* quod connotat. Idcirco amittitur desideriis turpibus et morosis delectationibus.

Amittitur etiam 2° virtus virginitatis voluntate nubendi, cum nuptias vis consummare; quia propositum virginitatis est etiam propositum se continendi a concessa voluptate. Nihilominus hac sola voluntate non concipitur vulgo amitti virginitas; quia manet corporis integritas ideoque ille status, qui communiter vocatur virginitas.

Cum matrimonium consummare non vis, ut s. Pulcheria, virtus virginitatis integra manet; virginitati sane non matrimonium, sed eius usus opponitur. Item si matrimonium contrahens, ignores prorsus quis sit eius usus, nondum, illud volens, diceris amittere virginitatis virtutem: at si deinceps consentis in usum, profecto virtutem hanc amittis.

Virginitatis virtus non amittitur violatione carnis nullo modo voluntaria. Est communis doctrina. Virtus enim est in anima nec nisi actu voluntario amitti potest. Unde August. *de Civ. Dei* l. 1. c. 18. « Ideo cum eis (concupiscentiis) non cedere inconcussa intentione persistit (animus) nec de ipso corpore perit castitas; quia eo sancte utendi perseverat voluntas et quantum in ipso est, etiam facultas ».

1046. Si vero violatio carnis voluntaria sit, amittitur virginitas irreparabiliter (s. Thom. q. 152. a. 3. ad 3.). Virginitas enim dicit,

praeter perfectam castitatem, subiectum haud libere corruptum, quod nempe nunquam libere vitiatum fuerit: iam vero fieri nequit ut qui expertus est voluptatem veneream, fiat non expertus, ut ait s. Thom. l. c.: ergo. Perinde est scilicet ac in innocentia, quae amissa recuperari nequit. « Audenter loquor, ait Hieronymus epist. ad Eustochium *de Custodia Virginitatis*, cum omnia possit Deus, suscitare virginem non potest post ruinam: valet quidem liberare de poena, sed non vult coronare (corona virginitatis) corruptam », quae nempe olim corrupta fuit.

S. Thomas ibid. ait, quod qui hoc pacto virginitatem amisit, non recuperat per poenitentiam materiam virginitatis, nempe integritatem carnis, sed recuperat propositum virginitatis, nempe quoad futurum, ut quantum in ipso est velit virgo permanere. Difficultas sane est, quia virginitas postulat subiectum nunquam corruptum: semel ac vero corruptum est, fieri nequit, ut non fuerit corruptum: porro propositum ad impossibile non datur. Respondet Caietanus ibid., quod formale virtutis (quod heic dicimus esse propositum) aliter invenitur, cum est coniunctum suae materiae et aliter, cum est ab ea separatum. Nam cum materia virtutis exstat, ut heic integritas carnis, per formale simpliciter determinatur: quemadmodum cum ingens pecunia adest, is qui magnificentiae virtute praeditus est, determinat eam ad sumptus magnos. Cum autem eidem virtuoso pecunia deest, a magnificentia non determinatur ad sumptus magnificos pecunia absolute, sed conditionate, nempe si adesset: h. e. vellet is sumptus facere, si posset. Et sicut salvatur in hoc paupere magnificentia formaliter, ita in corrupto seu corrupta salvatur virginitas formaliter ex proposito integritatis servandae, si adesset. Et hoc, ait, sufficit.

Similis est responsio Lessii n. 122., recuperari posse virtutem virginitatis 1° actibus, etsi non efficacibus, saltem inefficacibus, qui nempe consistunt in simplici affectu et bonis desideriis: sicut pauper potest comparare virtutem magnificentiae, etiamsi illi materia ad opus necessaria desit. 2° Recuperari potest actibus quoque efficacibus, quamvis diminute: quatenus non quidem velit conservare integritatem, sed velit in posterum ab omnibus iis abstinere, quibus posset violari.

Quaeres an virtus virginitatis amissa per consensum internum in delectationem veneream (137.) absque opere externo, sit amissa irreparabiliter. Puto quaestionem esse posse de nomine. Reapse his amittitur virginitas, quatenus amittitur castitas, a qua non distingui diximus virginitatem. Porro, ut etiam diximus, castitas, quae est elementum virginitatis, est castitas perfecta.

Iam vero si nomine castitatis perfectae intelligis eam, quae non so-

lum a qualibet delectatione sive licita sive illicita abstinet, sed etiam quae semper abstinet, patet hanc amissam amplius recuperari non posse: fieri enim amplius nequit, ut qui peccavit, semper abstinuerit. Si autem nomine castitatis perfectae intelligis tantum eam quae abstinebit ab omni delectatione vel licita, haec recuperari poterit, sicut potest et castitas imperfecta. Certe prior est perfectior gradus virgineae castitatis.

1047. Constat, virginitatem non solum licitam esse, sed esse praeclaram virtutem. Est enim de ea *consilium Domini* 1. Cor. VII. 25. cf. et Matth. XIX. 12.

Propositum, ait s. Thomas art. 3. perpetuo abstinendi a delectatione venerea, laudabile redditur ex fine, in quantum scilicet hoc fit, ad vacandum rebus divinis. *Mulier* nempe *innupta et virgo cogitat quae Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu.* I. Cor. VII. 34.

Nec virgo ulli adversatur legi: lex enim coniugii multitudini lata est, non singulis. Cf. s. Thomam a. 2. ad 1.

Constat tandem virginitatem esse excellentiorem matrimonio, ut definivit Trid. Syn. sess. 24. c. 10. « si quis dixerit statum coniugalem anteponendum esse statui virginitatis vel caelibatus et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut caelibatu, quam iungi matrimonio, a. s. ». Sane « hic error, ait s. Thomas a. 4., praecipue destruitur et exemplo Christi, qui et matrem virginem elegit et ipse virginitatem servavit, et ex doctrina Apostoli, qui 1. Cor. VII. 38. virginitatem consuluit tanquam melius bonum. Et etiam ratione: tum quia bonum divinum (in ea consecratione aut dedicatione situm, quia virgo se totum mancipat Deo et Deo coniungitur) est potius bono humano tum quia bonum animae praefertur bono corporis, tum etiam quia bonum contemplativae vitae praefertur bono activae. Virginitas autem ordinatur ad bonum animae secundum vitam contemplativam, quod est cogitare ea, quae sunt Dei: coniugium autem ordinatur ad bonum corporis, quod est corporalis multiplicatio generis humani et pertinet ad vitam activam ». Quamvis autem ope generationis fiat ut et animarum multiplicatio exsistat, generatio tamen carnalis, ut heic advertit Caietanus, secundum suum genus, corporale bonum directe facit: iuxta illud Ioannis III. 6. *Quod natum est ex carne, caro est.* Est nimirum aliquid naturale et in praesenti ordine vitiatum: coniunctio vero cum Deo contemplatio divinorum, supernaturalis. Cf. Lessium l. c. nn. 102.-111.

1048. Nota, eas quae consecrationem virginum ab Episcopo accepturae sunt, iuxta Pontificale Romanum, debere esse reapse integras carne. Fractio quidem sigilli virginalis habetur communiter ut corru-

ptionis signum: meminisse tamen oportet, identidem violari feminam non fracto sigillo et frangi aut deperire illud citra corruptionem. Incorruptionem certe supponit Pontificale in suis precibus et praecipiens, ut Episcopus, antequam ad actum procedat consecrationis, interroget seorsim singulas de vita et conscientia et *carnis integritate*.

Si tamen aliqua violenter oppressa fuerit idque occultum sit (ne secus scandalum nempe oriatur), consecrari potest et licet ei affirmare se esse incorruptam nimirum corruptione voluntaria. Nam reapse adhuc est vera virgo. Cf. n. 1045.

Si autem voluntaria fuerit amissio integritatis, non posse consecrari, etsi crimen sit occultum, multi DD. docent cum s. Thoma, apud Lessium n. 117.; quia in sacramentalibus Ecclesiae actionibus non debet intervenire fictio. Tum illa consecratio est propria virginum: ergo nequit applicari corruptae, sicut consecratio aquae nequit applicari vino.

Nihilominus, quando esset periculum scandali, addunt quidam adhiberi posse ritum consecrationis, omissis iis, quae sunt de substantia consecrationis virginalis et mutato nomine virginitatis in nomen castitatis et continentiae. Verum aegre hoc pacto scandalum h. e. revelatio occulti criminis vitaretur.

Quapropter censet Lessius et in istis eundem prorsus ritum adhiberi posse: cum enim hic ab institutione Ecclesiae pendeat et secundum eius intentionem fiat, praesumi merito potest Ecclesiam velle, quando periculum gravissimi incommodi instat, verba sua et illis accomodare, quae publice habentur virgines; nam et hae possunt vere aliqua ratione vocari tales et ipsae suo modo possunt esse sponsae Christi.

1049. In virginitatis commendationem subdimus quaedam verba, quae in earum consecratione cantat Episcopus, « Respice Domine, super has famulas tuas, quae in manu tua continentiae suae propositum collocantes, tibi devotionem suam offerunt, a quo et ipsae vota assumpserunt. Quomodo enim animus mortali carne circumdatus, legem naturae, libertatem licentiae, vim consuetudinis, stimulos aetatis evinceret, nisi tu Deus per liberum arbitrium, hunc in eis amorem virginitatis clementer accenderes, tu hanc cupiditatem in earum cordibus benignus aleres, tu fortitudinem ministrares? Effusa namque in omnes gentes gratia tua, ex omni natione, quae sub caelo est, in stellarum innumerabilium numerum, novi Testamenti heredibus adoptatis, inter ceteras virtutes, quas filiis tuis non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis, sed de Spiritu Sancto tuo genitis indidisti, etiam hoc donum in quasdam mentes de largitatis tuae fonte defluxit, ut, cum honorem nuptiarum nulla interdicta minuissent ac super sanctum coniugium nuptialis benedictio permaneret, exsisterent tamen sublimiores animae

quae in viri ac mulieris copula fastidirent connubium, concupiscerent sacramentum (h. e. rem significatam, videlicet unionem Christi cum Ecclesia et anima iusti) nec imitarentur quod nuptiis agitur, sed diligerent quod nuptiis praenotatur. Agnovit auctorem suum beata virginitas et aemula integritatis angelicae, illius thalamo, illius cubiculo se devovit, qui sic perpetuae virginitatis est sponsus, quemadmodum perpetuae virginitatis est filius ».

Sacram ceremoniam sic absolvit Episcopus: « Auctoritate omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum eius Petri et Pauli, firmiter et sub interminatione anathematis inhibemus, ne quis praesentes virgines seu sanctimoniales a divino servitio, cui sub vexillo castitatis subiectae sunt, abducat, nullus earum bona surripiat, sed ea cum quiete possideant. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, maledictus sit in domo et extra domum, maledictus in civitate et in agro, maledictus vigilando et dormiendo, maledictus manducando et bibendo, maledictus ambulando et sedendo, maledicta sint caro eius et ossa, a planta pedis usque ad verticem non habeat sanitatem. Veniat super illum maledictio hominis, quam per Moysen in lege filiis iniquitatis Dominus promisit (cf. Deut. XXVIII. 15. seqq.), deleatur nomen eius de libro viventium et cum iustis non scribatur. Fiat pars et hereditas eius cum Cain fratricida, cum Dathan et Abiron, cum Anania et Zaphira, cum Simone mago et Iuda proditore et cum eis, qui dixerunt Deo: recede a nobis, semitam viarum tuarum nolumus. Pereat in die iudicii, devoret eum ignis perpetuus cum diabolo et angelis eius, nisi restituerit et ad emendationem venerit. Fiat, Fiat ». Qui habet aures audiendi, audiat.

De 7. et 10. Praecepto, cum amplissima sit eius materia, ad iustitiam spectans, agemus seorsim in speciali tr. *de Iure et Iustitia.*

SECTIO VII.

DE OCTAVO PRAECEPTO

Quid hoc praecepto prohibeatur.

I. Prohibetur hic omnis iniusta laesio famae et honoris proximi ac praecipue omnis falsitas et mendacium ac laesio verbalis, quae fit tum in iudicio falso accusando, vel verum celando, tum etiam extra, perniciose mentiendo, secreta revelando, de quo V. Bon. *de Rest.* d. 2. q. 2. p. ult. Laym. l. 3. t. 3. p. 2. q. 5. ac denique detrahendo.

1050. Hoc praecepto (Ex. XX. 16. *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium* (Matth. XVIII. 19.) prohibetur explicite falsa testificatio in iudicio, quae est quoddam mendacium perniciosum et est contra caritatem proximi atque iustitiam; implicite et

consequenter prohibetur, ut ait Auctor, quodlibet mendacium, quaelibet iniusta laesio famae et honoris proximi, quae fiat verbis vel aequivalentibus signis, cuiusmodi sunt contumelia, detractio, derisio, maledictio. Ad haec, propter analogiam, revocant DD. suspicionem temerariam, opinionem temerariam ac temerarium iudicium de proximo atque etiam iniustam revelationem secreti, quia verbis fieri solet.

Advertit s. Thomas 1. 2. q. 101. a. 1., quaedam esse inter praecepta moralia, quae non sunt cuilibet manifesta sed sapientibus (cf. q. 100. a. 3.) atque huiusmodi addita in lege fuisse deinde praeceptis Decalogi. Et quod spectat ad octavum praeceptum, quod est de prohibitione falsi testimonii, « additur prohibitio falsi iudicii, secundum illud Ex. XXIII. *Nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiae, ut a veritate devies* et prohibitio mendacii, sicut ibi subditur: *mendacium fugies* et prohibitio detractionis secundum illud Lev. XIX. *non erit criminator et susurro in populis* ».

Praeceptum istud et negativum est et affirmativum. Ita Catech. Rom. *de* 8. *Praec.* n. 2. « In hoc praecepto... animadvertantur duae leges, altera prohibens, ne falsum dicatur testimonium: iubens altera ut simulatione fallaciisque sublatis, dicta et facta nostra simplici veritate metiamur ». Ex quo consequens est, prohiberi ea omnia quoque dicta vel aequivalentia facta quae sunt contra veritatem. Ideo autem ad affirmativum praeceptum altera pars pertrahitur, ut innuatur id, quod omnibus affirmativis praeceptis est commune, nempe ea semper, sed non *pro semper* obligare, cum e contrario saepius veritatem occultare necesse sit.

In falsa testificatione iudiciali, cui iuramentum adhibetur, reperitur tum periurium, tum mendacium perniciosum. De periurio autem nihil restat nunc dicendum post tractationem de Iuramento. Agendum ergo de Mendacio (quod A. omisit) aliisque peccatis superius enumeratis.

* DE MENDACIO *

1051. Malitiam mendacii declarat s. Thomas 2. 2. q. 110. n. 1. Praemiserat tamen q. praeced. notitiam virtutis, cui mendacium opponitur, quam vocat *veritatem* seu *veracitatem*. Cuius proprium est ordinem ponere in manifestatione (quae ordinarie verbis fit) eorum, quae apud nos sunt, h. e. nostrorum iudiciorum: qui ordo in hoc situs est, ut signa adaequentur rei signatae, ut conformitas proinde sit inter interiores animi sensus et eorum manifestationem.

Porro q. 110. a. 1. docet mendacium opponi veritati seu veracitati hoc pacto. « Dictum est, quod virtus veritatis in manifestatione consistit (h. e. circa illam versatur), quae fit per aliqua signa: quae quidem

manifestatio sive enunciatio est rationis actus conferentis signum ad signatum. Omnis enim repraesentatio consistit in quadam collatione, quae proprie pertinet ad rationem... In quantum tamen huiusmodi manifestatio sive enuntiatio est actus moralis, oportet quod sit voluntarius et ex intentione voluntatis dependens. Obiectum autem proprium manifestationis sive enuntiationis est verum vel falsum (vel enim manifestamus quod reapse est, vel quod non est). Intentio vero voluntatis inordinatae potest ad duo ferri, quorum unum est, ut falsum enuntietur, aliud est effectus proprius falsae enuntiationis, ut scilicet aliquis fallatur. Si ergo ista tria occurrant, scilicet quod falsum sit quod enuntiatur et quod adsit voluntas falsum enuntiandi et iterum intentio fallendi, tunc est falsitas *materialiter*, quia falsum dicitur et *formaliter* propter voluntatem falsum dicendi et *effectiva*, propter vuluntatem falsitatem imprimendi ».

« Sed tamen (notetur hoc) ratio mendacii sumitur a formali falsitate, secundum hoc scilicet, quod aliquis habeat voluntatem falsum enuntiandi. Unde et mendacium nominatur ex eo, quod contra mentem dicitur...; quod autem aliquis intendat falsitatem in opinione alterius constituere, fallendo ipsum, non pertinet ad speciem mendacii, sed ad quandam perfectionem ipsius, sicut et in rebus naturalibus aliquid speciem sortitur, si formam habet, etiamsi desit formae effectus ». Quod et repetit in resp. ad 3m « Cupiditas fallendi pertinet ad perfectionem mendacii, non autem ad speciem (h. e. essentiam) ipsius, sicut nec aliquis effectus pertinet ad speciem suae causae ».

1052. Quod ut clarius intelligatur, distinguenda est duplex voluntas fallendi. Prior, quae sita est in ipsa voluntate falsum enuntiandi, hoc ipso enim fallis seu decipis auditorem, qui te putat sentire quod dicis: altera est voluntas errorem circa aliquid gignendi in mente auditoris, ut si vir doctus, interrogatus quid de aliqua re sentiat, falsum enuntiet, contra mentem suam loquens, ut in errorem alium inducat. Iam vero s. Thomas, negans voluntatem fallendi spectare ad essentiam mendacii, de hac altera loquitur; priorem vero intelligunt, qui mendacium definiunt: *locutionem contra mentem cum voluntate fallendi*, ut e. g. Gury t. 1. §. 438. ex Augustino *contra Mendacium* c. 3.

Cum ergo voluntas falsum dicendi sit de essentia mendacii, prout culpa est falsitas mendacii sita sit in deformitate signi a re signata h. e. verborum a iudiciis mentis, non mentiuntur qui asserunt falsum quod putant verum sed solum errant; enuntiant enim quod habent in mente ideoque voluntatem habent verum dicendi. E contrario mentiuntur, qui verum dicunt, quod falsum putant: quia est voluntas falsum dicendi.

Divisio mendacii non uno modo fieri potest. Per se, secundum ipsam mendacii rationem, mendacium in duo dividitur, scilicet in mendacium, quod transscendit veritatem in maius, quod pertinet ad iactantiam et in mendacium, quod deficit a veritate in minus, quod pertinet ad ironiam, ut patet per Philos. in 4. Ethic. Haec autem divisio ideo est per se ipsius mendacii, inquantum huiusmodi opponitur veritati: veritas enim aequalitas quaedam est, cui per se opponitur maius et minus. Ita s. Thomas a. 2.

« Alio modo potest dividi mendacium, in quantum habet rationem culpae, secundum ea quae aggravant vel diminuunt culpam mendacii ex parte finis intenti ». Ibid. Atque huc spectat consueta Theologis divisio in mendacium *iocosum*, *officiosum*, *perniciosum*.

Iocosum est, quod ordinatur ad aliquid delectabile: *officiosum*, quo intenditur iuvamentum alterius (etiam sui ipsius) vel remotio nocumenti et per haec diminuitur culpa mendacii. *Perniciosum* est, quo intenditur alterius nocumentum et per hoc aggravatur culpa mendacii. Ita s. Thomas ibid. Constat quod idem mendacium potest esse simul alteri officiosum et perniciosum alteri.

1053. Mendacium ex genere suo est intrinsece malum. Ratio est, ait s. Thomas a. 3., quia « est actus cadens super indebitam materiam. Cum enim voces naturaliter sint signa intellectuum, innaturale est et indebitum, quod aliquis voce significet id quod non habet in mente... Unde omne mendacium est peccatum, sicut etiam Augustinus asserit in libro *contra Mendacium* l. c. ».

Convenit inter omnes, mendacium *iocosum* esse tantum peccatum veniale: non enim adversatur caritati. Et quidem, ut peccatum sit, oportet esse verum mendacium; si enim auditoribus constat te non velle verbis, quae profers, significare quod habes in mente, sed solum velle ludere, nullum est reapse mendacium.

Item mendacium *officiosum* est per se veniale peccatum, iuxta omnes; non est enim contra caritatem Dei et proximi, imo ex quadam caritate, licet non recte ordinata, procedit.

Mendacium vero *perniciosum* in re gravi, mortale peccatum est; quia caritatem excludit.

1054. Ad mendacium revocatur *simulatio;* « sicut enim veritati opponitur quod aliquis per verba exteriora aliud significet quam habet apud se, quod ad mendacium pertinet; ita etiam opponitur veritati, quod aliquis per aliqua signa factorum vel rerum, aliquod significet contrarium eius, quod in eo est, quod proprie *simulatio* dicitur », ait s. Thomas q. 111. a. 1.

Quaedam autem simulatio est hypocrisis, illa nempe, « qua quis si-

mulat personam alterius, sicut cum peccator simulat personam iusti ». Ibid. a. 2. Est nimirum hypocrisis *simulatio sanctitatis*, ut dicit a 4., ubi et docemur, quod ea per se non est peccatum mortale; quia intentio hypocritae est ad hoc ut videatur bonus: id autem non opponitur caritati.

Ad mendacium quoque spectat adulatio, quae est mendacium aulicis et gratiam potentium aucupantibus familiare.

S. Thomas iam meminit (n. 5.) iactantiae et ironiae. *Iactantia* est qua quis de se aliquid dicit supra se h. e. supra id quod in se est secundum rei veritatem: opponitur proinde veritati per modum excessus q. 112. a. 1. *Ironia* (sic a Philosopho est appellata) vero est « cum aliquis dicit minora, a veritate declinans, puta cum asserit de se aliquid vile, quod in se non recognoscit aut cum negat de se aliquid magnum, quod tamen percipit in se ipso et sic pertinet ad ironiam et est semper peccatum » q. 113. a. 1. Viri autem sancti frequenter vel non recognoscunt in se ipsis bona, quae habent, vel certe non recognoscunt ut sua, sed Dei. Ibidem ad 2. s. Doctor monet, « quod ad bonitatem mentis pertinet, ut homo ad iustitiae perfectionem tendat. Et ideo in culpam reputat, non solum si deficiat a communi iustitia, sed etiam si deficiat a iustitiae perfectione, quod quandoque culpa non est. Non autem culpam dicit, quod pro culpa non recognoscit quod ad ironiae mendacium pertineret ».

1055. Quamvis nunquam liceat mentiri, licet tamen veritatem occultare prudenter sub aliqua dissimulatione. Id enim humano convictui necessarium non raro est, nec fit alteri iniuria; non enim quilibet ius habet noscendi quae apud nos sunt.

* Hinc honestas eius, quae dicitur *restrictio mentalis ;* de qua nihilominus iam satis actum est, ubi de Iuramento. Sunt tamen qui aliter rem vellent explicari, incompletam censentes doctriman de mendacio.

Et sane difficultas statim menti suboritur eorum, qui paulo sint reflexioni assueti contra doctrinam negantem, licere unquam mentiri h. e. signis nostrarum cogitationum ita uti, ut aliud significent quam quod mente cogitamus. Nam sciscitanti mihi, an sim furatus, nonne illico, etsi furti a me admissi conscius sim, possum respondere negando ? et tamen haec est locutio contra mentem. Et re quidem vera mendacii malitia est in actu, quatenus hic ordinem ad alios habet, prout nempe est locutio, qua alteri tua sensa prodis. Quandiu enim solus, remotis arbitris, proferas verba aliud significantia quam quod cogitas, nemo te mendacem dicet. Malitia scilicet mendacii est in eo, quod locutione homo utatur contra id quod humanus convictus exigat.

Porro si ita est, quoties ipse humanus convictus exiget, ut sensa sua celare alios liceat nec aliunde abstinere homo possit a locutione, cessabit profecto illa exigentia humani convictus, ut signa externa adaequentur interiori conceptui; imo alia exigentia eiusdem humani convictus subintrabit, quod nempe liceat occultare veritatem. Cur ergo in definitione mendacii aliquid non additur, quo eius malitia clarius significetur, ut sit nimirum: *locutio contra mentem secus ac exigit humanus convictus?*

Advertendum vero est, quod hoc pacto nulla reapse nova doctrina proponitur. Licere eam responsionem, quam superius diximus, omnes concedunt: discrimen est in eius reddenda ratione seu in explicando, quomodo non sit mendacium et communiter recursus fit ad theoriam *de restrictione mentali*, quae tunc licite adhibetur, cum ius est, secundum ipsam exigentiam humanae societatis, occultare veritatem nec integrum est tacere. Nonne satius esset dicere, cessare tunc (quoties scilicet restrictio mentalis licita est) legem praecipientem ut exterior locutio conformetur interiori sensui?

Respondeo 1. Magnum esse discrimen inter hanc theoriam et illam *de restrictione mentali*. Cum enim haec licite adhibetur, vel ipsa locutio, quae aequivoca est, vel circumstantiae reales locutionis, exhibent sensum verum, reconditum quidem sed qui tandem ab audiente percipi posset: unde semper adest conformitas locutionis cum mente. In nova vero theoria haec ipsa conformitas excluditur.

Resp. 2. Haec nova explicatio non est necessaria, cum ad omnia incommoda vitanda sufficiat usus restrictionis mentalis. Imo ea explicatio nequit omnibus casibus inservire. Qui enim ex. gr. licite utitur aequivocatione, licite etiam potest iuramento confirmare quod dicit; nam reapse aliquid dicit et verum dicit: at si quod exterius exprimitur falsum est, in cuius rei dictae testimonium vocabitur Deus?

Resp. 3. Theoria vere est nova; nam communis est doctrina, mendacium semper illicitum esse et eatenus licere restrictionem mentalem quatenus mendacium non sit: heic vero haberemus, non semper mendacium illicitum esse.

Resp. 4. Causam finalem utique legis vetantis mendacium esse utilitatem humani convictus: intrinsecam vero rationem eam esse, quam exhibuimus ex s. Thoma n. 1053.

Dub. I.

Quid sit suspicio, iudicium temerarium et dubitatio ac quale peccatum.

II. Suppono haec tria differre inter se, quod iudicium sit firma animi sententia seu assensus indubitatus: suspicio, assensus inchoatus, quo quis inclinat in unam partem, iudicans probabiliter, latere aliquod fundamentum opinandi. Dubitatio autem non est assensus (nisi causaliter) sed quasi suspensio animi, in neutram partem inclinando. Quaeritur ergo hic non de suspicione et iudicio prudenti, quod sufficientibus indiciis nititur, sed de imprudenti et temerario, quod iis destituitur. Maiora autem indicia requiruntur ad iudicium, quam ad suspicionem et ad hanc, quam ad dubitationem.

1056. * A., ut forte a levioribus ordiretur, agit de his prius quam de detractione et contumelia. Claritas quidem postulasset ut prius de istis sermo haberetur: at sine gravi incommodo licet A. sequi, supposita communi notione de iure hominis ad conservationem suae famae.

Tria distinguit A. *dubitationem*, *suspicionem*, *iudicium:* quartum alii addunt (Lug. *de Iustitia et Iure* disp. 14. n. 10.), ut sint *dubitatio*, *suspicio*, *opinio*, *iudicium firmum*. S. Thomas e contrario duo tantum distinguit, quae praeterea sub uno nomine comprehendit *suspicionis*. Ait enim 2. 2. q. 60. a. 3. « Suspicio importat opinionem mali, quando ex levibus indiciis procedit. Primus gradus est, ut homo ex levibus indiciis de bonitate alicuius dubitare incipiat et hoc est veniale et leve peccatum... Secundus gradus est, cum aliquis pro certo malitiam alterius aestimat ex levibus indiciis et hoc, si sit de aliquo gravi, est peccatum mortale ». Forte et hunc actum s. Thomas sub *suspicione* comprehendit, eo quod *levibus indiciis* nititur et firmitatem non habet nisi ex mala voluntate. Vides uno, h. e. priore gradu comprehendi quidquid non pertingit ad *certam aestimationem;* ut idcirco promiscue utatur s. Doctor, in eo declarando, nominibus, *dubitationis*, *opinionis*, *suspicionis*.

Si velimus omnes actus enumeratos distinguere, praestat, puto, eos distinguere vel secundum absentiam aut praesentiam assensus, vel secundum rem, in quam cadit assensus, non secundum indolem assensus, qui sit magis vel minus firmus; nam assensus unus semper idemque est specie atque firmus. Scilicet vel mens suspendit assensum et tunc non actus sed status dubitationis habetur: at simul cum ista suspensione assensus circa aliquid, si praesertim suspensio advertenter fiat, habetur assensus isque firmus in defectum (saltem pro nobis) motivorum affirmandi aut negandi rem; quem assensum reapse exprimit

homo dicens, *dubito, nescio quid dicam: nullam video rationem pro alterutra parte aut video pares rationes pro utraque.*

Si vero adsint argumenta probabilia, opinioni est locus: porro cum opinamur, assensus adest non in ipsam rem, sed in eius probabilitatem. Haec cum certitudine affirmatur; simul tamen cognoscitur rem posse aliter in se esse: sed de eo, in quod cadit assensus, nulla formido est. Manet tamen dubium de ipsa rei veritate et huc redit formido illa, de qua veteres loquuntur; quae tamen non est qualitas assensus, ut assensus exsistat formidolosus, quae est res monstri similis: sed est qualitas status mentis, quae solum certa est de probabilitate rei. Porro *suspicio* est quaedam opinio ex levibus coniecturis atque in ipsa assensus adest, non in rem ipsam sed in eius quandam probabilitatem sive in hoc complexum: *forte res est ita.*

A iudicio seu assensu certo de probabilitate rei, quod dici solet opinativum, differt, ratione obiecti, iudicium sive assensus certus in ipsam rem vel rei veritatem; hoc enim assentimur seu iudicamus vere ita esse et vocatur ab Augustino *definitiva rei sententia.*

Quilibet ex his actibus, ut patet, habet rationem sui. Cum nulla apparent motiva affirmandi aut negandi rem, sive paria ex utraque parte, oportet ut dicamus rem nobis esse dubiam, nos de re dubitare; quamvis si motiva hinc inde adsint, simul etiam affirmare cum certitudine possimus, utramque partem esse probabilem. Si proinde probabilitas alicuius sententiae appareat, adest ratio cur affirmemus cum certitudine eam esse probabilem et, secundum motiva, magis vel minus probabilem quam altera. Si tandem ipsius rei veritas se manifestet, adest ratio cur ipsa res affirmetur, exclusa quavis oppositae sententiae probabilitate (cf. praeclarum opus Card. Newman *de Assensu*).

1057. Si quis ergo ita se erga proximum gerat, ut singulos actus seu dubitationis seu opinionis seu affirmationis de eiusdem malitia ponat, cum eorundem actuum ratio sufficiens adest, nequit dici peccare; agit enim secundum indolem rationalis naturae.

Si vero pro singulis actibus proportionata desint motiva ideoque sint actus hi temerarii, tunc peccato locus erit in iis actibus hoc pacto positis: peccati autem ratio est in hoc, quod vergant in contemptum proximi. S. Thomas l. c.

Ut autem peccatum sit, oportet ut adsit advertentia saltem confusa ad defectum rationis sufficientis cur dubites de bonitate aut malitia alterius, cur dicas probabile esse quod sit malus, cur dicas ipsum reapse esse malum. Si advertentia ea prorsus deerit, error esse poterit, non peccatum. Hanc sane advertentiam omnes DD. requirunt. Porro bene

monet Lugo disp. c. n. 17. « rarissimum fore, quod aliquis sciens et advertens insufficientiam fundamenti, velit adhuc ita opinari de alio ». Imo si reapse actu ea distincta scientia et advertentia habeantur, videtur impossibilis iste actus, ut advertens deesse motivum, quo affirmetur vel probabilitas vel veritas malitiae alicuius, simul tamen affirmes id vel probabile vel verum esse: deficiente enim ratione sufficienti assentiendi, nequit esse assensus. Poterit esse apprehensio huius rei in intellectu, qua voluntas delectetur: sed qui assensus esse queat profecto non videmus. Nihilominus si solum in confuso advertentia habeatur, potest intellectus, quibusdam vel levibus motivis exsistentibus, a mala voluntate flecti ad assensum ponendum, quem motiva non postularent. *

III. Resp. 1. Iudicium temerarium, cum plena advertentia, de gravi malo proximi, communiter est mortale, contra iustitiam. Ita Fill. Less. c. 29. l. 2. Laym. l. c. t. 3. c. 2. Ratio est, quia proximo fit gravis iniuria, dum sine causa improbus habetur, cum habeat ius ad bonum nomen et famam: praeterquam quod ex his iudiciis plerumque gravia mala sequantur. In confessione tamen non opus est explicare speciem male iudicati, cum omnia uni iustitiae commutativae in specie infima adversentur. Escob. E. 10. c. 4. n. 36.

Dixi, *communiter;* quia, si iudicium habeat magnam probabilitatem, etsi non omnino sufficientem ad certitudinem, erit veniale; quia moralis certitudo et magna probabilitas non adeo distant, ut censeatur gravis iniuria, iudicare certum, quod est valde probabile, v. gr. si iudices iuvenem solum cum puella inventum in cubiculo illicita tractasse.

1058. * Itaque quando iudicium est *firmum* de malo alterius, *absque sufficienti motivo,* est, ait Lugo disp. cit. n. 11., peccatum mortale, « si fiat *cum plena advertentia* et sit *de malo gravi* proximi ». Dixi, subdit, si fiat cum plena advertentia; ad malitiam enim gravem iudicii, oportet quod homo, advertens plene iudicium esse temerarium h. e. sine sufficienti fundamento et de malo gravi proximi, adhuc velit iudicare et non cohibeat intellectum ». Si reapse haec adsit, non est dubitandum de gravitate peccati; sed, ut iam innuimus, difficultas est circa ipsam hypothesim an sit possibilis, quod nempe sufficientia motiva alicuius rei affirmandae desint idque plene advertatur et nihilominus iudicium firmum de eadem re ponatur; quare addit continuo Lugo: « vel certe advertat obligationem examinandi sufficientiam fundamenti et nolit examinare, an sit vel non sufficiens ». Quae hypothesis minus difficilis apparet eamque reapse contingere putamus, cum quis peccat temere iudicando ex mala voluntate. Cf. n. 21. seq.

Ratio certa peccati petitur primum ex verbis Christi Luc. VI. 37. *Nolite iudicare et non iudicabimini* (quoad vestras nempe actiones, tum ab hominibus iniuste, tum a Deo cum rigore): *nolite condemnare et non condemnabimini* (quod eodem pacto interpretandum): scilicet si alios condemnabimus (utique absque sufficienti ratione) et nos con-

demnabimur. Haec tamen condemnatio, quatenus est ex parte Dei, non est necessario condemnatio ad poenam aeternam, sed simpliciter aliqua condemnatio sive bono privans sive malum inferens, praesertim circa famam. Rationem theologicam sic affert Lugo ibid. « Quia unusquisque ius habet ad propriam famam retinendam apud alios: « ergo sicut peccamus contra iustitiam, illam apud alios tollendo per detractionem, sic etiam apud nosmetipsos per iudicium temerarium. Secundo, quia haec iudicia pariunt ex se proximi contemptum, impediunt eius honorem externum et plura alia commoda. Ex quo fit, homines gravissime ferre, quando sciunt se ab aliis temere iudicari et condemnari, etiamsi iudicium non prodiverit in detractionem externam ». Ratio ergo huius peccati sita est in iniuria gravi contra iustitiam, quae iniuria vera est, etsi nullum damnum extrinsecus sequatur. Cf. n. 21. *

Ad noscendam materiam gravem in iudicio temerario, nulla alia regula assignari potest, nisi ea, quae datur ad cognoscendam gravitatem detractionis, de qua infra: cum hoc tamen discrimine, quod gravior fortassis materia requiritur ad gravitatem iudicii. Homines enim molestius ferunt auferri sibi bonam extimationem per detractionem externam, quam per solum interius iudicium. Lug. disp. cit. n. 23.

1059. Advertendum vero, quod, quamvis superius exempla afferentes iudicii temerarii, locuti simus de iudiciis circa probitatem aut improbitatem alterius, noluimus tamen dicere 1º quod solum iudicia temeraria de culpa per se gravi, sint graviter mala; nam fieri potest ut gravis censeatur iniuria, quod alicui vitium per se leve imponas: ut e. g. si temere iudices Papam esse mendacem: neque 2º volumus dicere quod solum in re morum occurrat materia iudicii temerarii culpabilis. Nam et detractio, ut videbimus, circa alia versari potest et generatim quod vere indecorum est, etsi absque culpa, graviter ferunt homines de se iudicari, ut si honestum et illustrem virum aut Episcopum iudices, absque sufficienti motivo, esse spurium. Difficilius tamen erit in his rebus, quae moralem honestatem non spectant, attingi in iudiciis temerariis gravitatem peccati mortalis. Sed perpendenda sunt adiuncta personae, conditionis etc., habita simul ratione communis hominum in huiusmodi rebus existimationis.

Hoc autem, quod de iudiciis, re in se ipsa spectata, dicimus, idem cum proportione et de opinione vel dubitatione dicendum.

1060. Contra assertam doctrinam de gravi malitia iudicii temerarii, obvia est difficultas; quia infamia, quam quis contrahit ex iniusta revelatione sui criminis apud unum virum, a quo non timetur ulterius propagandum, non est semper in revelante materia peccati mortalis: atqui perinde se habet, cum quis apud se ipsum diffamat aliquem, abs-

que periculo evulgationis: ergo. Duplex est responsio. Prior Lessii l. 2. c. 11. n. 71. negantis paritatem; nam iudicium temerarium non revelationi criminis occulti, sed impositioni falsi criminis h. e. calumniae potius comparanda est. Atqui calumniari in re gravi vel apud unum, est peccatum mortale. Alteram responsionem dat Lugo disp. cit. n. 12. negando, cum communiori, ut ait, et veriori sententia, Maiorem: cf. n. seq. in fine.

Quod ait A. non esse necesse aperire in Confessione speciem mali iudicati, supponit id, quod inferius tractabitur: an peccata contra famam proximi sint eiusdem speciei. *

Ex quibus resolves peccari tantum venialiter iudicando in seqq. casibus. v. Tanner 2. 2. *q.* 3. *d.* 2.

IV. 1° Si non sit grave malum, quod proximo temere impingis et sic eum, qui iudicat alium esse spurium, vel filium Iudaei, a mortali excusant Nav. Azor, et Less. contra alios apud Dian. p. 5. r. 69.

2° Si sit grave quidem, sed non perfecte advertas.

3° Si advertas quidem te male iudicare, non tamen advertas signa esse insufficientia nec de iis dubites.

4° Si signa sint sufficientia ad opinionem saltem probabilem.

5° Mortale etiam non est (per se loquendo), si de indeterminato tantum iudices: quia nulli fit gravis iniuria. Esc. l. c. ex Fagund.

1061. Clara sunt nec difficultas est nisi forte in primo; non quidem quoad principium, sed quoad exemplum allatum: sed cf. dicta n. 1059. S. Alphonsus quidem lib. 3. n. 964. censens probabiliorem sententiam quae affirmat suspicionem quoque temerariam pertingere posse ad mortale peccatum, ut si pium religiosum temere suspiceris esse haereticum, inter alia exempla hoc affert: si de viro communiter habito ut catholico suspiceris quod sit Iudaeus: verum Iudaeum intelligit *religione:* A. vero *gente.*

V. Resp. 2. Suspicio et dubitatio temeraria ex genere suo videntur esse peccata tantum venialia, maxime si procedant ex errore intellectus, quo indicia, ut sufficientia, apprehenduntur. Ita Laym. ex s. Thom. Nav. Molin. Fill. tr. 4. c. 1. q. 5. Less. l. 2. c. 29. d. 3. etc. contra multos, qui putant esse mortale. Ratio est, quia communiter suspicio tantum est concitatio quaedam ad assensum; manet enim in mente suspicantis aliquo modo bona existimatio proximi: ergo non fit illi gravis iniuria, cum non totaliter deturbetur de possessione bonae famae; fit tamen aliqua, quia temere dubitatur.

Dixi: *maxime, si ex errore;* quia talis, cum non sit per se voluntaria nec pertinax, meretur excusationem: si vero ex malevolentia in suspicione gravi persistas, erit mortale, ut docent Less. Fill. etc. ob iniuriae gravitatem. Atque idem est de dubitatione positiva, orta ex malevolentia absque causa; procedit enim ex contemptu alterius, proindeque gravis iniuria reputatur.

1062. * Doctrinam s. Thomae retulimus n. 1056. S. Doctor malitiam peccati mortalis reperit solum, ubi est certa aestimatio, ex le-

vibus indiciis, de gravi malo proximi. Porro dubitatio, suspicio, opinio non habent certam de malo proximi aestimationem. Thomam sequitur Caietanus ibid., inquiens: « verum est, quod quia opinio imperfectum quid est in genere cognitionis et determinationis, propter haesitationem admixtam et iudicium temerarium de peccatis levibus, ratione materiae, imperfectum est; ideo nullum horum est peccatum mortale, sed solummodo temerarium iudicium de mortali ex levibus indiciis ». Et citatur Augustinus tract. 90. in Ioannem: « si suspicionem omnino vitare non possumus, quia homines sumus, iudicia tamen, idest *definitivas firmasque sententias* continere debemus ».

Laymann vero ab A. citatus docet 1° quod temeraria suspicio est ex genere suo peccatum veniale. Nam per eam fama parum laeditur. Docet 2° valde probabile esse, quod suspicio de gravi scelere, v. gr. proditionis, incestus, levissimis indiciis ac magna animi temeritate de persona honesta concepta ad mortalem peccatum pertingat.

1063. Lessius ab A. quoque citatus l. 2. c. 29. d. 3. distinguit duplicem suspicionem (quae et opinionem comprehendit). Prior est, cum quis suspicatur malum alterius, ex errore quodam intellectus; advertit quidem se malum suspicari et etiam, aliquo modo dubitat an causa sit sufficiens ad suspicandum, tamen neglecto eius examine non excludit suspicionem, paratus excludere, si adverteret causam non esse sufficientem. Altera est, cum quis non tam ex errore, quam ex malo affectu et malevolentia erga aliquem, licet advertat causam suspicandi non esse sufficientem, tamen ex malitia vult sic de proximo sentire.

Iam vero de priore affirmat, quod sit leve peccatum; quia est levis iniuria seu levis laesio famae proximi. De altera affirmat, quod, si obiectum eius sit grave malum proximi, quod nempe illi sit magnae infamiae, est peccatum mortale. Quia procedit ex malitia, qua quis vult ita suspicari de aliquo ut eum contemnat et pro vili habeat: qua in re gravis est iniuria.

Circa quam alteram doctrinam advertimus duo. Primum non sola suspicio heic consideratur, sed causa eius eaque in se graviter mala puta odium, quae causa malitiam suam communicat iis actibus, qui propter eam fiunt. Alterum est, videri nobis maxime idoneam hanc doctrinam Lessii, qua reddatur ratio gravitatis peccati in iudicio et etiam si opus est, in suspicione, petita ex mala voluntate, quae male affecta est erga alium et vult male sentire et in apprehensione alterius infamiae delectatur: quam rationem et A. indicavit.

1064. Cum per huiusmodi suspiciones aut opiniones gravis identidem iniuria proximo fieri possit; quia molestius quis fert suspicio-

nem de aliquo nefando crimine, quam iudicium seu definitivam sententiam de alio minus gravi mortali peccato; recentiores Theologi, ut ait Lugo disp. 14. n. 14. et 18., consentiunt, opinionem quoque ac suspicionem de malo alterius posse esse peccatum grave idque tanquam probabilius tenet s. Alph. n. 964.

Cum res tamen certa non sit et frequenter confessarius aegre in accusatione horum peccatorum discernere valeat, an omnes conditiones adfuerint pro gravi malitia peccati, licebit ei quiescere in probabilitate prioris sententiae (n. 1062.), quae auctoritate Thomae et Augustini munitur.

1065. Quod spectat ad dubitationem, cum utriusque partis affirmantis vel negantis suppetunt motiva probabilia, non licet iudicare hominem positive pravum: quod est per se evidens: sed debemus vel cohibere assensum, vel in meliorem partem rem interpretari. Quia, ut ait s. Thomas q. 60. a. 4., « nullus debet alium contemnere vel nocumentum quodcumque inferre absque cogente causa, et ideo ubi non apparent manifesta indicia de malitia alicuius, debemus eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando quod dubium est ».

Quod sic declarat, expediens difficultatem ad 2^m: « Aliud est iudicare de rebus et aliud de hominibus. In iudicio enim, quo de rebus iudicamus, non attenditur bonum aut malum ex parte ipsius rei, de qua iudicamus cui nihil nocet qualitercumque iudicemus de ipsa, sed attenditur ibi solum bonum iudicantis... Sed in iudicio, quo iudicamus de hominibus, praecipue attenditur bonum et malum ex parte eius, de quo iudicamus, qui in hoc ipso honorabilis habetur, quod bonus iudicatur et contemptibilis, si iudicatur malus. Et ideo ad hoc potius tendere debemus in tali iudicio, quod hominem iudicemus bonum, nisi manifesta ratio in contrarium appareat ». Ita s. Thomas, qui praeterea monet, iudicium tale, quamvis falsum esse contingat, non esse aliquod malum intellectus, vel sperni posse; quia ad perfectionem intellectus secundum se non pertinet cognoscere veritatem singularium contingentium; sed magis hoc iudicium pertinet ad bonum affectum animi. Idcirco videntur leges logicae in iudicandis huiusmodi hominum factis contingentibus subordinandae esse legi caritatis.

At propterea orta est quaestio inter DD., quomodo accipienda sit haec doctrina s. Thomae. Scilicet an rem dubiam debeamus in meliorem partem interpretari *positive* h. e. existimantes hominem esse probum, an *negative* h. e. non existimantes esse improbum. Cf. Lessium l. c. nn. 32.-36. et Lugo disp. cit. n. 21. qui affirmant satis esse si negative non existimemus improbum. Ratio est, quia nemo tenetur ad assensum, quo se exponit periculo errandi, quod sapienti est vitandum. *

Licet in dubio non debeamus in deteriorem partem interpretari, expedit tamen interdum ita interpretari per quandam suppositionem scilicet ita nos gerere in praecavendo malo et in adhibendo remedio, ac si proximus esset iniquus. Ita s. Thomas a. cit. ad 3^m « Cum debemus aliquibus malis adhibere remedium sive nostris sive alienis, expedit ad hoc ut remedium securius apponatur, quod supponatur id, quod est deterius; quia remedium, quod est efficax contra maius malum, multo magis est efficax contra minus ». Suppositio haec nihil ponit in re aut affirmat, sed solum conducit ad meliorem cautelam.

VI. Quaeres. Quomodo discerni possit suspicio a iudicio firmo, quando formido de opposito expresse non est coniuncta.

Resp. Caietanus censet eum iudicare, qui rogatus, an habeat rem pro certo respondet sibi certam aut fere certam videri: eum vero suspicari, qui respondet se non esse moraliter certum, sed facile posse falli. V. Bon. *de Rest.* d. 2. q. 7. p. 1.

1066. Locus quaestioni est, cum quis aliquid de alio iudicat, non expresse ut probabile aut ut certum et dubitatur an opinatus sit vel suspicatus tantummodo, iudicans rem esse probabilem an definitivam sententiam de re ipsa apud se tulerit. Porro regula practica a Caietano in q. 60. a. 3. tradita, clara est et utilis esse potest.

Dub. II.

Quid sit et quam grave peccatum detractio.

VII. Resp. Detractio est alienae famae iniusta violatio vel denigratio. Differt a contumelia, quae est iniusta honoris diminutio, 1. obiecto; quia contumelia honor, detractione autem fama laeditur, quae est opinio seu existimatio de alterius excellentia: honor autem est testificatio alienae excellentiae animo conceptae. 2. Differt modo; quia contumelia instar rapinae fit aperte contra praesentem: detractio ut plurimum instar furti occulte et contra absentem. Unde, licet contumelia detractione gravior sit, est tamen detractio peccatum mortale ex genere suo: etsi ex parvitate materiae aut indeliberatione fieri possit veniale. Ratio est, quia est gravius furto, quod est mortale, cum laedat proximi famam, quae est maius bonum, quam opes.

Detractio alia est directa et formalis, quae fit ex intentione famam laedendi; alia indirecta et materialis tantum, quae fit ex levitate et loquacitate aliqua.

1067. * Distinguit A. detractionem a contumelia: de hac tamen nihil amplius disputat; quia de ea locutus est in tr. *de Peccatis* dub. VI. sub Ira. Quoniam detractionis obiectum est *fama*, contumeliae *honor*, de his primum est aliquid dicendum.

Fama generatim, prout bonam vel malam complectitur, definitur *multorum existimatio de vita et moribus et qualitatibus alterius;* dicitur *multorum;* quia fama per se est aliquid publicum et sociale et licet frequenter, pro singulis de plebe vel popello, intra ambitum pau-

corum contineatur, potest ea tamen ad alios, opportuna data occasione, sine fine propagari. Dicitur *de vita et moribus;* praecipuum scilicet obiectum famae bonae vel malae est id quod ad honestatem et mores alicuius spectat: sed praeterea fama versari potest circa alias dotes seu qualitates, cuiusmodi sunt sapientia, ingenium, prudentia gubernandi, eloquentia, bona indoles et alia, quae homines laudabiles reddunt; imo et bona externa, ut pulcritudo (quae feminas commendabiles facit), nobilitas, opes, gratia principis et huiusmodi, quae perfectionem, licet extrinsecam, afferunt, in societate appetibilem. Lugo disp. cit. nn. 1. 2. Aliam definitionem cf. in tr. de Irreg. sub §. XVII.

Bona fama definitur a Molina (apud Lugo ibid.) *bona de aliquo existimatio quoad aliquod eius bonum;* nam quis potest quoad aliquid, bona, quoad aliud, mala fama gaudere.

Pro pluribus bona fama seu existimatio in aliquo negativo potius quam positivo fundatur: nihil scilicet mali de ipsis scitur et sic boni censentur ac ius habent, ut tales censeantur: praesumendus enim est quilibet bonus, antequam contrarium demonstretur. Huiusmodi plures de plebe, imo maxima pars hominum.

1068. Honor, qui hominibus exhibeatur, est, iuxta s. Thomam 2. 2. q. 103. a. 1., testificatio quaedam, exterius prodita, excellentia alicuius, sive potius, ut vult Lessius l. 2. c. 11. d. 1. n. 2., nostrae opinionis de excellentia alicuius.

Honor solet exhiberi praesenti tum praecipue in se tum etiam in eius signo, puta principis imagine: sed per se absenti quoque exhiberi potest, ut si coram aliis de excellentia alterius loquaris, tuam de ea opinionem hoc ipso testificans.

Honor differt a fama, quatenus fama est simpliciter notitia, honor est exterior protestatio suae notitiae seu existimationis; fama est notitia apud multos virtutis aut alterius bonae dotis alicuius, sive in his sit excellentia sive secus: honor est protestatio, quam quilibet prodit, suae existimationis de excellentia alicuius, sive haec sit per famam nota, cui famae tunc protestatur honorans se conformare, sive non sit nota. Quare potest aliquis habere notitiam eamque certam de bono atque excellentia alterius ac simul ei honorem debitum negare imo positive inhonorare.

Quamvis honor dicatur excellentiae referri, est tamen aliqua species honoris, quae omnibus debetur, etsi non excellant: quatenus omnes ius habent ut non contemnantur, sed secundum suam conditionem cum iis agatur. Vel, ut ait s. Thomas q. 103. a. 2. ad 3^m: « In quolibet invenitur aliquid, ex quo potest aliquis eum superiorem reputare, secundum illud ad Philipp. 11. 3. *in humilitate superiores invicem ar-*

bitrantes. Et secundum hoc etiam omnes se invicem debent honore praevenire ».

1069. Fama et honor sunt bona, quae ab hominibus magni fiunt, plus etiam quam divitiae. Et sane absque his convictus humanus esset intolerabilis, atque bona sunt propria spiritus, non corporis, rationalis vitae, non animalis.

Utrum ex his sit maius bonum, disputant DD. Lugo disp. cit. n. 9. concedit quod honor includens famam, est quid praestantius sola fama: at si honor seorsim consideretur, censet famam esse maius bonum prae illo. Ratio est; quia honor eatenus aestimatur, quatenus est testificatio famae: pluris ergo fit fama, quam honor, qui solum propter eam amatur. Loquitur Lugo de honore, qui meritis defertur: verum idem valet et multo magis in honore qui propter aliquam dignitatem deferatur, ut magis optent hominis esse in aliorum opinione quod ipsi digni sint eo gradu, quam quod solum honor ipsis propter eum gradum exhibeatur. *

1070. Ut de laesione honoris prius dicamus: Inhonoratio proximi seu contumelia duplici modo fieri potest, negative et positive.

Negativa erit, quando negantur signa honoris debita ex virtute pietatis vel observantiae. *Positiva* erit, quando per actum laeditur reipsa alterius honor.

Tribus modis fit positive contumelia, *verbo, scripto, facto.* Contumelia per verba comprehendit *convitium, improperium, maledictum.* Quae scripto, comprehenditur *libello famoso. Facto* autem *irrisio, illusio, subsannatio.*

Convitium dici solet exprobratio alicuius defectus *naturae vel poenae*, licet convitium dici soleat et *exprobratio culpae.*

Improperium dici solet exprobratio ea, qua iniuriose cuipiam *obiicitur auxilium,* quod quis ei indigenti obtulit; unde illud Eccli. XX. 15.: *Exigua dabit et multa improperabit.* De Deo autem: *Qui dat omnibus affluenter et non improperat.* Iacob. I. 5.

Maledictum, cum quis alteri imprecatur malum, diabolum, fulgura etc. in quo si ex corde fiat, semper est labes contra caritatem, quae nunc non attenditur: si praesenti fiat et identidem etiam absenti, coram aliis, est contumelia.

Quoad convitium breviter et sapienter s. Thomas 2. 2. q. 72. a. 2. Sibi enim obiicit: « Convitiari est actus alicuius virtutis, sc. Eutrapeliae, ad quam pertinet bene convitiari secundum philosophum ». Et respondet ad 1.: « Ad Eutrapeliam pertinet dicere aliquod leve convitium non ad dehonorationem vel ad contristationem eius, in quem dicitur, sed magis causa delectationis et ioci. Et hoc potest esse sine

peccato, si debitae circumstantiae observentur. Si vero aliquis non reformidet contristare eum, in quem profertur huiusmodi iocosum convitium, dummodo aliis risum excitet, hoc est vitiosum ».

Et ibid. ad 2. « Sicut licitum est aliquem verberare vel in rebus damnificare causa disciplinae: ita etiam causa disciplinae potest aliquis alteri, quem debet corrigere, verbum aliquod convitiosum dicere. Et hoc modo Dominus discipulos vocavit *stultos* et Apostolus Galatas *insensatos*. Tamen sicut dicit Augustinus, *raro* et *ex magna necessitate obiurgationes* sunt adhibendae, in quibus non nobis sed ut Domino serviatur, instemus ».

Contumelia facto, multiplex est. Est scilicet. *Irrisio* seu *derisio*, quae est *risus* in alterius contemptum, erubescentiam et confusionem.

Illusio est, quia quis ludibrio habetur et contemptui exponitur, mediante aliqua deceptione.

Subsannatio vero est, qua quis ludibrio habetur et contemptui exponitur, mediantibus gestibus sive motibus corporis.

1071. * Iam vero contumelia seu peccatum contra honorem est, ait Lugo disp. cit. n. 192., ex genere suo peccatum letale. Ratio est, quia affert nocumentum proximo in bonis magni ponderis et quae pluris aestimantur, quam opes, quas tamen certum est posse esse materiam peccati gravis. Solent huc afferri verba Domini Matth. V. 22. *Si quis dixerit fratri suo: fatue, reus erit gehennae ignis.* Quae tamen Christi sententia, ut intelligatur, advertendum est loqui Dominum de actibus, quibus animus alteri infensus viam veluti sibi parat ad actum homicidii. Cf. Maldonatum in h. l. Supponitur ergo quod haec convitia ex odio et pleno contemptu proferantur: ait autem Christus: etsi id tantum fiat et ad postremum actum odii, qui est occisio, non pertingatur, iam peccatum est mortale. Unde rite infertur, quod si huiusmodi contumeliae ex eo malo animo eove contemptu fiant, ut graviter caritas aut iustitia laesa censenda sit, peccatum erit mortale. Secus erit venialis culpa, ut l. c. ait Lugo: « Potest aliquando esse solum culpa venialis ex inadvertentia vel ex levitate materiae, quae levitas consideranda est ex qualitate convitii, personae familiaritatis et aliis circumstantiis ». Ita s. Thomas q. cit. a. 2. ad 3. affirmans peccatum convitii vel contumeliae dependere ex animo dicentis ideoque contingere posse, quod sit peccatum veniale si sit leve convitium, non multum hominem dehonestans et proferatur ex animi levitate vel levi ira, absque firmo proposito aliquem dehonestandi. Cf. Busembaum in tr. *de Peccatis*, sub *Ira*.

Laesio positiva honoris debiti est actus nedum contra caritatem, sed et contra iustitiam: ius enim habent singuli ad certum honorem et

saltem ne despectui habeantur. Laesio etiam negativa sive omissio debiti honoris, peccatum erit contra iustitiam, quando ea omissio redundet in dehonorationem proximi, quod certe continget, cum talis omissio signum sit contemptus: cf. Lug. l. c. n. 189. eaque quoque esse potest grave peccatum, si gravis dehonoratio exsistat.

Non est autem opus ad huiusmodi peccatum, quod intendatur directe inhonoratio alterius; sed quod satis est in aliis peccatis et heic sufficit, quod laesio honoris sit indirecte volita, quatenus ex quolibet alio fine id vis, quo scis honorem proximi laedi.

Quaelibet honoris laesio, si id tantum spectetur, non effectus alii extrinseci, qui sequi possunt, est eiusdem speciei infimae; eadem enim formalis ratio in qualibet reperitur. Omnes scilicet contumeliae malitiam accipiunt ex eo, quod laedant honorem, sicut furta laedunt fortunas: ergo sicut furta sunt eiusdem speciei in ratione furti, sive hoc modo fiant sive illo, sic de ablatione honoris dicendum est. Cf. Lug. *de Poenit.* disp. 16. n. 265.

1072. Ad laesionem famae quod spectat, advertimus 1° eam posse sitam esse in facto, tum directe ut si, ait Lugo disp. cit. n. 34., adulterium uxoris manifestes, appendendo cornua ante ianuam domus: tum indirecte seu ex consequente, ut si ex contumelia in facto posita, puta alapa a te alicui impacta sequatur illius diminutio famae, apud mundanos saltem, nisi se ulciscatur, quod tamen ei non licet.

2° Laesio famae, quae verbis fit vel aequivalentibus signis (ad quam proinde et prius ex duobus exemplis modo allatis revocari potest) duplex primum distinguitur. Nam vel falsum crimen aut falsum defectum imponis, vel verum crimen aut defectum, sed occultum revelas. Prior proprio nomine vocatur a Theologis *calumnia:* altera simpliciter *detractio* dicitur. Ad haec revocatur, si bene factum alterius sinistre coram aliis interpreteris, si neges alterius bonum, si illud sileas cum manifestare deberes et silentium negationi aequivaleat, si eo pacto aliquem laudes, ut laus in diminutionem famae cedat. Cf. n. 37.

1073. Quaeritur an calumnia et simplex detractio specie differant. Negat ex Molina, Lugo *de Iust. et Iure* disp. cit. n. 36.: quia utraque respicit bonum famae quod unum est; sive enim crimen sit verum sive falsum, tota malitia, quatenus est contra iustitiam, fundari videtur in iure, quod proximus habet ad suam famam, cui iuri opponitur quaelibet detractio quatenus est iniusta. Utique in calumnia est etiam malitia mendacii, quae tamen prout est contra veracitatem, non est mortalis nec afferens proinde speciem peccati diversam in confessione necessario aperiendam.

Hinc sicut censendae non sunt inter se differre specie singulae con-

tumeliae, neque inter se differunt singulae detractiones, quae in diversis materiis versantur. « Quoniam, ut inquit Molina de contumelia tr. 4. disp. 19. n. 3., iniustitia contumeliae non consistit in eo, quod tanquam instrumento et medio iniuste honori proximi praeiudicatur. Sed consistit in praeiudicio honori proximi illato: quare, cum obiectum contumeliae late sumptum sit honor quoad praeiudicium, quod iniuste illi infertur, non vero diversa media, quibus id praeiudicium infertur praeiudiciumque iniuste illatum semper sit eiusdem rationis, quocumque modo id praeiudicium inferatur...; consequens est quod vitium contumeliae sit species infima ». Pariter Lugo quoad detractiones l. c. ex tr. *de Poenit.*, praemissa comparatione contumeliae cum furto, subdit: « Unde idem (a) dicendum est de detractione, non variari species pro diversitate materiae, in qua aufertur fama; quia fama semper est eiusdem speciei in genere moris. Similiter in iudicio temerario non oportet explicare materiam, in qua iudicatur, sed sufficit dicere: toties in materia gravi temere iudicavi de aliquibus; quia bona etiam existimatio, quae per iudicium temerarium aufertur, eiusdem speciei est in genere moris ». Cf. in tr. *de Pecc.* n. 269. *

1074. Detractio distinguitur in *directam* et *indirectam*, quam distinctionem alii secus ac A. explicant. Directam enim dicunt, qua positive laeditur fama proximi, quod fit 4. modis: 1° imponendo crimen falsum: 2° augendo et exaggerando crimen verum: 3° manifestando crimen occultum: 4° sinistre coram aliis interpretando opus bonum. Indirectam dicunt, qua negative laeditur fama alterius, quod rursus fit 4. modis: 1° negando recte facta aut dotes alterius: 2° similia extenuando: 3° tacendo bona alterius vel non refellendo diffamationem eo loco et tempore, quo alii silentium interpretantur pro tacito vituperio: 4° simulate et frigide laudando, ut si quis simulet se velle aliquem laudare et tamen potissima eius gesta subleste reticeat.

Quae omnia his versibus continentur.

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens:
Qui negat aut minuit, reticet laudatque remisse.

1075. * Detractio, ut ait A., est ex genere suo peccatum mortale; est enim contra iustitiam et caritatem, iniuste hominem bono privans, quod pluris fit quam bona fortunae. Nota autem cum Lugo disp. 14. n. 52., quod ad peccandum graviter, non requiritur, quod

---

(a) Erunt forte, quibus non probetur comparatio haec inter laesionem famae et laesionem in bonis fortunae. Nam bona fortunae sunt omnia permutabilia invicem; unum proinde specie ius est erga omnia illa: at fama e. gr. viri docti, strenui ducis, non est permutabilis cum fama viri probi et christiani et hoc est, puto, quod s. Alphonsus contendit 1. 5. n. 48. quod « quando quis diffamatur in pluribus materiis, plura eius iura laeduntur, iuxta plures respectus, quos fama habet ad diversas virtutes ». E.

detractio reddat hominem infamem: satis est si laedat notabiliter famam, h. e. si inferat et notabile nocumentum: sicut ad furtum grave non requiritur reddere pauperem eum, cui res aufertur, sed satis est laedere notabiliter in bonis fortunae. Item ad inhordinationem gravem non requiritur quod alius perdat magnam partem sui honoris, sed quod patiatur inhonorationem notabilem, quae et ab uno tantum inferri potest.

Peccatum detractionis est distinctum a contumelia, quemadmodum differunt fama et honor et aliam differentiam quoad modum iudicat A. sub n. 2. in Resp.: qua in re adverte, quod, ut iam innuimus, contumelia fieri quoque potest in absentem; detractio vero, quae praesenti fiat, non erit seiuncta ab inhonoratione personae seu contumelia.

Ait. A. detractionem minus esse peccatum contumelia; quod certe admittendum, cum contumelia, coram aliis facta, includit etiam seu infert detractionem. At si contumelia secreto fiat, videtur detractio maius peccatum quam ea; quia detractio privat minori bono; fama enim, ut diximus (n. 28.), ab hominibus in pretio plus habetur quam solus honor.

Potest tamen detractio leve esse peccatum, sive ex imperfectione actus, sive ex levitate materiae, ut in Resoll. declarabitur. Est autem advertenda doctrina s. Thomae 2. 2. q. 73. a. 2. « Contingit quandoque quod aliquis dicit aliqua verba, per quae diminuitur fama alicuius, non hoc intendens (intellige: neque advertens) sed aliquid aliud. Hoc autem non est detrahere, per se et formaliter loquendo, sed solum materialiter et quasi per accidens. Et si quidem verba, per quae fama alterius diminuitur, proferat aliquis propter aliquod bonum vel necessarium, debitis circumstantiis observatis, non est peccatum nec potest dici detractio. Si autem proferat ex animi levitate vel propter causam aliquam non necessariam, non est peccatum mortale, nisi forte verbum quod dicitur, sit adeo grave, quod notabiliter famam alicuius laedat et praecipue in his, quae pertinent ad honestatem vitae; quia hoc, ex ipso genere verborum, habet rationem peccati mortalis ». Unde habemus e sententia s. Thomae, ut peccatum sit non opus esse diffamationem proximi directe intendi, satis esse quod praevideatur ac verba absque iusta causa proferantur. *

Ex dictis resolves.

VIII. 1. Regulariter non est mortale (etsi per accidens ratione damni sequentis tale esse possit) revelare naturales defectus animi, corporis vel natalium; quia tales non sunt mortales nec infamia apud prudentes reputatur, quod quis v. gr. sit stupidus, spurius, luscus. Bon. t. 2. d. 2. q. 4. p. 2.

1076. Ratio, cur fere leve sit, est 1° quia sunt inculpabiles, 2° ordinarie pluribus sunt noti: adeoque eos revelare non est graviter noxium.

Sic si dices aliquem *imprudentem*, *ignarum*, *luscum*, *claudum*, *gibbosum*, *surdum*.

Auctor dicit *regulariter* et *per se*. Nam si ex *revelatione* alicuius defectus naturalis alter *pateretur damnum* vel *graviter contristaretur*, revelator peccaret graviter contra iustitiam vel contra caritatem, nisi (ut patet) iustam causam haberet manifestandi eiusmodi naturalem defectum.

* Hinc s. Alph. l. 5. n. 72. ut iam advertimus in tr. *de Peccatis* n. 712. censet probabilius esse, quod graviter peccet, qui ex duobus amicis revelat alteri defectus naturales alterius, ut eam dissolvat amicitiam et in locum eius cui detraxit succedat. Quia nempe amicitia est magnum bonum, quo ille per iniuriam h. e. actionem iniustam privatur. Quocirca si amicitia aliqua parum referret, ut eius omissio foret leve damnum, non esset hic revelator, ratione effectus seu damni secuti, damnandus de mortali. Non raro vero amissio amicitiae alicuius potest esse gravis, ut si sit amicitia cum viro potente, vel si magnum dolorem afferat amissio amicitiae, quae animi malis levandis plurimum conducebat. Amicus enim thesauro comparatur in Scripturis.*

Item (ut merito addit s. Alphons. heic n. 967.) si gravis esset *nota* ratione personae vel dignitatis; quod enim de eiusmodi homine reveletur vel vilitas aut infamia natalium, exercitium vilissimi officii, aut fuisse mancipium, detrahit haud exigue... apud vulgus et idcirco aegre toleratur. Vid Resol. 4.

IX. 2. Plerumque etiam levis detractio habetur, si alium infames generalibus nominibus peccatorum mortalium, v. gr. esse iracundum, superbum etc. (etsi aliquando gravis esse possit); quia audientes plerumque interpretantur de naturali propensione et defectu involuntario nec oritur grave damnum famae. S. Ant. l. p. t. 8. c. 4. Sylv. Less. d. 3. n. 18. Laym. l. 3. t. 3. p. 2. c. 3. n. 3.

1077. Excipe si dicas esse luxuriosum; quia non datur parvitas materiae nec levis intelligi potest culpa. Huc etiam spectat revelare peccatum leve alterius. Ratio est; quia in multis offendimus omnes et ideo non solet esse graviter noxium famae. Sed. vid. Resol. 4.

X. 3. Similiter non erit mortale communiter referre peccata mortalia, quae ob conditionem personae non notabiliter famam laedant: v. gr. si dicas militem habere concubinam, pugnasse in duello, cogitare vindictam, adolescentem esse prodigum, deditum amoribus etc. Laym. l. 3. t. 3. p. 2. c. 3.

1078. Detrimentum famae non affertur; quia quaedam peccata mortalia a personis certae conditionis tam frequenter committuntur, ut de illis quasi iam praesupponantur; adeoque de persona eiusmodi referre certum peccatum mortale, parum minuit illius famam.

Idem esset, si revelares certum delictum illius, qui se de eiusmodi

aut similibus delictis solet iactare, aut de quibus iam diffamatus est publice.

Et generatim ut revelatio criminis alicuius sit saltem contra caritatem, oportet revelationem afferre aliquod damnum illi, cuius crimen revelatur vel in fama vel in privatione consequente alterius boni; ubi enim nullum malum infertur proximo, nequit esse peccatum contra caritate proximi.

XI. 4. Fieri tamen potest, ut narrando defectus etiam naturales, spectata conditione et statu illius, graviter noceas et sic graviter pecces: ut si gravem et optimi nominis Praelatum, aut Religiosum, mendaciis assuetum esse, virum gravem ac consularem, illegitime natum, Iudaeum etc. dicas. Idem est, etsi de altero nihil in particulari, sed tantum in genere dicas, v. gr. te scire aliquid de illo, quod, si dicas, magno illum rubore sit affecturum. Card. Lug. d. 14. n. 49.

1079. * Est limitatio 1ae et 2ae Resol. Doctrina clara est. Regula generalis, ait Lugo disp. cit. n. 49., ad gravitatem detractionis, desumenda est ex circumstantiis personae, defectus qui narratur, existimationis, quam persona illa apud homines habet et similibus, in quibus si grave detrimentum, prudentis arbitrio, famae infertur, detractio erit gravis, secus levis.

Ratio postremae partis evidens est. Sic enim iam in causa es, ut alii de eo sinistre opinentur et occasionem praebes aliquid peius cogitandi, quam sit id quod dicere potuisses. *

XII. 5. Crimen, aut defectum alicuius, modo verum, saepe licet prodere ob iustas causas: v. gr. 1. cum expedit superiorem scire suorum defectus, ut emendentur, de quo v. supra *de Cor. Frat.* et sic eos, qui crimen occultum filiorum parentibus, vel famulorum heris, in ordine ad correctionem (cavendo tamen, ne ex revelatione maius damnum sequatur) significant, communiter excusari docet Trull. l. 7. c. 10. d. 11. ex Bonac. etc. uti et uxorem loquentem cum marito (vel contra) de criminibus occultis filiorum vel famulorum. 2. Causa consilii, vel auxilii capiendi; in quo tamen videndum, ut cum minimo damno tertii fiat. 3. Causa cavendi alterius damni: ut si alicuius aestimatio falso concepta de eius doctrina, probitate, est aliis perniciosa. Unde, cum agitur de conferendo officio, de contrahendo matrimonio, de suscipienda religione, assumendo medico, praeceptore, famulo, famula etc., licet manifestare (imo aliquando oportet) occulta alterius impedimenta, inhabilitatem, crimina, unde notabile aliquod incommodum merito timeretur: dummodo nulla alia sit ratio commodior impediendi et damnum, quod proximo timetur, sit maius aut saltem aequale damno, quod ex manifestatione defectus aut criminis alterius ei obveniret. Less. l. 2. c. 11. d. 12.

1080. Primus casus, quo licet, est, quando exigit ordo correctionis fraternae, quando privatus non potest per se efficere, ut aut alter emendetur aut scandala tollantur.

Secundus, quando id exigit bonum spirituale aut temporale proprium, qua de causa indiges consilio aut auxilio. Dicitur minus, quoad fieri potest, damnum esse inferendum. Ergo 1° non licet manifestare

pluribus, quam opus sit: 2° nec revelare personam, si id non opus sit ad scopum: nec revelare in ipso facto illa, quae ad finem non faciunt et 4° si res patitur, revelandum est addita secreti servandi pactione.

Tertius, quando id exigit bonum spirituale aut temporale proximi aut communitatis: ut nempe huiusmodi mala impediantur. Ratio, quia nocens non habet ius ad famam cum aliorum damno. Veruntamen revelatio haec fieri debet cum minimo nocentis damno ut sup. dictum est.

Praeterea alia conditio additur, quae et praecedenti casui communis est, videlicet, quod damnum cavendum per revelationem sit proportionatum damno, quod ex revelatione alteri infertur.

Ad intelligendam rationem horum, adverte haec cum Lugo (disp. 14. n. 97.): « Ius, quod quilibet habet ad suam famam diversum est in ordine ad veram famam seu fundatam in vera bonitate et famam falsam seu fundatam in bonitate non vera sed apparenti et existimata. In primo casu ius illud simpliciter est et obligat universaliter; vera enim probitas dat ius intrinsecum, ut talis homo iudicetur et pronuncietur ab aliis, qualis revera est. At vero in secundo casu non est ius ita universale, sed magis limitatum: quatenus propter inconvenientia, quae contra bonum commune et pacem ac tranquillitatem sequerentur, oportuit defectus occultos non publicari nisi in iis circumstantiis in quibus ad eandem pacem et bonum vitae humanae expedit eorum publicatio, prout in pluribus casibus publicari possunt non solum a iudice sed etiam a privatis, quia scilicet posse in talibus circumstantiis publicari cedit in maius illud commune bonum, propter quod in aliis casibus publicatio verorum defectuum foret illicita ». Ergo sicut ex iure ad bonam veram famam concluditur, numquam esse licitum imponere cuipiam falsum crimen; ita cum fama falsa est et occultatio cedit in grave incommodum, profecto non expedit ad commune bonum et ad pacem hominum et quietem, quod delicta occulta manifestari non possint.

1081. At quaenam proportio statuenda inter vitandum damnum et damnum nocentis, cuius revelatur crimen?

Quidam statuebant hanc regulam (vid. Struggl. et A.): « Damnum quod proximo timetur, debet esse maius aut aequale detrimento, quod ex revelatione auctor criminis patitur ».

Verum, ut inquit Lugo disp. 14. n. 112.: « haec doctrina universaliter accepta nimis stricta videtur et contra mentem doctorum... Alioquin si ex homicidio, quod Petro imponitur et Ioannes commisit, solum imminet Petro poena exilii vel triremium, non posses manifestare au-

ctorem criminis Ioannem, si forte ex hac manifestatione timeretur ei poena capitalis. Contrarium autem communiter videntur supponere Doctores ». Ratio, quia non teneris subire triremes vel exilium, ut impedias mortem Ioannis alioquin promeritam.

« Dicendum ergo (subdit) existimo, non requiri talem excessum vel aequalitatem damni tui vel aliorum, ut possis delictum manifestare cum maiori eius damno: dum tamen damnum, quod tibi vel aliis times, non sit leve, sed grave ac notabile ». « Ratio (inquit) est, quia ius proximi ad famam, quam ob ignorantiam sui veri delicti possidet, non est ita strictum, sed cum limitatione, quandiu ad bonum alienum non spectet posse veritatem etiam aliis manifestare. Nam sicut spectat ad pacem et quietem communem, quod absque causa non aperiantur occulta delicta; sic ad eandem quietem et commune bonum spectat, quod adveniente causa possit unusquisque cognosci, qualis revera est, ne alii ex sua ignorantia graviter errent et perniciose decipiantur cum proprio detrimento ».

Doctrina autem Lugo recepta dein est ab aliis, quos vide apud s. Alphonsum lib. 3. n. 968. et accessit ipse s. Alphonsus scribens (ibid.): « Unusquisque ad evitandum grave damnum sui vel aliorum etiam in bonis fortunae licite potest detegere grave crimen alterius, modo non intendat illum infamare (hoc esse posset peccatum internum) sed damnum proprium vel alienum vitare. Sufficit autem, ut damnum vitandum sit grave, quamvis maius damnum immineat diffamato. Secus vero si damnum sit leve vel longe minus ».

Ac dein cum Lugo, ut inquit, reddit rationem; « quia nempe id neque *caritati* adversatur neque *iustitiae*. Non *iustitiae;* quia alter non habet ad famam suam ius ita strictum, ut alii obligentur ad tegendam veritatem, quando oportet eam patefacere ad proprium damnum effugiendum. *Non caritati:* quia caritas non obligat cum tanto detrimento: sicut enim non teneris impedire damnum proximi, etsi maius, cum gravi damno tuo: ita nec teneris eo casu occultum crimen proximi celare. Ita Lugo ».

Reipsa Lugo disp. 14. n. 113. quaerit, quam grave esse debeat damnum, quod tibi vel aliis times, ut licite possis graviora proximi detrimenta contemnere, quae ex manifestatione sequantur.

Respondet autem: Regula generalis illa esse posset, ut quando ex caritate tenereris tale proximi damnum impedire etiam cum aliquo tuo dispendio, tunc cum eiusmodi tuo dispendio debeas ex iustitia eius crimen occultum tacere: quando vero cum tanto tuo dispendio non tenereris ex caritate vitare damnum proximi, non teneris etiam ex iustitia cum tanto damno tuo eius delictum occultum tacere. Iustitia

enim non obligat ad conservandam famam proximi, occultata veritate, cum notabili dispendio tuo vel aliorum. Quale autem sit aestimandum notabile dispendium, non est cur aliter definiendum sit, quam in simili praecepto caritatis, quae etiam obligat ad impediendum malum proximi, quando sine notabili dispendio tuo fieri potest ».

1082. Tria addenda. Manifestatio huiusmodi saepe licet, etiamsi agatur de defectu inculpabili, v. gr. de medici, advocati, magistri imperitia; quia frequenter oportet vitare praeiudicium tertii. Lug. d. c. n. 109. 2. Maior licentia fit ad eiusmodi manifestationem, quando malitia et culpa, ex qua damnum tibi vel alteri imminet, adhuc perseverat. Ita v. gr. animadvertis quempiam nolle abstinere a furtis, quibus damnum amico tuo infertur nec speras furem cessaturum aut restituturum, nisi amicum moneas: monere poteris; quia favendum est magis innocenti quam nocenti. Item 3° si accusator vel testis *iniuste* te vexat in iudicio: poteris occulta eius crimina manifestare, quatenus id conducit ad tui defensionem vel ad minuendam illius fidem. Ratio, quia ab iniusto oppressore possum quacumque via me defendere, servata mensura inculpatae tutelae.

Addit s. Alphonsus (l. c.) cum Salmanticensibus: « Et hoc (regula sup. n. praec. memorata) etiam in dubio de gravitate tui damni (tenendum); quia in tali dubio favendum est innocenti, ut dicunt Salmanticenses cum AA. citatis ».

1083. Additur heic quaestio: Quid dicendum, si notitiam alieni criminis acquisiveris *iniuste,* sc. per dolum, fraudem etc., v. gr. *aperiendo litteras?*

Plures plura ac varia dixerunt, quae videri possunt apud Ligorium n. 969.

1° Alii cum Soto et Sanchez, non licere uti illa notitia etiamsi ageretur de periculo mortis subeundae.

2° Alii cum Martino Navarro, non licere uti, si damnum alterius sit irreparabile; secus si reparabile.

3° Alii cum Molina, tunc solum licere uti, quando longe maius foret detrimentum tuum.

4° Alii cum Lessio, licere uti ad quodcumque grave damnum vitandum; quia licet peccaveris notitiam accipiendo, at non peccas ea utendo non secus ac in extrema necessitate absque peccato consumis rem furtivam, licet furando peccaveris.

5° S. Alphonsus lib. 3. n. 969. praeferendam dicit sententiam Lugo, quem heic *magnum Theologum* appellat. « Docet, inquit, hic magnus Theologus disp. 14. n. 101., te non posse, generaliter loquendo, uti notitia illa iniuste accepta cum alterius damno, ob quodcumque

damnum tuum effugiendum; quia actio iniusta, qua tu secretum accepisti, obligat te ad restituenda omnia damna propter illam proximo obventura... Tunc tantum recte admittit te posse crimen manifestare, quando esset tibi permissum etiam per vim et fraudem illud exquirere et litteras aperire (Lug. d. c. n. 103.) ». Ita sane Lugo ibid. n. 101.: « Ego aliter distinguendum puto. Nam vel res ad eum statum deducta est, ut ego si illud secretum nescirem, possem iure meo, ut mihi consulerem et me periculo eriperem, secretum illud expiscari et etiam dolo illud inquirere v. gr. aperiendo secretas litteras, vel vere hoc non possem facere. In primo casu dico, posse me etiam uti tali notitia..., licet per iniuriam illam habuerim; in secundo autem casu non posse, sed debere me gerere, sicut si talem notitiam non haberem ».

Comparat autem Lugo rem cum eo, qui alienam substantiam furatus sit; quam licite absumere potest in ea circumstantia, in qua ipsi liceret eam usurpare etiam per dolum et vim, quando scilicet id necesse sit, ut te ab extremo periculo eripias. Quemadmodum autem extra circumstantiam extremi illius periculi non cessaret onus restituendi rem ablatam, sic in casu restat obligatio servandi alterum indemnem quoad famam, scilicet occultum servandi illud secretum, quod iniuste novisti.

Qua regula posita, repetantur ea quae ad extremam necessitatem alibi revocari solent, v. gr. periculum probabile incurrendi mortem, vel amittendi membrum principale, aut aliquem sensum v. gr. oculum, aut incidendi in perpetuam captivitatem, aut poenam triremium, aut gravissimum aut perpetuum morbum, vel infamiam, aut aliquid eiusmodi probabiliter immineat, aut prostituendi filiam uxoremve etc. Sed heic quoque comparanda est gravitas damni, quod alteri, idest reo, ex revelatione imminet.

Veruntamen vereor, ut haec sententia in sententiam Lessii fere recidat. Casus, quos s. Alphonsus n. 969. enumerat, in quibus liceret etiam per vim et fraudem aperire litteras, sunt 1° si revelatio esset necessaria ad bonum reipublicae: 2° si alter teneretur ex iustitia revelare ad damnum tuum reparandum: 3° si alius iniuste te vexaret. Subdit s. Alphonsus: « Alias non licet tibi alienas litteras aperire ad bonum tuum procurandum vel ad malum aliquod vitandum, quia hoc esset contra commune bonum humani commercii; tantum enim id permittunt AA. ad se tuendum ab iniusta vexatione inimici ut Lessius, Laymann, Bonacina, et alii communiter ». Sed doctrina Lugo magis est definita et innixa rationi, quae ambages omnes removet.

1084. Heic autem subnectitur quaestio de secreto servando, si circa occultum crimen aut etiam circa aliquod negotium lege secreti ob-

stringar aliqua de causa. De Secreto Busembaum in tractatu *de Peccatis* cap. 3. d. 2. ubi de avaritia.

Quintuplex distinguitur ratio secreti (Lugo disp. 14. n. 135.).

1° Quatenus opponitur publico: qua ratione illud, quod casu cognovi, non possum absque causa publicare, quandiu non est publicum, cum detrimento alienae famae.

« Nemo tamen, inquit s. Alphonsus lib. 3. n. 570., tenetur illud servare cum periculo mortis aut gravis damni », ut superius diximus, nisi damnum ex revelatione timendum me obliget ad damnum illud subeundum, v. gr. si res publica periclitaretur.

2° Quando per iniuriam aliquid occultum cognovi: quo casu strictius obligor, prouti iam vidimus.

3° Quando agitur de secreto sub sigillo confessionis, de quo nihil attinet nunc dicere; quia quaestio fieri non potest, an unquam liceat illud prodere.

4° Quando promisi, secretum tenere; quod contingere potest, quando casu illud cognovi et, exigente alio, promitto secretum: tunc teneor ratione promissionis; item si quis narravit sine secreto et dein secretum postulat.

Hoc tamen obligat vel graviter vel leviter iuxta intentionem promittentis, ut habet Ligorius n. 970.

Quod ut clare explicetur, nota, hanc promissionem posse obligare ex sola fidelitate vel etiam ex iustitia.

Obligatio autem ex iustitia tripliciter esse potest: 1° quando non est mere promissum, sed etiam *commissum*, quando scilicet rem ab alio accepisti cum explicita vel tacita conditione secreti (de quo infra): 2° quando res ipsa ex sua natura talis est ut absque iniuria, ob laesionem scilicet famae alienae, non posses eam manifestare, etiam absente promissione secreti: 3° quando habueris animum, quod promissio tua te graviter obligaret. In dubio autem in foro conscientiae standum seu credendum est ipsi promittenti. Si hic neget, se habuisse animum se graviter obligandi, promissio non erit gravis ex iustitia, sed levis ex mera fidelitate vel urbanitate. Si vero dubium id ipsi promittenti sit, utendum est coniecturis ex circumstantiis *rei*, *materiae*, *personae*, et similibus.

Effectus autem huius promissionis, sive haec ex iustitia obliget, quia grave vinculum voluisti tibi imponere, sive leviter, quia tantum ex fidelitate voluisti te obligare, effectus (inquam) est, ut te obliget ad servandum secretum in illis etiam casibus, in quibus alias licite tacere poteras, *sed non tenebaris tacere:* potuisti scilicet spondere id quod licitum tibi alioquin erat. At te non obligat, neque obligare

potest ad servandum secretum in illis casibus, in quibus tenearis rem manifestare. Ergo etiamsi promiseris secretum v. gr. de delicto, teneris illud manifestare, quando legitime interrogeris a iudice vel a superiore; non enim quis potest se obligare ad id, quod est illicitum: obligaris tamen, ut sponte non accuses aut denunties, quando alias tibi id licebat, sed ad id non tenebaris. Lugo disp. 14. n. 139.-141.

1085. 5° Denique quando secretum est commissum. Commissum autem dicitur quando rem non aliunde scio; sed aliquis mihi aperit et ego secretum ab eo accipio cum expressa vel tacita obligatione ac promissione, ne utar ea notitia nisi ex consensu ipsius et quatenus ipsi placeat. Et haec quidem promissio praecedit tacite vel expresse. Praecedit quidem *expresse,* si tibi dicitur res sub secreto et eam ita accipis nec protestaris expresse, te nolle notitiam accipere cum tanta obligatione. *Tacita* praecedit promissio, quando ex circumstantiis constat, rem tibi secreto committi et te sic illam accipere. Hoc modo obligantur *medici*, *advocati*, *chirurgi*, *obstetrices* et alii similes, ad quos pro remedio *et consilio* recurritur, sicut etiam theologi consulti circa casus aliquos conscientiae: qui omnes ex officio tenentur secretum servare et tacite illud promittunt ratione sui muneris. Lugo disp. 14. n. 135.

Quando autem hoc pacto *commissum* est secretum, gravius obligat et quidem nec teneris nec potes illud revelare in iis etiam casibus in quibus alias tenereris, v. gr. si interrogareris a iudice vel superiore. Notitia enim quam habes, ex se ita limitata et taliter a te accepta, ut non sit utilis ad eius manifestationem, sed perinde sit, ac si eam non haberes. Lugo n. 141. disp. 14.

Quadruplex tamen est casus, ita s. Alph. n. 971., quo commissum secretum *manifestari potest sine gravi peccato.*

1° Ex praesumpto consensu committentis.

2° Ex parvitate rei commissae sub secreto, vel si aliunde sit cognita vel publicata, aut ratio cessaverit, cur secreto servanda foret. Licet insuper res sit gravis, fieri tamen potest, ut aut non tanti referat, eam secreto servari, aut saltem non adeo referat, quod ab uno vel altero viro prudenti sciatur, quando hi rem secretam servaturi sunt. Quo tamen in casu non revelanda persona, quae *secretum commisit.* Ligor. ibid. Lugo disp. 14. n. 147.

3° *Veniale* erit peccatum, si reveletur secretum ex inadvertentia seu indeliberatione, sive etiam ex persuasione, sive vera sive falsa, quod res non sit gravis. Sanchez et Salmantic. apud Ligor. l. c. ut excusent a mortali, postulant, ut revelator *certo credat* rem non esse gravem. At uti patet, cum agatur de actu interno, qui oculos homi-

num fugit ac difficillimum sit non raro eius indolem probe nosse ipsi agenti, satis esse debet, si de hoc iudicemus iuxta regulas generales circa actus humanos.

4° *Denique excusatur* a servando secreto, si iusta accedat revelationis causa, nempe si servare secretum verteret in damnum commune, vel alterius innocentis, vel etiam ipsius committentis aut etiam illius grave damnum, cui commissum est secretum.

1086. Verum hanc postremam regulam minus clare proponit s. Alphonsus generatim dicens, licere etiam, quando damnum imminet innocenti: at periculum magnum est hallucinationis. Ita si proponam hunc casum: Titius ratione petendi consilii sub secreto revelat Caio se occidisse Sempronium; Caius interim videt, Iulium morte damnatum quasi reum illius homicidii. Potestne aut debet revelare secretum ut innocentem Iulium liberet? Ex doctrina s. Alphonsi responderes affirmative. Et tamen falsum id est.

Melius ergo sic illam conditionem proponit Lugo disp. 14. n. 142. Postquam enim dixit, generatim te uti non posse secreto commisso, veluti si rem non scires, subdit: « Quod tamen intelligi debet cum moderatione posita et explicata superius, ubi diximus, secretum etiam commissum non habere locum in iis casibus, in quibus ipse, qui secretum commisit, iniuste vexat Rempublicam, vel alium innocentem, nec vult ab iniuria desistere. Tunc enim quantum opus fuerit ad iniuriam evertendam, poteris secretum commissum revelare, etiamsi promisisses et obligasses te ad sustinendam mortem et quaelibet alia mala pro custodia secreti ».

Ex quibus patet, ea tunc solum valere, quando agitur de damno adhuc inferendo.

Quando vero agatur de crimine iam commisso, sic exacte Laymann lib. 3. tr. 3. cap. 5. n. 2. « Iustae causae secretum revelandi sunt: Prima si cedat in Reipublicae detrimentum... Nam ex ordine caritatis quisque obligatus est ad liberandum innocentem ab iniuria nocentis etiam cum aliquo nocentis damno, si innocens alia ratione salvari non possit. Loquor autem de crimine *pernicioso ac pendente in futurum.* Si enim crimen omnino transactum sit, non debes illud prodere. Veluti si Titius homicida lateat et pro eo Caius innocens in quaestionem adductus et occidendus sit, non oportet Caii liberandi gratia prodere Titium, qui crimen occultum commiserat, sicut resolvit Molina tr. 4. disp. 5. Quandoquidem nec ipse Titius, qui secretum tibi commisit, se cum aequali periculo suo prodere tenetur ad impediendam mortem Caii, cuius causam non praebuit, nisi indirecte ac per accidens... Si tamen Titius fuga sibi consulere posset, tum deberet,

prodito suo facinore, etiam cum famae aliquali iactura liberare Caium. Sin ille id facere recuset, licebit tibi, eo de fuga monito, revelare secretum Caii liberandi gratia ».

Ex quibus generalis doctrina statuitur, me ad secretum commissum teneri, quandiu reus licite illud servare potest et idcirco ius habet ut servem ipse; si enim hoc ius ille habet, ipse invitus rationabilis est quod prodat alter, qui ex iure naturae non potest sine eius rationabili consensu secreto uti.

1087. Subnectere heic quoque libet quae A. alibi l. c. tractat de violatione secreti litterarum; ut absolvamus dicta n. 1083. Qua de re haec tenenda sunt.

1° Licet identidem aliorum litteras aperire. Sane id licet superioribus religiosis ex regula; quocirca cuiusque ordinis religiosi regula eiusque optima interpres consuetudo inspicienda erit. Sic enim Ferraris v. *Litterae* n. 10.: « Superiores regulares licite possunt aperire et legere litteras suorum subditorum, ubi id mandant seu permittunt propriae constitutiones, vel legitima consuetudine introductum est pro bono publico religionis: dummodo tamen eas non aperiant et legant ex mera curiositate aut privata passione et malitia, quae pacem et fraternam caritatem potius violaret. Unde in his debent Superiores, depositis privatis passionibus, caute procedere, maxime cum similes constitutiones et consuetudines iam fere in omnibus religionibus abierint in desuetudinem et passim religiosi subditi scribant et accipiant litteras, sine scientia et licentia superiorum (quod in nostra Societate prorsus inauditum) ».

Certe imprudenter se gereret Superior, aperiens litteras, in quibus merito suspicatur haberi secreta, quae scriptor iure nollet alteri manifesta fieri e. g. conscientiae secreta continerentur.

Excipiendum est quoque commercium epistolare cum superioribus mediatis. Qua de re rursus Ferraris ibid. n. 9. « Litteras a superioribus ad inferiores et ab inferioribus ad superiores missas aperire, legere, impedire aut retardare est peccatum grave; quia per hoc impeditur maxime bonum regimen religionis et fraterna caritas inter religiosos. Unde inter casus reservabiles a superioribus regularibus Clemens VIII. in suo decreto edito 26. Maii 1593. designavit: malitiosum impedimentum aut retardatio aut aperitio litterarum a superioribus ad inferiores et ab inferioribus ad superiores. Et talis casus fere in omnibus religionibus solet reservari ».

Licet quoque auctoritati publicae litteras aperire, si probabilis est opinio damni praecavendi. Quod licere quoque privato dicendum est, sive ad praecavendum suum iniustum damnum sive alterius. Cf. praeterea dicta n. 1083.

Si consensus scriptoris expressus vel interpretativus adest, nulla est difficultas quod possint alienae litterae aperiri.

1088. 2° Qui sine causa iusta aperit et legit litteras alterius, existimans non contineri res magni momenti, peccat peccato curiositatis et contra iustitiam, sed tantum venialiter, auctore Lugo disp. 14. n. 148. Advertit tamen s. Alphonsus l. 5. n. 70. graviter posse peccari, contra caritatem scilicet, si noverit gravem tristitiam ex ea re esse passurum et valde aegre laturum.

Ceterum mortaliter peccat per se loquendo, qui litteras sigillatas aperiat et legat vel etiam si apertas inveniat in loco tamen clauso vel privato, ut satis constet eas esse adhuc sub dominio scriptoris nec aliis facultatem legendi facere. Peccatum per se est contra iustitiam; quia quilibet ius habet sua secreta servandi. Cf. Lugo l. c.

3° Qui vero litteras a domino laceratas et in publicum locum abiectas collectis et compositis fragmentis legat, concedunt Lugo l. c. n. 150. et Laymann lib. 3. tr. 3. p. 1. c. 4. n. 4. non peccare contra iustitiam; quia ea proiectione in locum publicum dominus cuilibet iure suo cessit.

S. Alph. tamen l. 5. n. 70. probabilius censet, quod ait Croix, hanc lacerationem habendam esse ceu indicium, quod qui ita laceravit, noluit legi ab aliis ac iuri suo cedere. At potest ne impedire ne alius re in locum publicum proiecta utatur prout ipsi lubet? Merito ergo Lugo cum aliis videt in hac proiectione cessionem iuris. Dilaceratio autem eo spectat ut difficillima reddatur lectio, sed non est indicium retenti iuris, cui ceditur ipsa proiectione: quod si talis voluntas in proiiciente manet, cum ei actus contrarius obsistat, non est cur de ipsa ratio habeatur. Cur non proiecit in ignem?

Monet tamen Lugo ibid. n. 151. ex Laymann, quod si ex fragmentis collectis aliquid noscas cuius manifestatio redundaret in damnum eius qui litteras proiecit, teneris ex caritate secretum servare et obligatio esse potest gravis iuxta mensuram damni.

4° Item si quis auferat et legat scripta secreta alterius, peccat contra iustitiam et peccatum grave esse potest, si damnum inde grave oriatur domino. Peccat etiam contra caritatem, si tristitiae causa alteri exsistit.

XIII. 6. Hinc quoque, si quis iniuste laedit famam tuam, nec potes eam tueri nec recuperare alia via, quam imminuendo quoque famam illius, id licet, dummodo falsa non dicas, * hoc enim prohibetur ab Innoc. XI. in Proposit. 44. inter damnatas *, in tantum quantum ad tuam famam conservandam necesse est, nec magis laedas, quam laedaris, collata tua et alterius persona. Vide Card. de Lugo n. 50.

1089. Addit s. Alph. n. 972.: secus tamen, si res agatur in iudicio et tu nullo modo possis probare illius crimen; quia huiusmodi infa-

matio nihil te iuvat. Atque heic recolenda prop. 44. proscripta ab Innocentio XI. « Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam iustitiam et honorem defendat ». Istud est, quod ait A., « dummodo falsa non dicas »; id enim est intrinsece malum. « Imponere falsum crimen grave etiam apud unum solum, semper est peccatum mortale, in omnium sententia », ait Lugo disp. 14. n. 12.

XIV. 7. Si quis solatii tantum causa et non intentione detrahendi, alicui amico narret iniuriam ab alio sibi factam, non videtur esse mortale, etsi inde aliqua infamia proveniat auctori: ea enim ipsi imputanda est. Cavendum tamen, ne dicatur pluribus, vel apertius nominetur persona, quam necesse sit ad consilium vel solatium. Less. Lay. Tann. 2. 2. q. 8. d. 7. d. 4. Card. Lugo d. 14. Et sic excusari posse famulos (saltem a mortali) qui iniurias sibi ab heris suis, uxores, quae a maritis, filios, qui a patre, Religiosos, qui a Praelato illatas, doloris tantum mitigandi causa, referunt, docet Trull. l. 7. c. 10. d. 11. ex Less. Laym. Tann. Nav. Dian. p. 2. r. 39. Idem putat Caiet. dicendum, si crimen occultum reveles uni alicui viro prudenti et taciturno, cui dicere perinde sit, ac si nulli diceretur; eo quod damnum illud censeatur leve. Et sic Trull. l. 7. c. 10. d. 11. cum Dian. p. 1. t. 3. mis. r. 22. et p. 2. t. 5. m.'r. 33. excusant poenitentem, qui in confessione manifestat complicem dicuntque cum Tanner. Bon. Escob. E. 9. eam sententiam esse probabilem. Verum hoc universim non videtur satis tutum; quia laesio famae apud unam etiam personam censetur gravis, ut patet ex iudicio temerario: imo saepe quidam aegrius ferunt, se laedi apud unam personam gravem, quam tres vel quatuor alias. Unde Suar. Fill. Less. Azor Et Laym. putant communiter esse mortale. V. C. Lugo l. c.

1090. De ultimo inciso s. Alph. n. 973. ait: « Opposita sententia, scil. quod revelare crimen uni vel alteri viro probo non sit mortale, satis est probabilis « et plures DD. allegat. Ratio, quia in communi aestimatione hominum non censetur absolute diffamatus, qui apud unum vel alterum (probum et prudentem, qui in lapsu alterius non stupet, sciens humanam infirmitatem et proinde non minus bene de eo cogitat) suam famam amiserit ».

Sed nonne istud pariter valet, si apud unum solum imponat quis alteri falsum crimen grave?

Ratio discriminis esse potest (ait Lugo l. c. loquens e sententia eorum, qui in his discrimen admittunt, cui tamen sententiae ipse non subscribit), quia licet eadem sit fama quae in utroque casu (detractionis et calumniae) amittitur; minor est tamen iniuria, illam famam auferre, quando verum ipsius fundamentum desit, quam quando adsit. Haec tamen non est ratio a s. Alph. allata, quae per se vim habet in utroque casu.

In hanc rem affert s. Alphonsus l. c. haec verba s. Thomae *Quodlib*. 11. art. 13. ad 3.: « Si aliquis referat praelato culpam proximi, intendens vel cautelam in futurum, vel aliquid eiusmodi, quod ad

emendam proximi videret expedire, non peccat. Si autem hoc sive praelato sive alicui amico suo ex malitia referat, tunc peccat mortaliter. Quod si ex incautela alicui dixerit hoc, ita tamen quod non proveniat inde aliud, vel infamia vel vituperium proximo delinquenti, tunc non peccat mortaliter, licet incaute agat ». Quibus postremis verbis s. Alphonsus hoc subiicit commentarium: « Nec dicas, verbum illud, *ex incautela,* intelligi pro inadvertentia; ex hac enim nunquam peccatur mortaliter: sed omnino intelligitur imprudentia sive levitas animi, quae tantum est venialis et tunc tantum erit mortalis, cum ex ea inde provenit delinquenti infamia aut vituperium ». Verum eiusmodi commentarium est paulo obscurum.

Profecto ut suus verbis s. Thomae sensus tribuatur, duplex statui potest hypothesis: prima est, quod qui crimen revelat, noscat, nullum aliud damnum inde eventurum; tamen rationabilem causam non habeat revelandi crimen et tunc locum habet, quod s. Alphonsus dicit, peccari venialiter levitate animi, unde diffamatio sequitur probabiliter levis. Alia hypothesis est, quod qui crimen revelat, non habeat prae oculis damnum proximi, quod sequi inde potest; et tunc quid a mortali culpa potest illum excusare, nisi inadvertentia? Etenim palam est, non posse nos s. Thomae eiusmodi sensum affingere, ut venialis vel mortalis diiudicetur detractio tantum ex eventu, de quo revelans crimen nihil cogitaverit. Sic itaque intelligenda sunt etiam s. Alphonsi verba.

Pergit s. Alph.: nec obstat paritas iudicii temerarii; quia in hoc occurrit specialis iniuria, imputatio nempe falsi criminis.

Nihilominus, quoniam calumnia et detractio simplex specie non differunt n. 1073. et peccatum utriusque in eo est quod fama alterius laedatur; aegre intelligitur, iudicium temerarium mente retentum in re gravi esse grave peccatum et revelationem occulti gravis criminis uni aut alteri factam esse leve peccatum.

1091. * Lugo, ut iam innuimus n. 1060. censet, manifestationem gravis peccati occulti factam vel uni soli grave esse peccatum, quam sententiam vocat communem (etsi pro contraria citet Caietanum, Petrum Navarra, Corduba, Sà, Graffis et Diana dicentem eam probabilem) et veram per se loquendo. Ratio est; quia nocumentum hoc non est leve. Hoc autem demonstratur, quia contumelia gravis alicui etiam remotis arbitris est grave peccatum, licet eius honorem laedas tantum apud te: atqui non minor est obligatio servandae famae, quam honoris; ergo laedere etiam famam apud unum solum potest esse detractio gravis.

Rursus, mallet saepe aliquis suum delictum revelari decem homi-

nibus, quam uni, cui peculiariter desiderat probari; ergo hoc non est leve sed grave nocumentum. Aliud argumentum cf. ibid.

Idcirco Lugo sibi coaherens et iudicium temerarium in re gravi et detractionem aut calumniam gravem vel apud unum censet esse peccata gravia. At si verum est, in communi aestimatione non censeri diffamatum qui apud unum vel alterum famam amiserit, nescio cur peccatum grave sit iudicium temerarium, per quod apud unum fama amittitur, utique imputatione falsi criminis: sed tandem calumnia et detractio specie non differunt. *

XV. 8. Crimen simpliciter publicum, sive sit notorium iure sive facto, manifestare iis, qui nesciunt, non est peccatum mortale iniustitiae; quia hoc ipso auctor amisit ius ad famam, cum ratio iusti iudicii et evidentia facti faciat, ne de iniuria iuste queri possit. Quod confirmat consuetudo, mandans historiae publica crimina.

Dixi: *non est mortale iniustitiae;* quia detegere eo loco, qua fama non erat perlatura vel nonnisi post longum tempus, vel aliter cum gravi moerore eius, qui commisit, saepe potest esse mortale contra caritatem, ut Less. Val. Tol. l. 5. c. 65. contra Nav. et Caiet. V. C. Lug. d. 19. Fagund. p. 2. l. 5. c. 3.

1092. * Notarietas *iuris* oritur a publica sententia iudicis definitiva, *facti* ex ipso facto hominum, qui rem sciunt. Cf. Pirhing. l. 3. t. 2. §. 5. Quaerunt DD. quandonam publicum censendum sit factum. De hac re s. Alph. n. 975. ait: « Sufficere ex sententia DD., si in communitate 8. personarum sciant 4., in communitate 100. personarum sciant 15., in communitate 1000. sciant 20. circiter diversarum familiarum plusquam duarum. Publicum autem esse in aliqua vicinia 40. personarum, si sciant 8. ex diversis familiis, item si in oppido 5000. civium sciant 40. per illud dispersi. Addunt crimen dici famosum, si illius fama pervagatur per maiorem partem oppidi, communitatis, viciniae vel parochiae. Item dici infamatum in regno, qui iam infamatus est in curia vel alio illustri loco, ex quo facile in regnum fama dimanet ». Has regulas tradit et Molina Tr. 4. disp. 31., qui tamen fatetur videri sibi eas aliquantulum strictas minusque fortasse sufficere ad facti publicitatem atque adeo concludit, ut refert Lugo disp. cit. n. 70. non improbans, quando res ita limites secreti et occulti egreditur, ut attenta qualitate communitatis, conditione hominum, prudentis arbitrio, moraliter res sit ulterius diffundenda, iam respectu illius communitatis rem censendam esse publicam et famam in ea communitate amissam esse. Huc redit quod communiter dicitur; adesse notorietatem facti, quando notitia rei sit apud tot de communitate, ut non possit, prudentis arbitrio, ulla tergiversatione celari aut negari.

1093. Quoad casum, quem ponit ultimo loco A., cum nempe crimen in aliquo loco publicum manifestatur in alio loco, quo eius notitia

nondum pervenit nec perventura erit intra breve tempus, s. Alph. n. 974., allata sententia eorum, qui putant peccari graviter contra iustitiam, ut Antoine, Collet etc., tum eorum, qui cum Busembaum negant peccari contra iustitiam et solum dicunt peccari contra caritatem etiam graviter, tertiam refert sententiam, quam docet Lugo disp. cit. nn. 59. 68., (praecesserat s. Antoninus et plures alii secuti sunt) et s. Alph. vocat communiorem. Hi tenent neque peccari contra iustitiam neque contra caritatem.

Et quando agitur de notorietate iuris, ratio non est difficilis. Cur enim iudices publice promulgant crimen cum irrogata poena? Ad exemplum nempe et terrorem aliorum atque infamiam rei: neque sane infamia, inhaerens ipsi publicationi sententiae, est inter minimas poenas, quas subit reus. Vi iuris proinde reus amittit ius ad famam. Non agitur ergo contra iustitiam, si cives eius rei crimen manifestant aliis quibuslibet, cum dedecore eius famae, cuius iure privatus est. Neque agitur per se contra caritatem: quia ad publicum bonum conducit etiam eorum, qui longe sunt, quibuscum tamen communicatio quaedam exsistit aut exsistere moraliter potest, facinorosos non ignorari, ut quilibet ab eis caveri possit: publicum autem bonum praeferendum est privato. Si vero tam alieni sint exteri, ut etiamsi eum, cuius crimen refers, nomine suo designes, nullam de eo notitiam sint illi assecuturi, perinde ac si de homine prorsus ignoto aut ficto loquereris, desinet ex alia causa peccatum; quia scilicet reapse nulla iniuria fit, cum nullum damnum inferatur.

Si autem sit notorietas facti, non esse contra iustitiam evulgationem criminis, quam diximus, probat Lugo l. c. n. 61., quia ad bonum commune non parum conducit, quod de iis publicis rebus loqui possint homines, ut ad notitiam veniant aliorum, nimirum ut absque errore unusquisque cognoscatur qualis est et singuli pro meritis honorentur, quae communis utilitas praeponderat damno, quod privato obvenire potest. Id sane habet communis hominum sensus, ut de rebus publicis liceat cuique cum quolibet loqui. Porro ex hoc sequitur, privatum, qui reus est criminis iam publice noti, ius amisisse ad famam ea in re, ideoque nullam esse iniustitiam, illud crimen aliis exteris revelare.

Sequitur praeterea neque id esse saltem graviter contra caritatem; non enim est contra caritatem id, quod etsi si contra bonum alicuius privati, ad bonum tamen publicum conducit.

Haec tamen non valent nisi res sit vel notorietate iuris vel facti simpliciter publica. Si vero crimen sit publicum solummodo in aliqua imperfecta societate, e. g. in capitulo, in monasterio, in religione, non

licet crimina ibi nota prodere extra, cum infamia communitatis. Hoc enim ens morale, pars societatis, ius habet, non secus ac alia persona aut familia, ad retinendas res suas apud se secretas et ad conservandam suam famam in societate; cuius ius laeditur ea intempestiva evulgatione. Cf. Lugo l. c. n. 83.

1094. Quaeritur an si temporis fluxu obliterata sit memoria alicuius criminis olim notorii, liceat illud ad lucem revocare. Distinguendum est. Si fuerat notorietas iuris, conceditur; quia semper viget vis sententiae olim latae. Si fuerat tantum facti, negat Lugo l. c. n. 85. cum Molina; quia per oblivionem res revocatur ad statum, quo erat ante notorietatem ideoque ius ad famam reviviscit. Nec perinde se habet distantia loci et distantia temporis; nam quoad illam, etsi in aliquo loco res non sit nota, est tamen tunc temporis vere publica, ut idcirco ius habeant homines de ea publice loquendi: at cum memoria criminis est deleta, res non est amplius publica, cessat ergo ius eam revelandi.

Nihilominus si utilitas communis postularet ut criminum lapsu temporis ignotorum memoria restitueretur, id permittendum esset; quod non raro valet in historicis. Cf. resol. 13. *

XVI. 9. Similiter non est peccatum contra iustitiam, saltem mortale quaerere causam captivitatis alicuius vel de ea loqui; sicut enim captivitas est publica, sic etiam causa videtur esse facta publica. Sayr. Bon. Trull. l. 7. c. 10. d. 11. Ubi eodem modo excusat eum, qui refert delictum alicuius publicum, referendo simul poenitentiam et emendationem; secus, si taceatur poenitentia, quam fecit: et sic ait peccare historiographos, describendo peccata mortuorum publica et non referendo poenitentiam vel emendationem, si resipuerint.

XVII. 10. Similiter manifestare crimen, quod nondum est publicum, moraliter tamen certum est, brevi fore publicum (sive per facti evidentiam, sive per sententiam iudicis) non est mortale; quia parum nocet, nisi tamen ex ista anticipatione sequerentur gravia damna, v. gr. in officio etc. Card. Lugo l. c. n. 92.

Non egent declaratione.

XVIII. 11. Infamem in uno crimine de altero valde affini infamare, est tantum veniale: ut v. gr. si de adultero dicas, quod miserit litteras amatorias; quia tunc non notabiliter augetur infamia. De disparato tamen et non connexo crimine infamare, est mortale; quia infamis in uno genere vitii non amisit ius famae in aliis virtutibus. Tan. d. 4. *de iust.* q. 8. d. 7. nn. 141. ex Nav. et Less. contra Sylv. v. *detractio*. Palud. etc.

1095. Addit exempla s. Alph.: si de publico fure dicas, esse periurum, de famulo lusore, omisisse Missam, de milite, esse fornicatum (saltem si iam constet cum non esse alienum ab affinibus moribus militum) vel duellum patrasse.

In secunda parte, quae agit de manifestatione criminis non connexi cum aliis iam notis, ratio A. valet, sive censeas variari species detractionis pro varietate materiae, sive neges.

XIX. 12. Detractio materialis ex loquacitate orta est mortalis, si gravem proximi laesionem importet eaque advertatur; quia etsi non intendatur directe laesio alterius, ea tamen indirecte et implicite est volita et aequivalet formali. Veniale autem tantum erit, si non sequatur laesio gravis; quia scilicet communiter non serio accipitur nec creditur. Similiter erit veniale tantum, audita referre, ut audita tantum, hoc est, nihil affirmando de rei veritate, sed dubitationem potius suam de ea significando, ita ut nulla inde secutura putetur infamia nec auditores rationabiliter sint credituri. Ita contra Azor n. 3. l. 13. c. 6. docet Tanner. 2. 2. d. 4. q. 8. dub. 7. n. 121. Esc. E. 10. c. 4. n. 40.; eo quod diffamatio, si forte sequatur, imputetur audienti, si credat. Idem docet C. de Lugo l. c. recte limitans, nisi grave damnum ex modo narrandi vel ex levitate audientium (qui temere credituri sint et vulgaturi) secuturum possis praevidere. Hinc peccas graviter contra iustitiam, si referens grave crimen addas, id tibi dictum esse a viro fide digno; quia praebes sufficiens fundamentum credendi. V. Dian. t. 5. m. r. 18.

1096. * Detractio *materialis* ea est, de qua loquutus est s. Thomas n. 39.: ea scilicet, quae non profertur quidem ex intentione detrahendi famae proximi, attamen cum praevisione laesionis famae esse potest.

Quod spectat ad eos, qui audita referunt significantes se audita referre, ita ut nihil de re in se ipsa affirment, sed imo dubitationem suam prodant (quae duo practice nectuntur), haec docet Lugo, quem A. citat. Doctrina asserens eos non peccare graviter, duplici limitatione eget. Nam 1° fieri potest ut talis relatio, fidei alterius innixa, si is sit vir fide dignus, etsi tu dicas te dubitare, satis sit ad grave detrimentum famae proximi inferendum, aut quamvis testimonium, quod refers, non sit idoneum ad veram credulitatem gignendam, sufficiat tamen ad gignendam suspicionem, quae in aliqua materia iam grave detrimentum inducat famae proximi. Porro si res ita se habet, peccas graviter contra iustitiam, qui hoc pacto audita refers; es enim iniusta causa damni gravis. Cf. s. Alph. n. 977.

2° Quamvis id, quod refers, non sit ex se aptum ad grave proximi detrimentum pariendum, si tamen ex levitate vel malevolentia auditorum damnum sit secuturum; quia rem credent vel divulgabunt absque dubitatione, quam ostendisti idque tu praevidisti futurum; non peccas quidem contra iustitiam, quia non es vera causa damni, sed peccas contra caritatem, quae exigit ut vitetur damnum proximi, si commode fieri potest. *

XX. 13. Mortuum infamare, minus grave est, quam vivum: mortale tamen et ad restitutionem obligans. Les. l. 2. c. 11. d. 21. Bonac. d. 1. q. 3. p. 2.

1097. * Certum est mortuos habere adhuc ius ad famam, quo antea gaudebant. Adhuc enim vivunt secundum animam, quae est subiectum iuris; bonum autem nomen apud posteros praemium est quod homines viventes suis operibus comparare sibi student. Per se ergo non licet laedere famam mortuorum idque valet, sive ii recentiores sint sive antiquiores.

Quod si alicuius personae mortuae coniuncti adhuc vivant ideoque infamia mortui in eius familiam eiusve posteros redundet, manifestum est aggravari peccatum, propter iniuriam, quae viventibus quoque fit.

Veruntamen quaestio moveri solet quoad historicos, an illis aliquid plus liceat quam ceteris. DD., ait Lugo disp. cit. n. 87., communiter aliquam maiorem concedunt licentiam quoad hoc historiae scriptoribus, quam aliis. Ratio est, quia talis narratio criminum veterum, verorum utique sed nunc a notitia publica subductorum, utilitati publicae conducere potest, puta ad excitandam abominationem criminum aut terrorem incutiendum vel ad commovendos principes ad eorum punitionem, ostensis damnis inde secutis; quamvis prudentia adhibenda sit et videndum, an haec utilitas lectorum praeponderet damno et infamiae, quam forte subitura sit prosapia illius, cuius crimina narrantur.

Advertit Lugo n. 88., quod si res bene consideretur, id quod intra hos limites conceditur historiae scriptoribus reapse et pro aliis valet, quibus propter easdem rationes licet ob bonum commune transmittere ad loca remota notitiam criminis, quod hac in urbe publicum est, ut apud alios terrori et exemplo sit.

Sed forte alia ratio pro historicis occurrit. Contingit enim, saltem frequenter, quod crimen aliquod vetustum, ex documentis modo detectum, conducat ad explicanda plura facta, ad reddendam rationem eorum, quae hactenus minus credibilia videbantur sicque eorum manifestatio conferat ad plenitudinem historiae, quae non sola narratione factorum sed ipsorum quoque causarum expositione continetur. Iam vero plenitudo historiae est quoddam commune bonum, quod homines generatim magni faciunt, dum praesertim studia historica florent et sunt in honore. Profecto ea cautela superius memorata adhibenda semper est, ne maius sit damnum, quod viventibus forte infertur, quam bonum illud publicum quod speratur; quae tamen regula solum in historiis recentioris aetatis locum habebit. Haec tamen regula ampliari potest: cavendum est scilicet etiam, ne revelatione criminis occulti, alicui ordini sociali, puta sacerdotali, Episcoporum, Romanorum Pontificum ita detrahatur, ut maius sit scandalum futurum, quam bonum consecuturum.

Si haec caveantur, puto non esse inquietandos historicos, qui ex amore veritatis ducti, ut plenam rerum historiam repraesentent, ea omnia, sive bona sive mala referunt, quae ex monumentis conquisitis hauserunt. Praeterea, cum nostra aetate archivia etiam secretiora omnibus studiosis facile pateant, dubitari potest an dici debeant occulta crimina, quae in iis vetustis chartis continentur.

1098. An ex iustitia teneamur non laedere famam defuncti damnati (quis id certo novit ?), disputat Lugo nn. 46.-47. aitque sibi nunquam

placuisse sententiam negantem, quam tuetur Molina ab eo citatus. Probat Lugo, quia homo etiam damnatus manet noster proximus secundum naturam: non ergo sunt ei neganda quae ut homini debentur. *

XXI. 14. Non esse mortale de aliquo ignoto vel indeterminato male loqui, v. gr. in tali loco esse multos improbos, in tali Collegio unum Canonicum commisisse grave crimen, v. gr. simoniam, docet Escob. E. 10. c. 4. Fagund. quod. Trull. l. 7. c. 10. d. 4. ex Bonac. Azor, etc. limitat, si non sit tale, quod in alios redundet.

Cf. dicenda sub Resol. 16.

XXII. 15. Gravissime autem peccant, qui Ordini, seu statui alicui Religiosorum in communi, vel Monasterio detrahunt, dicendo v. gr. quod in eo male vivatur, non servetur observantia regularis etc. nisi id sit plane notorium; quia gravissime nocent tenenturque sub mortali ad restitutionem toti communitati, a qua Superioris remissio non excusat. Sot. Nav. Trul. c. 10. d. 14. Talem autem sufficienter confiteri, si dicat: detraxi cuidam Religioni, Ordini vel Monasterio etc. sive sit Communitas numerosa sive non, docet Lug. et Tamb. *de Exped. conf.* l. 2. c. 1.

Clara est. Quod spectet ad ultimam partem cf. dicta alibi *de Peccatis* n. 635. Quoad primam partem cf. dicenda Tr. X. *de Poenit.* sub §. CLVI.

XXIII. 16. Similiter mortale est, tacita persona, nominare Monasterium vel Ordinem religiosum, ex quo aliquis grave peccatum occultum, v. gr. adulterii, vel fornicationis commiserit. Nav. Trull. c. 10. d. 14.

1099. * Non video cohaerentiam quoad Canonicos et Monasterium, de quibus A. dispari ratione iudicat (cf. resol. 14.). Escobar heic allegatus *de* 8. *Praecepto* c. 2. n. 19. rationem disparitatis inter Monasterium et oppidum affert, quod personae cuiusvis oppidi non tantam profiteantur perfectionem ac religiosi. Nec profecto mirum, si in aliquo oppido improbi quidam sint. An vero Canonicorum Collegium comparari potius debeat oppido, ut facit A., quam Monasterio, dubitare licet idque saltem erit ex circumstantiis decernendum, iuxta famam, qua gaudeat. *

XXIV. 17. Explicandum est in confessione, an apud multos et quot circiter, an vero apud unum tantum alicui detraxeris. Ita probabiliter Bon. *de Sacr.* d. 5. q. 5. d. 2. §. 3. diff. 3. n. 16. et 21. ex Sanchez, Sylv. Andr. n. 135. Sed C. Lugo d. 16. n. 135. 140. et 163. ex Nav. Salas, Con. etc. negat dicitque contrarium esse probabilius. Nec omittendum, si quem infamaveris libello famoso: cum id sit genus detrahendi gravissimum et ad plurimos pertinens. Non tamen necessario dicendum, in quo genere infamaveris: quia fama semper est eiusdem speciei in genere moris. Card. Lugo d. 16. n. 265.

Quod A. ab initio tradit, de eo actum est in tr. *de Pecc.*, nn. 641. seqq., ubi contraria sententia magis placuit.

XXV. 18. Peccat mortaliter contra iustitiam et tenetur ad restitutionem, ratione cooperationis is, qui audit detractorem, excitando vel animando efficaciter: qui vero laetatur tantum detractione audita, aut, licet non laetetur, qui non impedit, cum commode possit, peccat pro ratione damni mortaliter, vel venialiter contra caritatem: non tamen

tenetur ad restitutionem, nisi sit superior, pater vel dominus; is enim ex officio tenetur impedire subditum, ne alteri iniuste noceat.

Dixi: *si commode possit;* quia non peccat, qui putat monitionem suam nihil profuturam, vel ex eo magnum incommodum metuit, vel qui rationabili verecundia prohibetur, ob auctoritatem detrahentis. Debet tamen tunc discedere, si commode potest, faciem tristiorem ostendere vel alio sermonem avertere. Less. et Bon. l. c. Hinc aequalis raro, inferior rarissime, tenetur corrigere detractorem. 1. Quia audiens plerumque nescit, an quod dicitur, sit notorium, tametsi ipse ignoraverit, et in dubio non est, cur damnet detractorem: in quo multi falluntur, existimantes, simul ac aliquid audiunt dici contra proximum, id sibi mox refutandum. 2. Quia, coepta detractione, saepe melius consulitur proximo, si sinatur absolvi, quam si abrumpatur. Nam, si distincte explicetur, saepe non tam graviter apprehenditur, quam initio conceptum erat. 3. Quia saepe sine gravi offensione non potes corrigere. 4. Quia saepe alter habet iustam causam manifestandi, praesertim uni soli. C. Lugo l. c. n. 128. V. Dian. t. 3. m. r. 24. et t. 5. m. r. 25.

1100. * « Si (audiens) inducat eum (detrahentem) ad detrahendum vel saltem placeat ei detractio, propter odium eius, cui detrahitur, non minus peccat quam detrahens et quandoque magis »: s. Thomas 2. 2. q. 73. a. 4.

Si vero audiens gaudet non ob detractionem ex odio, sed solum ob auditionem rei novae seu de perceptione curiosa aliorum criminum ideoque ex levitate, vanitate, curiositate, non erit grave peccatum: s. Alph. n. 979.

Quod spectat ad superiorem, qui audit detractionem, peccat certe contra caritatem, si, potens cohibere detrahentem, non cohibet, sive sit superior detrahentis sive eius, cui detrahitur. A. tamen addit quod superior detrahentis peccat etiam contra iustitiam. Verum nequit esse iniustitia haec superioris erga ipsum detrahentem; quia scienti et volenti non fit iniuria: neque erga infamatum, qui non sit eius subditus; quia ad eum nullam habet obligationem iustitiae, ut teneatur consulere bono eius. Si autem qui detractionem audit, sit superior infamati, s. Alph. n. 980. censet, ut forte probabilius, ipsum non teneri ex iustitia impedire, cum potest, detractionem; quia ipsi non incumbit ex iustitia bono temporali subditi attendere. Quid ergo si sit praeses, gubernator? respondebimus ipsum ex iustitia erga suos subditos tunc teneri, cum eius auxilium ex officio imploratur. Verum (quamvis haec reapse sit alia quaestio) superior utriusque, infamantis et infamati, tenetur ex iustitia cogere infamantem ad restitutionem famae, si infamatus imploret eius auctoritatem: dummodo eius auctoritas ad haec se porrigat; ad id enim est constitutus. Ad idem tenetur superior detrahentis solius, si rursus eius auctoritas ad id se porrigat, cum infamatus ad eum recurrat: secus non haberent extranei, ad quem recurrerent contra iniurias privatorum. Cf. Lugo disp. cit. n. 134. *

1101. Si audiens detractionem sit privata persona, s. Alph. n. 981. probat sententiam Salmanticensium, qui censent, dicendum cum communi thomistarum, privatam personam non nisi venialiter peccare, si ex verecundia, timore, vel negligentia detractioni non resistat, etiam cum commode possit ». Ita ex s. Thom. 2. 2. q. 73. art. 4. aiente: « Si vero non placet ei peccatum, sed ex timore vel negligentia vel verecundia quidam omittat repellere detrahentem, peccat quidem sed multo minus, quam detrahens et plerumque venialiter ». Dicit *plerumque*, quia hos casus excipit: 1° si sit superior: 2° si aliud damnum proximo immineret: 3° si ob timorem, ultimum finem in creatura constitueret (sc. ex prava conscientia nolens impedire, etsi putaret se hoc pacto graviter peccare).

* Lugo arguit n. 51. et ut videtur recte, ex sententia, quae negat, grave esse peccatum detractionem apud unum solum factam, illud consequi, quod hic unus qui audit, non teneatur sub gravi, seposita etiam causa verecundiae, timoris etc. impedire, etiamsi possit, detractionem; potes enim servare secretum et ita facere, quod illa non sit gravis infamatio.

Addit s. Alph. aliam doctrinam s. Thomae, quam alibi ait se retulisse et nos retulimus agentes de caritate: scilicet excusari a mortali qui ob timorem omittit facere correctionem, modo ei non constet quod correctio sit profutura. Atqui, ait, in hac materia detractionis difficillime constare potest quod correctio sit profutura, imo timendum est potius, ne augeatur et confirmetur detractio. Qui autem, audientes detractionem, faciem tristem ostendunt aut avertunt vel e loco discedunt, censendi sunt obligationi caritatis satisfecisse; quia hae actiones sunt verae correctiones. *

XXVI. Quaeres 1. An liceat alium infamare ad tormenta gravia vitanda?

Respond. 1. Licet, si crimen sit verum: quia nullam alteri facit iniuriam, cum habeat ius illud in necessitate revelandi.

Respond. 2. Si crimen sit falsum, non licet; quia esset mendacium perniciosum. Sylv. tamen et Nav. putant, veniale tantum esse, si sola infamia sequatur et post torturam revocetur, eo quod non sit infamia efficax. V. infra l. 4. (Tr. IX.) c. 3. d. 7.

De his rursus redit sermo apud A. in tr. *de Praeceptis particularibus* c. 3. dub. 7. de Reo, art. 1. atque ibi cum s. Alph. quaestio tractabitur.

XXVII. Quaeres 2. An liceat seipsum infamare?

Resp. id non esse saltem mortale regulariter. Ita Less. Fill. et Lay. l. 3. t. 3. p. 2. c. 3. n. 14.; quia non est contra iustitiam, cum sit famae suae dominus nec contra caritatem; quia haec non obligat ad bona externa conservanda, nisi in quantum id exigit salus propria, vel proximi.

Dixi: *regulariter;* quia per accidens potest esse mortale, nt v. gr. si tua fama sit necessaria muneri, vel si tibi damnum vitae, vel aliis infamia ex eadem sequeretur.

Unde resolves.

Non est mortale, ad vitanda gravia tormenta, falsum crimen sibi imponere, ex quo etiam mors sequatur; quia non tenetur homo cum tantis cruciatibus vitam suam tueri nec talis dicitur se interficere, sed tantum ex iusta causa vitam morti exponere. Less. et Fill. V. infra *de Praeceptis partic.* c. 3. d. 7.

1102. * « Infamare se ipsum, per se loquendo, nisi adsit alia peculiaris circumstantia, non est peccatum contra iustitiam », ait Lugo l. c. n. 153. qui subdit: « Haec est communis et probatur; quia homo est dominus suae famae, sicut est dominus suae pecuniae: ergo sicut prodigere et proiicere suas facultates non est contra iustitiam, sic neque erit contra iustitiam proiicere suam famam sive id fiat publicando vera sive falsa crimina de se; eiusdem enim ad se ipsum non potest esse vera iustitia vel iniustitia ». Quare et s. Thomas 2. 2. q. 73. a. 4. loquens de eo, cui detractum sit, ait quod « sui arbitrii est detrimentum suae famae pati », supponens scilicet eum dominum esse suae famae.

Imo, pergit idem Lugo n. 154., infamans se sine rationabili causa non peccat graviter per se loquendo, contra caritatem: quae est etiam communis sententia. Quia dilectio sui non obligat ad bona externa procuranda vel retinenda, nisi sint necessaria ad salutem aeternam vel corporalem.

Per accidens in infamatione sui potest grave intervenire peccatum. Omnia revocantur ad eos casus, quos enumerat A. *dixi* etc. De altero in Resol. redibit sermo in cit. Dubio de Reo.

Quae A. Dubio seq. tractat de Restitutione famae, commodius tractabuntur in tr. *de Iure et Iustitia*, ubi *de Restitutione*... Heic ergo sit finis huius tractationis. *

TRACTATUS VII.

DE ECCLESIAE PRAECEPTIS

I. Resp. Etsi ea sint plurima, praecipue tamen toti Christiano populo communia quinque numerantur. Ex quibus hic agendum restat de tertio, quia de 1. et 2. actum est in praecep. 3. Decal., de 4. et 5. infra lib. de Sacram. * Contra porro hoc praeceptum ex solo contemptu peccari, propos. est proscripta ab Alex. VII. Propos. 23.

1103. * Non apud omnes Theologos eadem est distinctio et enumeratio praeceptorum communium Ecclesiae. Summa huc redit: 1° Observatio festorum dierum per abstinentiam ab operibus servilibus et auditionem Missae: 2° Abstinentia a carnibus, diebus vetitis et ieiunium statis temporibus servandum: 3° Confessio semel in anno et communio tempore paschali: 4° Ne nuptiae celebrentur certis temporibus anni: 5° Ut decimae Ecclesiae solvantur. A. hoc postremum praetermisit. Ceterum de 1° iam actum est sub 3° praecepto Decalogi. De 3° et 4° agemus in tr. *de Sacramentis:* de 5° aliquid dicemus in fine. Huc quoque referemus aliud praeceptum circa usum librorum. Oportet ergo ut primo agamus cum A. de lege ieiunii, cui et addi poterit aliquid de abstinentia a carnibus. *

SECTIO I.
DE IEIUNIO.

Dub. I.

Quid requiratur ad ieiunium ecclesiasticum et quanta sit eius obligatio.

II. Resp. Ieiunium ex praecepto Ecclesiae, obligante sub mortali, requirit tres conditiones. Laym. l. 4. t. 8. c. 1. n. 13.

1° Est unica tantum comestio de die in ordine ad nutritionem. Quae ita necessaria est conditio, ut secunda comestione pecces mortaliter; reliquis autem supra secundam, ad summum venialiter tantum. Laym. c. 1. n. 12. et 13.

2° Est abstinentia ab esu carnium itemque ovorum et lacticiniorum; eo quod ex carne originem trahant multumque nutriant. Unde intra Quadragesimam iure communi prohibentur, extra eam permittuntur. Imo intra eam, quibusdam locis consuetudo permittit, quae ubique notanda est. Bon. d. ult. q. 1. p. 2. ex Sylv. Nav. Less. Azor, Laym. l. c. Fill. Fag. p. 4. l. 1. c. 2. Adde, dispensatum quoad carnes etiam lacticiniis et ovis vesci posse, non tamen vice versa et, cui est permissus esus carnium, etiam secunda refectio permissa videtur, ut contra Reg. Less. Nav. etc. probabiliter docet Azor l. 7. c. 10. q. 3. Fill. t. 27. c. 3. q. 4. Tolet. etc. Confirmatque Bon. l. c. si esus carnium sit per-

missus ob debilitatem naturae et non propter nauseam vel damnum tantum. Vide Less. Fill. Azor etc. Ratio est, quia de essentia ieiunii est abstinentia a carnibus.

3° Conditio est certa hora refectionis, quae est circa meridiem, nisi aliud loci consuetudo ferat. Idque non mathematice computandum, sed moraliter. Dictam autem horam notabiliter sine iusta causa praevenire, mortale putat Navar. et quidam alii, sed probabilius docent esse veniale Tolet. et Filliuc.; eo quod non violetur substantia, sed tantum circumstantia. Tol. Less. d. 2. n. 13. Vid. Laym. c. 3. n. 10. et seq.

Dixi *notabiliter* et *sine causa;* quia praevenire ex iusta causa, v. gr. si iter faciendum, si hospites dimittendi etc. et absque ea, per mediam horam tantum, nullum peccatum videtur esse. Dilatio in vesperam et licita est et laudabilis, si nihil ante sumas.

1104. Advertendum in primis, contra hoc praeceptum peccari posse mortaliter, etiam citra contemptum eius. Constat ex prop. 23. inter damnatas ab Alexandro VII. « Frangens ieiunium Ecclesiae, ad quod tenetur, non peccat mortaliter nisi ex contemptu et inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subiicere praecepto ». Unde patet grave esse per se hoc praeceptum.

Iam vero unica comestio intelligitur *plena et sufficiens* et eiusmodi est alia, quae praeter unicam illam prohibetur (a).

Postquam semel quis graviter ieiunium fregit per secundam comestionem, si iterum comedat, fuerunt, qui rursus *graviter* eum peccare dicerent et quidem toties quoties.

Id negat communis sententia, quam probabiliorem dicit s. Alphonsus lib. 3. n. 1030. Ratio, quia essentia ieiunii, quae unicam admittit comestionem, cessat; cessat ergo praeceptum, quod non servas etiam abstinendo. Et sic, inquit s. Alph., communiter DD. hoc praeceptum interpretantur.

S. Alphonsus l. c. probabilius habet, quod saepius comedendo, postquam secunda notabili comestione ieiunium fractum est, saltem leviter peccetur. Ita et Croix lib. 3. p. 2. n. 1265. dicens eiusmodi sententiam *communissimam*, quod plane falsum est et Reiffenstuel tract. 10. dist. 1. q. 2. n. 20, oppositam communiorem et probabiliorem vocat. Videatur et Roncaglia tract. 9. q. 2. cap. 1. q. 2., qui inter alios allegat Suarez et merito quidem *de Relig.* tom. 2. lib. 4. cap. 7. n. 11.

Ratio Lessii, allata a s. Alphonso est, quia sic contraitur fini legis, qui est mortificatio carnis. Atqui ratum est apud Theologos, finem legis sub legem non cadere. Et si essentia ieiunii impossibilis evadit, praeceptum eius non amplius servari potest. Bene heic Palaus tom. 7. tract. 1. disp. 3. punct. II. §. 2. n. 8.: « Si lex vetat alias refectiones, totidem erunt gravia peccata; si non vetat, nullum est peccatum. Peccari igitur poterit contra temperantiam, quod ad rem non facit, non vero contra ieiunium ».

(a) An minus sufficiat necne, ut lex ieiunii graviter violetur, declarabitur infra. E.

Conclusio sit, poenitentem, qui se accusat de ieiunio sic violato, non esse interrogandum, an pluries cibum sumpserit.

Si autem non culpabiliter, sed inadvertenter bis refectionem quis sumpserit, alii concedunt, posse eum saepius manducare; quia ieiunium, cuius essentia est unica comestio, servari impossibile est. Alii negant, ne, inquiunt, *formaliter* frangatur ieiunium, quod materialiter est laesum. At haec ratio plane debilis est; si enim iam impossibilis evasit essentia ieiunii ideoque eius observatio, quid est, quod formaliter frangi possit, vel quod formaliter possit servari? S. Alphons. l. c. q. 2. probabilem dicit utramque sententiam.

Verum quaestio ad praxim proprius spectans forte proponitur, si quaeratur cum Laymann lib. 4. tract. 8. c. 1. n. 14., quid agendum, si quis mane sive scienter sive inadvertenter ientaculum sumpserit.

Laymann sic resolvit, ut conetur, quod adhuc potest, servare substantiam ieiunii. Nam vel sumpta refectio est sufficiens et tunc omittendum prandium et sola vespertina collatio est sumenda. Si vero non fuit sufficiens, tunc iusta est causa vel sumendi aliam moderatam refectionem circa meridiem aut, hac omissa, coenandi noctu, ientaculo illo matutino pro collatione reputato.

1105. * Quaeres: quorum animalium caro interdicta sit die ieiunii. Respondet s. Thomas 2. 2. q. 147. a. 8., esse carnes animalium in terra nascentium et respirantium: cuius rei rationem reddit; quia hae in comedendo maximam afferunt delectationem et iterum maxime hominem ad venerea provocant. Apposite, s. Alph. n. 1011.: « Ad discernendum quae animalia reputanda sint carnes, quamvis non leve indicium sit attendere an illa diu extra aquam vivere soleant; magis tamen attendenda est communis aestimatio fidelium ac indicium medicorum, si reputent carnes vel pisces ». Hinc ait cum pluribus, non vetari carnes limacum, testudinum, ranarum, locustarum et concharum; quia aequiparantur piscibus. Idem, inquit, Milante et Tamburini aiunt de viperis, quae similes sunt anguillis.

Quaenam vero partes vetitorum animalium vetitae sunt? Respondet Tamburini *Decal.* l. 4. c. 5. §. 1. n. 13.: « omnes, eae nimirum, quae sunt partes quomodocumque constitutivae animalis, cartilagines, nervi, sanguis, medulla, laridum, axungia et quaecumque pinguedo; quia dum animal prohibetur, non possunt non prohiberi omnes eae partes, quae ipsum constituunt: item ius ex carnibus, quod continet partes subtiliores carnis per elixationem eliquatas. *

1106. Quoad abstinentiam ab ovis et lacticiniis nota prop. 32. damn. ab Alexandro VII.: « Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in quadragesima obliget ».

Quaerit s. Alph. n. 1007., an abstinentia a lacticiniis obliget diebus dominicis quadragesimae. Et allata sententia negativa plurium, subdit oppositam omnino tenendam. Ratio, inquit, quia ex citato cap. *Denique* 1. dist. 4. universe praecipitur in diebus quadragesimalibus abstinentia a lacticiniis. Certum est autem, quod dies dominici etiam quadragesimae dies sunt; quare prima sententia sat probabilis non videtur ». Ita s. Alphonsus.

Argumentum s. Alphonsi repetit Scavini *de Ieiun.* artic. 1. q. 5. additque in notis hoc aliud: « Quod firmatur magis ex rescripto Benedicti XIV. ad Archiep. Compostellae, ubi etiam diebus dominicis prohibetur promiscuitas epularum ». At non tenet illatio: Prohibitio haec enim est consectarium dispensationis circa usum *carnis,* non vero circa usum lacticiniorum.

Gury vero ad quaestionem: an abstinentia a lacticiniis servari debeat in dominicis quadragesimae, resp. §. 503. q. 2. « *Affirmative;* quia dies dominica non excipitur in lege nec consuetudine ».

Utique nunc clare edicitur, quid diebus dominicis servandum sit; sed dubitare licet de vi argumenti ducti ex c. *Denique.* Nam haec in eo leguntur. « Denique Sacerdotes et Diaconi et reliqui omnes, quos dignitas ecclesiastici gradus exornat, a quinquagesima propositum ieiunandi suscipiant ». Et paragrapho quidem secunda dicitur: « Par autem est, ut quibus diebus a carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quae sementinam carnis trahunt originem, ieiunemus, a lacte videlicet, caseo, ovis ». His quidem verbis et dies dominicae comprehendi videntur: verum obstant ea, quae habentur in praecedenti §. 1. ubi sic: « De ipsa vero die dominica haesitamus, quidnam dicendum sit: cum omnes laici et seculares illa die plus solito ceteris diebus accuratius cibos carnium appetant et nisi nova quadam aviditate usque ad medias noctes se ingurgitent, non aliter se huius sacri temporis observationem suscipere putant: quod quidem non rationi sed voluptati, imo cuidam mentis caecitati adscribendum est; unde nec a tali consuetudine averti possunt et ideo cum venia suo ingenio relinquendi sunt, ne forte peiores exsistant, si a tali consuetudine prohibeantur. Ut enim ait Salomon (Prov. XXX.), *qui multum emungit, elicit sanguinem* ». Ita Gregorius M. ad Augustinum Anglorum Episcopum. Improbat utique talem consuetudinem Gregorius: nihil tamen lege lata de die dominica definit.

Ergo nisi alia afferantur argumenta, certe ex hoc *Capite* non conficitur quod contendunt.

1107. Quoad ova et lacticinia notandum, legem quidem adesse abstinendi per ieiunium quadragesimale, non vero, ut communis sententia

habet apud s. Alph. n. 1009., in aliis ieiuniis. Hinc s. Thomas, 2. 2. q. 147. artic. 8. ad 3.: « Inter alia ieiunia sollemnius est quadragesimale ieiunium... Et ideo in quolibet ieiunio interdicitur esus carnium, in ieiunio autem quadragesimali interdicuntur universaliter etiam ova et lacticinia ».

Subdit autem: « Circa quorum (lacticiniorum) abstinentiam in aliis ieiuniis diversae consuetudines exsistunt apud diversos; quae quisque observare debet secundum morem eorum, inter quos conversatur. Unde Hieronymus dicit... *Unaquaeque provincia abundet in suo sensu et praecepta maiorum leges apostolicas arbitretur* ». Et haec regula tenenda, ut habet communior sententia apud s. Alphons. n. 1009. dub. 3., ubi *ab immemorabili viget talis consuetudo.* Et abs re allegatur Sanchez *Consil.* lib. 5. c. 1. dub. 21. n. 2. quasi contrarius.

Nam hic disputat, an eiusmodi consuetudo vigeat in Hispania et quidem quoad sextas ferias totius anni. Ita et reliqui scriptores ibi allegati, quos Tamburini refert *Decal.* lib. 4. c. 5. §. 1. n. 22., agunt de consuetudine incerta et non legitima. Quocirca non est cur DD. inter se oppositi heic exhibeantur.

Ceterum si consuetudo est veluti lex pro iis locis, ubi viget, circa abstinentiam a lacticiniis etiam in ieiuniis extra quadragesimam, eadem consuetudo efficit, ut iis vesci liceat in quadragesima, ubi viget. Hinc Struggl, tract. 8. q. 2. n. 18.: « Circa lacticinia non est eadem consuetudo Ecclesiarum. Nam esus lacticiniorum in quibusdam locis solum prohibetur in quadragesima, in aliis prohibetur omnibus diebus ieiuniorum per annum, in aliis denique, ut in Germania, toto anno permittitur... Ratio autem, propter quam in Germania legitime inoleverit consuetudo comedendi per totum annum lacticinia, est, quia datur defectus olei recentis et aura frigidior maiorem causat ciborum digestionem: adeoque haec consuetudo in Germania servari tuta conscientia potest ».

Concludendum igitur, servandas ubique consuetudines legitimas et in novis Ecclesiis fundandis rationem haberi posse paritatis conditionis, videl. *climatis* et defectus olei etc.

Exinde resolvi quaestio potest quoad ieiunia servanda ex poenitentia vel voto. Videlicet, nisi expressum aliter fuerit, non obligari quempiam ad abstinendum a lacticiniis.

1108. Quoad secundam comestionem pro iis, quibus concedebatur esus carnium, sciendum est, triplicem penes theologos paulo antiquiores viguisse sententiam, ut videre est apud Filliuccium Tract. 27. cap. 3. nn. 51.-53. Alii enim dispensatis ad carnem duas concedebant comestiones aut etiam plures et duplici utebantur argumento, 1° quia in

abstinentia a carnibus sita sit essentia ieiunii atque adeo ea sublata, nullam superesse rationem ieiunii servandi: 2° quia ita ferebat communis consuetudo, adeo ut si concionator scrupulum iniiceret, res nova et contra communem existimationem videretur.

Alii contra negabant, plures concedi comestiones. Alii denique media incedebant via et distinguebant inter dispensationem *absolutam* ac *simplicem* et inter *respectivam* ac *secundum quid*. *Absolutam* dicebant, quae concedebatur ratione debilitatis naturae et stomachi, *secundum quid*, quae dabatur ideo tantum, quod quis abhorreret a piscibus vel ab his nocumentum ferret, licet alioquin satis robustus ad ferendum ieiunium. Primis itaque plures concedebant comestiones, non item secundis.

Verum de hac quaestione haec habet Benedictus XIV. in *Institutione* XV. a n. 20.: « Plurimi sane inter ipsos (Theologos) eam opinionem tuentur, duabus necessariis partibus integram ieiunii naturam contineri, nempe *unica comestione* et *abstinentia ab esu carnium;* quarum altera sublata, primam quoque auferri necesse est ».

« Alii vero contrarium sentiunt. Sexaginta huius sententiae nominantur a P. Marchetto tunc temporis Romani Collegii Rectore in ea Dissertatione, quam super hac re confectam Clementi XI. exhibuit, cui Consultores S. Officii et Card. Vicarii Examinatores Synodales unanimes assenserunt. Si quis maiorem eorum numerum exquirat, id facili negotio praestari posse nos ipsi pollicemur ».

Deinde inculcans, ieiunium esse compositum non physicum, sed morale, atque adeo partes inter se non adeo cohaerere, ut si una praecidatur, alteram corruere necesse sit; allegat dein exempla tum Sixti V. et Eugenii IV., qui Carmelitis facultatem fecerunt edendi carnes per menses illos, quibus ieiunant et tamen ieiunium observandum praescripserunt, tum Alexandri VII., qui in edicto de quadragesima ob pestem nuper exstinctam per quatuor hebdomadae dies esum carnium dispensavit ea tamen conditione, ut iisdem diebus ieiunium servaretur, tum denique Clementis XI., qui in edicto quadragesimali anni 1703. monuit eos, quibus aut lacticinia aut etiam carnes permittebantur ex medicorum consilio, a colendo ieiunio cessare non debere ac praeterea in edicto anni 1704. universos admonuit (sc. dioecesi romanae subiectos) eam facultatem (vescendi carnibus aut lacticiniis) se nemini impertire, nisi simul cum carnibus ieiunium coniungerent.

Concludit autem, n. 24.: « Nos profecto hanc secundam opinionem complectimur; controversiam certo iudicio dirimendam ceteris relinquemus ». Ex quibus patet, nec per eam aetatem quaestionem definitam fuisse.

1109. Deinde ad Summum Pontificatum vix evectus Encyclicam dedit ad Episcopos de ieiunio die 31. maii 1741. Pontific. anno I., quae incipit: *Non ambigimus* et in hac constituit, ut si quando necessitas postulet, ut dispensetur circa esum carnium, tamen servetur lex unicae comestionis: « Nolumus tamen vos ignorare, cum huiusmodi necessitate et servandam esse potissimum unicam comestionem, sicut alias heic Romae (idest sub Clemente XI.) ac nos hoc anno, urgentibus causis dispensantes, expresse praescripsimus ».

Et in Constit. *In Suprema* data eodem anno 1741. die 22. Augusti rursus de hac re: « Quibuscumque et quacumque occasione... dispensari contingerit, ab omnibus omnino, nemine excepto, unicam comestionem servandam... tenore praesentium declaramus et edicimus ». Nulla igitur de hac re superest controversia et A. sententia est antiquata.

Abstinentia a carnibus pars est integralis ieiunii; quia adolescentes et senes, qui ea tenentur sola, non dicuntur ieiunare. Ita D'Annibale vol. 3. *de Ieiunio cert.* c. 1. n. 431. nota. ed. 2. Idque affirmat n. 443.

Adverte tamen, additam fuisse hanc clausulam: « dummodo nulla certa et periculosa affectae valetudinis ratio intercedet et aliter fieri necessario exigat ». Scilicet intelligenda lex est de iis, qui unicam comestionem servare possunt.

1110. Quaerunt, quid prohibeatur, cum dicitur abstinendum a carnibus.

Bene s. Alphonsus lib. 3. n. 1011. monet, in hoc maxime attendendam communem fidelium aestimationem et iudicium medicorum, num aliquid reputent carnem aut piscem.

Pisces aut habentur aut saltem iis aequiparantur limaces, testudines, ranae, locustae, conchae, viperae et iuxta quosdam *fibri* (castori), *lutrae seu lytrae* (lontre), *anates cuiusdam speciei, fulicae* et quidam addunt *corvos marinos*.

De his optima regula est, ut servetur consuetudo et aestimatio fidelium in diversis locis pensetur; si enim haec adsint, non sunt inquietandi aut vexandi fideles.

De *fulica* propositum fuit dubium (vid. tom. II. Busemb. edit. romanae 1844. p. 157.): « Utrum avis aquatica, cui nomen fulica (vulgo folaga) inter pisces computanda sit illaque vesci liceat iis diebus, quibus vetitae sunt carnes: Religiosi Ordinis Minimorum s. Francisci a Paula (quibus carnes omnino interdictae sunt) ad tollendam perplexitatem, qua eorum conscientiae hac super re angebantur, supplicationem porrexerunt Pio VII., ut sibi concederetur, posse libere uti eo cibo. Quibus per s. Congregationem Regularis Disciplinae die

22. febr. 1804. Sanctissimus, veris exsistentibus narratis (quid vero narrarunt?) benigne annuit *pro gratia* iuxta petita: constitutionibus dicti Ordinis aliisque contrariis non obstantibus etc. ».

Sed haec responsio non solvit quaestionem. Non recte quaesitum est: *an sit piscis:* quia negative respondendum foret, si id quaereretur etiam de limacibus nec tamen solveretur controversia, an liceat his vesci die ieiunii. Iterum non confundenda quaestio, num cibum illum admitterent Constitutiones illius Ordinis, cum quaestione circa consuetudinem et aestimationem fidelium. Ergo haec quaestio pro fidelibus eodem loco est ac prius nec scrupulus iniiciendus, ubi consuetudo viget fulicis vescendi. Denique concessiones et dispensationes non dirimunt quaestionem theoreticam; nam dispensationes saepissime ad conscientiae tranquillitatem dantur, quidquid sit an dispensatione sit opus.

1111. Aliam Benedictus XIV. in suis Constitutionibus legem tulit, seu potius addidit conditionem dispensationi circa abstinentiam a carnibus, et praecepit, ut illi, qui in diebus ieiunii vi dispensationis vescantur carnibus, non possint simul in eadem comestione vesci etiam piscibus. Et idcirco accurate Gury l. c. q. 5. quaestionem facit *de dispensatis;* quia est conditio apposita iis, qui *dispensationis beneficio* possunt carnes edere.

Ita in prima Constit. *Non ambigimus:* « Nolumus tamen vos ignorare, cum eiusmodi necessitate (dispensandi quoad esum carnium) et servandam esse potissimum unicam comestionem sicut alias... expresse praescripsimus et licitas atque contradictas epulas promiscue minime apponendas esse ».

Et in seq. Constitut. *In Suprema:* « Quibuscumque et quacumque occasione... dispensari contingerit, ab omnibus omnino, nemine excepto, unicam comestionem servandam et licitas atque interdictas epulas minime esse apponendas tenore praesentium declaramus et edicimus ».

Quatuor insuper habemus declarationes circa haec in epistola eiusdem Benedicti XIV. ad Episcopum Compostellanum 8. Iul. 1744., quae epistola inserta est tertiae de hoc argumento eiusdem Pontificis Constitutioni, quae incipit *Libentissime* dat. 10. Iul. 1745.

Prima declaratio est circa obligationem tum unicae comestionis, tum non permiscendi epulas. Statuit enim Pontifex 1° sub gravi obligari qui dispensant, ne alia conditione dispensent, 2° sub gravi servandas esse hasce conditiones. Nam ad quaestionem: « Utrum quae in antedictis nostris litteris in forma Brevis de unica comestione et de epulis non permiscendis praescribuntur, sub gravi etiam praecepto prohibeantur? Respondemus: Concedentes facultatem vescendi carnibus

tempore vetito, *sub gravi* teneri easdem facultates non aliter dare, quam geminis hisce adiectis conditionibus, videlicet unicae in diem comestionis et non permiscendarum epularum. Eos vero, qui huiusmodi facultatibus utuntur, *sub gravi* ad binas ipsas conditiones implendas obligari ».

Secunda declaratio est, has conditiones servandas esse non modo in ieiuniis quadragesimae, sed in quolibet ieiunio per annum. Ita in Quaestione VII.: « Utrum memorata duo praecepta urgeant extra quadragesimam? Respondemus: Urgere extra quadragesimam utrumque praeceptum: illud scilicet unicae comestionis cum reliquis legibus in secundo et tertio ad haec postulata responso expressis (idest circa horam comestionis et circa non usum carnium in collatione vespertina) et alterum non permiscendi epulas licitas cum interdictis ».

Tertia declaratio est de diebus dominicis in quadragesima, in quibus concessum sit vesci carnibus: declaratur etiam ea die non permiscendas epulas. « An praeceptum de utroque epularum genere non miscendo dies quoque dominicos quadragesimales complectatur ». Resp. « Affirmatur, complecti ».

Quarta demum declarat: « Quaenam sint epulae licitae, quae vetantur cum interdictis coniungi? Respondemus: Epulas licitas pro iis, quibus permissum est carnes comedere, esse carnes ipsas: epulas interdictas esse pisces: adeoque utrumque simul adhiberi non posse. Piscibus tamen edendis non interdicuntur ii, quibus datur tantum facultas adhibendi ova et lacticinia ».

1112. Ad praedictarum autem legum uberiorem explicationem accesserunt declarationes s. Poenitentiariae et quidem etiam circa ea, quae satis clara erant nec indigebant explicatione. 1ª est: Cum Benedictus XIV. dicat, carnes edi posse solum in unica comestione, quosdam incessit dubium, an id pro iis quoque valeret, qui ad ieiunandum ratione aetatis non tenentur vel ratione laboris excusantur.

Lex reipsa et communis qui dicitur sensus satis clare edicebant, id praescribi iis, qui ratione ieiunii ad unicam comestionem obligantur. Id confirmavit responsio s. Poenitentiariae die 16. ian. 1834. quae ad dubium respondit: *fideles, qui ratione aetatis vel laboris ieiunare non tenentur, licite posse in quadragesima, cum indultum concessum est, omnibus diebus indulto comprehensis vesci carnibus vel lacticiniis per idem indultum permissis* QUOTIES *per diem edunt* ». Ita eadem Poenitentiaria 24. Febr. 1819.

* Verum si Episcopus, auctoritate Apostolica concedens indultum, illud specialiter limitat e. g. hoc pacto, ut possint fideles certis diebus semel in die vesci carnibus et ovis, ii vero qui ratione aetatis vel

laboris ieiunare non tenentur, possint ovis saepius in die uti: s. Poenitentiaria 27. Maii 1863. respondit tunc eos, qui non tenentur ieiunare ratione aetatis vel laboris, qui non sunt comparandi iis, qui causa infirmae valetudinis a ieiunio excusantur, non posse vesci carnibus quoties per diem edunt. *

En alia similis responsio eiusdem s. Poenitentiariae 16. Mart. 1882. *Fideles, qui ratione affectae valetudinis a lege ieiunii seu unicae comestionis eximuntur, licite possunt, iis quadragesimae diebus, quibus esus carnium per indultum permissus est, toties carnibus vesci, quoties per diem edunt.* Cf. Acta s. Sedis. V. 14. p. 568.

Quaesitum etiam fuit: « Utrum in diebus ieiunii tempore Adventus a Pio VI. praescriptis, permissis tamen lacticiniis, cui propter infirmitatem licitus est usus carnium, interdicta sit promiscuitas carnis et piscium ».

Solum cavillosi ac sophistici in hoc dubium venire potuerunt. Nonne enim Benedictus XIV. edixerat, legem illam valere pro cunctis totius anni ieiuniis, in quibus concederetur usus carnium?

Sacra Poenitentiaria die 8. Ianuar. 1834. respondit: *Affirmative, nempe non licere eiusmodi promiscuitatem.*

Rursus duo alia dubia item a cavillosis proposita. 1. Utrum *lege vetitae permixtionis* comprehendantur pisces sale siccati (vulgo salumi, idest alici, mosciame, caviale, aringa, tarantella, aliaque his similia) an potius misceri possint ad instar condimenti alterius ferculi: quasi videlicet pisces sale siccati non essent amplius pisces! Imo si spectetur ratio prohibitionis, abusus scil. eorum, qui ob valetudinem ab esu piscium abhorrebant et petebant facultatem utendi carnibus, magis hi interdicti videri debuerunt.

Respondit s. Poenitentiaria die 16. Ian. 1834.: *Pisces sale siccatos... vetari miscere cum carnibus, quoties carnis et piscium mixtio vetita est.*

Secundum haud absimile fuit: « Utrum tempore ieiunii cui licitus est usus carnium, liceat miscere testacea marina, quae improprie fructus maris dicuntur, sed vulgo pisces censentur (idest ostriche, telline, patelle, canolicchi, cappe, granchi etc.) ».

S. Poenitentiaria die 16. Ian. 1834. respondit: *Testacea marina, quae improprie fructus maris dicuntur, sed vulgo pisces censentur, vetari miscere cum carnibus, quoties carnis et piscium mixtio vetita est.*

1113. Tria vero alia proposita fuere dubia eorum, qui scrupulis torquebantur.

Primum: « Un confessore domanda alla Santità vostra, se ai dis-

pensati *ad esum carnium* nei giorni di venerdì e sabato fra l'anno, nei quali non vi è obbligo di digiuno, sia permessa la promiscuità dei cibi non ostante la risposta data da Benedetto XIV. all'Arcivescovo di Saragozza per organo della Segreteria dei memoriali li 5. gennaio 1755. ».

S. Poenitentiaria die 15. Ian. 1834.: *proposito dubio diligenter perpenso, factaque relatione SS. D. Gregorio XVI., de ipsius Sanctitatis suae mandato respondet, permitti.*

Reapse Benedicti XIV. Responsio ad Archiep. Caesaraugustanum fuerat eiusmodi: « Ex audientia SS. die 5. Ian. ann. 1755. Sanctissimus, firma remanente dispositione Constitutionum Apostolicarum et Declarationum super his a Sanctitate sua editarum, quae in precibus enuntiantur; quamvis illae respiciant tempus quadragesimae aliosque anni dies, quibus ieiunium de praecepto servandum est: nihilominus *ex alia ratione* declarat, eos etiam, quibus ex iusta causa permittitur esus carnium diebus veneris ac sabbati aliisque per annum diebus, in quibus praeceptum est abstinendi ab iisdem carnibus absque obligatione ieiunii, nequaquam posse una cum carnibus pisces quoque comedere nisi forte valetudinis causa hoc ipsis a medico concessum fuerit ». Ergo haec responsio videtur a Gregorio XVI. abrogata.

Quod vero Benedictus XIV. dixerat *ex alia ratione* declarari, comixtionem vetitam esse etiam, quando sine ieiunio fit abstinentia a carnibus (feria 6. et sabbato), forte spectat ad rationem, quam urgent DD. eius aetatis pro diebus ieiunii, quae ratio hoc dilemmate continebatur: aut pisces nocent aut non: si nocent, ergo abstinendum: si non nocent, ergo nulla est ratio adhibendi carnes ac porro nulla est dispensatio.

Secundum: « Se quelli, che sono dispensati dalla qualità dei cibi, possano nei giorni di digiuno cibarsi di sola minestra di brodo (intellige di carne) per provvedere alla loro sanità e nel resto far uso di cibi esuriali per conservare quanto si può l'osservanza della legge dei cibi ».

S. Poenitentiaria die 28. Feb. 1826. *attente consideratis expositis, respondit: « Affirmative ».*

Tertium lepidum est: « Utrum tempore ieiunii liceat mixtio carnis cum leguminibus ». Quasi vero legumina sint pisces et non possit eadem omnino quaestio moveri pari ratione de *pane, sale, aqua* etc.

S. Poenitentiaria respondit: *Carnes cum quibuscumque leguminum speciebus misceri posse, extra omne dubium est.*

Demum duo alia dubia proposita fuerunt, quae referuntur ad usum laridi liquefacti (vulgo *strutto*).

Et primum quidem fuit hominum sophisticorum estque eiusmodi: « Se i dispensati a cibarsi di grasso, nei giorni, nei quali fanno uso di soli latticinii, possano per condimento adoperare lo strutto ».

Poterant isti sane eadem prorsus ratione quaerere, an dispensati ad carnes edendas possint manducare ova, aut carnes condire butyro. Ubinam enim habetur ibi mixtio carnis et piscis?

S. Poenitentiaria die 8. febr. 1828. *attente consideratis expositis respondet: « Affirmative ».*

1114. Aliud dubium spectat ad eos, qui ratione aetatis vel laboris non tenentur ieiunare. Quaesitum fuit: « Utrum ii, qui ratione aetatis vel laboris ieiunare non tenentur, subiiciantur legi de non permiscendis epulis carnis et piscium, cum per indultum permittuntur (sc. carnes)? »

S. Poenitentiaria die 13. febr. 1834. respondit: *Consulat probatos auctores.*

Verum Auctores, qui hanc quaestionem agitent, vis ullos reperire licebit; quia recentior est constitutio Benedicti XIV. At habentur principia, quibus facile solvatur. Nam si sermo sit de pueris, qui nondum ecclesiasticis legibus obligantur, ii neque ista lege tenebuntur. Si vero tenentur lege ecclesiastica, certum est, etiam eos, qui quoad quantitatem lege ieiunii non tenentur, teneri tamen lege abstinentiae quoad qualitatem. Itaque si utuntur dispensatione, hac uti possunt iis limitibus, quibus data est. Ergo nec ipsi permiscere epulas possunt: siquidem dispensandum Benedictus XIV. non nisi hac conditione imperat (sup. n. 1111.).

Praeterea recepi Declarationem, quae dirimit omnem controversiam. Nam ad Quaesitum Episcopi Baionensis 23. Ian. 1875. In Congregatione Generali s. Romanae et Universalis Inquisitionis habita coram Emis ac Rmis S. R. E. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, proposito suprascripto dubio: *Utrum obligatio de non miscendis piscibus cum carne diebus quadragesimae attingat omnes, qui vi indulti carnibus vesci possunt, vel solummodo eos, qui ieiunant* et praehabito voto DD. Consultorum, iidem Emi ac Rmi DD. rescribi mandaverunt: *Affirmative quoad primam partem: Negative quoad sucundam partem* et detur Decretum 34. martii 1841., nempe ad dubium: *An lex de non permiscendis licitis et interdictis epulis eos etiam respiciat, qui ad unicam comestionem non tenentur, uti iuvenes antequam tertium compleverint septennium aliique rationabiliter ab eadem excusati ob impotentiam vel laborem:* Emi decreverunt: *Non licere.*

Videlicet his quoque, qui a lege ieiunii, unicam comestionem praescribente, utcumque eximuntur, interdictum est, ne carnes cum piscibus

in eadem refectione vescantur. Ratio autem haud obscura est, ut iam innuimus. Nam esus carnium per ieiunii dies sub hac expressa conditione indulgetur, ut quisquis hoc indulto uti velit, carnes cum piscibus in eadem refectione non permisceat. Atqui etiam illi qui iuxta ex causa a servanda unica comestione excusantur, carnibus nonnisi vi indulti vesci possunt. Ergo et ipsi ad eam conditionem servandam tenentur.

Secus proinde esset, si non vi indulti, sed iam per se, puta ratione gravis morbi, ad abstinentiae lege quis esset immunis.

1115. Quoad epularum permixtionem moveri quaestio potest, an quaelibet permixtio prohibeatur, an vero ea solum; quae ad luxum et ad vitium gulae deliciarumque aviditatem refertur.

S. Alphonsus lib. 3. n. 1014. relata sententia cuiusdem P. De Petio (idem occurrit in casibus conscientiae Bononiensibus sub ann. 1757. mense martio) qui in additionibus ad Felicis Potestatis Examen, posteriori hoc sensu intelligendas constitutiones Benedicti XIV. tenebat, addit, hanc opinionem *non videri probabilem* idque colligi ex Constitutionibus dicit.

Et merito quidem. Conqueritur sane ss. Pontifex de tali luxu ut in sumptuosis conviviis epulae permisceantur: ita in prima Constitutione *Non ambigimus*. « Nos sane, inquit, quibus in hac sublimi apostolicae procurationis specula constitutis undique gentium nuntii afferuntur, lacrimis deplorare satis non possumus, augustissimam quadragesimalis ieunii observantiam, ob nimiam, nullis legitimis urgentibus causis, ubique indiscriminatim dispensandi facilitatem, plane sublatam esse; ita ut orthodoxae quidem religionis cultores merito quaerantur, haeresum vero sectatores illudant et exsultent. *Perniciosae huic plurimorum insuper licentiam adiunctam esse graviter dolemus;* quae usque adeo invaluit, ut nulla apostolici instituti sanctissimique praecepti habita ratione, ieiuniorum tempore *palam et impune ab iisdem agitentur convivia et epulae interdictae promiscue inferantur* ».

Tum subdit: « Ea propter... facere non possumus, quin pro iniuncto nobis supremo sacrosancti Apostolatus officio... ad opportunum *hisce malis* adhibendum remedium, (zelum vestrum) excitemus et ad *congruentes huiusmodi abusibus penitus extirpandis leges praescribendas* meditemur ».

Porro ad abusus tollendos, haec tria statuit, 1° nonnisi urgente necessitate dispensandum esse praesertim cum multitudine seu populo aut civitate: 2° unicam comestionem servandam, etsi dispensatio concedatur: 3° *non permiscendas epulas*. « Nolumus tamen vos ignorare, cum eiusmodi necessitate (scilicet dispensandi) et servandam esse

potissimum unicam comestionem, sicut alias heic Romae ac nos hoc anno urgentibus causis dispensantes expresse praescripsimus et *licitas atque contradictas epulas promiscue minime apponendas esse* ».

Etsi vero demus, luxum illum conviviorum occasionem fuisse cur haec lex ferretur vel etiam abolitionem illius abusus fuisse finem legis; certum est, legem interdicentem promiscuitatem ciborum esse universalem omnemque promiscuitatem prohibere, non eam solum, quae ad luxum ac vitium gulae fovendum deliciarumque aviditatem pertinet. Sic enim ait in Const. *In suprema,* post illam priorem data. « *Nos quibuscumque, quacumque occasione, sive multitudini indiscriminatim sive singulis... in quadragesimae aliisque anni temporibus et diebus, quibus carnium, ovorum et lacticiniorum usus est prohibitus, dispensari contigerit, ab* OMNIBUS OMNINO NEMINE EXCEPTO, *unicam comestionem servandam et licitas atque interdictas epulas minime esse apponendas, tenore praesentium declaramus et edicimus* ». Iam cum heic innuatur etiam Indultum, quod tunc temporis aliquando et nunc passim conceditur *multitudini* in civitatibus et pagis degenti, apertissimum est, legem de non miscendis cibis non restringi ad mensas quae *ob* GULAM SPLENDIDE instruantur, sed etiam extendi ad eas mensas, quae *luxu carent* et propriae sunt quorumlibet civium.

Eo vel magis quod Ben. XIV. in Epistola *Si Fraternitas* ad Archiep. Compostellae, respondens ad dubium 1m scil. *utrum quae in antecedentibus nostris litteris in forma Brevis de unica comestione et epulis non permiscendis praescribuntur, sub gravi etiam praecepto prohibeantur*, ait: « *Concedentes facultatem vescendi carnes tempore vetito: sub gravi teneri eandem facultatem non aliter dare quam geminis his adiectis conditionibus, videlicet unicae in diem comestionis et non permiscendarum epularum: eos vero qui huiusmodi facultatibus utuntur, sub gravi ad binas ipsas conditiones implendas obligari* ». Heic, ut alias, Summus Pontifex in eodem censu habet et eadem ratione vult imponi et adimpleri binas illas conditiones de unica comestione et epulis non permiscendis: atqui prima conditio nullam admittit restrictionem relate ad illos qui lege ieiunii obligantur et sunt dispensati ad carnes; ergo nec secunda admittit restrictionem ullam pro iisdem et lex est omnino generalis. Atque ita sane ab omnibus generatim fidelibus accipi solet.

1116. Quaeritur, an dispensati ad carnes possint sine laesione ieiunii edere carnes non salubres, v. gr. suillas et similes. Ita quaerit lib. 3. n. 1015. s. Alph. Respondet: « Affirmant communissime doctores et quidem probabiliter; tum quia licentia ad carnes generaliter impertita non est restringenda ad solas salubres, tum quia alias dispensati plu-

ribus subiicerentur scrupulis, non raro dubitando, quaenam carnes noceant vel prosint ». Et merito advertit, non recte Concinam his doctoribus opposuisse edictum Clementis XI. annis 1703. 1704.; quia illud edictum, uti Benedictus XIV. plus semel testatur, non universae Ecclesiae, sed romanae ditioni Urbis latum est. Addiderim, inepte hoc edicto Concinam uti ad insectandos doctores, qui praeterea ante illud edictum scripserunt et disputarunt idcirco ex solis principiis generalibus.

Benedictus XIV. licet in tribus prioribus epistolis de hac re siluerit, non siluerat tamen in edictis pro quadragesima, in quibus romanis praescripserat, ut qui indigerent carne, solum salubri, idest vervecina, vitulina et haedina uterentur.

In postremis tamen, quae incipiunt *Libentissime,* haec habet: « Itaque si revera in aliquo loco neque oleum neque pisces comparari possint, tunc incolis eiusdem loci permitti fas est, ut lacte et ovis utantur. Si autem haec revera deficiant, tunc carnis, salubris tamen, edendae facultas concedetur, interposita semper ieiunii servandi conditione ». Verum his non lex fertur pro fidelibus, sed instruuntur Episcopi, quomodo dispensare debeant. Ergo fideles ab praescriptionibus Episcopi pendebunt nec hoc monito ipsi obligantur.

Ceterum duo adverte. 1° Semel ac dispensatio concedatur aliis de causis ac sint infirma valetudo vel generice vel stomachi, cessat ratio vetandi carnes minus salubres, nisi forte ad frenum gulae. Verum cum dein multae misceri possint quaestiones, quid salubre, quid insalubre sit, hinc lex ipsa ob hanc ipsam incertitudinem gravis evadit et feracissima molestiarum ac scrupulorum. Quae tamen incommoda aberant in dispensatione ratione salutis, quia non generatim solum insalubres carnes vetabantur, sed etiam salubres illae indicabantur, quibus solis uti licebat (castrato, vitello e capretto). Itaque cum abesset haec ratio, Romae in edicto dispensationis sublata est illa conditio et solum servatur pro iis, qui dispensatione indigent speciali ratione valetudinis.

2° Dixi, multas motas controversias de carnibus, quaenam sint salubres, quaenam non. Olim in edictis romanis ceu insalubres notabantur maxime carnes porcinae. At enim s. Alphonsus n. 1015. iudicia medicorum affert de huius carnis sanitate, et ipse in sententiam plane inclinat, non habendam carnem porcinam, ut insalubrem. Hac de causa cavendum foret a vexandis conscientiis praesertim cum relativum quid sit, quod obsit vel prosit aliquis cibus.

1117. * Constat concedi ab Ecclesia pluribus diebus, quibus carnes vetitae sunt, condimenta ex adipe (*sagimen* barbare dicitur: vocatur et *laridum*, quamvis id latinis sit caro suilla sale condita et siccata).

Quaesitum est: an in concessione condimentorum (vulgo *di grasso*) intelligatur concessus usus condimenti ex adipe cuiuscumque animalis. Ex audientia Gregorii XVI. 15. April. 1836. resp. « Utendum tantum condimento suino ». Verum posthac S. C. s. O. 1. Maii 1839. interrogata an sub nomine *condimenti di grasso* intelligatur tantum adeps suillus an cuiuscumque animalis respondit: intendersi *grasso* di *qualità animale.*

Imo decreto 13. Maii 1896. confirmato a s. P. 15. Maii concessum est, ut *diebus ieiunio consecratis, in quibus Apostolica venia usus condimentorum ex adipe indulgetur,* BUTYRO *quoque per modum condimenti uti liceat.*

Item: An diebus veneris et sabbati, quibus indulgentur condimenta (vulgo *di grasso*), possit iusculum carnis adhiberi. Resp.: « sub terminis *condimenti di grasso* non comprehendi iusculum carnis coctae ». S. Poenit. 30. Ian. 1886. Cf. Acta s. S. 1896. Febr. p. 447.

Rursus: « utrum, quum conceditur indultum pro usu laridi liquefacti (vulgo *distrutto*) solo titulo condimenti: ii, qui ieiunare tenentur, eo condimento licite uti possint etiam in serotina refectione ». Resp. s. Poenit. 16. Ian. 1834. de expresso Leonis XII. oraculo: « quod ii, qui ad ieiunium tenentur, licite uti possunt, in serotina etiam refectione, condimentis in indulto permissis; quia illa, vi indulti, olei locum tenent, dummodo in indulto non sit posita restrictio, quod ea condimenta adhiberi possint in unica comestione ». *

Non tamen, concesso usu laridi, licet eius frustula sicca cum pane comedere; quia concessum est ad modum condimenti, ut teneat locum olei.

Quaesitum praeterea est, an diebus, quibus ova interdicuntur, liceat liquatis ovis leviter tingere herbas. Resp. s. Poenit. 17. Nov. 1897.: *condimentum ex ovis, quando haec prohibentur, non licere.*

Ne scrupulis sit locus, responsum est, licere restantia frustula ex adipe vel alio condimento permisso edere, si censeri possint pars condimenti.

Item non esse inquietandos, qui, quando oleum tantum licet, ad condiendos esuriales cibos, utuntur oleo, quo iam caro fricta fuit. Eod. resp.

1118. Tandem de hora sumendi cibi. Iamvero docet s. Thom. 2. 2. q. 147. art. 7. ad 2. « Ad ieiunium requiritur hora determinata non secundum subtilem examinationem, sed secundum grossam aestimationem ».

Porro aetate s. Thomae tempus solvendi ieiunii seu edendi erat circa horam nonam (tres horas post consuetum tempus extra ieiunium), cuius

rei s. Doctor affert rationem. Postea consuetudo horae meridianae pro solvendo ieiunio inolevit, ipsamque s. Alph. heic supponit. « Nostro tempore, ait Bellarminus (*de Ieiun.* l. 2. c. 2.) magna pars hominum non hora sexta, sed tertia (per annum) prandere solet ». Idcirco diebus ieiunii ad horam sextam dilata refectio. Struggl, n. 27. ait: « horam refectionis moderno tempore esse undecimam aut aliam posteriorem: cum autem dicitur undecima, id intelligendum esse negative, ut non liceat edere ante illam ».

Notabilis anticipatio iuxta alios est plusquam hora: iuxta alios, *probabilius* dicit Ligorius n. 1016., est hora; sed occurrit communissima consuetudo apud plures religiosos anticipandi per horam.

Concludit Ligorius: « Ceterum omnibus licitum est anticipare infra horam etiam sine causa ». Quidquid declamet Concina, probabilior et communior sententia, inquit s. Alphons. l. c. est, etiam notabilem anticipationem non esse grave peccatum, sed leve. Ratio, quia fatentibus omnibus est circumstantia plane accidentalis, sicut in recitatione divini officii. Nec frustratur finis ieiunii, quia incommodum experieris dein postea, si non prius.

Rationibus anticipandi ab A. allatis adde: si debeas habere concionem, si lecturus es ad mensam vel aliis inserviturus, si negotium instet, quod mentis occupationem paulo post meridiem requirat etc. v. gr. habere debeas lectionem in schola.

Ex dictis resolves.

III. 1. Non solvitur ieiunium per divisionem prandii, ob negotium incidens, vel si quid sumatur per modum medicinae, vel ob debilitatem aliamve causam rationabilem, uti apud Religiosos faciunt ministri et lectores mensae; quia non nisi unicam refectionem intendunt. Et hinc Sanchez *Consil.* l. 5. c. 1. dub. 24. Escob. t. 1. e. 7. c. 3. n. 29. excusant famulos mensae ministrantes, si aliquid praegustent aut ex reliquiis gulose sumant, tum ut melius serviant, tum ut famem sublevent (intellige si cum illorum refectione licita moraliter uniatur). Nec solvitur per sumptionem electuariorum, vel crebriorem haustum (ante quem modicum sumere, ne potus noceat, permittit Azor Escob. tom. 1. e. 7. c. 3. n. 28.) et quidem toties, quoties biberit, dummodo non in fraudem ieiunii v. gr. 5. vel 6. amygdalas vel quid simile Regin. etc. cum Dian. p. 1. t. 9. r. 24.; quia ordinantur potius ad alterationem corporis vel digestionem ciborum, quam nutritionem.

Excipe tamen, 1. si quis sumeret lac, iusculum et similia, quae sive sorbeantur sive comedantur, non habent rationem potus sed cibi, ac principaliter referuntur ad nutriendum: 2. si quis poma, pira vel etiam uvas in magna quantitate sumeret; quia habent rationem cibi. Dicast. et alii 6. Dian. p. 9. t. 6. r. 14. 3. Nisi quis in magna quantitate electuaria in fraudem ieiunii sumeret. Qui vero in potu valde excederet, contra temperantiam quidem, non tamen contra ieiunium peccaret, saltem mortaliter. Laym. l. c. n. 7.

1119. Quando interrumpitur ob negotium, quidam concedunt vel spatium horae: alii extendunt ad duas horas: alii ad longius quodque spatium, dummodo intentionem habuerit revertendi et prius non se

sufficienter nutriverit. Imo, addit s. Alphonsus n. 1020.: « etiam casu, quo non habuerit illam intentionem, si quis tamen ob interruptum prandium non posset tolerare ieiunium sine gravi incommodo, puto posse redire; quia Ecclesia nunquam intendit obligare ad diem transigendum sine sufficienti refectione ».

Si vero nulla sit causa, quidam horae quadrantem vel quadrantem cum dimidio, quidam etiam semihoram putant non interrumpere, etiamsi decreveris non amplius comedere: sed haec intelligenda sunt, si spectatis adiunctis vel aliorum convivarum vel loci etc., aliquo modo prandium perduret. Si vero quis a mensa surrexit cum animo non amplius comedendi, merito probabile est, posse manducare, si adhuc alii convivae manducent, vel si apponatur aliud ferculum, quod quis ignorabat esse apponendum; quia moraliter prandium durare censetur.

Multo vero magis, si quis ad alium locum divertat, ut reliqua alia accipiat v. gr. ad officinam dictam *Caffè*.

Prandium protrahi posse non contradicit per se unicae comestioni. Quidam ad duas horas permittunt et probabile dicit s. Alphonsus n. 1020. Addit, Elbel et Gobat concedere saltem Germanis, iuxta eorum morem tres aut quatuor horas; quae consuetudo an probata sit, merito dubitat Croix, nisi post duas circiter horas solum apponantur bellaria cibique leviores, maxime si vespere omittatur refectiuncula. « Hoc, inquit s. Alphonsus, nec approbo nec reprobo ».

1120. Quod dicitur licere sumere aliquid *toties quoties,* ne potus noceat, intelligendum est, ne fiat frequenter, quia tunc fieret in fraudem ieiunii. Vid. Ligor. n. 1018.

Electuaria (vulgo *conserve*) confici solent ex saccharo, cedro, iunipero etc.: inter haec non sunt *Caffè et Thè*, quae ad libitum permittuntur. Ligor. n. 1019. de Electuariis.

S. Thom. 2. 2. q. 147. art. 6. ad 3.: « Electuaria etiamsi aliquo modo nutriant, non principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum: unde non solvunt ieiunium, sicut nec aliarum medicinarum assumptio; nisi forte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi ».

Disputarunt, an sola delectationis causa haec licerent in parva quantitate. S. Alphonsus, n. 1019. id negat, quin tamen affirmet, culpam esse gravem. Subdit vero: « Ad excusandum sufficit quaelibet rationabilis causa, licet non tam gravis, puta ad digestionem ciborum, ad confortandum stomachum, ad tollendum foetorem oris, ad conservandam vocem et similia ».

Sic probabiliter, pergit s. Alphons., excusantur, qui aliquid sumunt, ne vires deficiant, quando prandium differre debent ultra horam com-

munem. Imo Croix contendit ad id teneri eum, qui secus non posset ieiunare l. 3. p. 2. n. 1324.

Quaerunt an frangat ieiunium, qui vinum bibit ad sedandam famem.

S. Alphonsus merito probabiliorem dicit sententiam, quae negat n. 1022. et haec plane est doctrina s. Thomae 2. 2. q. 147. art. 6. ad 2.: « Non intendit Ecclesia interdicere abstinentiam potus..., licet aliquo modo nutriat ».

Et rursus in 4. dist. 15. q. 3. art. 4. ql. 1.: « Statutum positivae legis non attendit intentionem observantis, sed ipsum actum, eo quod modus virtutis non cadit in praecepto, sed est finis praecepti ».

Idipsum s. Alphonsus ibid. q. II. statuit de cerevisia et de aqua cum saccharo et succo cedrorum (limonata), licet sit gelu concreta (i sorbetti).

1121. Disputatum est olim, an liceret potio chocolatae: vid. Ligor. n. 1023. Et plures negarunt frangi ieiunium, dummodo non sumatur densa instar pultis et quidem etsi sumatur saepius per diem.

S. Alph. censet potionem hanc, etsi aliquo modo nutriat, esse tamen instar electuarii et ex recepta consuetudine, eius usum in die ieiunii permitti posse; quatenus vero consuetudo se porrigit, quae est, ut ipse censet, pro uno cyatho tantum per diem. Quoad quantitatem, spectata hodierna consuetudine, valde probabile affirmat quod docet Milante, licitam esse chocolatae potionem in moderata sesquiunciae (unciae cum dimidiata) quantitate. Gury, addito etiam pane, vult totalem cibi illius quantitatem excedere non debere, praecisa aqua, pondus duarum unciarum. V. 1. §. 492. q. 4.

IV. Ieiunium non solvitur per collatiunculam vespertinam, etsi haec non ad somnum, sed ad nutritionem ordinetur; quia consuetudo permittit. Addo, vespertinam; quia sine causa non licet illam sumere mane vel meridie: ex iusta tamen causa licet utrumque: ut si fiat ratione debilitatis, negotiorum, studiorum. Sine ea erit veniale tantum, cum non violetur substantia ieiunii.

Quoad eius quantitatem, communiter designatur quarta vel quinta pars integrae coenae, ut contra Dian. 1. p. t. 4. r. 117. Turr. etc. docet Reg. c. 2. l. 6. n. 185. Laym. c. 1. num. 9. Fill. t. 2. tr. 27. p. 2. c. 2. q. 7. n. 33. dicens, ita decisum esse in celebri Academia Theologorum, qui omnes in quartam partem consenserunt. Idem probat Escob. t. 1. e. 13. c. 3. n. 61. si quidem coena ordinaria duarum librarum pondus non excedat; quia talis in reliquis praeceptis modica censetur ac proinde tanto quis magis minusve peccat, quanto magis vel minus transgreditur. Adde, quibusdam locis ex consuetudine plus permitti secularibus, quam religiosis, nobilibus, quam plebeiis et in frigidis regionibus, quam in aliis, ut notat Laym. l. 4. t. 8. c. 1. et Bonac. l. c. Plus item quibusdam in locis in vigilia Nativitatis Domini et alibi in Coena Domini, permitti ex consuetudine, dicit Med. Caiet. n. 34. et Sanch. in opusc. Escob. t. 1. e. 7. c. 3. Quod Bon. non improbat, ubi ea consuetudo est recepta.

Quoad qualitatem, in ea prohibentur cibi ad nutritionem communiter ordinati quique

infer fercula fere apponuntur. Promittuntur autem leviores, ut fructus aliave ex saccharo et melle confecta et pro more regionis parum butyri et casei, ut in regionibus septentrionalibus, ob fructuum inopiam. Laym. l. c. n. 9.

1122. Bene et sedulo advertendum, quod passim de hac re monent Doctores: quidquid de hac collatiuncula statuitur, id salva quidem lege ieiunii, inniti consuetudini, ad cuius legitimam rationem confert, quod Ecclesiae Praelati silentio suo satis approbant. Porro consuetudo intelligenda est, uti patet, non quae propria fuit praeteritae cuiuspiam aetatis, sed nostrae. Ergo hac in re absonum foret quaestionem decernere ex iis, quae traduntur a DD. diversae aetatis: quia illi de consuetudine sui temporis, non de nunc vigenti, scripserunt.

Doctrinam ab A. traditam circa inversionem temporis s. Alphonsus n. 1024. fatetur esse *communem* et quoad rationabilem causam, non respuit, quod quidam dixerunt, haberi eiusmodi posse *venandi commodum.*

Accedit responsum s. Poenitentiariae Auct. tom. 2. p. 154. n. 1.: « *Ad quaesitum: Utrum in diebus ieiunii possit inverti tempus comestionis, sumendo serotinam refectiunculam infra horam X. vel XI. matutinam, prandium vero differendo ad IV. vel V. horam vespertinam; Sacra Poenitentiaria* die 10. Ian. 1834. *respondendum censuit: Si inversionis supradictae rationabilis aliqua exstet causa, poenitentes, qui hoc more utuntur, non esse inquietandos* ».

1123. Difficultas est quoad quantitatem et qualitatem ciborum in hac collatiuncula.

S. Alphonsus n. 1025. inculcat, « in his attendendam consuetudinem locorum, ut bene advertunt Caietanus *et alii passim.* Certum est enim, quod ubi agitur de consuetudine tam circa ieiunium quam circa omnes alias Ecclesiae leges, quibus nemo negat per consuetudinem derogari posse, auctoritas doctorum recentiorum, licet pauciorum, qui soli de posteriori moderna consuetudine testari possunt, pluris facienda est et sine dubio praeferenda auctoritati, etsi communiori, auctorum antiquiorum, qui nihil de consuetudine in posterum introducenda scire poterant. Cum autem Auctores de aliqua consuetudine testantur, id non temere et sine sufficienti fundamento asseruisse, credendum est.

His adnotatis recte docent DD., antiquitus nihil, praeter unicam comestionem, quae vespere sumebatur, refectionis *(quoad sciamus)* sumptum fuisse nec permissum. Lapsu temporis (a) introductum certe

(a) In Archivio Episcopi Sablonensis (Brixen) ostensum est Card. Garampi ann. 1761. documentum donationis sec. XIII. cum onere subministrandi vinum pro refectiuncula cappellanorum illius ecclesiae diebus quadragesimae post completorium; quae refectio, ait idem, adhuc durat, cum exhibeatur iis sacerdotibus tantum vini quantum unico haustu absorbere possunt. Cf. D. Gregorio Palmieri. Diario del Card. Giuseppe Garampi pag. 19. An vino tantum boni illi Germani contenti erant? E.

fuit, ut aliquid parum fructuum, herbarum aut dulciariorum permitteretur *ad medicinam,* ne potus noceret, ut s. Antoninus de sua aetate testatur. Posteriores aliqui nonnulla admittebant, ne insomnis nox transigeretur, non vero ad nutritionem. Postmodum consuetudo obtinuit, ut etiam ad nutriendum sumeretur aliquid panis et fructuum, usque ad tres aut quatuor aut, ut alii dicebant, ad sex uncias.

Recentiorum, inquit s. Alphonsus, non una est sententia. At vero nota, recentiores heic dici *Filliuccium, Laymann, Sporer, Busembaum* etc., qui duo ante secula floruere. Verum et s. Alphonsus, qui haec scribebat, fere uno seculo a nobis distat.

Quidquid sit, alii ex *illis* recentioribus, ut Busembaum, statuerunt ceu normam aequam, *quartam partem* coenae idest prandii. De qua re s. Alphonsus: « Sed haec regula non multum mihi arridet; nam vel potest esse nimis indulgens et ideo eam reprobant Salmanticenses et Diana cum aliis, vel saltem est valde obscura scrupulisque obnoxia ».

Adderem, eam posse esse iusto rigidiorem, si cui consueta coena soleat esse frugalis.

Eandem tamen defendunt doctores, maxime Germani eamque convenire cum norma, quam alii proponebant, sic innuit Sporer *de Ieiun.* n. 27. tom. 1. pag. 263.: « Si quis enim in coena soleat sumere ad triginta uncias, duas circiter libras: quarta pars licite ascendet ad octo uncias, mediam circiter libram » (a).

1124. S. Alphonsus n. 1025. ut regulam certiorem statuat et scrupulis non obnoxiam, ait: « Melius igitur alii communiter asserunt, permitti in collatiuncula octo uncias cibi »: post quae addit auctoritatem DD., qui hanc praxim modo *timoratorum propriam* dicunt, modo *ab omnibus receptam,* modo *communiter a piis admissam* etc.

In eandem sententiam ait Ligorius consentire p. Milante, utut rigidarum sententiarum fautorem. Cuius etiam affert hanc conclusionem, quod « *iusta ex causa poterit esse maioris ponderis,* (quam octo unciarum), *quando videlicet aliquis maiori eget nutrimento* ».

(a) Quaestio orta est, quid nomine *coenae* in hac regula veniat. B., ut patet heic et ex nota apud Gury tom. 1. n. 497., censuit intelligi prandium, quod circa meridiem sumitur quodque in quadragesima solet vocari coena. Id certe colligitur ex Pichler l. 3. tit. 46. n. 6. aiente: *plurimi permittunt quartam partem iusti prandii vel coenae integrae ac plenae,* ex Reuter part. 2. tr. 3. q. 8. n. 174.: *ut cuilibet liceat quarta vel quinta pars prandii seu refectionis iustae* et Gobat Quin. tr. 3. c. 28. n. 203.: *consuetudo permittit, saltem in Germania, practicari doctrinam Filliuccii, Reginaldi, Laymann tradentium posse libere pro refectiuncula vespertina tantum comedi ex rebus permissis, quantum aequat quartam partem iusti prandii.* Cum hi tres Germani sint, vix dubitare licet non esse eos assecutos sensum regulae in Germania usitatae. His accessit Lehmkuhl vol. 1. n. 1211. 3. Fuerunt tamen qui in Ballerini carperent hanc interpretationem et vellent, coenam, cuius quarta pars in vespertina refectiuncula permittitur, esse coenam vespertinam ordinariam extra dies ieiunii. Quod quidem potest suaderi ex aliis auctoribus. Ita Tamburini *Decal.* l. 4. c. 5.

Subdit autem Ligorius: « *Quod ultimum etiam communiter DD. admittunt* ». Et inde concludit: « Quapropter cum censeant Salmanticenses (cum multis aliis), duas uncias in refectiuncula non reputari excessum gravem; consequenter tenere debent, eum a culpa excusari, qui maiori indiget nutrimento et per duas tantum uncias (mezza pagnotella) coenulam excedit ».

Sedulo autem advertendum, quod ibidem notat s. Alphonsus « Quantitas, inquit, octo unciarum ita hodie usu recepta est, ut indistincte permittatur etiam iis, qui cum ista ad satietatem reficiuntur ». Videlicet haec mensura ita probata est consuetudine, ut qui ea utitur possit quidem peccare contra temperantiam, si necessitatem excedat, non peccet tamen contra ieiunium. Et hoc apprime retinendum ad sedandos scrupulos.

1125. Quod Auctor dicit, plus permitti secularibus quam Religiosis, verum erit, si religiosi illi peculiaribus hac in re utantur Constitutionibus.

De discrimine inter nobiles et plebeios, reipsa ratio non apparet, nisi dicatur, nobiles minus pati posse inediam et tunc ad confessarium pertinebit dispicere, an indigeant excessu illo, qui maiori nutrimento indigentibus indulgetur.

Discrimen vero ratione caeli frigidioris vel calidioris communiter admittitur, et sana regula est ut spectetur praxis, quae etiam in timoratorum ac piorum consuetudine quoquo loco viget.

In vigilia Nativitatis Dominicae quidam apud Ligorium concedunt caenulam duplo maiorem: alii doctores Hispani et Germani, de fructibus, herbis et dulciariis permittunt quantumlibet, dicentes hanc esse consuetudinem; quam in Sicilia adesse negat Mazzotta. Sed rursus heic dicendum: consuetudo unius loci non impedit diversam alterius loci consuetudinem. Illud etiam notant, concedi hanc maiorem coenulam, licet incidat in *quatuor tempora*, quando scil. festum Nativitatis incidit in feria secunda.

§. 3. n. 1., qui loquitur de quarta parte *solitae coenae et subdit*: *communiter vix ad 32. uncias hominum coena solet ascendere:* item Viva Cursu Theol. *de Legibus*, *de Ieiunio*, art. 3. ait: « *quis enim vespere comedat plerumque ultra* 32. *uncias?* Porro, prandium Germanorum non his angustis limitibus videtur contentum esse imo nec aliorum, si Dianae tom. 4. tr. 6. resol. 119. n. 1. credimus, aienti: *neque* (haec regula de quarta parte) *est tuta in praxi; quia per comestionem intelligit meridianam coenam et quidquid intelligat, est falsissimum; quia in his comestionibus communiter homines ita magnam quantitatem assumunt, ut quarta pars sit quantitas notabilis: testes appello Hispanos, Gallos, Flandros, Germanos*.

Manifestum est non omnes, qui huius regulae, *de quarta parte coenae* mentionem fecerunt, eodem sensu accepisse vocem *coenae*. Neque constat, an apud omnes eadem sit notio *unciae* et *librae*. Nostrum haud est hanc quaestionem exegeticam dirimere nec opus esse putamus; nam id nobis satis esse potest, quod, cum Germani, ut Sporer, rem pressius definiunt, eo tandem rem adducunt ut *quarta pars* respondeat, plus minus, *octo unciis*, quae st regula a. s. Alphonso probata. E.

In vigilia Paschatis et Pentecostes permittiturne idem? Salmanticenses negant duplicem coenulam et item Viva, licet concedant decem aut undecim uncias. Subdit s. Alphonsus: « *Sed de hac consuetudine apud nos etiam dubito* ». Dicemus: ubi non constat de consuetudine, omittetur. Olim Romae in Sabbato Sancto consuetudo permittebat ova et caseum: dein sublata est. Sed quod non exstet Neapoli, non efficit, quominus vigere alibi possit, sicut consuetudinem pro feria in coena Domini memorat A. noster.

Illud denique advertite, quosdam ad excusandam maiorem quantitatem excogitasse laborem illius noctis, in qua vigilari solet et cani matutinum. Sic non omnibus concedenda foret sed solis vigilantibus.

1126. Sequitur quaestio de qualitate ciborum in Caenula. Duae heic sunt quaestiones generales: aliae dein speciales. Prima generalis est, an liceat uti qualibet esca ex propriis quadragesimae.

Auctor statuit principium, non sumendos esse eos cibos, qui ordinantur ad nutritionem. Qua de re Salmanticenses (cap. 2. n. 77.): « Respondetur sumi primo posse *panem*, poma, arborum fructus, amygdalas, uvas recentes et siccas, oleas, nuces, pyra, herbas crudas et coctas et oleo aliquo immixtas, insalata, dulciaria et alia bellaria. Tum quia praedicti cibi non sunt ex his, qui ordinantur ad sustentandam naturam et nutriendam: tum etiam quia sic obtinuit consuetudo ». Non negatur quod hi cibi aliquid conferant ad nutritionem, plus minus; sed non sunt certe ex iis, quos homo sumat quando se nutrire famemque satiare intendat: si excipias forte panem, qui, etsi nutriat, ceteris esurialibus cibis accensitus est, quia necessarius est ad fovendam digestionem ciborum, aiunt Salmant. l. c. n. 80.

Verum superius audivimus ex s. Ligorio, consuetudinem obtinusse, ut aliquid sumeretur etiam *ad nutriendum*. Ergo ea regula non amplius valet.

Iidem Salmant. non audent permittere pisciculum aut fumo siccatum aut aceto seu sale decoctum (marinato). At quid ubi desunt illi fructus, quos enumeratos vidimus? Quid quando anni sterilitas eos nec regionibus, quae alioquin solent iis abundare, praebuere?

Hinc in Germania axioma invaluerat, licite vesci quempiam ex quolibet quadragesimali cibo, quo quis vescatur ad prandium. Alii prope duo ante secula dicebant, consuetudinem invaluisse vescendi pisciculis; alii quibusvis piscibus, dummodo debita servetur quantitas. Concludit Ligorius n. 1028. « Bonacina, Viva ac Mazzotta probabiliter aiunt, hodie ex consuetudine iam apud nos recepta (quam mihi confirmarunt alii docti et probi iuniores) posse sumi in coenula exiguam partem v. g. duas vel tres uncias piscis maioris ». Et affert

sententiam rigidi Milante aientis: Ut ingenue meam in re proferam sententiam, attenta praesenti disciplina, sine ullo scrupulo posse etiam magnos pisces in eadem quantitate permitti existimo... Unde sicut hodie in prandio licet grandes pisces comedere, licet pariter in coenula cum debito moderamine manducare. Nolunt scilicet totam quantitatem coenulae esse ex pisce maiore; quia id nimis nutriret, sed partem illius tantum.

Qua de re, ut graves viros doctosque audivi, generatim statui posse videtur, non inquietandos eos, qui qualitatem ciborum quadragesimalium (non eorum, qui ex indulto permittuntur pro unica comestione) servant nec totalem quantitatem excedunt; quidquid demum sumant. Ubi advertendum, non ubique semper praesto esse ea, quae Theol. in suis cubiculis praescribunt nec omnes stomachos esse eiusdem vigoris aut temperamenti, ut quisque quaeque ferre commode possit. Neque ubi tam difficile est observantiam sacri ieiunii obtinere a tepidis ac frigidis fidelibus, difficultatem augere prorsus expedit, utut suaderi veterem praxim piis expediat.

1127. Alia capitalis controversia efferbuit, an ullo modo attendenda esset qualitas ciborum: nam quidam docuere, iisdem cibis licere uti in coenula ac in prandio, etiamsi ex dispensatione usus concederetur ovorum (de carnibus non est quaestio). At vero, inquit Sporer *de Ieiunio* l. c. n. 32.: « spectata moderna consuetudine, praesertim in nostra Germania iamdiu tolerata et plane invalescente, censeo, non tantum omnia praedicta licitissime absumi in collatione, sed etiam omnino probabilem et tutam esse sententiam..., in collatione vespertina ieiunii non esse attendendam qualitatem ciborum, sed quantitatem tantum: adeo ut ex omnibus, cibis, qui die ieiunii licite possunt sumi in prandio, etiam piscibus, leguminibus, placentis, ovis, lacticiniis etc., etiam liceat sumere in coena. Id expresse docent Caietanus, Bonacina et noster Petrus Marchant, qui expresse: *Respondeo ego, in collatiuncula vespertina de qualitate cibi non esse altercandum, sed de quantitate dumtaxat* ».

Additque Sporer: Ego miror Patrem Paulum Laymann (l. 4. tr. 8. c. 1. n. 9.) alias tam bonum Germanum, in hac sola materia patriotis suis fuisse tam austerum » (a).

S. Alphonsus n. 1027. hanc regulam (n. 55.) non probat universe,

---

(a) Ita in vetusto mss. suo codice, quem excribimus, ante annum 1862 exarato et mihi tunc exhibito, reperitur a P. Ballerini allatus hic textus Sporer. Quocirca si in aliqua ex prioribus editionibus Guryanis in alium sensum relatus apparet, id nescio cui inadvertentiae tribuendum est, quae animis quoque vel maxime vigilantibus identidem subrepere solet. E.

nam quod spectat ad esum ovorum, hunc omnino negandum ait; quia ova sunt maximae substantiae et ideo a consuetudine communiter reiiciuntur. Quoad sumptionem exiguae quantitatis casei vel butyri, quam quidam indiscriminatim permittunt, « hoc, inquit probabiliter, admittitur apud nos et in usum deducitur a pluribus perdoctis iunioribus et praesertim ab doctissimo meo magistro et Illustrissimo Episcopo Iulio Torni, pro eis, qui iam sunt dispensati ad lacticinia; modo non sumatur plusquam una uncia casei, aut ad summum una cum dimidia. Idem ait Palaus de biscoctis cum ovis vel butyro confectis, modo ex iis non sumatur plusquam una vel altera uncia ».

Verum, ut ipse subdit, tum declaratio Benedicti XIV, qua omnes fideles ligari ibidem Ligorius evincit, tum posterior Constitutio Clementis XIII, *Appetente* 20. Dec. 1759. omne dubium eximunt. Conqueritur ss. Pontifex nova opinionum commenta et novas a vera ieiunii vi et natura abhorrentes consuetudines invectas, inter quas memorat usum sumendi potiones lacte permixtas: « Contra quam, ait, praedictus praedecessor noster (Benedictus XIV.) censuit tam dispensatos a carnium abstinentia, quam quovis modo ieiunantes, unica excepta comestione, in omnibus aequiparandos esse iis, quibuscum nulla est dispensatio ac propterea tantummodo ad unicam comestionem posse carnem vel quae ex carne trahunt originem (ova et lac) adhibere ». Hinc concludit s. Alphonsus: « Itaque dispensatis non permittitur in collatiuncula alius cibus nisi ille, qui permittitur non dispensatis » scil. mere quadragesimalis.

1128. Nihilominus existimandum non est, hanc in universa Ecclesia praxim servari. Ita, prout ipse testis fui, in Mediolanensi Diocesi licitus est esus casei in collatiuncula. Ita usu receptum alibi scio, ut in Neerlandia, ubi et parum lactis admiscetur potioni theae.

Ad universale igitur principium redeundum est, consuetudines cuiusque loci servandas esse. Nam sive id usurpetur vi alicuius dispensationis, sive consuetudo legi derogaverit, haec utpote legitima licitum usum earum escarum facit.

Et id ipsum de quantitate diiudicandum. Si enim frigidius caelum effecit, ut ex consuetudine amplior quantitas usurpetur, haec ceu illicita reprehendi non debet, nec inquietandi sunt, qui ad receptam legitimam consuetudinem mores suos exigunt.

Quoad collatiunculam notandum Rescriptum s. Poenitentiariae, ex expresso oraculo Leonis XII. quoad iam allatum est heic sub. n. 1117.

Ubi advertite, interrogationem fuisse *de solo larido;* responsum vero latius esse et decernere *de omnibus condimentis in indulto permissis:*

quocirca idem valere de butyro, postquam indultum fuit hoc condimentum pro unica comestione.

1129. S. Ligorius n. 1029. quaestiones alias refert motas de leguminibus, herbis coctis vel crudis, tum etiam de pane cocto cum aqua. Et varias refert sententias Doctorum: in quibus diiudicandis habenda est quoque ratio principiorum, a quibus pendent. Qui enim statuunt, *nihil sumi posse ad modum nutritionis*, palam est, eos admittere non posse id, quod contra sentientes admittunt.

Salmanticenses octo uncias admittunt ex leguminibus, si sint igne tosta: negant legumina sumi posse cocta aquis; quia, inquiunt, id non admittit consuetudo. At quis nunc apud nos dicat, obstare consuetudinem?

Aliunde si octo uncias farri, oryzae, fabarum, cicerum sumas et aqua cocta velis comedere, pulmentum eiusmodi exhibebunt, quod consuetudo et communis aestimatio habebit uti quid nimium. Idem dicito de pane cocto cum aqua, vel de vermiculis ac pastillis (vermicelli e maccheroni).

S. Alphonsus refert et non improbat sententiam eorum, qui quatuor aut quinque uncias panis aqua coctas non denegant additque id a fortiori dici posse de leguminibus herbisque, quae minus nutrimentum praebent quam panis. Cf. Gury vol. 1. §. 500. q. 7.

Quaeritur, ait Gury l. c. q. 6., an liceat in coenula uti iusculo ex herbis coctis cum aqua, aceto, oleo aut vino decocto. Et respondet affirmative, nisi consuetudo adversetur, tum vero ait non esse computandam in pondus aquam aut vinum, bene tamen oleum, iuxta Viva, quia habet rationem cibi. Cum tamen olei modicissima pars adiungatur, Vivae animadversio aliaeque id genus, leviores videntur, quam ut vel Theologus iis serio immoretur vel confessarius scrupulose inquirat, eo vel magis, quod minutae huiusmodi dispositiones iudaicum potius quam Ecclesiae spiritum redoleant.

Certe concedendum est, ut quis panem vino intingat et sic etiam octo uncias panis edat, quia nulla interveniente fermentatione, vinum non est nisi potus.

Ceterum prudentia exigit, ut multa discretioni fidelium reliquantur, et confessarius utique corrigere debet, si certe excessus deprehendat; sed sponte ipse nec in tribunali poenitentiae nec in catechismis debet his quaestionibus fideles vexare. Et in hisce quoque non minimum tribuendum est consuetudini, quae v. gr. panis cum aqua cocti aliquid non negat illis, qui aliter stomacho laborarent nec alios facile cibos, saltem solos ac frigidos paterentur.

V. In confessione non sufficit dicere: non servavi aut fregi ieiunium, sed addendum utrum refectione multiplici an esu carnium. Et si hoc, utrum semel an saepius quantitatem notabilem sumpserit: quia probabile satis est etiam in hac materia parvitatem a mortali excusare, ut docet Bonac. t. 2. d. ult. p. 1. q. 2. et Tann. t. 3. d. 3. q. 3. dub 5. verbi gratia si coquus aut aegroti minister parum carnis praegustent, Escob. l. c. n. 54. Sanchez *in Opusc.* t. 2. l. 5. c. 1. dub. 12. num. 10. vel ex aliis cibis quartam tantum partem collationis serotinae, sive unam vel duas uncias sumat; hanc enim esse materiam parvam, cum Turrian. et Leon. docet Dian. p. 5. t. 5. r. 11. et p. 8. t. 7. r. 54. esse probabile. Si autem saepius eodem die parum sumeret, peccaret graviter; quia materiae illae coalescerent in unam magnam, ut contra Salas docet Dian. p. 3. t. 6. r. 43. *Accedit auctoritas Pontificia damnans opinionem oppositam. Vide Propos. 29. inter proscriptas ab Alexand. VII. * Denique, si sit in quadragesima, utrum fregeris esu ovorum aut lacticiniorum. Tametsi etiam Dian. t. 9. r. 54. et t. 6. misc. r. 80. citans multos Doctores dicat, certum esse, quod sit mortale, si non ex iure positivo, saltem ex consuetudine, in omnibus fere mundi partibus recepta, vesci ovis et lacticiniis in quadragesima; probabile tamen est et tutum (saltem in Germaniae partibus) esse tantum veniale Laym. c. 1. n. 3. Fagund. l. 1. c. 2. etc. * Hac de re lege Proposit. 32. inter damnatas ab Alexand. VII. * Tum quia, licet consuetudo habeat, ea tamen non semper sub peccato, praesertim mortali, obligat. V. Fill. t. 27. c. 3. Bonac. n. 2.: tum quia Ecclesia non tam graviter ad hoc obligat; ut patet tum ex verbis ipsis, tum ex faciliore dispensatione in his, quam in carnibus. Ob quam causam etiam laridi et adipis usum facilius concedi posse pauperibus, docet Laym. l. 4. t. 8. c. 1. n. 5. Imo ait, nec divitem propter eum usum continuo damnandum esse peccati mortalis, praesertim cum Sylv. verb. *Ieiunium* et alii dicant, ei, cui ovorum et lacticiniorum usus permissus est, etiam laridi et sagiminis permissum videri: idque non improbet Azor, l. 7. cap. 10. q. ult. V. Laym. hic, Fagund. p. 4. l. 1. c. 2. n. 20., ubi dicit, pinguedinem inter carnes non computari. V. Dian. p. 1. t. 9. r. 21. Verum in his videndum ubique, quid recepta piorum consuetudo ferat, a qua non temere recedendum. Azor, l. 7. c. 10. q. ult.

Dixi: *si sit in quadragesima;* quia extra eam licite vescitur ovis, qui debet ieiunare, v. gr. ob iubilaeum. Henric. etc. vel ex poenitentia sacramentali. Fag. vel ex voto aut in vigilia. V. Dian. p. 1. c. 9. r. 5. et 6.

1130. * Duplex est praeceptum, unius comestionis et abstinentiae a carnibus etc. atque hoc violari potest, manente ieiunio, hoc praeterea est negativum, obligans pro semper tota die. Cum ergo alia sit lex unius comestionis, alia lex abstinentiae, oportet in confessione distincte dicere contra quam legem quis peccaverit et si peccavit contra alteram, etiam dicere, quoties peccavit. Monet tamen A. quod in transgressione alterius legis potest habere locum parvitas materiae; qua de re s. Alph. heic reiicit cum Salmant. sententiam, quod dimidiata uncia carnis sit materia parva et affert horum doctrinam, quin improbet aut probet disserte, ad carnem quod spectat (nam non est eadem ratio de carne, quae magis nutrit ac de aliis cibis), parvam materiam esse tantum octavam partem unciae. Verum probabilis nobis est sententia in his cibis materiam certe gravem esse tantum, quae duas uncias saltem attingat; nam quanti est octava pars unciae imo una uncia? Idem dicendum multo magis de ovis et lacticiniis. Cf. n. 1155.

Quoad alios vero cibos, qui in coenula permittuntur, materia parva pro fractione ieiunii iuxta A. nec heic s. Ligorius contradicit, est quarta pars coenulae sive duae unciae. Ita et Gury tom. 1. §. 494. q. 7. et s. Alphonsus n. 1025., consentire videtur, ubi de coenula loquens, ait: « Cum censeant Salmant. cum Sanchez, Viva, Elbel, Sporer etc. duas uncias in refectiuncula non reputari excessum gravem, consequenter tenere debent » etc. nec ullo modo significat se eam sententiam improbare, quae ceteroquin est multorum doctorum. At si ponamus duabus unciis carnis attingi tandem materiam gravem: aliquid plus, quam duae unciae ciborum quadragesimalium, pro gravi materia forte requiruntur.

Quod materiae seorsim parvae eodem die sumptae coalescant in unum et perinde sint ac una ex iis comestio, patet; quia omnes reapse conferunt ad effectum nutritionis non secus ac si simul sumerentur, quemadmodum parvula furta coalescere possunt in damnum, contra quod graviter dominus sit invitus. Fieri ergo potest, ut qui saepe in die modicum quid comedit, tandem graviter peccet. Constat id praeterea ex damnata ab Alex. VII. prop. 29.: « In die ieiunii qui saepius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit ieiunium ». Hoc pacto profecto frustra esset lex ieiunii.

1131. Sententiam A. circa esum ovorum et lacticiniorum, quod probabile sit hanc legem obligare tantum sub veniali, s. Alph. heic improbabilem dicit, propter prop. 32. damnatam ab Alex. VII. « Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in quadragesima obliget ».

Videtur s. Doctor probare argumenta Viva (quocum sentiendum dicit n. 1007.) in hanc prop., quibus ostendit consuetudinem hanc antiquissimam esse, allato Can. 56. Conc. Trullani, quidquid sit de eius auctoritate, et eam consuetudinem esse, quae sub gravi obliget; tum quia materia est gravis et in re gravi, nisi aliud clare constet, lex Ecclesiae obligat graviter, tum « quia ideo consuetudo aliqua est evidenter obligatoria, quia est communis persuasio fidelium et communissimus Theologorum sensus, quod obliget, esto non constet aliunde, quod habuerit olim omnia, quae requiruntur ad hoc ut aliqua consuetudo obliget (quae tamen merito, posita ea persuasione, praesumuntur): atqui est consimilis Fidelium persuasio et Theologorum unanimis consensus, quod haec obliget graviter: ergo ». Ceterum nec prorsus deest ius scriptum. Nam in *c. Denique dist.* 2. iam superius citato, s. Gregorius de quadragesimali ieiunio loquens, ait: « Par est, ut qui his diebus a carnibus animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quae

sementinam trahunt originem carnis, ieiunemus, a lacte videlicet, caseo et ovis ». Ubi gravitas quidem obligationis disserte quoad haec non edicitur, sed cum de re gravissima agatur, cuiusmodi est observatio ieiunii quadragesimalis, iniurius videretur in s. Gregorium, qui supponeret ipsum una, absque distinctione, permiscuisse, quae graviter et leviter obligant. De hac abstinentia ab ovis et lacticiniis in quadragesima loquitur s. Thomas 2. 2. q. 147. a. 3. tanquam de ea, quam Ecclesia praecepit. « Et ideo ab his cibis (carne, lacticinis, ovis) praecipue ieiunantibus Ecclesia statuit esse abstinendum. » Et ad 3.: « In ieiunio quadragesimali interdicuntur universaliter etiam ova et lacticinia ». Quod si sub levi haec interdicta putasset s. Thomas, id certe indicasset, cum simul etiam loquatur de interdictione carnium, quae certe est gravis, vel potius de ea mentionem haud fecisset. Habemus ergo testem s. Thomam quod aetate sua haec consuetudo obligatoria erat et sub gravi atque praeterea erat universalis. An exceptio est quaedam pro Germania? Laymann ab A. citatus, non dicit, quod videri posset lectori, legem huius abstinentiae in quadragesima ab ovis et lacticiniis probabiliter obligare solum sub veniali, saltem in Germania; sed dicit esum ovorum et lacticiniorum pro tempore quadragesimae permitti in quibusdam provinciis, sicut in provinciis Germaniae, quod prorsus est aliud; nam indulta huiusmodi vel dispensationes supponunt legem: neque Laymann loquitur de levitate culpae. Fruantur ergo Germani aliique septentrionales suis privilegiis iusta ex causa concessis; sed non negetur universalitas legis illiusque gravis, cui sola auctoritate Ecclesiae seu sanctae Sedis dispensantis derogari potest, sive consuetudine ab ipsa probata legitima, de qua consuetudine loquitur Lessius l. 4. c. 2. n. 8. inquiens, quibusdam locis consuetudinem permittere lacticinia, etiam in quadragesima, exceptis paucis diebus, ut in Belgio.

1132. Quaerit s. Alph. n. 1010. an cui licitum est edere lacticinia, liceat etiam edere laridum et sagimen. Allata autem sententia affirmantium quorundam; quia haec non sunt vere caro, sed potius excrementum carnis, sicut est lac, et sententia Tamburini *Decal.* l. 4. c. 5. n. 14. quod laridum nondum igne liquefactum sit censendum caro, liquefactum vero et in sagimen reductum, probabiliter inter lacticinia recensendum; ipse s. Doctor subdit: « his omnibus non obstantibus, omnino videtur non recedendum a sententia communi », quae docet laridum et sagimen veras esse carnes (a), cum vere de substantia carnis participent. Atque huc facit regula superius tradita n. 6. haben-

---

(a) Adeps est quidem de substantia animalis, sed esse carnem plures negabunt. E.

dam esse in his rationem communis existimationis fidelium. Iuxta quam sententiam, non dispensatus ad edendas carnes, etsi dispensatus ad lacticinia, non posset iis cibis vesci: quamvis Laymann l. c. n. 5., propter probabilitatem sententiae primae, speculative acceptae (nam ait, in praxi obstare consuetudinem), concedat non facile condemnandos de mortali etiam divites, si ubi permissus est esus ovorum et lacticiniorum, sagimine seu larido utantur in cibis condiendis. Confer praeterea dicta n. 1118. *

Dub. II.

De causis excusantibus a ieiunio.

VI. Respond. Hae sequentes. 1. Superioris dispensatio, qua tamen non est opus, si necessitas sit evidens, sed in dubio tantum idque sive ad esum carnium sive ad secundam refectionem. Talis autem superior est Episcopus et Parochus, etiam praesente Episcopo, quando legitima consuetudo sic habet. Imo Sylv. et Sanch. *de Matr.* lib. 8. d. 9. num. 27. et in opusc. t. 2. l. 5. c. 1. dub. 5. num. 18. absolute affirmat, posse dispensare praesente Episcopo; quia, inquit, ad Episcopum non recurritur in minimis, ut usus habet; quod Episcopi sciunt et non contradicunt. Verum id totum pendet ab usu et consuetudine, sine qua non licebit. V. Trull. l. 2. c. 3. d. 7. Item Praelatus et in eius absentia Vicarius illius, ut habet Sanch. l. c., respectu suorum Religiosorum; non tamen Confessarius, licet privilegiatus, si non sit Parochus; quia non habet iurisdictionem in foro externo. Sanchez l. c. contra Pal. Unde tantum potest iudicare de iustitia causae. Causa autem valida ad dispensandum erit vel vera, vel quae talis putatur; sufficit enim credulitas inculpata. Item, cum quis bona fide putat se a ieiunio excusari, etsi causa insufficiens sit, tantum venialiter peccare, docet Caiet. At si vere bona fide putet, se plane excusari, nullo modo peccare videtur.

1134. S. Thom. 2. 2. q. 147. art. 4.: « Statuta communia proponuntur, secundum quod multitudini conveniunt. Et ideo legislator in eis statuendis attendit id, quod communiter habetur et in pluribus accidit. Si quid autem ex speciali causa in aliquo inveniatur, quod observantiae statuti repugnet, non intendit talem legislator ad statuti observantiam obligare. In quo tamen discretio est adhibenda. Nam si causa sit evidens, per se ipsum licite potest homo statuti observantiam praeterire, praesertim consuetudine interveniente, vel si non posset de facili recursus ad superiorem haberi. Si vero causa sit dubia, debet aliquis ad superiorem recurrere, qui habet potestatem in talibus dispensandi. Et hoc observandum est in ieiuniis ab Ecclesia institutis, ad quae omnes communiter obligantur, nisi in eis fuerit aliquod speciale impedimentum »,

Si dispensat Papa, dispensatio erit valida, etiamsi sine causa concedatur. Peccare eum tamen tunc saltem venialiter communis est sententia.

Episcopi autem et parochi possunt dispensare cum singulis, non vero cum tota communitate: licet Episcopo ob specialem causam id plures doctores non negent. Ait s. Alph. n. 1032. 2.: « Summus Pontifex Benedictus XIV. in Bulla *Prodiit iam dudum*, dixit sententiam oppositam, nimirum non posse Episcopos pro universo grege dispensare in lege ieiunii, esse non modo communiorem, sed etiam magis rationi consentaneam ». Et in *Hom. Apost.* tr. 12. n. 22.: « Ad dispensandum cum integra communitate circa qualitatem ciborum, Sedi Apostolicae reservatum est, ut declaravit Bened. XIV. in bulla *Non ambigimus* ». Sine ulla causa dispensatio esset nulla.

Superior religiosorum et eo deficiente Vicarius. Ergo non indigent Religiosi recursu ad Episcopum et multo minus ad parochum.

Abbatissae et generatim Superiores monalium non possunt dispensare; quia nullam vere habent iurisdictionem.

Quoad parochos, s. Alph. *Hom. Apost.* l. c. consentit cum A. quod possint cum singulis dispensare etiam praesente Episcopo, vi consuetudinis, quae dat iurisdictionem.

1135. Superior potest dispensare non modo quando causa est sufficiens; sed etiam quando dubitat, an sit sufficiens: quando vero cognoscit non esse sufficientem ad puram dispensationem, potest dispensationi commiscere commutationem, iniungendo pia alia opera, uti orationes, eleemosynas etc. « Hinc infertur, inquit Sanchez *Consil.* lib. 5. cap. 1. dub. 5. n. 26., minus prudenter agere praelatos, qui subditos recurrentes ad eos in suis dubiis pro dispensatione, nolunt consolari: siquidem hoc tuta conscientia possunt facere vel dispensando omnino, si causa est sufficiens, vel si non est sufficiens, partim dispensando partim commutando ».

Subdit Sanchez ibid. dub. 6. n. 2.: « Causa sufficiens est ad dispensationem absolutam in ieiunio et in cibis prohibitis, quando est talis causa, ut sit dubium, an sine dispensatione ieiunare teneatur vel possit edere carnes etc. Alias enim nullius momenti esset dispensatio; nam quando causa est evidens, potest quis absque dispensatione non ieiunare. Hanc sententiam tenent communiter DD. asserentes, quod quando causa est clara iudicio ipsius vel viri alicuius probi et periti, non est opus dispensatione, quando vero causa adhuc est dubia, petenda est dispensatio a Superiore: sentiunt ergo, hanc causam sufficientem esse ad dispensandum ». Conf. s. Thomas sup. n. 1134.

Quoad medicos. « Medicus pro officio suo potest declarare, aliquem posse comedere carnes vel ratione morbi excusari a ieiunio, quando causa est manifesta *vel dubia* secundum regulas suae artis. Et quod *sat est* causa dubia, probatur; quia quando causa est manifesta, non opus est medici consilio ». Ita Sanch. l. c. dub. 5. n. 28.

Quoad confessarium. Si poenitentes dicant, se non posse ieiunare, quando confessarius non invenit causam certo excusantem, « debet illis dicere, ut experiantur sumendo aliquid mane per modum medicinae et bibendo vinum interdiu: et quando nec hoc modo possunt et habent aliquam causam rationabilem, ut excusentur totius quadragesimae ieiunio, quia habent officium mediocris laboris, quamvis non sufficientis ad excusandum a ieiunio, debet illis dicere, quod experiantur, an saltem tribus diebus in hebdomada; et quando etiam hoc modo est illis valde difficile et adhuc confessarius dubitat de sufficientia causae, consulat, ut petant dispensationem a parocho: hoc pacto cessant omnes scrupuli. Ita Sanchez l. c. dub. 6. n. 3.

VII. 2. Causa est impotentia, qua excusantur, qui sine notabili damno non possunt ieiunare: ut sunt iuniores usque ad annum 21. completum, quibus tamen post septimum annum carnes dari non debent. Item debiles, infirmi, convalescentes, praegnantes, lactantes etc. Ratio est, quia hi omnes egent alimento multiplicato: uti et senes communiter sexagenarii, nisi evidenter constet, posse ieiunare sine damno. In dubio autem, an possint, non tenentur cum periculo tentare fortunam; quia cum de aetate constet et robur sit dubium, non est exspectandum, donec deficiat: tunc enim irreparabilis est defectus. Gran. t. 2. d. 6. tr. 3. p. 1. d. 6. s. 5. r. 39. Escob. Laym. l. 4. tr. 8. c. 3. Tan. 2. 2. d. 3. q. 3. dub. 5. Fill. tom. 2. tr. 27. p. 2. c. 6. et ceteri communiter contra Nav. Sà, Sanch. *de Matr.* t. 2. l. 7. d. 32. n. 17. et par. 2. *Consil.* l. 5. c. 1. d. 4. n. 7. item Dian. p. 1. t. 9., r. 20. etc. qui absolute, sine omni restrictione, sexagenarios omnes a ieiunio liberant. Quam sententiam Trull. tanquam communiorem et magis conformem tempori et imbecillitati humanae, ut ait, sequitur (cum Molf. Ortiz. etc.) l. 3. c. 2. d. 7. n. 3. praesertim cum scrupulis, quibus exponit contraria, liberet. Quidam insuper id extendunt ad eos, qui pro toto vitae tempore certis diebus voverunt ieiunium adduntque esse probabile, quod sufficiat, si annus 60. sit inchoatus; eo quod is in favorabilibus habeatur pro completo. Dian. p. 5. t. 14. r. 83. ex Naldo et Sanch. item p. 9. t. 7. r. 73. ex Trull. et aliis 6. Eademque aetate, uti et ante annum 21. Regulares non teneri ad ieiunia sui Ordinis, probabile affirmat Dian. p. 9. t. 7. r. 73. ex aliis 4., qui etiam probabile censet excusari feminas quinquagenarias p. 9. t. 7. r. 93. ex aliis 4. Denique pauperes, qui non habent alium cibum praeter prohibitum, vel non sufficientem pro unica refectione. Vide Sanchez *in Opusc.* ubi ex Navar. Gabr. Ang. excusat eos, qui laborant tertiana vel quartana, item qui ex vacuitate stomachi notabilem capitis dolorem vel vertiginem patiuntur vel tota nocte calefieri aut dormire non possunt. Neque hos teneri mane sumere collantiunculam et vesperi coenam, notat Dian p. 1. t. 9. r. 51. ex Fill. et aliis 3.; quia nemo tenetur pervertere ordinem refectionum.

1136. S. Alph. nn. 1033. 1034. distinguit impotentiam *physicam* et *moralem*. Physicam impotentiam cernit in infirmis, debilibus, etiam identidem in praegnantibus et lactentibus. Moralis impotentia est, ait, quando ieiunium non sine gravi incommodo sive sine magna difficultate extrinseca, quae magno incommodo aequiparatur, sustineri potest. Reapse est semper eadem causa plus minus gravis. Iuvenes minores anno 21. completo potius quam excusari, dic nondum obligari: h. e. legem eos comprehendere, qui 21. annum excesserint seu triplex septennium.

De debilibus et infirmis. Generatim loquendo infirmi non possunt tantum cibi unica comestione sumere aut ferre, quo aut se sustentent aut vires recipiant. Ergo aut abstinebunt et sic languescent, aut non ferent quantitatem et sic peius habebunt.

Bene autem monet Roncaglia *de Ieiunio*, c. 2.: « Si dubium sit, an talis sit infirmitas, ut valeat eximere ab obligatione ieiunii neque possit consuli medicus, semper favendum est infirmis, valetudinariis etc.; cum semper periculum esse possit, ne malum vel ingravescat, vel redeat. Sub nomine infirmorum veniunt etiam, qui ratione ieiunii patiuntur vertiginem capitis, vel somno privantur, etiamsi differant comedere ad vesperam; cum non intendat Ecclesia illos ad ieiunium cum tanto incommodo obligare ». Haec auctor in fine paragraphi.

De praegnantibus ac lactentibus. Eiusmodi sc. impotentes intelligendae sunt, quamvis aliquae robustae esse videantur. Ratio est, quia nunquam certae esse possunt, ex ieiunio non imminere illis vel foetui aut parvulo lactenti grave aliquod malum et cum indigeant plurimo alimento ac frequenti, simul autem laborare eas stomacho contingat, ieiunando eae facile desinerent esse robustae nec abessent praedicta pericula. Imo suadent Theologi, facile cum ipsis dispensandum esse etiam quoad comestionem carnium, praesertim si hasce dum praegnantes sunt, vehementer appetant: non expleto enim eiusmodi appetitu, periculum interdum subest partus intempestivi. Idem dicendum, si nutrices sint debiles, aut parvulus infirmus, ne grave periculum ipse infantulus subeat. Eadem ratio efficit, ut quidam DD. advertunt ut caveat mulier, ne nimis debilitetur, quando etsi praegnans actu non sit, praevidet tamen se brevi praegnantem fore. Neque enim expedit ut tam debilis in statu praegnationis incidat.

Addit s. Alphonsus, n. 1033.: « Imo praegnantes peccarent, si pluries ieiunarent; licet forte unum aut alterum, si valde sint robustae, prohiberi ipsis non debeat ».

1137. S. Alphons. n. 1034. ex impotentia morali excusat eos, 1° quibus ieiunium affert gravem dolorem capitis, 2° qui noctu non possunt calefieri vel per notabile tempus somnum amittunt. Sententiam A., quod non teneantur invertere ordinem, s. Alphonsus dicit *valde probabilem;* quia non solum est remedium extraordinarium, sed non leve affert incommodum et saepe id non affert remedium; quia vix poterit usque ad horam coenae prandium protrahi.

Ex communi DD. suffragio s. Alphonsus n. 1034. §. 4. excusat uxorem, si ieiunando magnam a viro indignationem pateretur; nisi tamen a viro prohiberetur in religionis contemptum et (addendum puto) omissio cedat in eundem contemptum.

Ceterum interdum reipsa fit, ut viri indignentur; quia videlicet timent valetudini uxorum aut nolunt eas habere macie confectas.

S. Alphonsus ibid. refert et eorum sententiam, qui excusant puellam, quae quaerat maritum et ieiunando timeat notabiliter deformari. Sed (subdit) recte Croix advertit, vix in praxi esse probabile: cum vix accidat haec notabilis deformatio propter Ecclesiae ieiunia.

Hisce, uti patet, nec s. Alphonsus nec Croix respuunt per se sententiam; sed solum censent, hanc hypothesim vix aliquando reipsa locum habituram. Verum non est proprie controversia, num raro an frequenter casus accidat, sed quid in casu sentiendum. Fingite puellam, quae noverit hoc solum nuptiis honestis paciscendis obstare, quod de firma eius valetudine dubitetur idque ex facie diudicetur, ex colore etc.

Merito autem s. Alph. et Croix non contradixerunt illi sententiae; quia pro puella agitur de summa rerum.

Addit s. Alphonsus ibid.: « Bene autem excusantur viri, si ieiunando non possent uxoribus suis debitum reddere (qua de re A. in 3. causa): ratio, quia praeceptum naturale iustitiae debet praevalere praecepto humano ieiunii ». Videlicet non secus ac tenetur abstinere a ieiunio, si impotens fieret ad eum laborem, quo sustentare familiam debet.

Addunt quaestionem, an alteruter coniux excusetur, ut possit praeterea petere idem debitum. Et siquidem pensetur, eum paratum esse debere ad reddendum, otiosa videri poterit quaestio. At non erit otiosa, si fingatur altera pars non petens. Merito in hac hypothesi probabile dicit s. Alphonsus excusari eum, qui nisi petat, vel pravas in altero coniuge suspiciones contra se excitari, vel ad incontinentiae periculum adduci praevideat.

1138. Quoad senes sexagenarios doctrinam A. communiter a DD. traditam fatetur et probat s. Alphonsus n. 1036.

Quoad exceptionem vero « *nisi evidenter constet posse ieiunare sine damno* », addit s. Alphonsus, quod *licet quis certe robustus inveniatur;* tamen non minus esse probabilem sententiam eorum, qui negant teneri, 1° quia DD. communius testantur, hanc esse consuetudinem: 2° quia examen, an quis sit vere ita robustus, res est infinitis scrupulis obnoxia: 3° quae ratio potior est s. Alphonso et est Sanchez *de Matr.* l. 7. d. 32. n. 17., quia ob virium imbecillitatem ac defectum caloris, non possunt uti simul multo alimento atque adeo indigent frequentiori: 4° quia vigor ac robur in ea aetate inconstans est; nam vires ad interitum declinant et si in morbum incidant, difficiliter convalescunt. Et affert sententiam Galeni: « *Senibus simili ratione atque iis, qui ex morbo convalescunt, in victu esse prospiciendum* ».

Excusantur senes a quantitate solum an etiam a qualitate? Id affirmat quidam vir doctus ex communiori. Mirum! comparantur semper sexagenarii et deinceps, adolescentibus minoribus, cum ratio habetur tantum aetatis; atqui hi tenentur lege qualitatis.

Subdit s. Alph.: « An autem annus sexagesimus debeat esse completus ad excusandum, affirmant Sporer et Elbel; sed alii dicunt, sufficere ut sit inchoatus, Viva, Mazzotta, Diana cum Naldo (adde ex A. Sanchez, Trullench et alios 6.) et probabile putat Pal. cum Sà, Angl. et Llamas. Ratio, quia communiter dicitur sexagenarius, qui annum 60. inchoavit.

1139. Quoad religiosos satis rationi conformis est sententia eorum, quos et s. Alphonsus n. 1039. refert, dicentium, non esse putandum, regulas Ordinis magis obligare, quam praeceptum Ecclesiae: satis esse, si eodem modo obligent, nec contrarium solida ulla ratione probari.

S. Alphonsus n. 1039. excipit, nisi in regula, quam religiosi profitentur, expresse promittatur observantia usque ad mortem, 1° quia, inquiunt Salmanticenses tract. 23. cap. 2. n. 132., tenentur religiosi professi etiam ante 21. annum. Verum negari potest paritas; neque enim timentur in iuvene ea incommoda, quae in senibus timentur: 2° inquiunt, quia promissio regulae fuit voluntaria et perpetua, hoc est sine mitigatione usque ad mortem, sicut promittimus Carmelitae discalceati. Verum rursus, subdunt ipsi quoque excipiendum, si quis *ratione aetatis aut alterius morbi sit nimis debilis;* porro iudicium, an quis debilis sit ita, ut possit ferre aut non ferre ieiunia, haud diffitebuntur ipsi, non ex verbis promissionis aut ex regula petendum esse, sed aliunde: cum autem ratione debilitatis DD. communiter excusent sexagenarios, suffragium igitur commune, est, tunc haberi illam debilitatem, qua excusari ipsi fatentur.

Quod A. dicit de religioso, qui ante expletum ann. 21. non teneatur ad ieiunia suae regulae, utique Diana tom. 4. tract. 6. resp. 64. n. 3. dicit: *fateor haec esse probabilia;* sed addit simul: *sed communis sententia est in contrarium.*

Quocirca aliam a priore sententiam sequutus ipse fuerat, uti patet ex iis, quae in praeced. resol. 63. n. 4., sic leguntur: « Nota etiam, supradictum religiosum s. Francisci teneri ad Regulae ieiunia, etiamsi annum 21. non expleverit », quidquid in contrarium asserat Medina etc.

Et resol. 64. n. 2. affert haec Marchantii verba, quibus dispar conditio adolescentis et senis sexagenarii declaratur: « Adolescens in seculo manens excusatur a ieiunio non ratione debilitatis aut infirmitatis, sed ex mera indulgentia, ratione incrementi seu naturae crescentis. Unde si vel voveat vel obedientiae se addicat in Religione, tenebitur

ad ieiunia regularia; quia illi indulgentiae et privilegio voluntarie cessit. Aliud autem est de fratre sexagenario; supponitur enim ex communi defectu aetatis impotens et infirmus... Itaque adolescens in Religione professus gratiae seculi pro prima aetate censetur renunciasse: senex autem sexagenarius e contra... quamvis aliquo modo valeret et ad ieiunandum potens videretur, tenetur tamen naturam fovere alimentis, ne tota simul deficiat, cum iam sit in aetatis ordinariae occasu etc. ».

Ceterum quoad istos religiosos adolescentes scite resol. 63. n. 5. dixerat: « Verum Portellus et Rodriguez observant et optime, dictos Minoritas ante vigesimum primum annum non teneri ieiunare vigilias et quatuor tempora Ecclesiae et Sanctorum; quia ad ea non obligantur ex vi regulae neque ex praecepto Ecclesiae ».

1140. Ubi autem Diana quaestionem agitat tom. 4. tr. 6. resol. 6. n. 4. an senes sexagenarii robusti et validi teneantur ad ieiunia, memorat Pii V. de hac re responsionem hisce verbis: « Ad illam (sententiam negantem) confirmandam non desunt validissimae rationes et Auctores magni nominis eam mordicus tenuere. Hi sunt doctissimus Theologus Llamas, qui asserit, quod interrogatus de hac re Pius V. viva voce: ITA, respondit ».

Qua quidem declaratione innixus Marchantius ita de Religiosis quoque arguit (apud Diana l. c. resol. 64. n. 2.): « Unde cum declaratio Pontificis hoc motivo facta omnes attingat eos, qui ad hanc aetatem deficientem pervenerunt, etiam illud (casum nempe religiosorum) comprehendit. Addo: in ista declaratione alteram excusationis causam includi, quae est ordinariae infirmitatis, ratione cuius, etiamsi quis ad illam aetatem necdum pervenisset, iudicaretur ad ieiunium non obligari ».

Sed praeterea aliam declarationem idem Diana ibid. resol. 6. n. 5. sic refert: « Deinde Pius V. et Pontifices subsequentes denegantes clericis et religiosis esum lacticiniorum virtute Bullae Cruciatae, exceperunt tamen senes sexagenarios, quasi rationi consentaneum sit, ut in ea aetate defectui naturae consulant ».

Concludit Diana (de senibus etiam robustis): « Ex his rationibus et aliis, quas invenies apud citatos Auctores, apparet, supradictam nostram sententiam *esse probabilissimam.* Unde saepius non dubitavi ego illam in praxi consulere, et ita etiam sentiunt multi PP. ex nostra Religione et ex Societate Iesu de hac re a me consulti ».

1141. Quoad ieiunia, quae quis voverit per totam vitam, v. gr. ieiunandi singulis sabbatis vel sextis feriis, s. Alphonsus n. 1038. concedit in sententiam, quam praeformavit etiam Diana tom. 4. tr. 6. resol. 7.,

teneri etiam post sexagesimum annum, si vovens vel (ut ait Ligorius) praesumatur ad id quoque se obligare voluisse, vel (ut dicit Diana) si *expresse* se voluerit obligare etiam in senectute. Affert autem pro hac sententia Laymann, Sporer, Anacl., Elbel, Roncaglia, Holzm. Secus autem, inquit s. Alph., dicendum cum Anacleto et Elbel, si quis voveat *sine tali expressione* et non advertat ad aetatem sexagenariam; tunc enim non obligasse se censetur nisi ad instar praecepti ecclesiastici, iuxta primam sententiam, vel quia supervenit notabilis mutatio, ad quam si advertisset, non intendisset se obligare, iuxta dicta hoc libro 3. n. 226. ». Iudicium scilicet de his ferendum est, iuxta generalem doctrinam de votorum vi.

1142. Quoad feminas quinquagenarias utique haud spernenda est ratio, quam s. Alph. n. 1037. profert, constare experientia, quod feminae sine detrimento valetudinis facilius ieiunant, cum ipsae minori indigeant cibo.

Simul tamen verum est, quod alii observant, in feminis senectutem anticipari nec minus in feminis quam in viris senectutem esse morbum.

* Sanchez *de Matr.* l. 7. d. 32. n. 17. testatur se neminem vidisse qui hanc quaestionem peculiariter ageret. Ipse allatis pro affirmante et negante sententia argumentis, narrat argumenta pro affirmante, feminas quinquagenarias non teneri lege ieiunii, placuisse quibusdam viris doctis. Ea sunt, quia femina quinquagenaria aeque appropinquat morti ac vir sexagenarius: quia similiter viribus destituitur et eget frequentiori sumptione cibi, quem totum simul capere nequit, ut calor senilis paulatim illum coquere possit, quae est ratio, ait, potissima pro sexagenariis. E contrario sententia negans illi argumento innititur, quod femina minori copia cibi egeat et facilius ieiunet et communis opinio, excusans sexagenarios, indiscriminatim loquatur de viris et feminis.

Ipse autem concludit: « Re mecum considerata et rationibus perpensis, existimo nihil ratione devium nec mediocriter alienum a probabilitate dicturum, qui feminas quinquagenarias a ieiunio excusaverit, sicut viri sexagenarii excusantur. At dum aliud non apparuerit clarius convincens, tanquam probabiliorem eligo opinionem, quae sustinet, indiscriminatim de aetate viri et feminae, ad excusandum a ieiuniis, loquendum esse. Et deservient praedicta, ne damnemus amplectentem opinionem, quae feminas quinquagenarias excusat: veruntamen, licet praedicta ostendant eam opinionem esse probabilem, speculative loquendo, at in praxi censeo non esse tutam ».

At in posteriore opere *Consil.* l. 5. c. 1. dub. 4. n. 6. sententiam affirmantem feminas quinquagenarias a ieiunio excusari, absolute docet.

S. Alph. l. c. non pauciores citat pro sententia affirmante quam pro negante et ipse nihil definit: « Primam sententiam (affirmantem), ait, non audeo improbare, sed neque audeo probabilem dicere, dum video illam a Laymann, Tamburini, Elbel et Croix (qui nimirum non solent esse severiores) cum aliis omnino reiici et Dianam (qui benignus est) dubitare de eius probabilitate ».

Concludimus non esse improbandum, qui sententiam mitiorem, dum opus est, sequatur.

1143. Accipe tandem verba Sanchez *Consil.* lib. 5. cap. 1. dub. 4. nn. 3.-4. « Qui ante sexagesimum annum sunt iam senes et debiles, excusantur. Tamen cum fuerit dubium de impotentia, confessarius debet attendere, ut necessitati provideat cum minima legis iactura; ut si satis fuerit, ut horam praeveniat vel nocturnam refectiunculam indulgentius faciat, debet hoc concedere et non ex toto ieiunium relaxare ».

VIII. 3. Causa est labor, vel officium, cum quo ieiunium non possit consistere, qualis est agricolarum et multorum opificum, ut fabrorum, pistorum, sutorum etc. (etsi de sutoribus neget Angles: cuius sententiam Sanchez dicit esse veram, si non suant, sed tantum scindant corium et materiam praeparent) non tamen pictorum, sartorum, quorum labor exiguus est. Excusat etiam Laym. l. 4. t. 8. c. 3. figulos, argentarios, ferrarios, lignarios, fullones, cementarios, coriarios et textores. Dian. p. 4. t. 4. r. 138. et Gordon. t. 2. l. 6. q. 18. c. 6. versantes praelum typographicum, non tamen typorum compositores; fossores autem, ferrarios et similes, etiam die uno vel altero, quo non laborant, excusat Azor etc. cum Dian. p. 1. t. 9. r. 9. Similiter excusatur, qui pedibus facit iter per magnam diei partem, ut ait Sanch. in opusc. l. c. Vid. Fill. n. 119. Ratio horum omnium est, quia communiter horum vires non sufficiunt ad huiusmodi labores cum ieiunio. *Omnes Officiales in Repub. corporaliter laborantes a ieiunio excusari. Propositio est proscripta ab Alex. VII. n. 30.*

Dixi: *pedibus;* quia multi non excusant equites: longa tamen equitatio ad plures dies, ut docet Filliuc. tract. 37. cap. 6., merito excusat. *Circa hoc adverte propos. 31. inter damnatas ab Alex. VII.* Ubi etiam concedit ob labores praecedentes et subsequentes, posse aliquem excusari, si probabiliter debilitatus vel debilitandus putetur, ita ut officio rite fungi nequeat. V. Bon. disp. ult. quaest. 4. num. 11. Ex eodem capite Doctores excusant coniugem, si debitum reddere non possit, quando ieiunat; uti et uxorum, quae ob maciem non possit cum ieiunio se viro gratam praestare. Bon. loc. cit. Atque, universim loquendo, nemo tenetur opus, ad quod obligatur, omittere ob praeceptum ieiunii, ait Caiet. Quod intelligo, nisi ista obligatio sit valde levis et rationabiliter postponenda obligationi ieiunii.

1144. S. Alphonsus n. 1041. merito haec veluti generalia principia statuit: « Omnes artes, quae exerceri non possunt nisi cum ingenti corporis agitatione, a ieiunio excusant; eo quod in eis multi spiritus consumuntur ». Haec est regula absoluta.

Et rursus 2°: « Regula communiter recepta est cum Lessio, quod qui sine magno incommodo nequit aliquam artem, etsi per se non

laboriosam, exercere vel propter debilitatem personae vel propter aliam peculiarem circumstantiam, is non tenetur ad ieiunium ». Haec est regula relativa.

Tota difficultas (quam regulae istae quoad praxim non semper tollunt) in eo est, quod sive defatigatio corporis (de qua in prima regula) sive incommodum (de quo secunda regula) et debilitas plures habent gradus et valde difficile est assignare limites, qui satis sint ad excusandum. Porro in his, quae dubia sint, utendum plane est regulis quas indicavimus nn. 1135.-1138., et praec.

1145. Nota tamen alias regulas esse confessarii, qui tantummodo declarare potest, alias Superioris, qui potest et dispensare. Duae de hac re habentur propositiones damnatae ab Alexandro VII.

Prop. 30. est: « Omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione ieiunii nec debent se certificare an labor sit compatibilis cum ieiunio ». Merito est damnata et postrema pars adeo est stulta, ut id et caecus pervideat. Prior autem pars nimis generalis est; nam inquirendum est, an labor componi necne cum ieiunio possit.

Prop. 31. « Excusantur a praecepto ieiunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit et etiamsi iter unius diei conficiant ».

Qua de re hoc generatim DD. statuunt (vid. s. Alph. n. 1047.) itinerantes non excusari a ieiunio, si constet, eos sine magno incommodo posse ieiunare.

Et s. Alph. ibid. merito docet cum aliis, excusare aliquando posse etiam iter unius diei, si fiat cum magna defatigatione, ut evenit cursoribus vel si equitans sit debilis vel iter arduum et extraordinarium scil. longum respectu unius diei, cuiusmodi non censetur octo aut decem leucarum.

1146. Enumeratis ab A. addi possunt.

1° Coqui, qui multas dapes pro multis personis parare debent ac fere per totam diem laborant: secus si pauca parent, aut solum aliis inferioribus praesideant.

2° Famuli excusabuntur vel non, pro ratione laborum, quos debent subire.

3° Mulierculae et ancillae, quae solum nent aut levia servitia domestica obeunt, non excusantur.

4° Dicit s. Alphonsus n. 1041.: « laborantes non excusari a ieiunio nisi laborent saltem per maiorem diei partem, non vero si per duas aut tres horas ». Sed forte exceptionem patitur regula. Si enim labor sit talis, qui requirat vires, quas aut *ieiunus* aut ieiunans prae-

stare non queat, dicendus erit is excusari, v. gr. baiuli qui onera ferunt, naves onerant aut exonerant etc., secantes ligna etc., quod praesertim valet, si parati esse debent ad laborandum pro occasione.

5° Barbitonsores per se non excusantur: nisi tamen id exigat aut particularis debilitas, aut impediantur ab arte exercenda.

6° Eaedem regulae et cum sartoribus, quos excusari posse dicit Ligorius, si necessitas eos cogat ad laborandum etiam per magnam noctis partem.

Quoad iter facientes pedibus, disputant DD. et alii duas leucas, alii quatuor, alii quinque exigunt.

Verum videtur res relativa: adiuncta viae facilis vel difficilis, personae debilis vel robustae, assuetae vel non assuetae itineribus, mutant statum controversiae efficiuntque, ut labor gravis vel non gravis dici debeat.

Hoc idem, ut ait s. Alphonsus n. 1047., prae oculis habendum quoad famulos, qui cursitare per diem debent ad emendum, ad ferendas litteras, ad comitandum etc., ad vendendum.

1147. Quoad excusandum ob labores praecedentes vel subsequentes illis diebus quibus non laborant, fuerunt, qui contradicerent, si grave incommodum non patiantur.

Bene s. Alphonsus n. 1044., quod praesumptio stat pro necessitate alimenti et opposita hypothesis est hominum, qui nesciunt, quid sit artes laboriosas exercere.

Alii moverunt quaestionem, an excusandi artifices, qui ratione artis utique excusarentur, sed tamen eiusmodi sunt, qui sine gravi incommodo ieiunare possint.

Et nonnulli, uti Concina (apud s. Alphonsus n. 1043.) teneri ad ieiunandum affirmat, modo sit manifestum, quod non subeant grave incommodum: secus si dubium sit.

Recte s. Alph.: « Haec secunda sententia, speculative loquendo, videtur probabilior, sed in praxi vix reperietur unus, qui ex eiusmodi labore non graviter relaxetur ».

Alia est quaestio, an artifices, qui non opus habent ad sustentationem, licite possint laborare, si hac de causa ieiunare nequeunt: v. gr. debeatne sculptor, ut ieiunare possit, abstinere per quadragesimam ab arte sua, cum satis dives sit nec indigeat labore ad statum suum servandum?

Afferunt s. Thomam, quasi doceat abstinendum. Sed non patet, s. Thomam loqui de ordinaria cuiusque occupatione. Et praeterea idem s. Doctor haec, quae fautores huius doctrinae omittunt, adiungit 2. 2. q. 147. art. 4. ad 3.: « Non videtur fuisse intentio Ecclesiae

statuentis ieiunia, ut per hoc impediret alias pias (sc. peregrinationes) et magis necessarias causas. Videtur tamen in talibus recurrendum esse ad Superioris dispensationem, *nisi forte ubi est ita consuetum; quia ex hoc ipso quod Praelati dissimulant, videntur annuere* ». Porro non videntur Praelati hanc obligationem urgere. Non est ergo haec mens Ecclesiae. Imo contra affertur constitutio Eugenii IV. (apud s. Alph. n. 1642.), quam genuinam esse s. Alphonsus defendit. Sed satis esse debet, quod genuina haberi potuerit; neque enim id fieri de iis solet aut potest, quae repugnant sensui Ecclesiae. Edicitur in hac Constit., *Artifices laboriosas artes exercitantes et rusticos, sive divites sint, sive pauperes, non teneri ieiunare* ».

Ceterum communis sententia eximit artifices ab hac obligatione. Ratio, inquit s. Alph., videtur, « quia interest reipublicae, ne causa ieiunii operarii intermittant exercere artes, quibus ex officio incumbunt ». Forte verior ratio est, quod sensus communis omnium satis explicat Ecclesiae mentem, quae non est, ut homines cessent a suis occupationibus, causa ieiunii.

1148. Huic alia quaestio adnectitur: peccatne contra legem ieiunii, qui *sine iusta causa* assumit laborem, quamvis non in fraudem praecepti? Qua in re illud videndum est; quandonam causa sit iusta? Et huc dicam e multis, quae ibi s. Alph. affert, ad rem spectare videri quae s. Doctor refert ex Sanchez: « Si quis non ad recreationem, sed ad finem utilem, licet non necessarium, assumit laborem, non peccat contra praeceptum ieiunii »: affert autem exemplum patrisfamilias, qui vult ire videre messores, licet non sit necessarium; quia alius vigilat *Consil.* lib. 5. cap. 1. dub. 7. n. 16. Subdit n. 17.: « Idem dicendum de itinerante ex alia honesta causa, licet non necessaria: ut si scholasticus vult in die recreationis solitae, vel hebdomada sancta vel vigilia alicuius sancti ire ad visendum patriam vel parentes, vel ad sumendam recreationem ibi, ne aliis diebus absit a scholis ». Addere possemus exemplum de eo, qui iter suscipit, ut transeuntem Christi Vicarium intueri vel semel possit in vita. Excusant eum quoque, qui laborem insuetum susciperet ob lucrum extraordinarium, sicut excusaretur ea de causa laborans die festo.

In his autem (sincere est dicendum) vix aliqua regula tradi potest; supplet tamen fere in singulis casibus communis sensus fidelium et consuetudo sub oculis pastorum Ecclesiae, prouti superius s. Thomas advertebat.

S. Alphonsus l. c. dicit se non acquiescere, si sola delectationis causa iter aut labor suscipiatur nec puto, quempiam illi adversari. Sed 1° fieri subinde potest, ut quis decipiatur, dum non advertat aliam

honestam causam simul cum delectatione coniungi. 2° Etiamsi de sola delectatione ageretur, quaerendum esset, an reipsa Ecclesia exigat, ut ab delectatione v. gr. itineris aut venationis ita quis per totam quadragesimam abstineat, ut ne semel quidem id liceat. Haec autem pendent a multis adiunctis, nec generatim negari posse videtur. Sanchez l. c. n. 18.: » Si id faciant semel et iterum et non in fraudem ieiunii, non peccant assumendo talem laborem, licet praevideant, quod non possint ieiunare. Si autem frequenter id facerent, non excusarentur, sed peccarent contra legem ieiunii. Ratio est, quia haec interpretatio et aequitas videtur deduci ex iure naturali et ex intentione Legislatoris; ipsa enim aequitas naturalis dictare videtur, quod non fuit intentio legislatoris prohibere haec exercitia honesta et licita propter ieiunium et eadem dictat, non fuisse intentionem excusare, si frequenter fiant. Ita Henriquez et docti iuniores ac Metina (qui ulterius progreditur ad excusandum a gravi si fiat sine ulla necessitate, sed ex affectu otiosae recreationis).

1149. Notanda alia doctrina, quam sic proponit s. Alph. n. 1045.: « Non est dubitandum, quod postquam quis defatigatus est, etiam malo fine et etiamsi praeviderit, eam defatigationem fore incompossibilem cum ieiunio, ad illud non tenetur, ut communissime docent AA... Ratio, quia iam ille factus est moraliter impotens ad ieiunandum ».

At peccatne ille, qui ideo assumit laborem, ut ponat impedimentum et sic eximatur a ieiunio? S. Alphonsus n. 1045. merito sequitur doctrinam eorum, qui dicunt id illicitum, « utpote adversum generali legi quod *omnis lex obligat, ne quid fiat data opera, ut lex eludatur* ».

Salmanticenses tamen *de Leg.* cap. 2. n. 163. 164. ad casum « si quis iter agat aut fatigetur, ut non ieiunet, aut infirmitatem voluntarie sumat, ut ab hoc aut aliis praeceptis eximatur », respondent: « Probabilis et ab intrinseco forte probabilior est sententia negans in tali casu peccare; quia se extrahit ab obligatione, nec lex amplius eum obligat, ut si quis exeat a territorio, ne ieiunet ». Et tract. 23. cap. 2. n. 153.: « Ubi causa impediens alicuius legis adimpletionem, extrahit omittentem ab ipsa lege, sive talis causa sit peccaminosa, sive non et sive hac sive illa intentione ponatur, sequentes omissiones, etsi sint praecisae et intentae, non imputabuntur ut peccata nec in causa nec in se ».

Verum Sanchez et plures alii sentiunt quidem cum Salmanticensibus circa ius se extrahendi ab obligatione legis et tamen de hac re sic decernunt *Cons.* lib. 5. c. 1. d. 7. n. 1.: « Si labor assumatur in fraudem ieiunii, ut quis illa die excusetur a ieiunio, licet labor honestus sit, peccat mortaliter illum assumens, quia fraus et dolus nulli patrocina-

tur ». Sane quod dicunt Salmanticenses, hominem sic se extrahere ab obligatione, falsum est; nam qui mere excusatur, subditus legi manet: se subtrahit, qui v. gr. e territorio exit, vel utcumque se in eam conditionem coniicit, quam lex non attingit. Cf. tr. 3. nn. 348. seq.

Huc revoca superius notata (quae huc pertinent) de coniugatis, ut pares sint ad officia matrimonialia. (Sup. n. 1135.).

IX. 4. Est pietas vel maius bonum. Unde excusantur, qui cum ieiunio non possunt vacare operibus melioribus, v. gr. Concionatores, Praeceptores ordinarii, Confessarii, Cantores et quotquot opera caritatis et misericordiae, tam corporalia quam spiritualia exercent, etiam ob mercedem, si ea cum ieiunio peragere non possunt. Fill. t. 2. tract. 27. p. 2. cap. 6. n. 24. Azor. p. 1. l. 7. c. 28. Fern. Navar. Silvest. Fagund. etc. Atque hi quidem omnes intelligunt et fere addunt, quando eorum labores cum ieiunio non possunt consistere. Diana autem (absolute loquendo) d. 1. t. 9. r. 9. Praedicatores, qui diebus quadragesimalibus (intelligo omnibus) concionantur, putat a ieiunio excusandos; quia, inquit, summopere laborant: non item eos, qui Dominicis tantum concionantur, nisi sint debiles. Sanchez tamen in *Consil.* p. 2. l. 5. c. 1. d. 13. n. 6. 7. et 8. et Trul. lib. 3. cap. 3. d. 7. putat a ieiunio quadragesimae communiter et regulariter excusari eos, qui ter vel quater in hebdomada concionantur cum fervore. De Lectoribus vero Dian. l. c. cum Fagund. p. 4. l. 1. c. 8. n. 19. censet non omnes excusandos, sed eos tantum, quorum labor est improbus vel qui ita sunt debiles, ut satisfacere non possint. Idem fere sentit Sanch. licet l. c. putet Lectores eos, qui quotidie quatuor lectiones legunt (ut in Societate faciunt praeceptores Grammaticae) satisfacere, si media quadragesima, sive ter in hebdomada ieiunent; eo quod sit magnus labor et paucis annis sic fatigentur, ut progredi non possint. Sic ille. Verum praestat, ut Superiores, ad tollendum scrupulum, cum talibus dispensent, ut monet idem Sanch. l. c. Nam in omnibus istis regula certa et universalis statui non potest alia, quam quod lex Ecclesiae non obliget cum magna difficultate, ut notat Laym. c. 2. n. 3.

X. 5. Caritas vel etiam urbanitas, secundum quosdam, excusat etiam a veniali eum, qui die ieiunii rogatus ab amico, modicum cibi sumit. Med. Fag. Fill. Dian. p. 2. t. 9. r. 29. vel qui ad excitandum infirmorum appetitum comedit parum, etiam carnis. Sanch. Dian. p. 3. t. 5. r. 32.

1150. Huc spectant quae habet s. Thom. 2. 2. 147. art. 4. ad 3.: « Si operis labor commode differri possit aut diminui absque detrimento corporalis salutis et exterioris status, qui requiritur ad conservationem corporalis vel spiritualis vitae, non sunt propter hoc Ecclesiae ieiunia praetermittenda. Si autem immineat necessitas... multum laborandi vel propter conservationem vitae corporalis vel propter aliquod necessarium ad vitam spiritualem et simul cum hoc non possint Ecclesiae ieiunia observari, non obligatur homo ad ieiunandum; quia non videtur fuisse intentio Ecclesiae statuentis ieiunia, ut per hoc impediret alias pias et magis necessarias causas. Videtur tamen in talibus recurrendum esse ad Superioris dispensationem, nisi forte ubi est ita consuetum; quia ex hoc ipso quod Praelati dissimulant, videntur annuere ».

Ad quae advertit s. Alphons. n. 1048. ex s. Thoma, dispensationem

requiri mere ad maiorem cautelam, non vero de necessitate; praemiserat enim, ut patet, non *obligari* hominem ad eiusmodi ieiunia.

Communis autem est sententia, pietatem ac caritatem ieiunio praeferendam, etiamsi quis non ex officio sed sponte opera pietatis suscipiat.

Eam in rem affertur cap. *Non mediocriter* 24. *de Consecratione* dist. 5. ubi dicitur: « Non mediocriter errant, qui bono magno praeferunt mediocre bonum. Nonne rationabilis homo dignitatem amittit, qui vel ieiunium caritati aut vigilias praefert sensus integritati...? »

Afferunt etiam textum s. Thomae ex 4. dist. 15. q. 3. art. 1. ql. 2. ad 3.: « Si enim sit tanta abstinentia, quod homo ab operibus utilioribus impediatur, quamvis ad ea de necessitate non teneatur, indiscretum est ieiunium, etsi non sit illicitum ». Verum eo loco s. Thomas non contendit omittendum ieiunium, quod sit praeceptum, sed agit de austeriori ieiunandi modo, qui sub praeceptum non cadit. Quocirca argumentum non est efficax.

Vera ergo ratio est, quae insita est illi doctrinae s. Thomae, scil. ieiunium non debere impedire maiora bona: atqui opera caritatis ac pietatis, de quibus agitur, praestantiora sunt et sunt actus virtutis praestantioris, scil. misericordiae. Ergo.

Contradicunt ianseniani, quorum effata transscripsit Franzoia: « Concionatores (inquit), qui sponte concionandi munus suscipiunt... a ieiunio se excusare eo praetextu non possunt, quod concio opus melius sit, quam ieiunium ». Addendum autem non immutari rei naturam ex eo, quod qui talia exercet, accipiat stipendium.

1151. Generalis doctrina certa est nec dissident quoad eam doctores, nempe excusari, quando eiusmodi opera cum ieiunio componi non possint. Idcirco superest solum quaerendum, an hoc vel illud opus sit eiusmodi, ut componi cum ieiunio possit vel non possit.

De concionatoribus, qui quotidie habent concionem, nemo contradicit, tum, ut inquit s. Alph. n. 1049., propter studium ad id necessarium, tum propter corporis agitationem. Et hoc, subdit, maxime locum habebit pro missionariis, qui diebus missionis cum vehementi agitatione concionantur.

Ab his doctoribus excipiendus Concina (apud Franzoia Animad. 16). qui ait: « Sed ego asserere non audeo, officium ipsum concionandi a ieiunio excusare; cum potius e contrario sanctitas talis ministerii et severam ieiunii observantiam et precum fervorem et alia poenitentiae tum internae tum externae opera exposcat ». Sed non est quaestio, utrum haec expediant et sancta sint, sed an exigi possint.

Accedit Concinae discipulus Franzoia, qui dicit, hos concionatores posse ieiunare; quia est labor unius horae et labor est in vocis con-

tentione. Et adducit exemplum s. Vincentii Ferreri, cuius ieiunium perpetuum fuit et tamen quotidie concionabatur per totum annum. Sunt et inter sanctos, qui totam quadragesimam transegerunt solo cibo eucharistico contenti; sed quid inde?

Ceterum verissimum est, quod cum s. Alph. omnes monent: scilicet ad aedificationem populi satagere concionator debet, ut quantum fieri potest, exemplo praeeat.

Quoad eos, qui concionantur solum diebus dominicis, quibus diebus nemo ieiunat, excusatio non ratione concionis, sed naturalis debilitatis locum habebit.

De iis, qui ter vel quater in hebdomada concionantur, dissidere videntur scriptores: at non est verum dissidium; quia omnes demum consentiunt, eximendos vel non eximendos, prout vires suppetunt vel non suppetunt, ut Auctor in fine recte subdit.

1152. Quoad lectores scientiarum, communiter DD. excusant, quando magnus labor ac studium necessaria sint: non vero quando dictant lectiones prius ordinatas ac saepe repetitas.

Salmanticenses non excusant magistros grammaticae: at notum est, Salmanticenses solum sublimia docuisse, non humilem hanc artem exercuisse.

Cantores seu musici excusantur, quando amitterent secus vocem nec possent suum officium exercere. Ita s. Alph.

Ergo, inquit Franzoia, excusandi sunt monachi omnes et canonici etc. Consectarium dignum sapientia lectoris Theologi Patavini. Non de amittenda voce, sed de amittenda ea agitur, quae ad munus *musici* requiritur.

De Confessariis. Supponitur, quod extraordinarium laborem subeant (v. gr. per 7. aut 8. horas), quem ferre non possint ieiunii. Et si ita debiles essent, ut nec per duas tresve horas possent ieiuni et animarum bonum exigeret operam eorum, profecto non negligendum est maius bonum.

Bene autem monet heic s. Alphonsus post Tamburini, hos omnes, quibus *advocati* et *medici aliique* adiungendi sunt, si *quando excusandi dicuntur*, non per se ac ratione officii excusari, sed per accidens tantum, quatenus nempe ratione alicuius circumstantiae officiis suis non possint satisfacere. Et hoc est discrimen, quod cum iis intercedit, qui ob laborem *per se* excusantur: ubi enim labor *per se* excusat, in dubio praesumptio stat pro exemptione ieiunii: e converso ubi labor per se non excusat, sed per accidens, ob aliquam nempe circumstantiam *debilitatis personae* vel *gravitatem laboris*, in dubio praesumptio stat *pro obligatione ieiunii*.

1153. Adde respondisse s. Poenitentiariam 19. ian. 1834. « posse personis, quae sunt in potestate patrisfamilias, cui facta est legitima facultas edendi carnes, permitti uti cibis patrisfamilias indultis (dummodo alias conditiones ieiunii servent) »: declarasse tamen, quod « ratio permissionis non est indultum patrisfamilias, sed impotentia, in qua versantur filiifamilias observandi praeceptum ». Apud Acta s. Sedis. V. 1. p. 425. Ergo, cessante impotentia, non est locus huic permissioni.

SECTIO II.

* DE ABSTINENTIAE PRAECEPTO *

1154. Addere aliquid iuvat de praecepto abstinentiae a carnibus feria sexta et sabbato.

Abstinentia feriae sextae in honorem Dominicae passionis inducta est antiquissima consuetudine, quae verisimiliter ab apostolica traditione originem ducit atque olim ieiunium quoque adiunctum habebat. Consuetudinem hanc vim legis habentem supponit Honorius III. c. *Explicari, de Observatione ieiuniorum.* « Respondemus quod illi, qui nec voto nec regulari observantia sunt adstricti, in sexta feria, si festum Nativitatis dominicae die ipso venire contigerit, carnibus propter festi excellentiam vesci possunt, secundum consuetudinem Ecclesiae generalis. Nec tamen reprehendendi sunt, qui ob devotionem voluerint abstinere ».

Abstinentia die sabbati in latina Ecclesia antiquissima est et apud nos vim legis iamdiu obtinuit. C. *Quia de Consecr.* dist. 5. ait s. Gregorius VII.: « quia dies sabbati apud sanctos Patres nostros in abstinentia celebris est habitus, nos eorundem auctoritatem sequentes, salubriter admonemus, ut quicumque se christianae religionis participem esse desiderat, ab esu carnium eodem die, nisi maiore festivitate interveniente vel infirmitate impediente, abstineat ». Cum necesse sit participem esse christianae religionis, agitur ergo de praecepto, non de consilio ideoque *admonemus* non est hortamur, consulimus, sed in memoriam revocamus. Advertunt praeterea etc. eam limitationem: *nisi maiore festivitate interveniente* fuisse per consuetudinem Ecclesiae coarctatam ad diem Nativitatis dominicae, quemadmodum Honorius III. disserte dixit de feria sexta. Tamburini *de Ecclesiae praeceptis* tr. 4. c. 9. n. 21. Lex haec de abstinentia in sabbato non viguit in Ecclesia graeca. In Ecclesia quoque latina, pluribus in regionibus, dispensante romana Sede, non servatur.

Quibusdam in locis, diebus quoque rogationum, etiam vigilia s.Marci (maiorum rogationum) abstinentia servanda est: cf. Salmantic. tr. 23.

c. 2. n. 100. et Gury tom. 1. §. 485. Habenda est ergo ratio legitimarum consuetudinum.

Praeceptum hoc grave est, nam est materia per se gravis eiusque observatio exigitur, ut christianae religionis participes simus.

Ipsius tamen violatio levis esse potest propter parvitatem materiae: idcirco quaeritur, quae quantitas materiae requiritur ad peccatum mortale. Res est admodum controversa.

1155. Quae sit in hac re materiae parvitas, « tam parum convenit inter scriptores, ut apud multos videas singularem rigorem in hac praecipue re observari », ait Lehmkuhl V. 1. n. 1207. 4.

Omnes conveniunt, ait Gury l. c. §. 486. q. 2., eam esse quantitatem gravem, quae notabiliter nutrit, ut quemadmodnm in die ieiunii, quantitas cibi notabiliter nutrientis, praeter licitam comestionem, est materia gravis; ita in die abstinentiae, quantitas carnis notabiliter nutrientis sit materia gravis.

Sed est regula nimis indefinita. « Qui moderate sentiunt, ait Lehmkuhl l. c., aliqui dicunt materiae parvae limitem esse dimidiam unciam carnis, v. Gury l. c.: alii quantitatem, quae magnitudine circiter aequet nucem avellanam: alii (v Reuter tr. 2. n. 167.) quod moraliter superet unciam pro materia gravi habent: moraliter scilicet non superaret quod parum superaret, quia parum pro nihilo reputatur et sic ad duas uncias accedimus: alii sane, ut Stoz, putant non esse gravem materiam, nisi fere accedat ad duas uncias, *Trib. poenit.* l. 1. p. 3. n. 528. aut nisi scandalum detur ». Sed mentio scandali in hac definienda quaestione non videtur opportuna. Ceterum sententia Stoz probabilis est et forte ampliari potest, ut, quemadmodum in die ieiunii quantitas duarum unciarum ex cibis quadragesimalibus extra refectionem et coenulam non est materia gravis (n. 1131.): ita in die abstinentiae quantitas duarum unciarum carnis adhuc sit materia levis. Utique haec magis nutrit quam tantundem cibi quadragesimalis: sed advertendum quoque est, in die abstinentiae nutritioni limitem nullum poni seu non prohiberi quominus se quisque nutriat, quoties et quantum ei libuerit, sed usum dumtaxat carnis prohiberi.

Iam vero quod ratione abstinentiae a carnibus vetitum est diebus ieiunii, idem (excepta prohibitione promiscuitatis) vetitum est quoque diebus, quibus abstinentia a carnibus praecepta est: nisi dispensatio quoad quaedam habeatur. Cf. ergo dicta nn. 1105. 1133.

1156. Lege abstinentiae obligantur omnes fideles nacti usum rationis. Utrum obligetur qui ante septennium fruitur usu rationis, iam dictum est in tr. *de Legibus* c. 2. d. 1. resol. 3.

Sed, quemadmodum a lege ieiunii, etiam ab hac causae sunt ex-

cusantes et generatim impotentia *physica,* etiam *moralis* h. e. magna difficultas.

Itaque, praeter eos, qui nondum aetatem discretionis assecuti sunt aut sunt perpetuo amentes, qui potius quam excusentur, non obligantur, excusantur.

1° Infirmi, ut iam audivimus a Gregorio VII., quales sunt febri laborantes similive incommodo et generatim ii infirmi, qui ex artis medicinae consilio indigent carnibus.

« Iis, ait Lehmkuhl l. c. n. 1202. 2., aliquatenus adnumeraverim mulieres praegnantes, non tam propter necessitatem reipsa exsistentem, sed propter carnis appetentiam morbidam, cui nisi satisfaciant, ipse timor aut imaginatio videtur nocere foetui posse: quare saltem facilius eas excusem, si quando bucellam carnis sumant. Medici tamen, ut Capellmann, von Olfers negant appetentiae illius resistentiam et abnegationem nocumentum afferre ».

2° Pauperes mendicantes, qui manducare possunt quidquid in eleemosynam accipiunt, ut communiter sentiunt Theologi. Gury l. c. §. 487.

3° Pauperes operarii, qui non habent nisi frustulum sagiminis aut laridi ad suos cibos condiendos. Gury l. c. ex s. Alph. l. 3. n. 1008.

4° Qui quotidie dant operam laboribus arduis et stomachum defatigantibus, ut a cibis licitis abhorreant. Gury l. c.

5° Viatores, qui nihil aut fere nihil in cauponis praeter cibos vetitos reperiunt nec alio divertere possunt. Debent tamen serio et instanter cibos licitos postulare. Sola enim ratio itineris ab hac lege non excusat. Gury l. c.

6° Excusantur milites in castris vel contuberniis versantes, qui expensis Gubernii in communi aluntur. Gury l. c.

7° Tandem dispensatio ex iuxta causa excusat, quam in singulis casibus Episcopi et parochi vel superiores regulares dare possunt suis subditis.

SECTIO III.

* DE PRAECEPTO SOLVENDI DECIMAS. *

1157. De hoc praecepto silet A. etiam alii recentes Theologi Morales silentio premunt, ut Gury et Lehmkuhl S. Alphonsus de eo locutus est in tr. *de Privilegiis* n. 48.-86. Profecto haec lex pluribus in locis, vel iniquitate temporum vel dispensante Ecclesia, non amplius servatur: nefas autem putamus illam prorsus praeterire.

Decimarum nomen vetus est et nedum Hebraeis, sed et Romanis

notum. Ad nos quod spectat, sepositis decimis dictis *dominicis* seu *dominicalibus*, quae sunt quaedam tributa, quae olim temporales domini (quos inter et Episcopus esse poterat) subditis imponebant ad modum census propter praediorum concessionem (Monit. eccl. Septembre 1897. p. 167.). Decimae iure ecclesiastico vocantur decima pars fructuum, quae solvitur ad sustentationem ministrorum Dei, qui curam animarum habent et sacramenta ministrant, unde et decimae dictae *sacramentales* in oppositione ad *dominicales*, quamvis et alio quoque sensu acciperetur appellatio *sacramentalis* facta decimae: v. n. seq. Decima ministris Dei tradita, Deo pendi censebatur. C. *Tua nobis, de Decimis.* « Nimis videtur iniquum, si decimae, quas Deus in signum universalis dominii sibi reddi praecepit, suas esse decimas et primitias asseverans... diminui valeant, cum Deo debita sit solutio decimarum ».

Olim triplex decima distinguebatur: *praedialis*, *personalis, mixta.* Praedialis ea erat, quae secernebatur ex fructibus agrorum, arborum, piscinarum, molendinorum, locationum etc. Personalis, quae ex fructibus seu proventibus humanae industriae, ut ex lucro mercaturae, negotiationis, artis exercitae, professionis, militiae, venationis, ludi etc. Mixta, quae erat partim ex praediis, partim ex industria, cuiusmodi sunt quae proveniunt ex animalibus, eorum foetus, lac, caseum, mel, cera et opera coloni vel conductoris praedii etc. Itaque in omnibus fructibus, qui nobis divino munere proveniunt, decimae solvendae constituebantur. « De omnibus possessis decimae sunt solvendae », ait s. Thomas 2. 2. q. 87. art. 2.

Ex his omnibus olim decimas debuisse solvi patet ex iure Canonico. Cf. in tit. *de Decimis* cc. *Pervenit. Nuncios. Quoniam. Ad Apostolicae. Non est. A nobis* etc.

Excipiebantur olera minuta, quae in hortis colligebantur, non ad lucrum, sed ad quandam voluptatem et commoditatem familiae. Nam « honestati ministrorum Dei non convenit, ut etiam minima, exacta diligentia, requirant », ait s. Thomas 2. 2. q. 87. a. 2. ad 3.

Deinde vero decima personalis per consuetudinem abrogata fuit. Cf. Tamburini *de Praeceptis Ecclesiae* praec. 5. n. 5. et Salmantic. tr. 18. c. 3. n. 56. et Lessium l. 2. c. 39. n. 12.

Quocirca regula sit generalis, ait Tamburini ibid. n. 6., decimas deberi Ecclesiae de omnibus fructibus et proventibus ex bonis mobilibus, qualia sunt animalia et ex immobilibus, qualia sunt domus, praedia, piscinae etc. « Cum de cunctis omnino proventibus decimae sint reddendae, sicut colonus de parte fructuum, quae sibi remanet ratione culturae, sic et dominus de portione, quam percipit ratione terrae, decimam reddere sine diminutione tenetur ». C. *Tua nobis*, *de Decimis.*

1158. Ex iure canonico decima ea pars debetur, quae ex fructibus colligitur ante deductum semen, sumptus et deductas expensas pro servientibus et mercenariis, ante deductos census et tributa. Patet ex c. *Cum homines* et ex c. *Non est* et ex c. *Tua nobis* et ex c. *Cum non sit*, *de Decimis*. « Debentur, ait s. Thomas l. c. a 2. ad 4m, decimae de fructibus terrae, in quantum proveniunt ex divino munere. Et ideo decimae non cadunt sub tributo nec etiam sunt obnoxiae mercedi operariorum. Et ideo non debent prius deduci tributa et pretium operariorum, quam solvantur decimae; sed ante omnia debent decimae solvi ex integris fructibus ». Excipiebantur tamen ab hac lege decimae debitae ex lucro negotiationis c. *Pastoralis*, *de Decimis*. Decimae vero personales, cum deberentur ex lucro et lucrum non computetur nisi deductis expensis, hae prius detrahendae erant.

Quia vero decimae personales debebantur illi parocho e quo sacramenta accipiebantur, dicebantur etiam *sacramentales*, ad differentiam *praedialium*, quae debebantur parocho, in cuius parochia erant praedia.

1159. Decimae solvendae sunt ab omnibus fidelibus, qui habeant eos fructus, unde sunt decimae colligendae: ideo et a Regibus, etiam a pauperibus, si possint sine gravi iactura; nam haec lex Ecclesiae non obligat cum gravi incommodo.

A clericis quoque debentur ex suis propriis bonis; quia et ipsi ministerio sacerdotum fruuntur habentium curam animarum. Ita saltem intelligenda sunt verba Paschalis II. in c. *Novum*, *de Decimis*. « illi clerici, qui a clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt, decimas eis debent »; ut id valeat saltem quoad bona, quae clerici titulo temporali possident. Non debent vero decimas ex bonis ecclesiasticis. Ita interpretantur Theologi cum Suarez *de Relig.* l. 1. c. 18. n. 23. priorem partem eiusdem c. *Novum*, ubi Paschalis II., ait: « Novum genus exactionis est, ut clerici a clericis decimas exigant », quem textum ita interpretantur, ut clerici non debeant decimas ex bonis, quae ut clerici obtinent, etsi debeant ex aliis bonis: S. Thomas q. cit. art. 4. Advertatur tamen, argumentum huius rei allatum a Pontifice: « non enim levitae a levitis decimas accepisse leguntur » verum esse de levitis proprie dictis, qui ministri erant sacerdotum; nam ceterum levitae ex decimis acceptis decimam partem dare iubebantur sacerdotibus. Num. XVIII. 26.-28. Non prohibet ergo Paschalis II. Episcopos e. g. a parochis accipere decimas, si opus sit et cum hac limitatione accipimus etiam sequentem doctrinam s. Thomae q. cit. a. 4.: « Clerici, in quantum clerici sunt, idest in quantum habent ecclesiasticas possessiones, decimas solvere non tenentur. Ex alia vero causa, scilicet propter hoc quod possident proprio iure vel ex successione parentum

vel ex emptione vel quocumque huiusmodi modo, sunt ad decimas solvendas obligati ». Subdit: « Unde patet responsio ad 1^m, quia clerici de propriis praediis tenentur solvere decimas parochiali ecclesiae, sicut et alii, etiamsi ipsi sint eiusdem ecclesiae clerici; quia aliud est habere aliquid ut proprium, aliud ut commune. Praedia vero Ecclesiae non sunt ad decimas solvendas obligata; etiamsi sint intra terminos alterius parochiae ». Cf. Suarez *de Relig.* l. 1. c. 17.

Lessius tamen limitandum hoc censet l. c. n. 23.: vult scilicet praedium alicuius ecclesiae, quod est inter fines alterius ecclesiae, debere huic decimas, si antequam esset illius ecclesiae, eas alteri debebat. Transit scilicet praedium cum suo onere; et citat Innocentium.

1160. Ex iure communi olim monasteria quoque tenebantur decimas solvere, sed a personalibus iam antiquitus exempta fuerunt: « A Monachis sive clericis communiter viventibus nulla ratio sinit ut milites aut episcopi aut persona quaelibet decimas de laboribus seu nutrimentis suis propriis extorquere debeant », ait Paschalis II. in c. *Decimas,* caus. 16. q. 1. Quam exemptionem extendi ad praediales decimas quoque quidam censent, quae ex labore et industria talium regularium proveniunt. Quam sententiam probabilem dicit Suarez l. c. c. 18, n. 3. Excipiendae tamen erant decimae ex praediis, quae monachi acquisierant et ex quibus, ante eorum acquisitionem, decimae solvebantur. Constat ex c. *Nuper, de Decimis,* qui est Innocentii III. in conc. Later. « Ne occasione privilegiorum suorum (agitur de Cistercensibus, Templariis, Hospitalariis) ecclesiae ulterius praegraventur, decernimus, ut de alienis terris et amodo acquirendis, etiamsi eas propriis manibus aut sumptibus excolant, decimas persolvant Ecclesiis, quibus, ratione praedictorum, antea solvebantur, nisi cum ipsis ecclesiis aliter duxerint componendum. Et hoc ipsum ad alios regulares, qui gaudent similibus privilegiis, extendi volumus ». Verum tum iure communi quoad plures alias decimas, tum Romanae Sedis specialibus privilegiis a qualibet decima religiosi solvenda exempti tandem fuerunt. Cf Salmantic. l. c. n. 63. seqq.

1161. Solvendae sunt decimae clericis *curam animarum habentibus.* « Debitum, quo ministris altaris debentur sumptus de ministerio et quo ministrantibus spiritualia debentur temporalia, ad solos clericos pertinet habentes curam animarum et ideo eis solum competit hoc ius habere », ait s. Thomas q. cit. art. 3. « Perceptio decimarum ad parochiales ecclesias de iure communi pertinet »: *c. Cum contingat, de Decimis.* Quarta autem pars earum Episcopo debetur, arg. c. *De quarta, de Praescritionibus.* Non enim duplex praecipitur solvenda decima, sed una. Eodem pacto dicendum est cum Lessio l. c. n. 28.,

clericos omnes, etiam Episcopos teneri solvere decimas de omnibus locis ecclesiasticis Romano Pontifici, si eas exigat. Ita s. Thomas q. cit. art. 4. ad 3. qui, quemadmodum, ait, Levitae in lege veteri, dare decimas debebant summo sacerdoti (cf. Num. XVIII. 26.-28.), colligit quod « nunc eadem ratione tenentur clerici summo Pontifici decimam dare, si exigat. Naturalis enim ratio dictat, quod illis, qui habent curam animarum, de communis multitudinis statu provideatur, unde possint exsequi ea, quae pertinent ad communem salutem ». Monet tamen idem Lessius, non solere Rom. Pontificem hanc decimam ab ecclesiasticis exigere, nisi necessitas Ecclesiae id postulet: sed, loco decimae quotannis pendendae, solere in beneficiis maioribus exigere fructus unius anni pro toto tempore vitae, quae *annatas* vocant. Hinc habes etiam rationem oboli s. Petri. Huc spectat specialis constitutio Bonifacii VIII. inter Extrav. l. 3. tit. 7.

1162. His breviter pertractatis, ut huius legis indoles intelligatur, solvenda est potior quaestio triplex: quo iure decimae exigantur, quale sit ius decimarum et quaenam poenae sint transgressoribus indictae.

Ad primam quaestionem respondemus cum s. Thoma q. cit. art. 1., distinguendo. Nam decimae solvuntur pro sustentatione ministrorum Dei, qui nobis spiritualia administrant: idcirco duo in hac re occurrunt, quod nempe detur a fidelibus id quod necessarium est ad honestam ministrorum Dei sustentationem et quod id speciale detur, nempe decima pars fructuum. Iam quoad primum, manifestum est hoc esse ex iure naturali ab ipso Deo confirmato Luc. X. 7. *Dignus est operarius mercede sua* et 1. Cor. IX. 11. *Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* et I. Tim. V. 17. *Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni sunt* (alludit, puto, ad ius primogenitorum in lege veteri, qui duplicem portionem prae fratribus obtinebant), *maxime qui laborant in verbo et doctrina; dicit enim Scriptura: non infraenabis os bovi trituranti:* ex qua citatione patet loqui Apostolum de sustentatione presbyterorum. Cf. 1. Cor. IX. 7.-9. « Radix solutionis decimarum, ait s. Thomas q. cit. a. 2., est debitum, quo seminantibus spiritualia debentur carnalia ». Porro « super hoc debitum fundavit Ecclesia determinationem solutionis decimarum » ait idem ibid.

1163. Si ergo alterum spectetur, certum est determinationem rei, quae debeatur, h. e. decimam partem fructuum, esse ex iure positivo Ecclesiae; nam nulla lex divina quoad hoc afferri potest: lex sane vetus desiit obligare et in Novo Testamento nullum est praeceptum divinum, praeter ea, quae spectant ad fidem et sacramenta atque hie-

rarchiam, nisi naturale: cf. s. Thomam 1. 2. q. 108. a. 2. Porro natura non determinat per se decimas, sed solum in genere quod sustentatio necessaria ministris exhibeatur.

Inde consequitur, debitum hoc auctoritate Ecclesiae variari posse et ab eo dispensari. Sequitur quoque legem hanc Ecclesiae, prout Ecclesiae est, posse legitima consuetudine abrogari. Prout, inquam, lex Ecclesiae est; nam semper necesse est facere satis praecepto naturali ideoque alio quovis modo consulere honestae sustentationi eorum, qui spiritualia ministrant.

1164. Quaerunt Theologi, an haec lex Ecclesiae iusta sit. Ratio dubitandi est; quia, si praesertim ratio habeatur antiquarum legum, quae ex omnibus fructibus etiam personalibus decimas exigebant et quidem etiam post instituta beneficia, nimium et multo plus quam par est postulari videtur. Decimae enim debentur clericis curam animarum habentibus: atqui hi paucissimi sunt prae toto populo christiano; si autem singuli omnes decimas ex suis subditis accipiant, ditissimi brevi evadent, inter ceteros fideles, multo plus certe habentes, quam opus sit pro vel honestissima sustentatione. Cf. Caietanum in art. 1. q. cit. s. Thomae.

Plura respondet Lessius l. c. n. 10. ex quibus duo seligimus. Alterum est, quod affert ex Caietano quodque unice Caietano probatur: decimas scilicet quamvis primario ordinatas sustentationi eorum, qui pascunt gregem Domini , secundario vero ordinari quoque ad pauperum utilitatem, quorum sacerdotes patres sunt; qui proinde iubentur superflua in pauperes erogare. « In nova lege decimae dantur clericis non solum propter sui sustentationem sed etiam ut ex eis subveniant pauperibus et ideo non superfluunt, sed ad hoc necessariae sunt possessiones ecclesiasticae et oblationes et primitiae simul cum decimis ». s. Thom. q. c. a. 3. ad 1. (a). Alterum est decimas ordinari quoque ad sustentationem aliorum clericorum, qni adiuvant pastores ecclesiarum, quos aequum est ex reditibus fidelium vivere. Adde in nova lege innumerabilia esse templa, quae singula suis ornamentis et sacra supellectili instrui oportet ac sarta tecta servari. Si haec consideres et simul reputes, quod certe Ecclesia prae oculis habuit, difficile admodum esse in praxi id assequi, ut cuncti solvant decimas et quidem omnes: non abnormis videbitur haec lex, quae, iusto exsistente titulo, consuluerit eo modo, quo potuit, honestae sustentationi clericorum et pauperum atque ecclesiarum decori. Ceterum assertio haec,

---

(a) Adverte iuxta s. Thomam oblationes alias (praeter decimas) atque primitias esse voluntarias per se, nisi adsit indigentia ministrorum aut consuetudo. 2. 2. q. 86. art. 4. in corp. et ad 3.

decimas iuste institutas fuisse, ait Suarez l. c. c. 11. n. 3. « est de fide, ad quam probandam sufficiunt iura et concilia citata. Sufficit etiam auctoritas et consensus universalis Ecclesiae, quae errare non potest in moribus ».

Quaesitum est: an Parochi et ceteri ecclesiastici, quibus decimarum abolitione a Gubernio decreta, damnum illatum est, compensationes ab ipso Gubernio propositas percipere possint.

Respondit s. Poenitentiaria Apost. 10. decemb. 1860. « Posse, iuxta oraculum ss. Domini, titulo merae compensationis, pro damno sibi a Gubernio illato ob impeditam decimarum exactionem, percipere pensiones a Gubernio assignatas, facta tamen prius sive ab Ordinario loci in communi, sive a quolibet ex dictis parochis seu ecclesiasticis in particulari protestatione, per huiusmodi perceptionem nullo modo recognosci aut approbari decimarum abolitionem a Gubernio factam et caute *monitis earundem decimarum debitoribus, eos non esse vi legis a Gubernio latae, ab onere easdem solvendi liberatos* ».

Quia vero nefas est, idem debitum bis exigere, si parochi, fraudati decimas, *aequam* aliunde compensationem accipiant, non licet parochis easdem exigere a fidelibus, a quibus hoc tantum postulare possunt et debent, cum eos absolvunt, ut parati sint stare mandatis Ecclesiae. Cf. reg. Iuris 83. in 6. *Bona fides non patitur, ut semel exactum iterum exigatur.*

1165. Haec lex non est poenalis, sed moralis, determinans debitum, quod est ex iure naturae et efficiens ut decimae ex iustitia debeantur. Sicut enim militi ex iustitia debetur stipendium: *quis enim militat suis stipendiis unquam?* 1. Cor. IX. 7., ita et multo magis id clericis debetur. Cf. s. Thom. q. cit. art. 2. ad 4. et Suarez l. c. c. 36. num. 1.

Quocirca cum Ecclesia iubet decimas solvi, tenentur fideles eas dare etsi per exactores non urgeantur ad solutionem.

Neque contraria est doctrina s. Thomae q. cit. art. 1. ad 5. ubi ait: « Apostolus noluit uti potestate sibi a Domino tradita, ut scilicet acciperet stipendia victus ab iis, quibus Evangelium praedicabat, ne daretur aliquod impedimentum Evangelio Christi. Nec tamen peccabant illi, qui ei non subveniebant: alioquin Apostolus eos corrigere non omisisset. Et similiter laudabiliter ministri Ecclesiae decimas Ecclesiae non requirunt ubi sine scandalo requiri non possent, propter dissuetudinem vel propter aliquam aliam causam. Nec tamen sunt in statu damnationis, qui non solvunt in locis illis, in quibus *Ecclesia non petit*, nisi forte propter obstinationem animi, habentes voluntatem non solvendi, etiamsi ab eis peterentur ». Cum enim ait: *Ec-*

clesia non petit: non loquitur de exactione per collectores, sed de voluntate Ecclesiae aut non praecipientis decimas dari, puta in ecclesiis recens fundatis, aut, cum fideles non solvant, scienter tolerantis usum inductum.

Ceterum attendenda est doctrina s. Thomae, quae hac recenti aetate conferre etiam potest tranquillitati conscientiarum; sed conferenda simul responsio mox allata s. Poenit.

1166. Ius habendi decimas est ius spirituale. « Circa decimas, ait s. Thomas q. cit. a. 3., duo sunt consideranda, scilicet ipsum ius accipiendi decimas et ipsae res, quae nomine decimae dantur. Ius autem accipiendi decimas spirituale est. Consequitur enim illud debitum, quo ministris altaris debentur sumptus de ministerio et quo ministrantibus spiritualia debentur temporalia... Res autem quae nomine decimarum dantur, corporales sunt: unde possunt in usum quorumlibet cedere et sic possunt etiam ad laicos pervenire ». Consequitur ergo ad laicos spectare non posse ius decimarum. Cf. c. *Quamvis, de Decimis.*

1167. Quaeritur, an clerici dominium habeant decimarum acceptarum. Haec quaestio eodem pacto solvenda est ac ea, qua quaeritur, an iidem domini sint fructuum suorum beneficiorum; cui quaestioni in tr. *de Iustitia et Iure* respondebimus affirmative. Ecclesia autem pauperum necessitatibus pro quibus et decimas petit, consuluit praecepto lato, ut superflua pauperibus erogentur.

1168. Poena contra non solventes decimas erat in iure excommunicatio ferendae sententiae cc. *Pervenit* et *Ex parte, de Decimis.* Eandem poenam statuit Trid. Syn. sess. 25. *de Reform.* c. 12. « Praecipit s. Synodus omnibus, cuiuscumque gradus et conditionis sint, ad quos decimarum solutio spectat, ut eas, ad quos de iure tenentur, in posterum cathedrali aut quibuscumque aliis ecclesiis vel personis, quibus legitime debentur, integre persolvant. Qui vero eas aut subtrahunt aut impediunt, excommunicentur nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta, absolvantur ».

Absolvamus verbis (Augustini?) relatis c. 8. caus. 16. q. 7. « Maiores nostri ideo copiis omnibus abundabant, quia Deo decimas dabant et Caesari censum reddebant. Modo autem, quia devotio Dei discessit, accessit indictio fisci. Noluimus partiri cum Deo decimas: modo autem totum tollitur. Hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus ».

SECTIO IV.

DE LIBRORUM PROHIBITIONE

1169. Cum oporteat hac de re agere, nullum idoneum magis ei censemus locum, quam inter Ecclesiae praecepta. Nam et prohibitio librorum malorum praeceptum Ecclesiae est illudque universale.

SS. D. N. Leo XIII. die 25. Ian. 1897. novam edidit Constitutionem *(Officiorum et munerum)* circa lectionem et editionem librorum, cuius decreta sola voluit vim legis habere, « abrogatis *Regulis* sacros. Tridentinae Synodi iussu editis, *Observationibus, Instructionibus, Decretis, Monitis* et quovis alio Decessorum nostrorum hac de re statuto iussuque, una excepta Const. Benedicti XIV. *Sollicita et provida* ».

Haec scilicet normas statuit, quas Cong. Indicis sequi debet in proscribendis libris.

Referemus recentem Constitutionem, brevibus, ubi opus fuerit, adiectis notis. Uberiorem eius declarationem iam plures docti viri ediderunt, (cf. dissert. Canon. moralem Arthuri Wermeersch et Ill.mi ac Rev.mi Assessoris s. O. C. Gennari et quos ipsi citant).

1170. Quinam vero libri sint, definiendum a principio est. Porro uso constanti et communi liber intelligitur qui typis editus est et sic a manuscriptis vel codicibus discernitur: cum ergo simus *in odiosis,* hoc pacto circumscribenda est significatio huius vocis. Praeterea, ut liber sit, certa moles requiritur; folia sane non sunt libri, a quibus in Const. mox referenda secernuntur. Sane huc faciunt duo responsa s. O. Alterum est 1880. 27. Apr. Interrogata s. C. *an scienter legentes ephemerides propugnantes haeresim incurrant excommunicationem Const. Apostolicae Sedis art.* 2. respondit: *Negative.* Alterum est 1892. 13. Ian. Utrum scienter legentes publicationes periodicas in fasciculos ligatas habentes auctorem haereticum et haeresim propugnantes, excommunicationem incurrant Const. Apost. Sedis respondit: *Affirmative.* Publicationes scilicet periodicae, quae prodeunt ligatae in fasciculos (non folia separata ab acquirente postea colligata) molem habent convenientem libris et libri sunt.

Tuto autem censere modo licet, manuscripta, codicesve in nova, quam subdimus, Constitutione, praetermissa esse: ut iudicium de ipsis ex iure tantum naturae ferendum sit.

Const. duplici constat titulo *de Prohibitione librorum — De Censura librorum:* ad nostram tractationem spectat potissimum prior.

TITULUS I. — De prohibitione librorum.

CAPUT I. — De prohibitis apostatarum, haereticorum, schismaticorum aliorumque scriptorum libris.

1. LIBRI OMNES, QUOS ANTE ANNUM MDC. AUT SS. PONTIFICES AUT CONCILIA OECUMENICA DAMNARUNT ET QUI IN NOVO INDICE NON RECENSENTUR, EODEM MODO DAMNATI HABEANTUR, SICUT OLIM DAMNATI FUERUNT: IIS EXCEPTIS, QUI PER HAEC DECRETA GENERALIA PERMITTUNTUR.

1171. Non nova additur condemnatio, sed qualis vigebat prius et eo modo quo vigebat, ipsa eodem pacto nunc quoque viget. Si ergo usus invaluerat, ut aliqui libri haereses continentes, licet antea proscripti, postea impune legerentur, ut nonnulla opera Origenis, Theodori Mopsuesteni, Tertulliani etc. iidem nunc etiam permissi intelliguntur. Loquitur Const. de novo Indice, quem ss. Pontifex confici et edi iussit, maturum cum fuerit: et hactenus exspectamus.

2. LIBRI APOSTATARUM, HAERETICORUM, SCHISMATICORUM, ET QUORUMCUMQUE SCRIPTORUM HAERESIM VEL SCHISMA PROPUGNANTES, AUT IPSA RELIGIONIS FUNDAMENTA UTCUMQUE EVERTENTES, OMNINO PROHIBEMUS.

1172. Cf. censuram 2^{m} seriei 1^{ae} in Const. *Apostolicae Sedis* vol. 7°. Praeter haereticorum libros heic nominantur quoque libri schismaticorum. Qui schismatici sint dicimus l. c. sub Cens. 3^{a}: Item libri quorumcumque scriptorum, ergo eorum etiam qui catholico censentur nomine, etiam infidelium, si haeresim propugnent. Porro l. c. sub Cens. 2. declarabimus vocem *propugnantes*. Altera pars respicit libros *e ertentes utcumque fundamenta ipsa religionis*.

Cuius religionis? puto eius quae sola vera est, nempe revelatae (in art. 4. sibi aequivalent *religio* et *veritates fidei*), cuius fundamenta sunt exsistentia Dei personalis, origo rerum ab eo per creationem, veracitas historica Scripturarum, prophetiae, miracula et si quid est huiusmodi. *Utcumque:* nimirum, ut liber sit prohibitus, requiritur, ut evertat fundamenta, quod non credo fieri, si obiter tantum contra ea sermo instituatur: sed quia non uno modo concuti possunt fundamenta religionis, sive serio, sive ridiculo asperso, sive hac sive alia veritate negata, sive directe sive etiam indirecte, dictum est: *utcumque*.

Vides, hac lege non omnes haereticorum, schismaticorum et apostatarum libros prohiberi, sed qui haeresim propugnant aut evertunt utcumque fundamenta religionis.

3. Item prohibentur acatholicorum libri, qui ex professo de religione tractant, nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri.

1173. Acatholici sunt omnes, qui ad Ecclesiam Romanam non spectant, sive christiani sint sive infideles. Ex *professo:* nempe *data opera, ex instituto non obiter* (D'Annibale Summ. III. §. 141. s. Alph. VII. n. 283.). *Nisi constet:* non edicitur, unde constare debeat: dummodo ergo constet, h. e. moraliter certum sit, nihil contineri contra fidem catholicam, non erit liber prohibitus: sed perpende vim phrasis: *nihil contineri.*

4. Libri eorundem auctorum, qui ex professo de religione non tractant, sed obiter tantum fidei veritates attingunt, iure ecclesiastico prohibiti non habeantur donec speciali decreto proscripti haud fuerint.

1174. Illud locum habere potest, quaecumque sit materia libri, sive philosophica, sive physica, sive philologica, sive historica, sive fabulosa etc. *Iure ecclesiastico*, inquit: nam ius naturae, si quod urget, integrum manet.

CAPUT 2. — De editionibus textus originalis et versionum non vulgarium.

5. Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum s. Scripturae, etiam Ecclesiae orientalis ab acatholicis quibuscumque publicatae, etsi fideliter et integre editae appareant, iis dumtaxat, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, dummodo tamen non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata, permittuntur.

1175. Qui *studiis dant operam:* non dicitur: in scholis seu universitatibus; sufficit ergo operam dare his studiis etiam privatim (Gennari, Vermeersch). Operam ergo dant his studiis tum lectores, tum discipuli tum qui privatim student.

S. C. Indicis declaravit sub nomine eorum, qui studis theologicis vel biblicis dant operam, venire etiam alumnos, qui theologiae et linguae hebraicae et graecae in scholis Seminariorum vacant (responso mox citando).

Non permittuntur ceteris, quia nec utilis iis est haec lectio, et carent subsidio quo periculum errandi arceatur. Ratio exceptionis evidens est.

Porro ius factum iis, qui in publicis scholis operam his studiis dederunt, aequum esse perseverare, absolutis studiis, puto.

1176. Affertur tamen responsum quoddam C. Indicis quoad ipsos textus, hebraicum et graecum. C. Indicis interrogata, *utrum Episcopus possit permittere, ut in scholis alumni, sub ductu professoris, textus hebraicos et graecos ab acatholicis editos legant et vertant, dummodo non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus talium librorum, catholicae fidei dogmata?* Respondit: *Negative, nisi specialem a s. Sede facultatem obtinuerit,* 1898. 21. Iunii (cf. Il *Monitore ecclesiastico* 31. Agosto 1898. p. 128. seq.). Pone, scholas esse non theologicas aut biblicas, sed grammaticas et discrimen, puto, intelliges.

6. EADEM RATIONE ET SUB IISDEM CONDITIONIBUS PERMITTUNTUR ALIAE VERSIONES SACRORUM BIBLIORUM SIVE LATINA SIVE ALIA LINGUA NON VULGARI AB ACATHOLICIS EDITAE.

1177. Heic sermo est de versionibus exaratis ab acatholicis, lingua tamen non vulgari. In praeced. sermo erat de versionibus catholicorum, publicatis ab acatholicis.

CAPUT 8. — De versionibus vernaculis S. S.

7. CUM EXPERIMENTO MANIFESTUM SIT, SI SACRA BIBLIA VULGARI LINGUA PASSIM SINE DISCRIMINE PERMITTANTUR, PLUS INDE, OB HOMINUM TEMERITATEM, DETRIMENTI, QUAM UTILITATIS ORIRI: VERSIONES OMNES IN LINGUA VERNACULA ETIAM A VIRIS CATHOLICIS CONFECTAE, OMNINO PROHIBENTUR, NISI FUERINT AB AP. SEDE APPROBATAE, AUT EDITAE SUB VIGILANTIA EPISCOPORUM CUM ADNOTATIONIBUS DESUMPTIS EX SS. ECCL. PATRIBUS ATQUE EX DOCTIS CATHOLICISQUE SCRIPTORIBUS.

1178. Si ergo eduntur auctoritate Apost. Sedis, non opus est addere adnotationes.

8. INTERDICUNTUR VERSIONES OMNES SS. BIBLIORUM QUAVIS VULGARI LINGUA AB ACATHOLICIS QUIBUSCUMQUE CONFECTAE ATQUE ILLAE PRAESERTIM, QUAE PER SOCIETATES BIBLICAS, A ROMANIS PONTIFICIBUS NON SEMEL DAMNATAS, DIVULGANTUR; CUM IN IIS SALUBERRIMAE ECCLESIAE LEGES DE DIVINIS LIBRIS EDENDIS FUNDITUS POSTHABEANTUR.

HAE NIHILOMINUS VERSIONES, IIS QUI STUDIIS THEOLOGICIS VEL BIBLICIS DANT OPERAM, PERMITTUNTUR, IIS SERVATIS QUAE SUPRA N. 5. STATUTA SUNT.

1179. Saluberrimae Ecclesiae leges eae sunt, quae in praeced. §. memorantur. Cf. §. 30.

CAPUT 4. — De libris obscenis.

9. LIBRI, QUI RES LASCIVAS SEU OBSCENAS EX PROFESSO TRACTANT, NARRANT, AUT DOCENT, CUM NON SOLUM FIDEI SED ET MORUM, QUI HUIUSMODI LIBRORUM LECTIONE FACILE CORRUMPI SOLENT, RATIO HABENDA SIT, OMNINO PROHIBENTUR.

1180. Nota illud *ex professo:* secus, ius ecclesiasticum nondum eas prohibet, etsi ius naturale huic vel illi prohibere possit.

10. LIBRI AUCTORUM SIVE ANTIQUORUM SIVE RECENTIORUM, QUOS CLASSICOS VOCANT, SI HAC IPSA TURPITUDINIS LABE INFECTI SUNT, PROPTER SERMONIS ELEGANTIAM ET PROPRIETATEM, IIS TANTUM PERMITTUNTUR, QUOS OFFICII AUT MAGISTERII RATIO EXCUSAT, NULLA TAMEN RATIONE PUERIS VEL ADOLESCENTIBUS, NISI SOLERTI CURA EXPURGATI, TRADENDI AUT PRAELEGENDI ERUNT.

1181. Haec ipsa turpitudinis labes, ea est, puto, qua ex professo res obscenae tractantur, narrantur: est enim haec regula exceptio quaedam praecedentis; in ea omnes huiusmodi libri generatim prohibentur: at nihilominus libri classici permittuntur iis, quos officii aut magisterii ratio excusat. Si permittuntur ii libri, quos praecedens regula non prohibuit, quorsum haec permissio?

Phrasis, quos officii aut magisterii *ratio excusat*, non requirit strictam necessitatem sed satis est utilitas quaedam ex horum librorum lectione proveniens ad rite, ut par est, officium aut magisterium obeundum (Vermeersch).

Intellige permitti, dummodo iidem libri ex certa causa non sint in indicem relati.

Officium distinguitur a *magisterio:* non ergo solis magistris et professoribus litterarum humaniorum haec permissio fit: inter eos, quos officium excusat, recenset Vermeersch, illos, qui litteraturam profitentur et criticam: adde custodes bibliothecarum, praesides lycaeorum et huiusmodi.

CAPUT 5. — De quibusdam specialis argumenti libris.

11. DAMNANTUR LIBRI, IN QUIBUS DEO AUT B. V. MARIAE, VEL SANCTIS AUT CATHOLICAE ECCLESIAE EIUSQUE CULTUI VEL SACRAMENTIS AUT APOSTOLICAE SEDI DETRAHITUR. EIDEM REPROBATIONIS IUDICIO SUBIACENT EA OPERA, IN QUIBUS INSPIRATIONIS S. SCRIPTURAE CONCEPTUS PERVERTITUR AUT EIUS EXTENSIO NIMIS COARCTATUR. PROHIBENTUR QUOQUE LIBRI, QUI DATA OPERA ECCLESIASTICAM HIERARCHIAM AUT STATUM CLERICALEM VEL RELIGIOSUM PROBRIS AFFICIUNT.

1182. Clausula *data opera* in tertia parte decreti expressa, non immerito ad duas praecedentes quoque refertur, adhibita communi regula,

quod clausula ultimo loco posita ad omnia antecedentia connexa refertur. Sane, ut ex ipso titulo patet, oportet esse libros, quorum haec sint argumenta seu materia; atqui nequeunt dici libri huius specialis argumenti, si obiter tantum et per transennam huiusmodi res ibi tractentur, narrentur.

12. NEFAS ESTO, LIBROS EDERE, LEGERE AUT RETINERE, IN QUIBUS SORTILEGIA, DIVINATIO, MAGIA, EVOCATIO SPIRITUUM ALIAEQUE HUIUS GENERIS SUPERSTITIONES DOCENTUR VEL COMMENDANTUR.

1183. Huc spectant libri qui *Spiritismum* docent vel commendant. Quid sit *legere, retinere* cf. infra n. 1216. seq. quid sit *edere* cf. art. 43.

13. LIBRI AUT SCRIPTA, QUAE NARRANT NOVAS APPARITIONES, VISIONES, PROPHETIAS, MIRACULA, VEL QUAE NOVAS INDUCUNT DEVOTIONES, ETIAM SUB PRAETEXTU QUOD SINT PRIVATAE, SI PUBLICENTUR ABSQUE LEGITIMA SUPERIORUM ECCLESIAE LICENTIA, PROSCRIBUNTUR.

1184. *Scripta*, praeter libros, intellige diaria, folia, libellos, qui libri nomen non merentur (cl. Gennari sub art. 41.). Si deficiente requisita licentia proscribuntur; ergo nefas est haec legere retinere etc. non secus ac in ceteris libris prohibitis.

14. PROHIBENTUR PARITER LIBRI, QUI DUELLUM, SUICIDIUM, VEL DIVORTIUM LICITA STATUUNT, QUI DE SECTIS MASSONICIS VEL ALIIS EIUSDEM GENERIS SOCIETATIBUS AGUNT EASQUE UTILES ET NON PERNICIOSAS ECCLESIAE ET CIVILI SOCIETATI ESSE CONTENDUNT ET QUI ERRORES AB APOSTOLICA SEDE PROSCRIPTOS TUENTUR.

1185. Ut quis vere dicatur *statuere*, *contendere*, *tueri*, opus est, ut data opera id moliatur. Cf. in Const. *Apost. Sedis* in 2. serie cens. 1. et 4.

CAPUT 6. — De sacris imaginibus et Indulgentiis.

15. IMAGINES, QUOMODOCUMQUE IMPRESSAE D. N. I. X. B. MARIAE V. ANGELORUM ATQUE SANCTORUM VEL ALIORUM SERVORUM DEI AB ECCLESIAE SENSU ET DECRETIS DIFFORMES, OMNINO VETANTUR. NOVAE VERO, SIVE PRECES HABEANT ADNEXAS SIVE ABSQUE ILLIS EDANTUR, SINE ECCLESIASTICAE POTESTATIS LICENTIA NON PUBLICENTUR.

1186. *Quomodocumque*, ait, quia ars exprimendi imagines multiplex est. Quoad imagines impressas, eae vetantur, quae sunt difformes a sensu et decretis Ecclesiae, ut idcirco eaedem nequeant exponi: retineri autem privatim, ut monumentum vel abnorme artis, non puto prohibitum. Sensum et decreta Ecclesiae te docebit Benedictus XIV. Const. *Sollicitudini nostrae* 1745. 1. Octob. in qua uberrime de hac re disputat. Cf. et Ferraris, v. *Imagines*, n. 55. seqq. Quod de imaginibus impressis dicitur, accipe etiam de statuis quae tandem et ipsae imagines sunt.

Novae intelliguntur, quae de novo inveniuntur ex novo concepto typo (disegno), non quarum typus vetus est et usu probatus (Vermeersch): harum publicatio sine licentia ecclesiasticae potestatis h. e. Episcopi seu Ordinarii, prohibetur. Nota prohiberi publicationem; hoc scilicet decretum publicantes tangit: si vero publicatae non inveniantur difformes a sensu et decretis Ecclesiae, adhiberi poterunt et exponi: secus, vim suam exercet prima pars huius regulae (Gennari).

16. Universis interdicitur indulgentias apocryphas et a s. Sede Ap. proscriptas vel revocatas quomodocumque divulgare. Quae divulgatae iam fuerint, de manibus fidelium auferantur.

1187. Cf. de Indulgentiis apocryphis et proscriptis aut revocatis Opus F. Beringer §. I. *Les Indulgences* p. 1. §. XV. *Quomodocumque* divulgare: quaelibet divulgatio prohibetur sive typis sive manuscriptis, puto: at per se eorum lectio non interdicitur, sed praecipitur, ut si quae huiusmodi a fidelibus habeantur, ab eorum manibus auferantur. Hoc spectat ad superiores ecclesiasticos, qui iubere possunt, ut sibi huiusmodi falsa documenta restituantur, cui decreto parendum erit.

17. Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia etc. in quibus earum concessiones continentur, non publicentur absque competentis auctoritatis licentia.

1188. Auctoritas competens est Episcopus, si agatur de publicandis Indulgentiis iam approbatis a s. C. Ind. aut de publicandis earum collectionibus sive summariis, item iam a s. C. Indulg. approbatis. Si vero agatur de novis Indulgentiis vel de nova collectione aut summario nondum approbatis, auctoritas competens est s. C. Indulg.

Haec erat lex vigens ante praesentem Const., quam legem adhuc valere declaravit s. C. Indicis 1897. 7. Aug.

Si tamen, ait Vermeersch, omissa debita recognitione, libri isti, summaria etc, publicentur non sunt proscripta. Id late probat Pennacchi et sequitur ex canone generali, prohibitionem nempe edendi aliquid sine praevia approbatione, non prohibere per se lectionem, retentionem eiusdem editi absque illa.

CAPUT 7. — De libris liturgicis et precatoriis.

18. In authenticis editionibus Missalis, Breviarii, Ritualis, Ceremonialis Episcoporum, Pontificalis Romani aliorumque librorum liturgicorum a s. Sede Ap. approbatorum, nemo quidquam immutare praesumat; si secus factum fuerit, hae novae editiones prohibentur.

1189. *Si secus*, nempe si ex praesumptione immutatio inducta fuerit. Si autem praeter intentionem mutatio aliqua accidentalis obrepserit

(*accidentalis* inquam; nam si substantialis sit, ea nonnisi ex culpa quae dolo aequiparatur ideoque et praesumptioni, oriri potest), spectabit, puto, ad superiorem ecclesiasticum iudicare, an usus libri permitti possit.

Authentica editio ea est quam s. Sedes probavit et probando fecit suam. Exstat sane exemplar typicum horum librorum, sive Originale s. R. C. vel Exemplar typographiae cameralis authenticum manu secretarii ipsius. s. Congr. firmatum et sigillo obsignatum. At immutatio, de qua heic agitur, non ea est, quae in hoc ipsum exemplar authenticum induceretur, quod probabile non est, sed in editiones quae iuxta illud fieri debent et quae ad eius normam factae exhibeantur, quae propterea et ipsae authenticae vocantur.

Nota, non censeri mutationem textus, si in nova editione, suis locis plura, quam in authentica, extenduntur et repetuntur in commodum utentium (Vermeersch).

19. Litaniae omnes, praeter antiquissimas et communes, quae in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus ac Ritualibus continentur et praeter litanias de B. V. quae in sacra Aede lauretana decantari solent et litanias ss. Nominis Iesu iam a s. Sede approbatas, non edantur sine revisione et approbatione Ordinarii.

1190. Non ergo absolute prohibentur, sed postulatur revisio et approbatio Ordinarii.

Alia lege vero, quam non semel s. R. C. instauravit, prohibetur publica in Ecclesiis vel oratoriis publicis, etiam sine ministri sacri interventu, recitatio litaniarum quas s. Sedes non probavit. S. R. C. 20. Iun. 1896. 11. Febr. 1898., etsi probationem tulerint Ordinariorum.

Hac in re opportunum erit meminisse doctrinae, quam tradit Benedictus XIV. Const. *Quamvis iusto* 1749. 30. Apr. §. 12. *Nec dubitari potest, quin publici cultus rationem habeant illi quoque actus qui privatim exercentur, ubi sint ex eorum genere, qui ab Ecclesia instituti sunt ad sollemnem Beatis aut Sanctis venerationem exhibendam, cuiusmodi sunt illi, quos supra enumeravimus.* Enumeraverat autem inter ceteros actus, nomen alicuius *peculiari Collecta ac Litania invocare.*

CAPUT 8. — De diariis, foliis et libellis periodicis.

20. Diaria, folia et libelli periodici, qui religionem aut bonos mores data opera impetunt, non solum naturali, sed etiam ecclesiastico iure proscripti habeantur.

1191. Religionem accipe ut in art. 2., advertens nihilominus, religionem ipsam revelatam impeti, cum religionis naturalis principia im-

pugnantur. Perpende illud *data opera* h. e. ex professo, ex instituto, non obiter, per transennam. Nec satis est, malam esse et Ecclesiae inimicam intentionem eorum qui scribunt, sed factum appareat oportet, ex instituto scilicet in iis scriptis religionem impeti aut bonos mores. Subdit:

21. Curent autem Ordinarii, ubi opus sit, de huiusmodi lectionis periculo et damno fideles opportune monere.

1192. Cum praesumendum non sit, huic officio deesse Ordinarios, saltem si commode possunt, eorum silentium circa diaria, folia, libellos periodicos, quorum publicatio nota est et constans, argumento esse poterit, ea non esse ex illis, quae pro proscriptis iure naturali et ecclesiastico sint habenda. E contrario, exsistente ea monitione, reliquum erit, ut fideles legem applicent in eo casu particulari. Opus vero non est, ut Episcopus moneat publico edicto; sed satis est, si constet, eam esse certam sententiam Episcopi, quem confessarii semper consulere possunt.

22. Nemo e catholicis, praesertim e viris ecclesiasticis, huiusmodi diariis, foliis vel libellis periodicis quidquam, nisi suadente iusta et rationabili causa, publicet.

1193. *Huiusmodi:* sermo est de iis, de quibus in art. praeced., interdicitur cooperatio rei malae, eiusque approbatio. Haec abest, si ex iusta et rationabili causa aliquid per eadem publices, ex. gr. ut articulo infamatorio respondeas.

CAPUT 9. — De facultate legendi et retinendi libros prohibitos.

23. Libros sive specialibus, sive hisce generalibus decretis proscriptos, ii tantum legere et retinere poterunt, qui a Sede Apostolica, aut ab illis, quibus vices suas delegavit, opportunas fuerint consecuti facultates.

1194. Generalia decreta ea sunt, quae hactenus in praesenti Const. sunt edita: specialia sunt, quibus in Indice singillatim libri prohibentur, vel quibus s. Sedes quemdam librum singulari edicto prohibet.

24. Concedendis licentiis legendi et retinendi libros quoscumque prohibitos Romani Pontifices Indicis Congregationem praeposuere. Eadem nihilominus potestate gaudent tum Suprema s. O. Congregatio, tum s. C. de P. F. pro regionibus suo regimini subiectis. Pro Urbe tantum, haec facultas competit etiam S. P. A. Magistro.

1195. Cum his competat potestas ordinaria, eam possunt delegare.

25. EPISCOPI ALIIQUE PRAELATI IURISDICTIONE QUASI EPISCOPALI POLLENTES PRO SINGULARIBUS LIBRIS ATQUE IN CASIBUS TANTUM URGENTIBUS LICENTIAM CONCEDERE VALEANT. QUOD SI IIDEM GENERALEM A SEDE APOSTOLICA IMPETRAVERINT FACULTATEM UT FIDELIBUS LIBROS PROSCRIPTOS LEGENDI RETINENDIQUE LICENTIAM IMPERTIRI VALEANT, EAM NONNISI CUM DELECTU ET EX IUSTA ET RATIONABILI CAUSA CONCEDANT.

1196. Sermo est de libris a S. A. prohibitis. Prior pars art. cum sit favorabilis, amplam admitttit interpretationem. Altera pars modum praescribit utendi hac facultate: quem modum subditus, in dubio, praesumere debet esse servatum.

26. OMNES QUI FACULTATEM APOSTOLICAM CONSECUTI SUNT LEGENDI ET RETINENDI LIBROS PROHIBITOS, NEQUEUNT IDEO LEGERE ET RETINERE LIBROS QUOSLIBET AUT EPHEMERIDES AB ORDINARIIS LOCORUM PROSCRIPTAS, NISI EIS IN APOSTOLICO INDULTO EXPRESSA FUERIT POTESTAS LEGENDI ET RETINENDI LIBROS A QUIBUSCUMQUE DAMNATOS. MEMINERINT INSUPER QUI LICENTIAM LEGENDI LIBROS PROHIBITOS OBTINUERUNT, GRAVI SE PRAECEPTO TENERI, HUIUSMODI LIBROS ITA CUSTODIRE, UT AD ALIORUM MANUS NON PERVENIANT.

1197. Prior pars negat esse consequens ex facultate Apostolica accepta, licere quoque legere et retinere libros prohibitos a propriis Ordinariis; nisi id tamen expressum disserte sit; hoc enim est in potestate Apostolicae Sedis. Res proinde se habet non secus ac in casibus reservatis. Idem iam a s. C. Indic. 1895. 6. Dec. statutum fuerat. Proposito enim dubio: *Utrum qui habent generalem facultatem legendi libros in Indice librorum prohibitorum contentos, legere licite possint etiam libros ab Ordinario proscriptos sine speciali eiusdem Ordinarii licentia?* Emi PP. responderi mandarunt: *Negative.*

1198. Quaestio est: an prohibitio Ordinarii afficiat Regulares exemptos. Si huius tantum articuli ratio habeatur, respondendum videtur negative. Sane articulus hic, ut advertimus, negat consequentiam quandam *ideo* nempe posse legi libros ab Ordinario prohibitos, quia habetur ab Apostolica Sede facultas legendi libros prohibitos: haec negatio integra manet, etsi dicas: libros ab Ordinariis locorum prohibitos posse impune legi ab iis qui eorundem Ordinariorum iurisdictioni non subsunt. Quocirca exemptio Regularium hoc articulo non est imminuta: manet ergo ius commune quod hactenus valuit. Atqui, quamvis hoc ius exemptionis a iurisdictione Episcoporum plurimas patiatur exceptiones quas DD. diligentissime collegerunt (cf. *Opus Th. Mor.* vol. VII. n. 68. seqq.), nusquam hic casus de prohibitione librorum indicatur. Ergo. Sed cf. art. 29.

Ut vero Episcopus librum prohibeat, opus non est, esse eius subditum auctorem vel editorem libri: prohibitio enim has personas nullo modo attingit, sed ad lectores refertur, qui sunt subditi prohibentis et quibus ipse ex munere suo cavere debet. Sic et Pontifices libros Thalmudis christianis prohibuerunt.

CAPUT 10. — De denuntiatione pravorum librorum.

27. QUAMVIS CATHOLICORUM OMNIUM SIT, MAXIME EORUM, QUI DOCTRINA PRAEVALENT, PERNICIOSOS LIBROS EPISCOPIS AUT APOSTOLICAE SEDI DENUNTIARE, ID TAMEN SPECIALI TITULO PERTINET AD NUNTIOS, DELEGATOS APOSTOLICOS, LOCORUM ORDINARIOS, ATQUE RECTORES UNIVERSITATUM DOCTRINAE LAUDE FLORENTIUM.

28. EXPEDIT, UT IN PRAVORUM LIBRORUM DENUNTIATIONE NON SOLUM LIBRI TITULUS INDICETUR, SED ETIAM, QUOAD FIERI POTEST, CAUSAE EXPONANTUR, OB QUAS LIBER CENSURA DIGNUS EXISTIMATUR. IIS AUTEM, AD QUOS DENUNTIATIO DEFERTUR, SANCTUM ERIT, DENUNTIANTIUM NOMINA SECRETA SERVARE.

1199. Prior pars impedit, ne libri temere deferantur et qui iudicaturi sunt inutilibus causis obruantur. Alteram partem iam praescripserat Const. Benedicti XIV. quae adhuc viget.

29. ORDINARII, ETIAM TANQUAM DELEGATI AP. SEDIS, LIBROS ALIAQUE SCRIPTA NOXIA IN SUA DIOECESI EDITA VEL DIFFUSA PROSCRIBERE ET E MANIBUS FIDELIUM AUFERRE STUDEANT. AD APOSTOLICUM IUDICIUM EA DEFERANT OPERA VEL SCRIPTA, QUAE SUBTILIUS EXAMEN EXIGUNT, VEL IN QUIBUS, AD SALUTAREM EFFECTUM CONSEQUENDUM, SUPREMAE AUCTORITATIS SENTENTIA REQUIRI VIDEATUR.

1200. Formula: *etiam tanquam Sedis A. delegati* confirmat et amplificat potestatem ordinariam: id vero non quoad materiam; nam quoad omnes libros noxios iam plena potestas ordinaria ipsis competit, ergo quoad personas, quae ea prohibitione teneantur, nimirum ut ipsos exemptos obliget. Sane ita Fagnanus huius formulae vim universim explicat in C. *Ad Audientiam* (l. 3. t. 48.). « Huiusmodi auctoritas (cum Episcopis fit potestas ut agant tanquam S. A. delegati) attributa est Episcopis, ut firmiore iure procedere valeant contra exemptos Sedi Apostolicae immediate subiectos; quia ex auctoritate delegata exemptiones non violantur ». Quia vero Episcopus hac in re agere potest tum potestate ordinaria, tum delegata, ut eius praeceptum exemptos obliget, constare debet, eum praecipere ex potestate delegata. Si vero locus sit praesumptioni, quod praecipiat quantum potest, potestatis delegatae usus intelligendus erit.

TITULUS II. — De censura librorum.

Censura est actus legitimus, quo, capta notitia libri, eius editio in lucem permittitur vel prohibetur.

CAPUT I. — De Praelatis censurae librorum praepositis.

30. PENES QUOS POTESTAS SIT SS. BIBLIORUM EDITIONES ET VERSIONES ADPROBARE VEL PERMITTERE, EX IIS LIQUET, QUAE SUPRA N. 7. STATUTA SUNT.

31. LIBROS AB APOSTOLICA SEDE PROSCRIPTOS NEMO AUDEAT ITERUM IN LUCEM EDERE: QUOD SI EX GRAVI ET RATIONABILI CAUSA SINGULARIS ALIQUA EXCEPTIO HAC IN RE ADMITTENDA VIDEATUR, ID NUNQUAM FIET, NISI OBTENTA PRIUS SACRAE INDICIS CONGR. LICENTIA, SERVATISQUE CONDITIONIBUS AB EA PRAESCRIPTIS.

1201. *Libros ab A. S. proscriptos* intellige proscriptos *simpliciter*, quorum lectio omnibus generatim interdicitur. Nam si quorundam librorum lectio certis hominum generibus permittitur (e. g. aa. 5. 6.), iam eorum publicatio non est vetita.

Libri ab A. S. proscripti intelliguntur ne etiam libri sub generali ratione a S. S. prohibiti, ut heic fit ex gr. aa. 2. et 9., an libri speciali decreto prohibiti vel in Indicem speciatim relati? Cum pressior verborum sensus hanc alteram classem librorum complectatur et versemur in odiosis atque praeterea prior interpretatio dubia non raro gigneret et anxietates conscientiarum, concedimus haud aegre in sententiam A. Gennari, qui solam hanc alteram librorum classem comprehendi censet hoc articulo.

32. QUAE AD CAUSAS BEATIFICATIONUM ET CANONIZATIONUM SERVORUM DEI UTCUMQUE PERTINENT, ABSQUE BENEPLACITO CONGR. SS. RITIBUS TUENDIS PRAEPOSITAE, PUBLICARI NEQUEUNT.

33. IDEM DICENDUM DE COLLECTIONIBUS DECRETORUM SINGULARUM ROMANARUM CONGREGATIONUM: HAE NIMIRUM COLLECTIONES EDI NEQUEUNT, NISI OBTENTA PRIUS LICENTIA ET SERVATIS CONDITIONIBUS A MODERATORIBUS UNIUSCUIUSQUE CONGR. PRAESCRIPTIS.

1202. Oportet esse tales decretorum editiones, ut dignae sint hac appellatione: *Collectio* seu, ut dicere amant, *Collectanea* Decretorum.

34. VICARII ET MISSIONARII APOSTOLICI DECRETA S. C. PROPAGANDAE FIDEI PRAEPOSITAE DE LIBRIS EDENDIS FIDELITER SERVENT.

1203. Iam eadem S. C. non semel et praesertim 1655. 6. Dec. decreverat, *nulli missionario apostolico cuiusvis gradus, conditionis, praeeminentiae, religionis statusque in posterum licere aliquod opus*

proprium seu alterius, sub gravis praetestu, per se vel per alium seu alios, typis mandare absque ipsius S. C. expressa licentia in scriptis in forma solita, sub poena privationis officii, vocis activae et passivae, suppressionis eiusdem operis et excommunicationis l. s. (quae non amplius viget). Declaratum postea fuit 1770. 28. Dec. pro imperio Sinarum et regno Tunchini publicari posse parvas doctrinas, catechismos, instructiones, preces pro usu quotidiano fidelium: *sub ea conditione, ut in vulgus spargi non possint, nisi prius ea Episcopi respectivi, locorum seu Vicarii Apostolici viderint atque in lucem permiserint emitti.*

Hic articulus spectat solum Missionarios Apostolicos, dependentes a s. C. P. F. vimque suam exerit in locis missionum inter infideles (Gennari).

35. Approbatio librorum, quorum censura praesentium decretorum vi Apostolicae Sedi vel Romanis Congregationibus non reservatur, pertinet ad Ordinarium loci, in quo publici iuris fiunt.

1204. Approbatio scilicet, ut edi possit in lucem. Libri, quorum censura reservatur A. Sedi vel Romanis Congg. sunt ii, de quibus in praecedd. aa. huius Tituli. Non ergo ab Ordinario auctoris vel editoris, sed ab Ordinario loci, uni liber editur, petenda est licentia: et quamvis ille iam permiserit, nihilominus Ordinarius loci, in quo liber editur, ius censurae semper retinet. Cf. a. 37.

36. Regulares, praeter Episcopi licentiam, meminerint, teneri se, sacri Concilii Trid. decreto, operis in lucem edendi facultatem a Praelato cui subiacent, obtinere. Utraque autem concessio in principio aut in fine operis imprimatur.

1205. Decretum Conc. Trid. versatur tantum circa editionem librorum s. Scripturae; at Clemens VIII. eam legem extendit ad omnes libros publicandos a Regularibus, atque ita semper servatum est.

37. Si auctor Romae degens librum non in Urbe, sed alibi imprimere velit, praeter approbationem Card. Urbis Vicarii et Magistri s. P. A. alia non requiritur.

1206. Statutum est a. 35. ad Ordinarium loci, ubi liber editur, spectare censuram libri: heic privilegium conceditur censurae Romanae, ut, ea obtenta, etiamsi liber alibi edatur, nulla alia censura opus sit.

CAPUT 2. — De censorum officio in praevio librorum examine.

Cum haec ad nos non pertineant, omittimus tres articulos de hac re.

CAPUT 3. — De libris praeviae censurae subiiciendis.

41. Omnes fideles tenentur praeviae censurae ecclesiasticae subiicere libros, qui divinas Scripturas, sacram Theologiam, Historiam ecclesiasticam, Ius canonicum, Theologiam naturalem, Ethicam, aliasve huiusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt, ac generaliter scripta omnia, in quibus religionis et morum honestatis specialiter intersit.

1207. Libros intellige, qui typis eduntur non manuscripta et cf. dicta ad Const. *Apost. Sedis* sub cens. 2. seriei 1ae. Sub phrasi vero *scripta omnia* intellige non solum libros proprie dictos, sed etiam diaria folia, libellos periodicos (Gennari).

42. Viri e clero seculari ne libros quidem, qui de artibus scientiisque mere naturalibus tractant, inconsultis suis Ordinariis publicent, ut obsequentis animi erga illos exemplum praebeant.

1208. Non agitur heic de censura, quam huiusmodi libri non exigunt, et quae ab Ordinario loci facienda est: sed de quadam significatione obsequentis animi erga Ordinarium proprium clerici: cui officio faciet satis clericus, si consilium suum de certa re scribendi manifestat Ordinario. Consensus Ordinarii hac lege non postulatur.

Cum non omnis omissio obsequii debiti Ordinario sit culpa gravis, erit in hac re, de qua artic. loquitur, omissio clerici frequenter levis, nisi contemptus accedat.

Iidem prohibentur quominus, absque praevia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant.

1209. Attentis omnibus circumstantiis res videtur per se gravis et idcirco sub gravi prohiberi.

CAPUT 4. — De typographis et editoribus librorum.

43. Nullus liber censurae ecclesiasticae subiectus excudatur, nisi in principio nomen et cognomen tum auctoris tum editoris praeferat, locum insuper et annum impressionis atque editionis. Quod si aliquo in casu, iustas ob causas, nomen auctoris tacendum videatur, id permittendi penes Ordinarium potestas sit.

1210. Editor est qui officium sibi sumit promovendi, sive sua opera sive suis expensis, impressionem operis. Typographiae proinde dominus non semper est editor. Nihilominus puto, heic nomine editoris venire

certe Typographum vel Typographicam Officinam. Mirum sane foret requiri indicationem loci, non vero Typographi aut Typograficae Officinae: finis enim legis huius notitiam maxime postulat. Si editor alius est ab auctore, quod frequentius contingit, cum libri veterum eduntur, utriusque nomen et cognomen exprimendum est.

44. NOVERINT TYPOGRAPHI ET EDITORES LIBRORUM NOVAS EIUSDEM OPERIS APPROBATI EDITIONES NOVAM APPROBATIONEM EXIGERE, HANC INSUPER TEXTUI ORIGINALI TRIBUTAM, EIUS IN ALIUD IDIOMA VERSIONI NON SUFFRAGARI.

1211. Fieri sane potest, ut in nova editione vel versione mutationes subrepant nec levis momenti.

45. LIBRI AB APOSTOLICA SEDE DAMNATI UBIQUE GENTIUM PROHIBITI CENSEANTUR ET IN QUODCUMQUE VERTANTUR IDIOMA.

1212. Secus est quoad libros ab Ordinariis locorum prohibitis, quorum lex non tenet nisi eorum subditos.

46. QUICUMQUE LIBRORUM VENDITORES, PRAECIPUE QUI CATHOLICO NOMINE GLORIANTUR, LIBROS DE OBSCENIS EX PROFESSO TRACTANTES NEQUE VENDANT NEQUE COMMODENT NEQUE RETINEANT: CETEROS PROHIBITOS VENALES NON HABEANT, NISI A S. INDICIS CONGR. VENIAM PER ORDINARIUM IMPETRAVERINT; NEC CUIQUAM VENDANT, NISI PRUDENTER EXISTIMARE POSSINT, AB EMPTORE LEGITIME PETI.

1213. Prudens existimatio sufficit, ut venditor sit in conscientia tutus; multo minus rèquiritur, ut exigat quandam in scriptis attestationem.

CAPUT 5. — De poenis in decretorum Generalium transgressores statutis.

47. OMNES ET SINGULI SCIENTER LEGENTES, SINE AUCTORITATE SEDIS AP. LIBROS APOSTATARUM ET HAERETICORUM HAERESIM PROPUGNANTES, NEC NON LIBROS CUIUSVIS AUCTORIS PER APOSTOLICAS LITTERAS NOMINATIM PROHIBITOS, EOSDEMQUE LIBROS RETINENTES, IMPRIMENTES ET QUOMODOLIBET DEFENDENTES, EXCOMMUNICATIONEM IPSO FACTO INCURRUNT ROMANO PONTIFICI SPECIALI MODO RESERVATAM.

Haec est excomm. Const. *Apostolicae Sedis* serie 1. n. 2. cf. huius enarrationem in V. 7. dicta.

48. QUI SINE ORDINARII APPROBATIONE SS. SCRIPTURARUM LIBROS VEL EARUNDEM ADNOTATIONES VEL COMMENTARIA IMPRIMUNT AUT IMPRIMI FACIUNT, INCIDUNT IPSO FACTO IN EXCOMMUNICATIONEM NEMINI RESERVATAM.

Haec quoque ex eadem Pii IX. Const. sumpta est: quam cf. ibid.

49. QUI VERO CETERA TRANSGRESSI FUERINT, QUAE HIS DECRETIS GENERALIBUS PRAECIPIUNTUR, PRO DIVERSA REATUS GRAVITATE SERIO AB EPISCOPO MONEANTUR ET SI OPPORTUNUM VIDEBITUR, CANONICIS ETIAM POENIS COERCEANTUR.

1214. Nullae ergo aliae censurae latae sententiae, praeter duas superius memoratas (aa. 47. 48.) amplius vigent: pro ceteris transgressionibus locum habent poenae ferendae sententiae, monitione seria praemissa.

Hactenus Constitutio.

1215. Quaerere solent Theologi an lex Indicis vim obligandi obtineat in quovis loco, puta in Galliis, in Hollandia, in Anglia et quaestio non fit de vi obligandi in actu primo, qua de re nemo dubitat, sed in actu secundo. Quidam nec pauci doctores in Galliis (cf. Gury l. c. §. 986.) olim vel negarunt vel dubitarunt speciatim pro sua regione, sive quia ibi non fuerit promulgata aut recepta, sive (quae ratio aliis in locis extra Gallias potius auditur) quia huius legis observatio catholicis versantibus inter haereticos sit fere impossibilis.

Verum in lege Romanae Sedis nulla est exceptio nec sane intelligitur quae esse rationabiliter possit; cum ratio prohibitionis aeque valeat pro quovis loco, imo magis urgeat pro illis Christifidelibus, qui inter infideles versantur. Neque ulla est necessitas, ut Romana lex in quovis loco promulgetur, quod in 1° volumine demonstratum est. Ad factum quod spectat receptionis, ubi Tridentina Synodus ex integro recepta est et haec quoque lex censenda est recepta. Si alicubi forte recepta non fuit, dicimus, nihilominus recipiendam esse; quia talis consuetudo est contra bonos mores, ideoque nihil valens. Agitur enim de salute animarum, cui Ecclesia prospicit prohibitione malorum librorum. Quocirca fieri quidem poterit ut consuetudo praescribat contra poenas seu censuras, quas lex ecclesiastica decernit: at non contra prohibitionem. Ceterum et in Galliis viri docti censent, historice falsum esse, quod ibi lex Indicis non fuerit recepta et certum est, Romanam Sedem ibi urgere huius legis observationem. Cf. Gury l. c.

Neque ullibi observatio huius legis per se impossibilis dici potest; quia et lex nota est et libri mali non sunt necessarii. Quod si identidem Christi fideles, qui inter haereticos vivunt, in ea versentur conditione, ut vel aliquo libro prohibito (non tamen de religione ex professo agente) iis uti necesse prorsus sit, vel ignorent inculpabiliter quinam sint prohibiti, eos excusabit quidem (quod est omni legi commune) per accidens impotentia aut ignorantia; non tamen id efficiet, legem non exstare etiam pro ipsis.

1216. Ut iam innuimus, lex Ecclesiae prohibens lectionem, impressionem et editionem librorum malorum, obligat duplici iure, naturali scilicet et ecclesiastico. Ius enim naturale praecipit, ut abstineamus ab iis, quae fini consequendo obstant: Ecclesiae autem praeceptum prohibens supponit malitiam rei licet non omnibus perviam. Poenae additae seu censurae iuris sunt ecclesiastici; ut patet.

Hoc tamen est discrimen inter naturae et Ecclesiae legem, quod « ius naturale prohibet propter periculum, ius ecclesiasticum propter praesumptionem periculi: ideo illo omnibus libris prohibemur, ex quibus legenti periculum imminet, etsi nemo eos proscripserit: hoc his tantum, quos Ecclesia proscripsit, etsi nullum omnino legenti immineat periculum »: ita Card. d'Annibale in Comm. *Const. Apostolicae Sedis* excomm. 2. seriei 1ae.

Hinc Ecclesia singillatim determinat, quinam sint libri, quorum merito praesumitur periculum atque hoc prohibens, obligationem certam facit abstinendi ab ipsis.

1217. Dictum est, fundamentum legis Ecclesiae esse praesumptionem periculi, cui fideles universim per huiusmodi lectionem obiicerentur. Haec autem praesumptio in pluribus singillatim, qui docti sint et pii, cessare potest: ideoque locus est exceptioni, seu facultati, quae fiat aliquibus, legendi libros prohibitos. Quia tamen nemo idoneus iudex in causa propria et homines facile hallucinantur neque experimento proprio discere convenit, an aliquis liber in particulari noceat, merito Ecclesia legem prohibentem ad omnes extendit, sibi facultate retenta permittendi lectionem iis, queis ipsa concedendam censeret.

Iam vero cum Ecclesia in praxi haud aegre concedat malorum librorum lectionem iis, quibus, attenta eorum doctrina et pietate praesumit illam non fore perniciosam: effectus huius legis prohibentis is tandem est, ut avertantur a lectione librorum malorum ii tantum, quibus lectio esset nocitura: quod quam iustissimum et sanctissimum sit, nemo non videt.

An vero lex ista Ecclesiae cesset in particulari pro eo, qui certo nullius periculum damni subiturus sit ex lectione, ut idcirco absque petita venia legere impune possit; negat Card. d'Annibale verbis citatis n. 1216. et cf. dicta tr. *de Legibus* n. 463.

1218. Illud certe tenendum, quod, libro prohibito, non censenda prohibita tantum ea pars, quae occasionem dedit prohibitioni, sed totus liber habendus est prohibitus; etsi cum limitatione prohibeatur: *donec corrigatur*. Quandiu sane correctio, quae probata sit s. Congregationi, facta non fuerit, totus liber sub interdicto manet. Ratio in quolibet

casu est, quia lex prohibens, loquitur de libro, librum damnans non solam partem libri.

Si autem id, propter quod liber est prohibitus, contineatur quibusdam propositionibus hac illac sparsis atque hae detrahantur aut deleantur vel abrasione vel inductione, ut amplius legi nequeant, cessat prohibitio libri, dummodo liber proscriptus non fuerit in odium auctoris vel sit ex iis, qui tractant de religione ex professo, qua certe in hypothesi difficile erit uti lituris, s. Alph. libr. 7. n. 283. d'Annibale l. c. n. 36.

Quid si opus prohibeatur pluribus voluminibus constans et quod causam prohibitioni suppeditavit, in uno vel altero tantum contineatur, ceteris exsistentibus innocuis? Supponimus certo constare causam prohibitionis. Responsio, quam dat Lugo *de Fide* disp. 21. n. 57. satis aequa videtur. Si nempe operis argumentum divisionem recipiat, ut tot censeri quodammodo opera possint, quot volumina, quemadmodum in historia contingere potest, prohibitio non afficit tomos immunes ab errore: si autem argumentum divisionem non recipit, prohibitio omnes tomos afficit non secus ac omnes plagulas unius libri.

1219. Iam vero quod prohibetur est *lectio, retentio, impressio, defensio* huiusmodi librorum: patet ex censura Pii IX. Idcirco hoc primo tenendum: quidquid sub nomine libri venit, id prohibemur legere, retinere, imprimere, defendere. Cum vero facile inter omnes conveniat, dari in his parvitatem materiae, quaeritur, quid requiratur, ut hae actiones sint letales.

Et primo quod spectat ad *lectionem,* oportet primum, eam esse veram lectionem. « Legere autem, ait Card. d'Annibale l. c. n. 36., est oculis perspicere et intelligere quae sunt scripta ». Ulpianus quidem l. 1. ff. *de His, quae in testamento delentur* etc. ait: « *legi* autem sic accipiendum: non intelligi, sed oculis perspici quae sunt scripta », ubi Glossa explicat: *non intelligi tantum,* quod contingit, ut ipse Ulpianus mox significat si quid scriptum sit, *intelligatur extrinsecus,* nempe vi cuiusdam analysis contextus et ratiocinii. Idcirco ut verum sit, *aliquid legi,* intelligentia scripti non excluditur, imo requiritur. Intelligentia autem, de qua ibi est sermo, non est tantum cognitio signorum, quae iam supponitur, cum dicitur *oculis perspici,* sed cognitio valoris seu significationis vocabulorum, quam habet qui linguam callet, qua scriptus est liber. Quamvis enim etiam ille, qui tantum signa tenet ex. gr. linguae hebraicae, cuiusmodi est discipulus recens, dicatur legere, cum novit vocabula e signis exprimere, etsi nondum eorum vim sciat: haec tamen non est lectio *formalis* libri sed *materialis* solum, quemadmodum pronuntiatio vocum quae fiat a psit-

taco, non est locutio neque ea lectio aliquid confert ad finem, ratione cuius vetita est lectio. Quapropter lectio prohibita est lectio formalis; ideoque qui legit, ignorans linguam, qua scriptus est liber, nondum agit contra legem prohibentem legere nec censuras incurrit. D'Annibale l. c. n. 36.

Neque agit contra legem hanc ecclesiasticam (etsi contra legem naturalem) qui legentem audit, quamvis etiam hic iussu eius legat. Ita censet Lugo *de Fide* disp. 21. n. 75.; quia semper verum est, ipsum non legere et lex strictam postulat interpetrationem, neque lex suo fine fraudatur; quia et ille sub gravi prohibetur legere: quod si sit qui facultatem habet, id est per accidens nec oportet legem omnes possibiles casus violationis efficaciter impedire. Cf. s. Alphons. l. 7. n. 292.

Qui vero legit, linguam callens, non graviter peccat, si parum legerit ex. gr. paginam: qua in re, nihil ἐν ἀτόμῳ definire licet; sed certo quodam prudentiae iudicio quantitas definienda est, quae etiam ex mole libri vel ex materia ex professo tractata diiudicanda erit. Nihilominus si legens in illud inciderit, propter quod liber est vetitus, puta in doctrinam erroneam, peccat graviter, si ulterius in lectione pergat, quamvis aliquas tantum lineas legat. S. Alph. l. c. n. 284.

Neque a peccato mortali excusatur eo quod legat quis librum, ut eum confutet; nisi forte necesse sit librum confutare et nequeat licentia peti atque vir sit doctus, qui prudenter nihil sibi timeat. In hac enim hypothesi epikeiam permittit s. Alphonsus l. c. n. 283.

1220. Vetita est *retentio* libri. Retentio libri quid proprie intelligatur, non satis clare DD. docent. Nam cl. d'Annibale l. c. n. 37. ait: « *retinere* heic intelligimus seu *proprietatem* libri seu *possessionem*, adeoque sive suum penes alium, sive alienum penes se ». Et quidem possessio (nempe penes se) sive sui libri sive alterius, facile intelligitur; id enim manifeste adversatur fini prohibitionis. Sed non adeo res clara est, si agatur de proprietate sola, cum nempe liber alteri possidendus seu retinendus traditur.

Sane s. Alph. l. c. n. 298. ait primo, ex communi sententia docere Suarez *de Fide* disp. 20. sect. 2. cum aliis, quos s. Doctor citat, non effugere excommunicationem, qui deponeret librum haereticum apud alium, non abdicando a se dominium; quia is qui retinet dominium, adhuc vere dicitur librum retinere, cum possit repetere, quando velit. Ideoque, aiunt, liber tradendus est Inquisitoribus, ut praeceperunt Iulius III. et Pius IV. (s. Alph. l. c. n. 299.) vel Ordinario (d'Annibale l. c.), quod de Bibliis vetitis praecipiebat regula 4ª Indicis: ita ut, quidam censeant, nec satis esse, librum comburere (apud s. Alph. l. c.),

quod tamen ab aliis excusari ait idem s. Doctor; quia cum liber est combustus, non amplius retinetur. Atque id concedit Card. d'Annibale l. c.

Veruntamen idem s. Doctor ibid. haec habet: « Dicit tamen Croix, bene satisfacere, qui tradit librum in locum sequestratum, qui solet assignari in singulis monasteriis. Ceterum (pergit) si quis deponeret librum apud habentem licentiam cum pacto expresso non repetendi, ita ut alter non teneatur reddere nisi post expurgationem vel post licentiam obtentam, *hunc non damnarem;* quia in hoc videtur adaequate cessare periculum legendi et tanto minus damnarem, si donaret librum habenti licentiam, sub conditione, ut reddat, si deinceps ipse licentiam obtineat ».

Censuit ergo s. Doctor, legem tradendi librum Inquisitoribus aut Ordinario vel talem fuisse, ut aequivalenti modo impleri posset vel consuetudine esse sublatam ac praeterea proprietatem libri non proprie esse prohibitam, nisi quatenus ipsa cum possessione coniuncta sit aut secum ferat expeditam possessionem.

Certe recitatae sententiae s. Doctoris, qua communis sententia temperatur, adhaerere impune licet.

1221. An a peccato mortali immunis est, qui librum prohibitum retinet, quem legere nescit, simul cavens ne in aliorum veniat manus? Quoniam haec est vera retentio et ea simpliciter prohibetur praeter lectionem; ipse quoque, licet ignorans linguam, hac lege tenebitur: ideoque retinens peccat contra legem et per accidens est, quod modo nesciat legere. Fini autem prohibitionis, qui est etiam exterminium huiusmodi librorum, haec quoque retentio obstat.

Ut autem retentio libri sit mortalis, non satis est, si uno alterove die retineas, dum non animum geris illum semper retinendi: imo dummodo animum habeas tradendi, neque si longiori tempore retineas, exspectans vel occasionem tradendi superiori aut licentiam habenti, (s. Alph. l. c. n. 295.) vel petitam legendi veniam, dummodo haec diu non sit exspectanda (d'Annibale l. c. n. 37.).

Cum vero liber est sub excommunicatione prohibitus, si vel modico tempore retinetur sed sine animo unquam reddendi, iam eo modico tempore peccatur quidem graviter propter eam malam voluntatem, qua iam incepta longa retentio vitiatur; sed excommunicatio nondum incurritur, quae infligitur retinenti non parvo tempore: s. Alph. l. c. n. 295.

1222. *Defensio* vetita libri (excomm. *Apostolicae Sedis* n. 10.) non est defensio doctrinae, quae alia lege prohibita est, sed ipsius libri, qua

nempe efficaciter impeditur, sive verbo sive facto, ne liber tradatur cui tradendus est vel ne comburatur aut intereat, cum id ex praecepto faciendum est. S. Alph. n. 285. Haec est per se gravis culpa.

1223. *Impressio* tandem vetita est editio libri per typos; ideoque non sola descriptio, amanuensium more, novi exemplaris. Lege hac prohibente impressionem tenentur 1° omnes, qui ad eam proxime cooperantur: 2° qui eorum operas conducunt; nam et hi dicuntur vulgo imprimere. Prioris generis sunt, qui typos componunt, tingunt atramento, chartas madefaciunt etc. Corrector saltem tenetur lege, quatenus legit (d'Annibale l. c. not. 25.). Alterius generis sunt typographus, editor libri, qui utrorumque operas conducere intelligitur, auctor quoque libri, si eius *cura* editur liber. Ita d'Annibale l. c. n. 38.

Quid si quis praecipit libri impressionem? Potest quis id praecipere, quin tamen vere dicatur imprimere (stampare), puta Rex iubens edicto suo libri editionem. Nisi ergo etiam *mandantes* lege feriantur, non videtur huiusmodi praecipiens censuram incurrere inflictam impressionis auctoribus.

1224. Facultatem legendi libros a Romano Pontifice vel s. Congr. prohibitos ipsi quoque Episcopi petere debent; lex enim Pontificia atque universalis omnes obligat. Solet tamen iis tum inter facultates ordinarias tum inter extraordinarias haec quoque facultas plus minus ampla concedi. S. Alph. n. 299. Cf. Sabetti op. cit. n. 979. q. 7.

Quaeritur, an cum datur licentia legendi libros puta haereticorum, ad eorum errores confutandos, vel libros obscena tractantes, propter studium Humanitatis, peccet contra legem, qui legat solum ex curiositate. Certum est, excommunicationem, si qua est, non incurri. Certum pariter est, quod si lecturus sentiat se obiectum iri periculo vel erroris hauriendi vel inhonestae concipiendae affectionis, contra naturalem legem peccabit pro ratione periculi, cui se absque causa exponit.

At contra legem ecclesiasticam non peccat; quia permissio facta est universalis, valens pro quolibet casu. Sane permissio praesumptioni innititur absentiae periculi in legente; ideoque ea permissio valet etiam, cum quis ex curiositate legit. S. Alph. n. 291.

Excipe, nisi permissio cum limitatione data sit, ut liber solum legatur, cum necessitas aut utilitas id postulet.

1225. Si agatur de libris non iure ecclesiastico prohibitis, de quibus tamen dubitare licet an fideli legenti noxii sint futuri, recolenda est regula tradita a Cong. s. Inquisitionis anno 1832. ad Episcopos Helvetiae, qui postulaverant: « An fideles, salva conscientia, legere possint

ephemerides vel libros, qui censuram (revisionem) Ordinarii non subierunt ». Respondit s. Congr. « Recurrant ad Confessarium ».

Hinc oportet, ut Confessarii mentem Episcoporum suorum noscant eorumque sequantur directionem; qua si destituantur, meminerint moniti s. Alphonsi in Appendice 3ª ad libr. primum, quae est *de Prohibitione librorum* c. 5. n. 8. « In hac re expedit ordinarie rigidiores opiniones sequi ». Patet, necesse esse, ut Confessarii aliquam notitiam habeant huiusmodi librorum, ut possint ex se ipsis prudens consilium suggerere fidelibus.

INDEX

TRACTATUS V. — De Praeceptis virtutum Theologicarum.

SECTIO I. — De praeceptis fidei.

SECTIO II. — De praecepto spei.

SECTIO III. — De praeceptis caritatis.

TRACTATUS VI. — De praeceptis decalogi.

SECTIO I. — De primo praecepto.

SECTIO II. — De secundo praecepto.

SECTIO III. — De tertio praecepto

SECTIO IV. — De quarto praecepto.

SECTIO V. — De quinto praecepto.

SECTIO VI. — De sexto et nono praecepto.

SECTIO VII. — De octavo praecepto.

TRACTATUS VII. — De Ecclesiae praeceptis.

SECTIO I. — De ieiunio.

SECTIO II.

SECTIO III.

SECTIO IV.